*Derogatio contrariorum.* §. 12. Non obſtantibus priori, voluntate noſtra, ac de non tollendo jure quæſito, Concilii Lateranenſis noviſſimè celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, necnon piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, aliiſque Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac Firmanæ & Aſculanæ Eccleſiarum, & Farfenſis Monaſterii, & ordinis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Firmanis, & Aſculanis Eccleſiis, & Farfenſi Monaſterio, illorumque capitulis, Conventibus, Superioribus & perſonis, ſub quibuſvis tenoribus ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam conſiſtorialiter, in genere vel in ſpecie cōceſſis, quibus omnibus & ſingulis, illorum cauſas & effectus præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Præſervatio jurium aliarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quoad bona temporalia, & Monaſteria in locis diſmembratis exiſtentia.* §. 13. Volumus autem, quòd Firmanæ, Aprutin. & Aſculan. Eccleſiis, ac Farfenſi, & Campi Fellonis Monaſteriis, illorumque præſulibus, Abbatibus, ſeu Commendatariis, nunc & pro tempore exiſtentibus prædictis, per ſeparationem, diſmembrationem, & exemptionem hujuſmodi, quoad bona temporalia, ſi quæ in dictis locis ab eis ſeparatis, diſmembratis, & exemptis hujuſmodi habeant, & quoad ſuperioritatem, qua Farfenſe, & Campi Fellonis Monaſteria, & illorum Abbates ſeu Commendatarii hujuſmodi, in Monaſteriis ſeu Prioratibus regularibus dicti Ordinis, in locis ſeparatis prædictis exiſtentibus habent, nullum præjudicium inferatur, ſed Epiſcopus Ripæ Tranſonis, in Monaſteriis prædictis eam tantum habeat & exerceat, juriſdictionem, quam cæteri Epiſcopi in ſimilibus habere & exercere ſolent.

Nulli ergo omnino, &c. Si quis autem, &c.

*D.P. An.6. die 10. Julii.* Dat. Romæ apud S.Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1571. 3.Kal. Auguſti, Pont. noſtri anno 6.

---

## GREGORIUS XIII. PONT. CCXXX.
### ANNO DOMINI MDLXXI.



GRegorius Decimus tertius, Italus, ex Civitate Bononiæ, Hugo antea dictus, Chriſtophori de Boncompagnis filius, S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. S. Sixti. Creatus tertio Idus Martii anno 1572. Coronatus in feſtivitate Pentecoſtes. Vixit annos duodecim, menſes 10. dies decem & octo. Creavit Cardinales triginta quatuor. Obiit die 10. Aprilis, anno Domini 1585. ejus cadaver ad Baſilicam S. Petri in ſacello, quod ipſe conſtruxerat, & de ſuo nomine Gregorianum nuncupaverat, conditum fuit. Vacavit Sedes dies duos.



---

### Facultas Religioſorum Societatis JESU eligendi Conſervatores in ejus cauſis, ac juriſdictio ipſorum Conſervatorum ex indulto Pii V. L.

*Hanc religionem primo loco approbavit Paulus III. ſup. in ejus conſt.* 25. Regimini, *ubi alia de ea tibi indicavi.*

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita An. D. 1572.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* ÆQUUM reputamus, & rationi conſonum, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum.

*Ad ſupplicationem Societatis Jeſu.* §. 1. Dudum ſiquidem fel. record. Pio Papæ V. prædeceſſori noſtro pro parte dilectorum Præpoſiti Generalis, & Religioſorum Societatis JESU expoſito, quod cùm dicta Societas benedicente Domino, longè lateque eſſet propagata ac ad Dei laudem & honorem, militantiſque Eccleſiæ profectum in dies augeretur, & propter diverſa bona temporalia, quæ Collegia ſcholarium ſub eorum cura inſtituta poſſidebant, conſervanda & recuperanda, lites aliaque forenſia frequenter ſubire neceſſariò cogeretur, exindeque fieret, ut ejus perſonæ, quæ animarum ſaluti implicitæ litium anfractus, qui ab eorum inſtitutis valde diſſonabant, evitare cupiebant, ab earum miniſterio, non ſine animi ſui dolore, cum animarum hujuſmodi diſpendio diſtraherentur, & eidem prædeceſſori pro parte eorundem Præpoſiti Generalis & Religioſorum aſſerentium, eorum bona à quorumcumque locorum Ordinariorum juriſdictione libera & exempta, ac ſub Romani Pontifices, & Sedis Apoſtolicæ protectione alias recepta fuiſſe, humiliter ſupplicato, ut eorum quieti more pii Patris, ac aliàs in præmiſſis opportunè conſulere de benignitate Apoſtolica dignaretur.

*Pius V. ei conceſſit, ut in omnibus cauſis Conſervatores & Judices eligere poſſint.* §. 2. Idem prædeceſſor, qui ad gratos Deo, & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ utiles & neceſſarios fructus, quos Societatis prædictæ perſonæ in vinea Domini ſemper proferebant, debitum reſpectum habebat, facere nullo modo poterat, quin ipſis ea concederet, per quæ ipſi, eorumque res & bona à noxiis, juſtitiæ miniſterio, præſervarentur, eoſdem Præpoſitum generalem & Religioſos, ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtebant, ad effectum infraſcriptorum dumtaxat conſequendum abſolvens, & abſolutos fore cenſens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub dat. videlicet 8. Kal. Junii, Pont. ſui anno 3. eidem Societati, ſinguliſque illius perſonis, ac eorum familiaribus clericali caractere tamen inſignitis, ut in quibuſcumque cauſis, tam civilibus quàm criminalibus ac mixtis, etiam in eis quibus actores vel conventi rei forent, ipſis contra quaſcumque Communitates, & Collegia hujuſmodi, omnes & ſingulos Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac Abbates, necnon alias perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, ac Metropolitanarum & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicos, ac eorundem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Vicarios in ſpiritualibus, & officiales generales ubilibet conſtitutos, in ſuos poſſent aſſumere Conſervatores & Judices ordinarios, indulſit.

*Ipſi autem Judices & Conſervatores exemplares, de quibus juriſdictionem habeant.* §. 3. Ipſis verò ſic electis, vel duobus, aut uni eorum, ut per ſe vel alium ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus Conſervatores & Judices deputati forent, eidem Societati efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent Societatem, Collegiaque hujuſmodi ſuper terris, locis, domibus, poſſeſſionibus, & juribus, necnon fructibus, cenſibus, redditibus, & proventibus,

ac quibuſcumque aliis bonis mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus, necnon privilegiis & indultis, eis & dictæ Societati, tam Apoſtolica, quàm ordinaria & alias ritè Regia auctoritatibus conceſſis, & aliis rebus ad dictam Societatem, communiter vel diviſim ſpectantibus, à quibuſcumque perſonis, tam ſæcularibus, quam Eccleſiaſticis, ac quacumque auctoritate & ſuperioritate fungentibus, quoquo modo indebitè moleſtari, vel eis gravamina, damna, aut injurias irrogari, facerentque cùm ab eiſdem Societate, aut perſonis, vel procuratoribus ſuis, ſeu aliquo ex eis forent requiſiti, ſuper reſtitutione locorum, terrarum, domorum, poſſeſſionum, jurium, & bonorum mobilium & immobilium, reddituum quoque & proventuum, ac aliorum quorumcumque bonorum, necnon privilegiorum & indultorum eis tunc & pro tempore conceſſorum obſervatione, necnon de quibuſlibet moleſtiis, injuriis, damnis, tunc præſentibus & futuris, in illis videlicet quæ judicialem requirerent indaginem, ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis verò prout eorum qualitas exegiſſet, juſtitiæ complementum, occupatores, ſeu detentores, præſumptores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoſlibet & rebelles, etiamſi alias quam ut præfertur qualificati exiſterent, quandocũque & quotieſcumque expediiſſet, auctoritate Apoſtolica, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, eos quos ſententias, cenſuras, & pœnas per eoſdem Conſervatores, ſeu Judices pro tempore latas incurriſſe eis conſtitiſſet, eas incurriſſe declararent, & quoties opus fuiſſet, etiam iteratis vicibus aggravarent, necnon auxiliũ brachii ſæcularis invocarent, commiſit & mandavit. Ac inſuper ſi per ſummariam informationem, per eos ſuper habendam, ipſis conſtitiſſet quod ad loca, in quibus occupatores, præſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, ac alios quos literæ tunc deſuper conficiendæ concernerent, pro tempore morari contigiſſet, pro monitionibus & inhibitionibus ipſis, ac citationibus eis faciendis, tutus non pateret acceſſus, Judicibus & Conſervatoribus hujuſmodi monitiones & citationes præfatas, ac inhibitiones quaſlibet per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus eſſet veriſimilis conjectura, quod ad ipſorum monitorum citatorum, & inhibitorum notitiam pervenire valerent, faciendi, necnon eiſdem occupatoribus, detentoribus, præſumptoribus, moleſtatoribus, injuriatoribus, contradictoribus, & rebellibus, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis eorum arbitrio moderandis, inhibendi, ac quibuſvis inhibitionibus, eis pro tempore, etiam prætextu quarumcumque literarum Conſervatoriarum, ſeu privilegiorum Apoſtolicorum quibuſlibet conceſſorum, & concedendorum, pro tempore factis non obſtantibus, eorum juriſdictionem liberè exercendi, loca, ad quæ eos declinare contigerit, & in quibus ſcienter ſtare permiſſi forent, Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciendi, plenam & liberam facultatem conceſſit. Ac monitiones, requiſitiones, inhibitiones, & citationes ſic factas, perinde ipſos monitos, requiſitos, inhibitos, & citatos arctarent, ac ſi eis perſonaliter factæ, inſinuatæ, & intimatæ forent.

*Et iſtam conceſſionem per quaſcumque derogationes non ablatam, nec diminutam cenſeri decrevit.*

§.4. Ac tunc deſuper conficiendis literis, & in eis contentis diſpoſitionibus, per quaſcumque derogationes, in quibuſvis aliis literis Apoſtolicis gratiam vel juſtitiam, & mixtim continentibus, per eundem prædeceſſorem & Sedem Apoſtolicam, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, & per quas earundem literarum tunc deſuper conficiendarum tenor, ac ſi de verbo ad verbum in eis inſertus foret, pro expreſſo haberetur, quibuſcumque perſonis, ſeu in eorum favorem, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſas & factas, ac faciendas & concedendas, nullatenus derogatum cenſeretur, aut derogari poſſet, niſi tenor earundem tunc deſuper conficiendarum literarum, de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, foret in illis inſertus, & derogatio pro tempore facta hujuſmodi per trinas diſtinctas literas eundem tenorem continentes, tribus ſimiliter diſtinctis vicibus, eidem Societati intimata, & inſinuata foret, & quod aliter earundem literarum tunc deſuper conficiendarum pro tempore factæ derogationes nemini ſuffragarentur.

§.5. Quodque quilibet Judicum & Conſervatorum præfatorum valeret proſequi articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo foret canonico impedimẽto præpeditus, quodque cuilibet Conſervatorum, & Judicum eorundem, ab eodem die 8. Kal. Junii eſſet in præmiſſis omnibus, ac eorum ſingulis, cœptis, & non cœptis, tunc præſentibus & futuris, perpetua poteſtas & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſent in præmiſſis omnibus, cœptis & non cœptis, tunc præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram eis cœpta fuiſſent, & eorum, ac cujuſlibet ipſorum juriſdictio de præmiſſis omnibus & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimè extitiſſet, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, & cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decrevit.

*Unumque ... ipſis Judicibus ... per alium inchoatum ... ſ qui po... declarat.*

§.6. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavebatur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocaretur, ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati extra Civitatem, vel diœceſim, in quibus deputati forent, contra quoſcumque procedere præſumerent: & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo non ultra tres dietas aliquis, vigore earundem literarum tunc deſuper conficiendarum extraheretur, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſvis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Regibus, Ducibus, Comitibus, cæteriſque cujuſcumque dignitatis, qualitatis, & præeminentiæ, ac Ordinis etiam Mendicantium, & conditionis exiſtentibus perſonis, in genere, vel in ſpecie, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus idem Pius prædeceſſor, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ea vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogavit, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Contra... omnibus ... rogat.*

§.7. Voluit inſuper idem Pius prædeceſſor, quod literarum tunc deſuper conficiendarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhiberetur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Tranſumpti ſua bulla ... di voluit.*

§.8. Ne autem de abſolutione, indulto, & aliis præmiſſis, pro eo quod ſuper illis ipſius Pii prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, ipſaque Societas illorum fruſtretur effectu, volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod indultum & alia præmiſſa perinde à dicta die octava Kalen. Junii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Pii prædeceſſoris literæ confectæ fuiſſent, prout ſuperiùs enarratur. Quodque præſentes literæ ad probandum plenè abſolutionem, indultum, & alia præmiſſa ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo, &c.

*Sed quia ... ſi Pii obitu ſuperveniente bulla non fuit expedita, ideo hic Pont. de ejus validitate non dubitari decernit.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1572. 8. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno 1.

*D.P.A. ... 25. Mart.*

Prohi

## II. Prohibitio depingendi, & miniandi, aut venales proponendi Agnus Dei à Romano Pontifice benedictos.

*Munus autem Agnus Dei, juxta ritum S.R.E. in cera ſignandi, & fractos renovandi, Paul. V. demandavit Congregationi Monachorum* B. MARIÆ *Fulienſis de Vrbe, Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti, ut inf. in ejus conſt.*43. Romanum.

*Edita An.D. 1572.* *GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus prohibitionis.* OMni certè ſtudio, & opera à nobis procurandum eſt, ut ea tollantur, quæ non conveniunt, ac noſtrum & aliorum bonorum, piorumque Chriſti fidelium animos offendunt. Itaque providè conſiderantes certas formas innocentiſſimi Agni imagine figuratas, & per Romanos Pontifices ſtatutis temporibus conſecrari ſolitas, ſicut Agni puri & mundi à ſummo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus poſtmodùm immaculatas, non autem auro & coloribus ullis depictas, ſed in ſua albedinis munditie ſanctificatas congruenti cum reverentia teneri & conſervari debere.

*Prohibitio depingendi, aut miniandi, ſeu venales habendi Agnus Dei à Pont. benedictos.* §.1. Statuimus & ordinamus, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, prohibemus & interdicimus, ne quiſquam, ſive vir, ſive mulier, ſæcularis aut Eccleſiaſticus, etiam regularis Ordinis ille ſit, & quocũque gradu, conditione, ſtatu, nomine, dignitate & honore præcellat, poſthac in perpetuum Agnus Dei per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud ſuperinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, ſeu tenere quovis prætextu, qualibetve de cauſa audeat. Verùm eos albos & mundos Agnum illum purum, & innocentem repræſentantes, qui occiſus pretioſiſſimo ſanguine ſuo nos redemit, decenter, ac reverenter à cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri, & cenſeri debere decernimus.

*Ordinarii hanc prohib. publicent.* §.2. Mandantes omnibus & ſingulis locorum Ordinariis per univerſum Chriſtianum Orbem conſtitutis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, ut præſentem noſtram conſtitutionem & prohibitionem in ſuis quiſque civitatibus & diœceſibus ſtatim publicare procurent, ita ut ad omnium notitiam quamprimùm pervenire poſſit.

*Contravenientium pœna.* §.3. Quicumque verò inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam, quam, ut præfertur, incurrent, etiam aliis pœnis ipſorum Ordinariorum, ſeu Vicariorum plecti, & mulctari volumus & jubemus.

*Clauſula derogatoria.* §.4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.* §.5. Volumus etiam, quod præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici obſignatis plena, eademque prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 1. die 25. Maii.* Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1572. 8. Kal. Junii, Pont. noſtri anno 1.

*Publicatio.* *Anno Incarnat. Dominica 1572. Indict. 15. die verò 11. menſis Junii, Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D.N.D. Greg. divina providentia Papa XIII. anno 1. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilica Principis Apoſt. de Urbe, & Cancel. Apoſt. ac in acie Campi Flora, per nos Scipionem de Octavianis, & Ant. Clerici Curſ.*

*Camillus Cher. mag. Curſ.*

## III. Confirmatio conſtitutionis Pij V. de non alienandis, & infeudandis Terris, & locis S.R.E.

*Hanc conſt. Pii V. habes ſup. num.* 35. Admonet, *& ibi ejus extenſiones indicavi. Quibus addo, quod hic Pont. die 3. Aprilis* 1581. *in Conſiſtorio declaravit ſub d. Bulla Pii V. comprehendi etiam conceſſiones gubernatorum, quæ ultra triennium de locis S. R. E. fieri contingeret.*

Addidi alia ad Leon. I. conſt. 1. ſup. lib. 1.

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An.D. 1572.*

INter cætera, quæ ad Romani Pontificis curam, ac ſollicitudinem pertinent, illud quoque non mediocri ſtudio providendum eſt, ut res Eccleſiaſtica ſarta tecta uſquequaque conſervetur, quod cùm de aliis omnibus, tum præcipuè de iis quæ ſpecialis juriſdictionis Romanæ Eccleſiæ ſunt, curare debet, ne ulla uſquam illorum imminutio fiat. *Exordium.*

§.1. Cujus rei cauſa fel. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, ut talium diſtractionibus omnem viam, quantum in ipſo erat, in perpetuum præcluderet, literas edidit in hæc verba : Pius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos ſuſcepti. *Pius V. prohibuit alienari, vel infeudari loca S. R. E.*

Omittitur tenor, quia habes ſup. in Pii V. conſt. cit. in ſub

§.2. Cum autem tales literæ ad retinendam Sedis Apoſtolicæ dignitatem valde pertineant, nobis nihil optabilius fuit cum primùm ad Summi Apoſtolatus apicem divina nos clementia evocavit, quam ut ipſis primo quoque tempore præſentium noſtrarum robur adjungeremus. Quocirca prædictas literas, & omnia in eis contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium comprobamus, confirmamus, & innovamus, volumuſque ea perpetuò obſervari. *Hi Pont. modo confirmat illius conſtit.*

§.3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ comprobationis, confirmationis, innovationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dom. 1572. 6. Kal. Auguſti, Pont. noſtri Anno 1. *D. P. An. 1. die 27. Maii.*

## IV. Contra Famigeratores nuncupatos Menantes, eorumque ſcripta recipientes, & famoſos libellos ſcribentes, & mittentes.

*Conſonat conſt.* 147. *Pii V. quæ eſt ſuprà.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A.D. 1572.*

EA eſt rerum humanarum infelicitas, ut non vetera tantum vitia pertinaciter adverſus omnem legum latarum ſolertiam luctentur, & quamvis atribus compreſſa ſuppliciis renaſcantur, ſed nova etiam in dies, & ſuperioribus ſæculis ignota ſuccreſcant. Quo nos pro injuncto nobis divinitus munere diligentius adjuti, par eſt ut & illa coërceamus, & horum, quæ ſe nunc primum offerunt, antequam ſe corroborent, radices ipſas, ſi qua ratione poſſumus, amputemus. *Prœmium.*

§.1. Cum igitur haud ita pridem in Urbe noſtra ſecta quædam emerſerit hominum improbe curioſorum, qui quoſcumque de publicis privatiſque negotiis, vel aliunde rimari poſſunt, vel ipſi etiam pro ſua libidine comminiſcuntur, domi, foriſque facta, infecta, vera, falſa, nullo diſcrimine proponunt, recipiunt & ſcriptitant, ita ut hujus rei jam artem quaſi quandam inſtituerint, ac plerique eorum, etiam vili mercedula conducti, harum rerum commentariolos, ex falſis plerumque vulgi rumoribus incerto auctore collectos, huc illuc miſſitent, aut etiam tanquam primum ex Urbe ad diverſa loca miſſos, deinde iiſdem ex locis in Urbem remiſſos circumferant, ac venditent, quibus non tantum de præteritis arbitratu ſuo nugantur, ſed etiam quid ex hac aut illa re eventurum ſit, ſtolide vaticinantur. *Famigeratorum mala.*

§.2. Nos qui & facilè proſpicimus, & rerum experimentis edocti ſumus, quæ quantaque mala ex eo proveniat, cum & ſæpiùs ſparguntur falſa pro veris, ſeu directè, *Prohibitio cum in poſitione pœnarum.*

ſeu obliquè, ac quodam quaſi colore quæſito, multorum exiſtimatio & fama violatur, his ac talibus incommodis occurrere cupientes, hujus conſtitutionis auctoritate prohibemus, ne quis in poſterum tales commentarios conficere, neve ab aliis confectos recipere, deſcribere, ſpargere, aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipſo facto perpetua ignominiæ nota affectus, ſine ulla ſpe veniæ ad triremes, aut perpetuò, aut ad tempus pro admiſſi qualitate damnetur. Qui verò hujuſmodi commentariorum, aut ſcriptorum quicquam undecumque & à quocumque receperit, id quamprimum Urbis noſtræ Gubernatori ſignificare, & eidem omnia conſignare debeat. Quod ſi non fecerit, ipſum pœnis prædictis decernimus ſubjacere. Antiquis juribus contra ſcribentes aut mittentes libellos famoſos editis, nihilominus in ſuo robore duraturis.

*Confirmatio legum de famoſis libellis.*

§. 2. Volentes præſentium exemplis, etiam non impreſſis, Notarii publici manu & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem illam ubique fidem, in judicio & extra adhiberi, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Fides exemplorum.*

*Dat. P. An. 1. Kal. Sept.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dom. 1572. Kal. Septembr. Pont. noſtri anno 1.

*Publicatio.*

*Anno Incarn. Dom. 1572. Indict. 15. die verò Sabbati 6. menſis Sept. Pont Sanct. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 1. affixa, & publicata fuerunt Romæ, ad valvas S. Ioan. Lateran. & S. Petri, ac Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Ioannem della Guardia, & Scipionem de Octavianis S. D.N. PP. Curſ.*

*Philibertus Magiſter Curſorum.*

---

## V. Facultas Ordinis tam Fratrum, quam Monialium Eremitarum S. Auguſtini, permutandi & alienandi bona cujuſcumque Monaſterii in evidentem ejus utilitatem, cum licentia, vel approbatione Prioris generalis d. Ordinis.

*Alia extabant Pontificia diſpoſitiones circa hanc facultatem, ſed eas prætermiſi, hac contentus uti pleniore. Cætera autem de hoc Ordine dixi ſup ad conſt. 6. Alexand. IV.* Licet.

*Edita An. D. 1572.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DUm ad uberes, ſalutiferoſque fructus, quos benedicente Domino ſacer dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Ordo in vinea Domini protulit, & in dies proferre non ceſſat, debitum reſpectum habemus, ac planè agnoſcimus quod ii tanquam hujus Sedis ſpeciales filii, tam verbum Dei per Urbes & Regiones diſſeminando, quam ubique varia charitatis opera adimplendo, nos in hujus Paſtoralis officii onere coadjuvare non ceſſant, facere nullo modo poſſumus, quin eos ſpeciali quadam hujus Sedis benevolentia proſequentes, ea ſibi favorabiliter concedamus, per quæ eorum indemnitati, Monaſteriorumque ſuorum utilitati poteſt ſalubriter provideri.

*Cauſa hujus concesſionis.*

§. 1. Exponi ſanè nobis nuper fecerunt iidem Fratres Eremitæ, quod ſæpenumero accidit, ut pro aliqua urgenti neceſſitate vel utilitate Monaſteriorum, domorum & locorum dicti Ordinis, tam virorum quam mulierum, illorum bona locare, alienare, permutare, vel in emphyteuſim ſeu livellum dare expediret, ac quandoque contingit, ut conditio ſemel oblata, ſi prætermittatur, maximam afferat jacturam, præterquam quod difficile admodum exiſtit pro ſingulis minimis commutationibus, & aliis contractibus ad Sedem præfatam recurrere, ac id non ſine ipſius Ordinis in paupertate fundati inquietudine eſſe poteſt. Quare iidem Fratres Eremitæ nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos fel. record. Sixti IV. & Leonis X. ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærere volentes, ipſoſque Fratres Eremitas, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Fratribus Eremitis, ut ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus Fratres & Moniales dicti totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, omnium & quorumcumque monaſteriorum, domorum & locorum ejuſdem Ordinis ubilibet nunc & pro tempore conſiſtentium, liberè & licitè poſſint & valeant quæcumque bona ſtabilia & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia cujuſcumque qualitatis & quantitatis, & valoris, & in quocumque loco exiſtentia eorundem monaſteriorum, domorum & locorum vendere, alienare, & permutare, & etiam in emphyteuſim, ſeu ad livellum, etiam ad longum tempus concedere, & pro pretio, affictu, pactis, modis, & formis hinc inde conveniendis, licentiam & facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus. Proviſo tamen quod fiant pro commoditate, vel utilitate ipſorum Monaſteriorum, domorum & locorum, & quod conſenſus duarum partiũ ex tribus partibus Fratrum vel monialium illius Monaſterii, domus, vel loci, cujus dicta bona erunt, accedat & interveniat, & quoad conceſſionem in emphyteuſim, dummodo illa non fiat ultra duas generationes vel nominationes, abſque alia à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Roman. Pontificibus pro tempore exiſtentibus, aut Sede Apoſtolica, vel illius de latere Legatis, ſeu Nuntiis, aut etiam locorum Ordinariis, petenda vel obtinenda licentia, ſeu confirmatione: ita tamen quod loco conſenſus Sedis Apoſtolicæ, dilectus filius Prior generalis dicti Ordinis, nunc & pro tempore exiſtens, & diligenter examinata, & evidenter utili comprobata habeat, prout ſibi ex nunc perpetuò concedimus poteſtatem ratificandi hujuſmodi location. conceſſion. vendition. & alienation. ac contractus. Sic quod ubi talis ordo non fuerit ſervatus, locatio, conceſſio, venditio, & alienatio, ac contractus aliter facta, nulla & invalida, nulliuſque roboris ac momenti exiſtant, & donec præfatus Prior generalis modo præfato non ratificaverit, poſſeſſio remaneat, & remanere intelligatur penes ipſos Fratres, ſeu Moniales dicti Monaſterii ſeu domus, aut loci ſic locantis & alienantis, ac ita in præmiſſis ſic perpetuò declaramus & decernimus. Et nihilominus ex nunc prout ex tunc & è contra, poſtquam locationes, conceſſiones, venditiones, & alienationes, ac contractus, ſervatis ſupra narratis, pro tempore facti, & per dictum Priorem generalem ratificati fuerint, ut præfertur, ſeu conſenſus ejuſdem Prioris generalis intervenerit, eaſdem locationes, conceſſiones, venditiones, alienationes, & contractus, ac inde ſecuta quæcumque, necnon inſtrumenta & ſcripturas deſuper pro tempore confecta approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus, omneſque & ſingulos tam juris quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint eiſdem, quomodolibet ſupplemus. Decernentes quoad utilitatem ſeu commoditatem Monaſteriorum, domorum, & locorum præfatorum, aſſertioni duarum partium ex tribus partibus Fratrum vel Monialium illius loci, cujus bona erunt, poſtquam ratificatio facta fuerit, illaſque & illa, necnon præſentes, & in eis contenta, validas & efficaces, ac valida & efficacia perpetuò fore, necnon ab omnibus obſervari debere, ipſoſque & cum eis contrahentes præfatos, ſuper præmiſſis, & inde ſecutis quibuſcumque, per quoſcumque quavis auctoritate quomodolibet moleſtari vel impediri non poſſe; necnon irritum & inane, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Conceſſio facultatis alienandi bona Ordinis, cum licentia, vel approbatione Prioris generalis, & uno modo fiat in evidentem utilitatem dicti Ordinis.*

§. 3. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Joanni Epiſc. Albanen. Cardinali de Montepolitiano nuncupato, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Protectori, & Alexandro Patriarchæ Alexandrino curiæ cauſarum

*Deputatio executorum.*

rum

rum Cameræ Apoſtolicæ generali auditori, ac Bartholomæo Epiſcopo Amerino Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti, nunc & pro tempore exiſtentibus, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ab omnibus quos illa concernunt, integrè & inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos, aut eorum aliquem deſuper contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorum.* §.4. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, ac totis eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenòres hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Dat. P. Anno 1. die 5. Sept.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 5. Septemb. 1572. Pontificatus noſtri anno 7.

---

VI. Inſtitutio Militiæ S. Mauritii Martyris, ſub regula Ciſtercienſi, ac ſub regimine Emanuëlis Philiberti Sabaudiæ Ducis, ſuorumque Succeſſorum, qui dictæ Militiæ Magni Magiſtri perpetuò ſint.

*Huic Militiæ hic idem Pontifex univit poſtea aliam Militiam S. Lazari Hieroſolymitani, ut in conſt. ſeq.* De qua S. Lazari Militia, *vide plenè notata ſup. in conſt. 28. Pii V.* Sicuti.

*Edita An. D. 1572.* *G R E G O R I V S E P I S C O P V S, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Chriſtianæ Reipublicæ vexatio.* CHriſtiani populi corpus ſic ſumma Dei providentia cernitur conſtitutum, ut quemadmodum Eccleſiaſticis perſonis propria eſt operatio attributa, ita ſtrenuis & fortibus viris, tanquam Chriſti Athletis, ſua benemerendi occaſio ſit oblata. Cum ad eum quoque finem Deus ſæcularem Principibus poteſtatem dederit, ut debitum ſanctæ Religioni præſtent famulatum, atque his inter ſe cohærentibus, & militiæ præſidio Sacerdotum pietas in ſuo officio protegatur, & militum virtus amore Religionis augeatur, unde illius fides, & gloria ſit propaganda, id verò ſummo conatu pro tempore eſſe agendum, ut quammaxima Chriſtianæ & Catholicæ fidei adjumenta comparentur, Reipublicæ Chriſtianæ graviſſima vulnera ab hæreticis ſathanæ miniſtris inflicta, & ab eiſdem, ac infidelibus in poſterum impendentia mala, ſatis apertè nos admonent: ac inter cæteras Chriſtiani populi partes, his præcipuè malis hæreticorum venenis, dolis, inſidiis, atque oppreſſionibus obnoxiæ conſpiciuntur Sabaudiæ & finitimæ regiones, ob vicinitatem adjacentium quorundam locorum, præſertim Genevæ, à qua ipſa hæreſum contagio, & peſtis circumquaque ſerpſit, atque manavit.

*Ducis Sabaudiæ propoſitio de inſtruenda militia S. Mauritii, & petitio licentiæ.* §. 1. Itaque cum dilectus filius nobilis vir Emanuël Philibertus Sabaudiæ Dux, pro ſua præſtanti pietate, ac prudentia, hæc diligenter conſiderans in animum induxerit, ad alia quæ ipſe conſuevit, tuendæ & augendæ Catholicæ Religionis cauſa, in locis ditioni ſuæ ſubjectis adhibere remedia illa, & adjungere, ut ex delectis omnis generis Chriſtiani populi militibus, unam Sanctæ Sedis auctoritate conficiat militiam, Beati Mauritii Martyris nuncupandam, quem idem Emanuël Philibertus Dux, & ejus anteceſſores, ut præcipuum ſuum, ac rerum ſuarum protectorem, eximio ac perpetuo ſtudio & veneratione ſunt proſecuti, idque nobis exponi fecerit, ac ſimul ſupplicari, ut hoc ei impartire dignaremur.

*Pontificis collaudatio de d. propoſitione, & conceſſio d. licentiæ.* §. 2. Nos optimum illius conſilium, ac ipſo majoribuſque ejus clariſſimis & præſtantiſſimis Principibus dignum animum, meritis in Domino laudibus commendantes, ac proſpicientes ipſam ſic conſtituendam militiam, maximo ſui & præſidio fore non ſolùm ipſis Sabaudiæ, & Pedemontium Provinciis, ſed toti etiam Italiæ ad ſuſtinendos & propulſandos quoſvis hæreticorum, & infidelium impetus, ac opportuniſſimum ibi propugnaculum, munimentum, & auxilium habituros eſſe Nos, Eccleſiamque Romanam, ac univerſam Chriſtianam Remplicam in ipſo militiæ robore, ac talis Ducis maxima virtute, rerumque bellicarum ſumma, & ſæpè cognita peritia, illi ſuper hac re, prompto ac libenti animo annuendum, pioſque ejus conatus ſpeciali favore, & gratia duximus proſequendos.

*Ipſaque inſtitutio Militiæ S. Mauritii ſub regula Ciſtercienſi, & ſub Duce Sabaudiæ, qui dotem 15. mille ſcutorũ de propriis bonis tribuere debeat.* §. 3. Quare ipſum Emanuëlem Philibertum Ducem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ejus ſupplicationibus inclinati, unam Militiam, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui Dominus eſt exercituum, & per quem Reges regnant, ac Principes imperant, & Fidei Catholicæ in dictis Sabaudiæ & Pedemontis Regionibus defenſionem, ac univerſæ Italiæ, totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem & commodum, ſub invocatione S. Mauritii Martyris, & regula Ciſtercienſi nuncupandam per univerſum Chriſtianum orbem, cujus ſuprema Sedes, & militum Conventus in loco ab eodem Emanuële Philiberto Duce in Sabaudia ſtatuendo & aſſignando, perpetuò ſit, & in ipſa Militia unum Magiſtrum Magnum vocandum, ſupremam ejuſdem Militiæ dignitatem pro uno Magiſtro, qui illius caput exiſtat, cum eo quo ſibi expedire videbitur militũ & miniſtrorum numero. Qui milites cum unica tantum, & virgine conjugati, ad habitum & profeſſionem regularem admitti, ſeu qui pro tempore admiſſi fuerint, matrimonium cum ſimili virgine & unica dumtaxat contrahere poſſint, alias verò ipſi caſtitatem conjugalem, & obedientiam expreſsè profiteantur, cum menſa Magiſtrali, officiis, juribus, juriſdictionibus, & inſignibus conſuetis aliarum hujuſmodi Militiarum inſtar; ex nunc prout poſtquam ipſe Emanuël Philibertus Dux dotem annui redditus quindecim millium ſcutorum de propriis & patrimonialibus bonis ſuis illi conſtituerit, & è contra auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus. Ac illi ſic erectæ, ejuſque menſæ dictam dotem quindecim millium ſcutorum, etiam perpetuò applicamus & appropriamus, ita ut liceat eidem Emanuëli Philiberto Duci, & pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro, bonorum dictæ dotis corporalem poſſeſſionem, ſeu quaſi liberè apprehendere, ac perpetuò retinere, fructuſque & proventus in ſuos & dictæ Militiæ uſus, & utilitatem convertere, cujuſvis licentia minimè requiſita. Et nihilominus Magiſtratum prædictum, cujus fructus, redditus, & proventus nulli ſunt, ab hac ejus primæva

erectione vacantem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, prædicto Emanueli Philiberto Duci, ejuſque ſucceſſoribus omnibus Sabaudiæ Ducibus, qui pariter Magni Magiſtri eſſe debeant, in perpetuum concedimus & aſſignamus.

*Facultas M. Mag. milites ad habitum recipiendi.*

§. 4. Ipſiſque præterea, & ipſorum ſingulis liberam facultatem tribuimus, ut quotquot illis viſi fuerint milites nobiles, aut optima virtute cognitos, vel alias pro eorum arbitrio, vel ſtatuto qualificatos, ex omnibus nationibus poſt factam ab ipſis, juxta formam præſentibus adnotatam Catholicæ fidei profeſſionem, ad habitum, & regularem profeſſionem admittere.

*Beneficia erigendi.*

§. 5. Ac & in quibuſcumque mundi partibus Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias, & alia beneficia dictæ militiæ erigere.

*Bona laïcalia pro dote aſſignandi.*

§. 6. Eiſque ſic erectis Patrimonialia & laïcalia bona eorum, qui illa relinquere voluerint, dotis nomine aſſignare.

*Jus patronatus fundatoribus reſervandi.*

§. 7. Jus patronatus fundatoribus, ſeu dotatoribus id petentibus validè reſervare, quod ſic reſervatum idem robur, eandemque vim & efficaciam obtineat, quod obtineret, ſi per nos conceſſum foret.

*Provincias, & Nationes ſeparandi.*

§. 8. Necnon Provincias & nationes dividere, ac ex erigendis dictæ militiæ beneficiis, quæ Prioratus, quæ Præceptoriæ, quæ ſuperiora, vel inferiora beneficia eſſe, eaque & eorum ſingula, quos fructus habere, & tam ipſa quàm illa obtinentes, quæ onera ſupportare, ad illa quoque admittendi, quibus qualitatibus ſuffulti eſſe, & quibus legibus ſubjacere debeant, aliaque ad uſum militiæ hujus neceſſaria decernere & declarare.

*Statuta condendi.*

§. 9. Atque tam de prædicta, quàm aliis quibuſcumque rebus & negotiis occurrentibus, quæcumque ſtatuta condere, facere, & ordinare, illaque poſtquam condita & ordinata fuerint, quotieſcumque viſum fuerit, pro eorum arbitrio & voluntate interpretari, mutare, alterare, limitare, corrigere, ſeu in meliorem formam reducere, aut in totum delere, aliaque de novo edere, ac quaſcumque pœnas apponere, & ad illorum executionem procedere valeant.

*Decretum irritans.*

§. 10. Decernentes ſupradicta firmitate perpetua conſiſtere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper illis per quoſcumque, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.*

§. 11. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma verò profeſſionis Fidei per ſingulos Milites præſtanda hæc eſt, videlicet.*

*Forma profeſſionis fidei ipſorum Militum.*

§. 12. EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto. Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio, profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro vivis & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, ac ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, unà cum anima & divinitate Domini noſtri Jesu Christi, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum, ſumméque conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fideliũ ſuffragiis juvari, ſimiliter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerãdos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, atque venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam uſque ad extremum vitæ ſpiritũ conſtantiſſimè, Deo adjuvante, retinere & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

*Sanctio pœnalis.*

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, appropriationis, conceſſionis, aſſignationis, tributionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dom. 1572. 16. Kal. Octob. Pont. noſtri anno 1. *D. P. A. 1. die 16. Septemb.*

---

## Unio Militiæ S. Mauritii Martyris, & Militiæ S. Lazari Hieroſolymitani, ſub denominatione SS. Mauritii & Lazari, & regimine Sabaudiæ Ducis Magni Magiſtri perpetui. VII.

*Inſtitutionem Militiæ S. Mauritii nuper erectam, vide in conſt. præced.* Et de Militia S. Lazari, *plenè notavi ſup. in conſt.* 27. *Pii V.* Sicuti.

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1572.*

*Sollicitudo paſtoralis.*

PRo commiſſa nobis nullis noſtris exigentibus meritis, ſed ſola Dei benignitate, Eccleſiarum omnium, ac

piorum religioſorumque locorum cura & ſollicitudine, in eam nos cogitationem aſſiduè incumbere decet, qua potiſſimùm ratione providere poſſimus, ut ex eis quammaxima & quamuberrima ad ſanctam Dei Religionem, & fidem Catholicam, atque univerſum populum Chriſtianum commoda proveniant, ordine etiam & conſuetudine in illis mutata, ſicut rerum uſus & eventus, ac ipſa temporum ratio, & qualitas docuerit expedire.

*Recenſetur inſtitutio Militia S. Mauritii, de qua ſup. in conſt. præcedente.*

§. 1. Cum autem nos pridem ad Dei omnipotentis laudem, & fidei Catholicæ gloriam, in Sabaudiæ & Pedemontis Regionibus defenſionem, totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem & commodum, Militiam S. Mauritii Martyris, ſub regula Ciſtercien. per univerſum Chriſtianum Orbem, cujus ſuprema Sedes, & Militum Conventus in loco à dilecto filio nobili viro Emanuële Philiberto Sabaudiæ Duce in ipſa Regione Sabaudiæ aſſignando & ſtatuendo perpetuò ſit, & in eadem Militia unum Magiſtratum, Magnum vocandum, ſupremam ejuſdem Militiæ dignitatem, pro uno Magiſtro qui illius caput exiſtat, cum eo qui ſibi expedire videbitur, Militum & Miniſtrorum numero, qui Milites etiam cum unica, & virgine tantum conjugati ad habitum & profeſſionem regularem admitti, ſeu qui pro tempore admiſſi fuerint ſic dumtaxat contrahere poſſint, & aliàs caſtitatem conjugalem & obedientiam expreſsè profiteantur, cum menſa magiſtrali, officiis, juribus, juriſdictionibus & inſignibus conſuetis, aliarum hujuſmodi Militiarum inſtar ex tunc prout poſtquam dictus Emanuël Philibertus Dux, dotem annui redditus quindecim millium ſcutorum de propriis & patrimonialibus bonis illi conſtituiſſet, & è contra, erexerimus & inſtituerimus, ac illi ſic erectæ dictam dotem perpetuò applicaverimus & appropriaverimus, Magiſtratūque prædictum à primæva ipſius erectione vacantem eidem Emanuëli Philiberto Duci, ejuſque ſucceſſoribus omnibus Sabaudiæ Ducibus, qui Duces pariter & Magni Magiſtri eſſent, conceſſerimus & aſſignaverimus. Ac prætereà ipſis, ut quos ſibi videretur nobiles, aut optima virtute cognitos, vel alias pro ipſorum arbitrio vel ſtatuto qualificatos ex omnibus nationibus, ad habitum & regularem profeſſionem admittendi, ac etiam in quibuſcumque mundi partibus dictæ Militiæ, Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias, & alia beneficia erigendi, Provincias & nationes dividendi, aliaque tunc expreſſa faciendi, liberam licentiam tribuerimus, ſicut literis noſtris ſuper his confectis latiùs continetur.

*Enarrantur fructus proventuri, ſi dicta nova Militia S. Mauritii antiqua uniatur Militia S. Lazari.*

§. 2. Nos poſtea diligenti meditatione conſiderantes ipſam de novo erectam & conficiendam Militiam, magnos abſque dubio fructus, tali præſertim ductore, atque Magiſtro fidei Catholicæ eſſe allaturam, ſed multo tamen majores, ſi aliis adjumentis & auxiliis fulcita, atque munita fuerit, ac prætereà cernentes Militiam Hoſpitalis S. Lazari Hieroſolymitani ſub regula S. Auguſtini jampridem Magiſtri regimine deſtitutam, nobilem illam quidem & antiquam, ſed ipſa vetuſtate, ac temporum injuria valde dejectam & prolapſam eſſe, optimum nobis viſum eſt, ſi hanc veterem illi novæ, & nunc naſcenti adjungeremus, ut quod hæc in ipſo initio per ſe agere perfectè non poſſet, id alterius adjuta auxilio, & viribus geminatis fortior ſit ad agendum, atque citiùs & faciliùs hæ ſimul junctæ, optatos Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo fructus afferre poſſint.

*Maximè quod Dux Sabaudia duas triremes pro Sede Apoſtol. promptas tenere debeat.*

§. 3. Id verò facere inſtituimus cum eo quod Emanuël Philibertus, & pro tempore exiſtens Dux & Magiſter prædictus annexionis hujuſmodi ratione duas Triremes dictis Militibus inſtructas pro Sedis Apoſtolicæ defenſione contra hæreticos, infideles, piratas, & quoſcumque alios ejus hoſtes continuè de ſuo manutenere debeat.

*Unio itaque utriuſque Militia firmatur ſub denominatione SS. Mauritii & Lazari.*

§. 4. Quare eundem Emanuëlem Philibertum Ducem & Magnum Magiſtrum, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, non ad ipſius Emanuëlis Philiberti Ducis, vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, & certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Militiam S. Lazari prædictam cum illius Magiſtratu, ac omnibus & quibuſcumque illius Prioratibus, Præceptoriis, Hoſpitalibus, & aliis beneficiis regularibus, eorumque membris, grangiis, caſtris, villis, domibus, poſſeſſionibus, proprietatibus, fructibus & bonis, tam mobilibus quàm immobilibus, ac ſe moventibus, juribus, & actionibus univerſis. Necnon Eccleſiis, Capellis, terminis & pertinentiis quibuſcumque ad dictam Militiam S. Lazari ſpectantibus, quæcumque, quotcumque, qualiacumque, & ubiqumque ſint, non tamen aliis Eccleſiis, piis locis, & Militiis canonicè unita, quæ ab his quibus unita ſunt avocari, aut illorum ratione quemquam moleſtari noluimus, ac etiam exceptis iis, quæ in Regnis & Dominiis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici exiſtunt, eidem Militiæ S. Mauritii, quæ in poſterum Militia SS. Mauritii & Lazari nuncupetur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ita perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ut poſthac in perpetuum prædictus Emanuël Philibertus, & pro tempore exiſtens Sabaudiæ Dux Militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari Magiſter ſit, & appelletur.

*Tu quoad loca hic excepta vide conſtit. 102. Clem. VIII. Decet.*

§. 5. Ac Prioratus, Præceptoriæ, & alia beneficia Militiæ S. Lazari, & ea obtinentes, aliique milites, ſervientes, Capellani, & perſonæ, curæ, gubernationi, & juriſdictioni ipſius Ducis, & Magni Magiſtri in omnibus & per omnia ſubſint, prout ſuo antea Magiſtro ſuberant, eique tanquam membra capiti obediant, & obſequantur, liceatque eidem Duci & Magiſtro corporalem poſſeſſionem Militiæ S. Lazari, ejuſque Magiſtratus, & aliorum unitorum prædictorum per ſe, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, fructuſque, redditus, & proventus, in ſuos & dictæ Militiæ uſus & utilitatem convertere, diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia minimè requiſita.

*Militiamque S. Lazari ſubjicit Duci Sabaudia Mag. Magiſtro in perpetuum.*

§. 6. Inſuper his, qui præceptorias S. Lazari, in titulum, ſeu commendam, vel aliter quovis modo obtinent, habitum per dictum Ducem, & Magiſtrum Militibus SS. Mauritii & Lazari deſignandum ſuſcipiendi, & eidem Emanuëli Philiberto Duci, & Magno Magiſtro, hiſque qui habitum S. Lazari jam ſuſceperunt, & deferunt, novum, dimiſſo antiquo, volentibus tradendi, eos verò qui dictum S. Lazari habitum nondum ſuſceperunt, ad novum habitum, ut præfertur, deſignandum, ſuſcipiendum, & deferendum oppoſitionis remediis compellendi, auctoritate & tenore prædictis facultatem concedimus.

*Qui duas triremes paratas ut ſupra tenere debeat.*

§. 7. Volentes, & dicta auctoritate ſtatuentes eundem Emanuëlem Philibertum, & pro tempore exiſtentem Ducem, & Magnum Magiſtrum in perpetuum, unionis hujus ratione ad duas triremes dictis Militibus inſtructas, pro noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ac Sedis Apoſtolicæ contra prædictos & quoſcumque alios defenſione continua manutenendas teneri, & ad id efficaciter obligatum exiſtere.

*Principes ne impediãt executionem hortatur.*

§. 8. Ut autem prædicta omnia certiorem conſequantur effectum, omnes & quoſcumque Reges, Reſpublicas, Duces, Marchiones, Principes, & quoſvis Civitatum & locorum Dominos hortamur & rogamus attentè, ac eorum ſubditis in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut prædictis, quantum in ſe eſt faveant, & quo minùs illa ſuum ſortiantur effectum, impedire, perturbare, vel moleſtare quovis quæſito colore non audeant.

*Clauſulam ſublata, &c. apponit.*

§. 9. Decernentes irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores deputat.*

§. 10. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Taurinen. & Nicen. & Montis Regalis Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, ut ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Emanuëlis Philiberti, & pro tempore exiſtentis Ducis, & Magni Magiſtri fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eique in prædictis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra literas ipſas ab omnibus

quos illæ concernunt, inviolabiliter obſervari, non permittentes eos per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§. 11. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, ac noſtra de unionibus committendis ad partes, & valore exprimendo: necnon Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Hoſpitalis prædicti S. Lazari juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Militiæ prædictæ, illiuſque Magiſtris, Conventibus, Militibus, & adminiſtratoribus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, & motu, & ſcientia ſimilibus, ac aliàs quomodolibet, & iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiãſi de illis, ac totis eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Sanctionem pœnalem addit.*

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, conceſſionis, voluntatis, ſtatuti, hortationis, rogationis, decreti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. A. 6 die 13. Novemb.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dom. 1572. Idib. Novemb. Pont. noſtri anno 1.

---

## VIII. Declaratio circa eleemoſynas Monialibus ſervantibus clauſuram præſtandas.

*Ad hæc vide etiam ſupra conſtit. Pii V.* Circa, *num. 8. Et ante eam Concilii Trid. diſpoſitionem in cap. 5. ſeſſ. 15.*

*Edita A. D. 1572.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEo ſacris Virginibus, quæ contemptis illecebris ſæculi divinis ſe obſequiis manciparunt, æquiſſimum eſt præcipua quadam à nobis, ac ſingulari ſollicitudine provideri, tum ut ab eis omnia, quæ ſanctum ipſarum propoſitum impedire poſſent, removeantur, tum etiam ut eis in cultu Dei caſte ac religioſe permanentibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt ſubminiſtrentur.

*Conc. Trid. decretũ iſtud habe in ſeſſ. 15 c. 5. Pii V. conſtit. … in habes ſup.*

§. 1. Et quidem poſt ſacri Conc. Trident. decretum, quo conſtitutio fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, renovatur, prohibens ne aut ipſis Monialibus ex monaſteriis ſuis egredi, aut ulli cujuſcumque ſexus, aut ordinis perſonæ ad eas ingredi liceat. Et præterea univerſis Epiſcopis præcipitur, ut in omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis, in aliis verò Sedis Apoſt. auctoritate clauſuram Sanctimonialium ubi violata, diligenter reſtitui, ubi verò inviolata, conſervari maximè procurent, piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, victui quoque & neceſſitatibus ipſarum proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet atque innovaſſet, eademque omnia etiam in Monialibus quarumcumque militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, omnibuſque aliis tacitè, vel expreſsè religionem profeſſis, quocumque nomine cenſerentur, locum habere decreviſſet, ne illæ quicquam detrimenti in neceſſitatibus ſuis hac occaſione paterentur, etiam præcepit locorum Ordinariis, & ſuperioribus earum, ut fidelium eleemoſynas per converſas non profeſſas, vel profeſſas quidem, ſed ætatis ſaltem quadraginta annorum, & jampridem converſas, quæ in domibus contiguis, extra tamen Monaſterium degerent, colligendas curarent; ita tamen ut prædictæ converſæ neque clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus permiſſis ingrederentur, nec ex illis ipſis habitationibus ſuis ad tales eleemoſynas colligendas ſine permiſſu Ordinariorum, aut ſuperiorum ſuorum exire poſſent. Quod ſi ne hoc quidem ſufficere videretur, idem Pius prædeceſſor mandavit ipſis Ordinariis & ſuperioribus, ut negotium darent aliquibus perſonis piis tales eleemoſynas colligendi, aliaque arbitratu ſuo proſpicerent, quæ ad ſublevandam Monialium inopiam expedire judicarent.

§. 2. Cum autem, ſicut accepimus, multæ Moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur, ſub ſolemni Religionis voto, perpetuaque clauſura degentes, aliæque talibus literis comprehenſæ, & in ipſa clauſura permanentes, multis præterea ad ſe ſuſtentandas neceſſariis egeant, neque uſque ad hoc tempus ullo ſufficienti remedio earum neceſſitatibus ſubventum ſit. Quin etiam aliæ Tertiariæ citra ullum ſolemne hucuſque votum vivant, quæ ad ſuas, ſuorumve domos neutiquam rediture eſſent, ſed ſub ſolemni religionis voto, & clauſura prædictis permanerent, ſi earum congruæ ſuſtentationi provideretur: nos, qui illas neceſſariis rebus deſtitui nolumus, certioreſque facti ſumus in multis Civitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis, tam in Eccleſiis, & Monaſteriis, quàm hoſpitalibus, collegiis, confraternitatibus, & aliis locis piis, etiam quæ à privatis hominibus, tum Eccleſiaſticis, tum laïcis multas ac diverſas eleemoſynas Chriſti pauperibus erogari, conſiderantes in ejuſmodi perſonas vel in primis exercendam eſſe charitatem, quæ voluntaria paupertate ſuſcepta ab omni hominum commercio ſegregatæ Deo ſerviunt, & aſſiduis precibus iram ipſius ob peccata conceptam, Chriſtiano populo deprecantur: illud quoque cogitantes, ſi eis ad tales eleemoſynas petendas ad loca prædicta conferre ſe liceret, vix fore, ut prædicta Monaſteria, Eccleſiæ, loca, ac perſonæ eis ſingulis non tantum ſaltem tribuerent, quantum ſingulis illis pauperibus eódem concurrentibus ſolent, univerſo illi Deo devotarum mulierum generi de opportunæ ac ſufficientis ſubventionis auxilio providere cupientes.

*Causa huius constit.*

§. 3. De nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus, ut omnes, & quicumque Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Præpoſiti, & alii Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Eccleſias, necnon Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, Canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, ſæcularia & S. Benedicti, S. Auguſtini, Ciſtercien. Cluniacen. Præmonſtraten. Carthuſien. Camaldulen. S. Baſilii, Caſſinen. aliàs S. Juſtinæ, Montis Oliveti, S. Salvatoris, ac Lateranen. & Cruciferorum, ſeu fratrum S. Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum ejuſdem S. Auguſtini, Servorum B. Mariæ, S. Claræ, & quorumcumque aliorum tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium Ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiam de jure patronatus laïcorum, etiam Nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum exiſtentia, in titulum, commendam, adminiſtrationem, & aliàs quomodocumque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Adminiſtratores, cæterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conventuum,

*Et modò ab iſto Pont. applicatur Monialibus clauſuram ſervãtibus, mediãtas eleemoſynarum.*

Conventuum, menſarum, hoſpitalium etiam laicorum, & per laicos adminiſtrari ſolitorum, Chriſti fidelium confraternitatum, ſcholarum, collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, & in quibuſvis mundi partibus conſiſtentium, quæ ſingulis annis, menſibus, hebdomadis, vel diebus ex Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac congregationum, hoſpitalium, confraternitatum, ſcholarum, collegiorum, piorum & aliorum locorum prædictorum fructibus, redditibus, & proventibus, pauperibus Chriſti aliquas eleemoſynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia, ſeu aliis ad victum vel veſtitum pertinentibus, etiam ſupplicationem & preces, & per cedulas & bolettina, aut alias diſtribuere, & elargiri ab immemorabili tempore conſueverunt, aut alio quocumque jure tenentur ex dictis fructibus, redditibus, & proventibus, & quod hoſpitalia prædicta ex iis quæ ſervata in illis actuali hoſpitalitatè ſuperſunt ſeu ſupererint, necnon quæcumque perſonæ particulares etiam laïcæ, vel univerſitates etiam laïcorum, quod teſtamento, ultima voluntate, vel alia diſpoſitione, etiam inter vivos, aliquales tales eleemoſynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcumque eleemoſynarum, & largitionum hujuſmodi, quocumque nomine nuncupatarum, quocumque tempore, & modo diſtribui ſolitarum, etiamſi ſpeciali nota dignæ, & ſecundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates ſub certa forma ab eis in teſtamento, vel alia quacumque diſpoſitione diſtribuendæ ſint (dummodo non in certas perſonas, nec ad certos uſus pios alios quam victus, & alimenta pauperum diſtribuantur) quibuſlibet prædictarum Monialium, etiam Tertiariarum; ſub ſolemni Religionis voto, & perpetua clauſura de cætero viventibus, & in terris, & locis, quorum pauperibus hujuſmodi eleemoſynæ diſtribuuntur, conſiſtẽtibus, verè, realiter, & cum effectu, & abſque ulla eleemoſynarum, & largitionum hujuſmodi petitione, exactione, & cõquiſitione, aut alia deſuper à nobis expectata juſſione, aut mẽtis noſtræ declaratione, ac quibuſvis mora, ſubterfugio, ac exceptione caſſantibus, & ejectis, dare atque diſtribuere omninò teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus.

*Ordinarii locorum exigãt, & applicent, & diſtribuãt hujuſmodi eleemoſynas.*

§.4. Ut autem præmiſſa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter ſuum effectum ſortiantur, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut quiſque per ſe, vel alium ſeu alios ad præſentium executionem in ſuis civitatibus, & diœceſibus procedens, ab Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus Confraternitatibus, Scholis, Collegiis, & locis, & Eccleſiaſticis, ac laïcis perſonis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemoſynarum hujuſmodi exigant, ac pro portione, ut Ordinariis ipſis locorum æquum eſſe videbitur, ſingulis pauperum Monialium etiam Tertiariarum Monaſteriis hujuſmodi ſuarum Civitatum, & diœceſum, etiamſi aliis ſuperioribus ſubjectæ ſint, cum effectu diſtribuant. Nos enim eiſdem locorum Ordinariis etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, ac cuilibet illorum tam per ſe quàm alium, vel alios, præmiſſa faciendi, ac etiam contradictores quoſlibet, & rebelles per pœnas pecuniarias eorundem Ordinariorum, & cujuſlibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac in ſubſidium ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas aliaque opportuna juris, & facti remedia, quacumque appellatione poſtpoſita reſpectivè compeſcendi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

*Conſanguineiſque Monialium, & aliis hortẽtur ut eiſdem Monialibus charitativè ſubveniant.*

§.5. Inſuper quia valde rationi conſonum eſt, ut etiam ii, qui ipſis Monialibus etiam Tertiariis indigentibus præfatis conſanguinitate aliqua ſunt conjuncti, aliquod in præmiſſis ſubſidium conferant, cùm ratio ſanguinîs, & debitum charitatis, & honeſtatis id poſtulet, ſingulis locorum Ordinariis committimus, ut omni eos officio, & diligentia monere, eiſque perſuadere ſtudeant, parentes verò, & fratres ac alios, ad quos illas, ſi in ſæculo permanſiſſent, dotare pertinebat, vel ad quos bona, & ſucceſſiones devenerunt, & qui ſi eas nuptui tradidiſſent, multo ampliùs, quam ingredientibus Monaſterium dediſſent, vel qui ſi eas nunc domi retinerent, vel ſi ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuſcumque viis ipſis beneviſis inducant, ut Monialibus etiam tertiariis prædictis juxta eorum facultates charitativè ſubveniant, ſcituri id ſibi etiam ad animarum ſalutem plurimum profuturum.

*Declaratio conſtitutionis Pii V. editæ circa converſas profeſſas, & non profeſſas. Quam habes ſup. ſign. num.*

§.6. Cæterum quod attinet ad Converſas profeſſas, quas prædictus Pius prædeceſſor per prædictas literas ſub certis conditionibus ibi contentis permiſit poſſe manere extra Monaſteria pro colligendis eleemoſynis, eiſdem locorum Ordinariis injungimus, ut quibus Monaſteriis prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, ſupradicta vel alia qualibet ratione de ſufficienti ſubventione, & ſuſtentatione proviſum eſſe cognoverint, eaſdem Converſas ſub eadem clauſura cum aliis Monialibus reducant, neque à ſuis Monaſteriis ampliùs exire permittant. Converſas verò non profeſſas, & profiteri nolentes, dimiſſo habitu domum remittant, neque alias in futurum, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, atque ſub perpetua clauſura manſuras in Monaſteria hujuſmodi recipi permittatur. Quod autem Pius prædeceſſor ſtatuit de cætero nullas alias Converſas profeſſas recipi ampliùs etiam de conſenſu ſuorum Superiorum poſſe, ita eſſe intelligendum declaramus, præter illas Converſas, quæ extra Monaſterium in domibus contiguis degerent. Eleemoſynarum verò prædictarum contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac ſuos effectus ad plenum ſortiri debere, donec numerus Monialium etiam tertiariarum hujuſmodi (quem per ipſos locorum Ordinarios etiam in Monaſteriis ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum Superiorum interventu ſtabiliri, & ordinari, neque ſupra illum numerum alias recipi poſſe, etiam de conſenſu Superiorum ſuorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, ut reliquæ Moniales, & Tertiariæ ex propriis redditibus Monaſteriorum ipſorum, vel conſuetis eleemoſynis ſe commodè ſuſtentare queant: ſuper quo eorundem Ordinariorum conſcientiam oneramus, ita tamen ut, decedentibus ſingulis ex tribus earundem Monialium partibus, tertiæ quoque earundem eleemoſynarum partis diſtributio, & ſic ſucceſſivè in totum extinguatur, atque in priſtinum ſtatum ſub debitis aut ſolitis oneribus revertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiam Tertiariis licere habere oſtiũ, per quod ex Monaſterio introiri poſſit in ipſarum Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam ſæcularibus ad Miſſas, & divina officia patere ſolet acceſſus, ſed omninò muro obſtruendum, neque itidem licere Monialibus etiam Tertiariis egredi à janua Monaſterii, quæ eſt pro clauſura ipſius Monaſterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, qua patere ſolet aditus ſæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, ſeu loca colloquiis deſtinata, quæ vulgò parlatoria vocantur, vel ad pulſandum ipſam januam clauſuræ, quæ loca, cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſæcularibus, extra clauſurã cenſeri debẽt, etiam pro tẽpore quo clauſa ſunt.

*Domini temporales faveãt in præmiſſis Ordinariis.*

§. 7. Inſuper quoſcumque dominos, & magiſtratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, ut ad omnem ipſorum Ordinariorum, aut alicujus ipſorum petitionem, vel ſimplicem requiſitionem, illis in præmiſſis aſſiſtentes, omnes opportunum favorem, & auxilium præſtent, & exhibeant.

*Ordinarii faciant publicari & obſervari hanc conſtit.*

§.8. Ipſis denique Patriarchis, Archiepiſcopis, & aliis locorum Ordinariis præcipimus, & mandamus, ut has præſentes noſtras literas (quarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem ubique fidem, in judicio, & extra adhiberi debere volumus, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ) ſinguli in ſua Civitate, & diœceſi publicent, ac publicari, eaſque juxta earum continentiam, & tenorem, unà cum prædictis, ac aliis prædicti Pii V. & aliorum prædeceſſorum noſtrorum litteris, conſtitutionibus, & juſſionibus pro integra clauſuræ inſtauratione, cuſtodia, & firmitate editis,

editis, inviolabiliter obſervent, & obſervari faciant.

*Derogatio contrariorum.*

§.9. Non obſtantibus teſtatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacii prædicti de una, & Concilii generalis de duabus, non tamen tribus dictis, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Ordinum, hoſpitalium, militiarum, confraternitatum, collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & literis Apoſtolicis, Eccleſiis, Monaſteriis, & Ordinibus, hoſpitalibus, confraternitatibus, collegiis, & piis locis, ac eorum ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & pluries innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod illis, niſi ſub certa inibi expreſſa forma, aut aliàs derogari non poſſit: quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes; illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi ſupradictis, vel quibuſvis aliis ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, [illegible]lam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmo[illegible]nem.

Nulli ergo omnino, &c.

*Dat. P. An. 1. die 30. Dec.*

Dat. Rom. apud S. Petr. Anno Incarn. Dominicæ 1572. 3. Kal. Januarii, Pont. noſtri anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. 1573. Indict. 1. die verò 21. menſis Januar. Pontif. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papa XIII. anno 1. retroſcripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Principis Apoſt. de Urbe, S. Joannis Lateranenſis, Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Scipionem de Octavianis, & Alexandrum Aſtancollum Curſ. Apoſtolicos.*

*Petrus Sprengerius Mag. Curſ.*

---

## IX. Reductio ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini, trium conſtitutionum à Pio V. pro Ordinibus Mendicantium, aliiſque editarum.

*Edita A. D. 1573.*

*GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN tanta rerum, & negotiorum mole, qua Rom. Pont. ex omnibus mundi partibus aſſiduè premitur, vix vitari poteſt, ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis neceſſe eſt moderationis remedium adhibere.

*Pius V. privilegia multa mendicantibus conceſſit, ut ſuprà in conſt. 41. Eccl.*

§.1. Cum itaque alias fel. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, auditis gravaminibus, quæ fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, ſuper ſacris concionibus, & lectionibus habendis, confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis, fratribus ad ordines promovendis, celebratione Miſſarum, [illegible] animarum, ſacramentorum miniſtratione, ſepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemoſynis, collectionibus, aliiſque hujuſmodi juribus, necnon decimis, & diverſis oneribus, ac etiam ſuper ſtatu & regimine ſanctimonialium ipſis fratribus ſubjectarum, formatione proceſſuum, cenſurarum publicatione, proceſſionibus, præcedentia, locorum acquiſitione, certiſque aliis rebus [illegible] per quaſdam ſuas literas pro dictis Fratribus [illegible] modò ſtatuerit, ſed & quæ jam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declaraverit, multaque præterea privilegia eiſdem decimo ſeptimo Kal. Junii, Pontificatus ſui anno ſecundo.

*Et illa extendit ad alios ordines, ut ibid. in ſu.*

§.2. Et deinde ea omnia diverſis aliis Ordinibus, & Congregationibus regularium non mendicantium, etiam per modum communicationis, conceſſerit.

*Et alia decrevit circa parochias, ut ſup. in bull. 47. Ad exequendum.*

§.3. Poſtea per quandam ſuam conſtitutionem de Vicariis perpetuis parochialibus Eccleſiis unitis per Ordinarios locorum inſtituendis, & portione illarum Vicariis aſſignanda etiam, alia ſuper conſtitutione Fratrum eorundem ad exercitium curæ animarum in eis parochialibus Eccleſiis, quæ domibus & locis ſuis unita ſunt, decreverit.

*Poſtea alia ſtatuit.*

§.4. Demùm animadverſo quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magniſque difficultatibus obſtructa, multas magnaſque diſſenſiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & fratrum ipſorum Ordines, non ſine gravi divini cultus, & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo concitaverant, contra ac ipſe ſperabat, & præter ſuam expectationem, ut qui interdum conquereretur, multa aliter alioque ſenſu prolata fuiſſe, quàm literis expreſſa eſſent: cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia, quæ Regularibus aliorum Ordinum quàm Mendicantium communicaverat, & ſecundum præmiſſa conceſſerat, Motu proprio reſtrinxerit. Deinde pleniùs providere volens prioribus literis à ſe quoad ipſos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quaſcumque alias literas, quæ de aliis Ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium ordines de obſervantia nuncupatos emanaverant, omninò aboleverit, cauſas omnes jam de his etiam in Romana Curia pendentes ad ſe advocando, lites extinguendo, ac formatos ſuper illis proceſſus, lataſque ſententias annullando, quemadmodum aliis ſuis literis in regiſtro proximè compertis, nunquam tamen publicatis, pleniùs continetur.

*Deinde circa Confeſſiones aliam edidit bullam ſup. num. 133.*

§.5. Poſtremò circa confeſſariorum Regularium etiam Mendicantium approbationem juxta Concilii prædicti decretum faciendam, etiam Lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expreſſos comprehendi debere declaraverit.

*Hic Pont. omnes prædictas conſtit. Pii V. reducit ad terminos juris, & Conc. Trid.*

§.6. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici literarum, & conſtitutionum editione procedit, præſentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus literis & conſtitutionibus, quæ ab eodem prædeceſſore eiſdem de rebus pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuſcumque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem, atque deciſionem pro ſubjecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex jure veteri, ſive ex ſacris dicti Concilii decretis, ſive aliàs legitimè ante dictarum literarum & conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſæ non emanaſſent, futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuumque priſtinum, & integrum ſtatum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipſis literis, & conſtitutionibus appoſita, & alia & alias eorum occaſione vel cauſa factas, his noſtris ſtatuto, ordinationi, & reductioni adverſantia, quibuſcumque illa ſint concepta formulis, ac præſervationibus, declarationibus, modificationibus, reſtitutionibus, mentis atteſtationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortiſſimis, efficaciſſimis, & inviolabilibus clauſulis, etiam motu & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & ex certa ſcientia, etiam pro conſervatione ſtatus regularis, & ex quibuſcumque aliis urgentiſſimis cauſis quotieſcumque roborata, Decernentes illa omnia pro nullis & infectis haberi; omneſque ſupradictos, illarum uſu, commodo & effectu carere.

*Lites ſecundùm hanc bullam decidi vult.*

§.7. Ac omnes lites, & controverſias, quæ coram quibuſvis judicibus, ſive Ordinariis, ſive Commiſſariis, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus,

[illegible] Cardinalibus, [illegible] de latere Legatis, prædictarum literarum & constitutionum occaſione ſuper præmiſſis jam motæ ſunt, necdum deciſæ aut finitæ, vel etiam quæ jam deciſæ ſunt, ſi modò tractum habeant ſucceſſivum, eaſque rurſus, & inter quoſcumque excitari in poſterum contingat, ſecundum prædictam diſpoſitionem, nec aliter decidendas.

*Dubiorumque futurorum declarationes Sedi Apoſtol. reſervat.*

§.8. Futura verò dubia & difficultates, quandocumque & ubicumque orientur, ad nos & Sedem Apoſtolicam, ubi & cætera quæ ad decreta dicti Concilii pertinent quotidie declarantur, omninò referenda eſſe.

*Decretum irritans.*

§.9. Necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Præceptum obſervantiæ.*

§.10. Mandamus itaque in virtute ſanctæ obedientiæ præſentes ab omnibus ubique Epiſcopis, & locorum Ordinariis, necnon Eccleſiarum Prælatis, Rectoribus, Fratribuſque prædictis, ac cæteris ad quos pertinet, ſemper inviolata obſervari.

*Derogatio contrariorum.*

§.11. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, domorum, locorum & Ordinum quorumcumque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Maremagnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis Eccleſiis, Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet conceſſis & confirmatis: quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa, individua, & ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Juſſio public.*

§.12. Ut autem præſentes omnibus pleniùs innoteſcant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illiſque Notarii publici manu, & Curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis, eandem illam prorſus fidem in judicio & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

*Dat. P. An. 1. die 1. Martii. Publicatio.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1573. Kal. Martii, Pont. noſtri anno 1.

*Anno à Nativit. D. N. Jeſu Chriſti 1573. Indictione 1. die verò 23. menſis Martii, Pont. Sanctiſſ. D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 1. retroſcripta literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Princip's Apoſtolorum, & S. Ioan. Lateran. de Urbe, & Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem de Soya, & Marcum Antonium Brutum, ejuſdem S. D. N. PP. Curſ.*

*Anton. Ludovicus Mag. Curſ.*

---

## X. Quod omnibus liceat in quacumque die infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, proceſſionem ſolemniter facere, in honorem ſuæ feſtivitatis.

*De hujus feſtivitatis inſtitutione, & aliis eam concernentibus, dixi ad conſtit. 1. Urb. IV.* Tranſiturus.

*Edita An. D. 1577.*

GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Cum interdum contingat Romanum Pontificem aliquas conceſſiones, & gratias elargiri, quas poſtmodum experientia rerum magiſtra, docet in alterius præjudicium reſultare, mirum nemini videri debet, ſi tandem præjudicio cognito gratiæ ipſæ ſic conceſſæ in meliùs reformentur, prout & populi devotio expoſcit, ac rerum, & temporum qualitate penſata, conſpicitur in Domino ſalubriter expedire.

*Pius V. juſſit ordini Fratrū Prædicatorum ſolum [illegible] proceſſionem Corporis Chriſti facere, in die Dominica infra octavam.*

§.1. Dudum ſiquidem fel. rec. Pio Papæ V. prædeceſſori noſtro pro parte dilecti Joannis Gallo Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ profeſſoris expoſito, quod licet in omnibus ferè conventibus provinciæ Hiſpaniæ Ordinis prædicti, ſolemniter fieri conſueviſſet proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti Corporis Chriſti die Dominica infra octavam illius feſtivitatis, idque ab immemorabili conſuetudine, propterea quod dicti ordinis religio, utpote à B. Thoma de Aquino docta peculiarem ſemper geſſerat devotionem erga Sanctiſſimam Euchariſtiam, unde cum magno apparatu, & frequentia populi eadem feſtivitas à fratribus Ordinis hujuſmodi celebrari ſolebat. Nihilominus ante aliquot annos aliqui alii partium illarum Religioſi, præſertim in Civitate Salamantina, contendebant eiſdem die & hora feſtivitatem, ſeu proceſſionem hujuſmodi celebrare, populum ad ſe trahentes, & ornamenta, quæ ipſis fratribus Ordinis hujuſmodi concedi ſolebant conquirentes, unde & populi devotio minuebatur; & aliquando viri timorati videntes religioſos pro hujuſmodi rebus inter ſe contendere, offendebantur, ejuſdem Joannis ſupplicationibus inclinatus eidem Ordini Prædicatorum, ut in omnibus, & ſingulis Civitatibus, terris, oppidis, & locis, tam dictæ Provinciæ, quàm extra, & aliàs ubilibet, in quibus ab immemorabili conſuetudine fratres dicti Ordinis proceſſionem hujuſmodi dicta die Dominica infra octavā ejuſdē Corporis Chriſti ſolemniter celebrare ſoliti fuerant, eiſdem fratribus Ordinis Prædicatorum dumtaxat eadem die Dominica ſolemnem proceſſionem ejuſdē Corporis Chriſti celebrare liceret, ita ut nulli ſuper eo illos impedire, ſeu eodem tempore vel die eandem proceſſionē facere poſſent, & deberent, perpetuò cóceſſit, & indulſit, ac aliis prædictis deſuper diſtrictiùs inhibuit, aliaque fecit, prout in dictis literis plenius continetur.

*Hic motu proprio omnibus licere die cuivis dictam proceſſionem celebrare, in quacumque die inf. octavam d. feſtivitatis.*

§.2. Nos tamen attendentes id non ſine divini cultus diminutione eſſe aliquo modo poſſe, cum omnes ad unam, & eandem dumtaxat Eccleſiam confluentes, in ea commode recipi, ſicque proceſſioni hujuſmodi intereſſe nequeant, præter id quod inibi ſæpè contingit, ut propter populi frequentiam ſic confluentem, varia ſcandala, & jurgia oriantur, & populus ipſe ſpirituali venerationi Sacramenti hujuſmodi multiplici fructu privetur. Reque propterea diutius diſcuſſa honeſtum eſſe cenſentes, literis prædictis modum aliquem præbere, illarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſertus foret, pro plenè & ſufficienter expreſſo habentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, univerſis & ſingulis clero & clericis, ac perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus quàm quorumvis Ordinum, religionum, & Militiarum Regularibus, ut literis Pii prædeceſſoris hujuſmodi non obſtantibus, liceat ipſis, tam die ipſa Dominica infra octavas Corporis Chriſti, quam aliis totius octavæ prædictæ diebus proceſſiones ſuas celebrare, nec ſuper eo tam ab Ordinis Prædicatorum hujuſmodi, quam aliis quibuſcumque perſonis, etiam prædictarum, aut quarumvis aliarum literarum, privilegiorum, vel conceſſionum prætextu, ſeu alias quomodolibet moleſtari, inquietari, vel perturbari, nec etiam aliquibus cenſuris, vel pœnis, etiam Eccleſiaſticis innodari, ſeu illas incurrere poſſint, tenore præſentium concedimus, & permittimus.

*Et Bullam Pii V. revocat.*

§.3. Et nihilominus, pro potiori præmiſſorum cautela, literas Pii prædeceſſoris hujuſmodi harum ſerie penitus & omninò, quoad effectum prohibitionis celebrandi proceſſiones hujuſmodi caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque & effectu evacuamus, & tanquam tales minimè attendi, vel eiſdem fratribus Prædicatoribus ſuffragari poſſe volumus.

*Obſervantiam hujus conſtitutionis præcipit.*

§.4. Diſtrictiùs inhibentes eiſdem fratribus Ordinis Prædicatorum, & quibuſvis aliis perſonis cujuſcumque dignitatis ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ, necnon ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque arbitrio noſtro moderandis, infligendis, & imponendis pœnis, ne contra præſentium literarum tenorem venire, aut ſupraſcriptos, vel quoſcumque alios, quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit, quomo-

libet

dolibet in futurum, quo minus præmiſſa liberè fieri poſſint per ſe, vel alium, ſeu alios publicè, vel occultè, directè vel indirectè, tacitè, vel expreſsè, quovis quæſito colore, vel ingenio, impedire audeant, vel præſumant.

*Eamque clauſulis præſervativis ornat.*

§.5. Decernentes quoque præſentes literas nullo unquàm tempore de ſubreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod intereſſe habentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci nullatenus poſſe, minuſque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas eſſe.

*Decretum irritans apponit.*

§.6. Sicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi facultate, judicari debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executoreſque deputat.*

§.7. Et nihilominus univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis cæteris locorum Ordinariis, necnon illorum, & eorum Vicariis, ſeu Officialibus in ſpiritualibus, & cuilibet ipſorum in ſolidum, motu ſimili per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicujus, ſeu aliquorum, & quorumcumque in præmiſſis intereſſe habentis, vel habentium fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præmiſſa omnia, & ſingula ab omnibus quos illa concernunt inviolabiliter obſervari, ac prædictos intereſſe habentes illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper prædictos fratres Ordinis Prædicatorum, vel eorum conſervatores, judices, defenſores, ſeu protectores, aut quoſcumque alios quavis auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contraria tollit.*

§.8. Non obſtantibus literis prædeceſſoris hujuſmodi cum inde ſecutis & aliis prædictis, necnon piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non extrahatur, & aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, ac quibuſvis etiam dicti Ordinis Prædicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque ſuperioribus, & perſonis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis, & Bulla Aurea, ac Maremagnum nuncupatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum prædictum ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi fratribus Ordinis Prædicatorum, eorumque conſervatoribus, cæteriſque prædictis, & quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: cæterùm quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula loca, in quibus publicatio hujuſmodi facienda erit, deferri.

§.9. Volumus & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptis credi jubet.*

Datum Romæ apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Martii 1573. Pont. noſtri anno primo. *Dat. P. Au. 1. die 11. Mar.*

---

## Inſtitutio feſtivitatis ſub invocatione Roſarii B.M. Virginis, prima Dominica die menſis Octobris, in Eccleſiis, vel Capellis Roſarii duplici majori officio celebrandæ, pro gratiarum actione de Victoria die 7. dicti menſis Octobris parta contra Turcas. XI.

*Hoc bellum paravit Pius V. & aliqua ſtatuit ſup. in conſt. 142. 146. & 149. De ſoliditate autem Roſarii dixi ſup. ad conſt. 18. Sixt. IV.* Ea quæ.

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A.D. 1573.*

*Feſtivitatem celebrari ad Deo gratias referendas, præſertim pro aliqua ſpeciali liberatione.*

MOnet Apoſtolus in omnibus gratias agere, monent quoque Sacrarum literarum hiſtoriæ inſignia Dei beneficia, tum ut ei, à quo accepta ſint, meritæ referantur gratiæ, tum ut fideles, quibus collata ſunt, illarum memores ad divinum cultum magis in dies excitentur, ſolemnibus annuis feſtivitatibus celebranda eſſe. Quod cum multoties inſtitutum fuerit, tum verò maximè, cum Deus patrum noſtrorum populum ſuum à ſervitute Ægyptiaca per manum fortem liberavit.

*Et quia die 7. Octobris anni præteriti Populus Chriſtianus contra Turcas victoriam habuit, ideo hic Pontifex anniverſariam memoriam ad gratiarum actiones inſtituere decrevit.*

§.1. Nos itaque, qui non minora beneficia quotidie à Deo optimo Maximo accipimus, inter quæ illud ſingulariſſimum ſuperiore anno ab ineffabili ipſius clementia nobis conceſſum fuit, ut Turcarum Claſſis, & numero longè ſuperior, & præteritis elata victoriis à Chriſtianorum claſſe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante, die 7. Octobris, non longè à Corinthiaco ſinu penitus devicta, & quaſſata fuerit, qua nempè victoria univerſum Populum Chriſtianum ab impiiſſimi Tyranni faucibus, & divino munere ereptum fuiſſe inficiari nemo poteſt, Apoſtoli præcepto parere, & Sanctorum Patrum exépla ſequi volentes, ut hujus ingentiſſimi beneficii anniverſaria habeatur memoria, inſtituere omninò decrevimus.

*Memor quod B. Dominicus ad iram Dei placandam, Roſarii orandi modum inſtituit.*

§.2. Quia verò preces ad Deum oblatæ eo gratiores ad illius conſpectum aſcendunt, quo dignioribus interceſſoribus, & pro aliquo orandi modo offeruntur, memores Beatum Dominicum Ordinis Prædicatorum inſtitutorem, cum & Gallia, & Italia à pernicioſis premeretur hæreſibus, ad iram Dei placandam, & Beatiſſimæ Virginis interceſſionem implorandam, piiſſimum illum orandi modum inſtituiſſe, quod Roſarium, ſeu Pſalterium Beatiſſimæ Virginis Mariæ nuncupatur.

*Et quia d. die 7. Confraternitates Roſarii, qua erat prima menſis Dominica, proceſſiones de more fecerãt, quas d. victoria multum profuiſſe piè credi poteſt.*

§.3. Animadvertentes quoque eadem die ſeptima, quæ tunc fuit dies Dominica prima dicti menſis Octobris, Fraternitates omnes ſub dicti Roſarii nuncupatione militantes per univerſum Orbem, juxta earum laudabilia inſtituta & conſuetudines, proceſſionaliter incedentes, pias ad Deum preces effudiſſe, quas per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis ad dictam Victoriam conſequendam multum profuiſſe piè credendum eſt, operæpretium nos facturos eſſe exiſtimavimus, ſi ad tantæ victoriæ cœlitus proculdubio conceſſæ memoriam conſervandam, & ad gratias Deo, & Beatiſſimæ Virgini agendas, feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarii, prima Dominica menſis Octobris ſingulis annis celebrandum inſtitueremus.

*Hic ideo Pont. Feſtũ ſub invocatione Roſarii qualibet prima Dominica d. menſis Octobris, in Eccleſiis, ubi ſit altare Roſarii, celebrari jubet.*

§.4. Quocirca Motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad laudem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque glorioſæ Virginis Matris, tenore præſentium decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die Dominica menſis Octob. per univerſi Orbis partes, in iis videlicet Eccleſiis, in

quibus

[illegible] Capellæ [illegible] fuerit, ab omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarii prædicti, ſub duplici majori officio adinſtar aliarum ſolemnium feſtivitatum celebretur, & ſanctificetur, eademque die officium de Beatiſſima Virgine novem lectionum more Eccleſiaſtico perſolvatur, & recitetur.

*Hoc feſtum [illegible] S. Mariæ de Victoria nuncupatur.*

*Clauſula præſervativa.*

§. 5. Decernentes præſentes, quas perpetuò valere volumus, nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, ſeu alio vitio intentionis noſtræ, aut alio defectu notari, argui, vel impugnari poſſe, ſed plenarios effectus ſortiri debere.

*Clauſ. ſublata, &c.*

§. 6. Et ita per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, aut interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere, ac ex nunc irritum & inane, &c.

*Quibuſcūque non obſtantib.*

§. 7. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

*Exemplorum fides.*

§. 8. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides, tam in judicio quam extra adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 1. die 1. April.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Aprilis 1573. Pont. noſtri anno 1.

---

XII. Confirmatio Conſtitutionis Pii IV. contra acclamantes, aut habentes Franchiſias in Vrbe, vel ſub illarum prætextu Juſtitiæ miniſtros impedientes, exactè ab omnibus obſervandæ.

*Hanc Bullam auctis pœnis innovavit Sixt. V. ut inf. in ejus conſt.* 6. Hoc noſtri. *Et ante omnes prohibitionem, non tamen ſic generalem in hoc publicavit Jul. III. ſup. in ejus conſt.* 17. Cum civitates.

*Edita An. D. 1573.*

*G R E G O R I V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ET ipſa ratio, & uſus docet, nihil pernicioſius in Civitate contingere poſſe, quam legum, judiciorumque impedimentum.

*Jul. III. edidit conſtit. cit. in rubr. & eam approbavit Pius IV. ſup. in conſt. 47. Inter.*

§. 1. Quod malum ſatis opportunè providere volens fel. rec. Pius PP. IV. prædeceſſor noſter, cui poſt alias hac de re præſertim à piæ mem. Julio PP. III. promulgatas conſtitutiones innotuerat, quamplurimos adhuc eſſe in Urbe, qui vel ob commiſſa crimina, vel ob æs alienū contractum, ſibi à Miniſtris Juſtitiæ executoribus timentes, ad ædes Primatum, etiam S. R. E. Cardinalium, ac Oratorum Principum, uti loca tuta, quas Franchiſias appellabant, confugerent, eaque ratione impuniti evaderent, & creditores eluderent, aliam edidit conſtitutionem, qua etiam ſub arbitrariis pœnis ſanxit, ne ullus poſt id tempus, cujuſcumque dignitatis, ac præeminentiæ foret, ædes prædictas, aut alia quæcumque loca Franchiſias appellare audeat, néve Cardinales, Oratores, ac Primates prædicti, etiamſi ſui, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis nepotes, aut alio conſanguinitatis vel affinitatis vinculo conjuncti eſſent, eorūque familiares, aut in ipſorum domibus commorantes, in eiſdem domibus, ſeu locis circumvicinis maleficos quoſvis etiam indemnatos, aut ære alieno obſtrictos (contra quos tamen mandata executiva inſtantibus creditoribus jam decreta, & relaxata eſſent) ut è poteſtate Curiæ ſæcularis ſic eximerentur, receptare, vel prætextu Franchiſiæ ſecuros reddere, aut juſtitiæ executores, quominus liberè officio ſuo contra eoſdem fungi poſſent, quocumque modo impedire auderent: alioquin receptantes hujuſmodi, aut ſecuritatem præſtantes, ſeu executores Juſtitiæ impedientes, vel excitatis clamoribus, Cardinalium, Oratorum, ſeu Primatū quorumlibet nomen, auxilii cauſa invocantes, aut quoſcumque alios in ipſos Juſtitiæ Miniſtros concitantes, velut criminis læſæ Majeſtatis rei dignis pœnis afficerentur: contra quos etiam ad alias pœnas, quibus malefici ipſi puniti ſuiſſent, vel quas promeruiſſent, [illegible] ad ſatisfactionem creditorum, etiam ex officio, & [illegible], partium [illegible] inſtantiam inquiri, procedi, & condemnari debere, voluit atque decrevit. Sed cum hæc ipſa Pii prædeceſſoris conſtitutio propter nimiam corruptelam minimè poſtea ſit eum, quem decuit effectum conſecuta.

*Hic verò Pōt. mandat conſt. Pii IV. ab omnibus obſervari.*

§. 2. Nos volentes omninò in Alma Urbe noſtra, in Juſtitiæ debito ab omnibus ſatisfieri, ut perpetua ſubditis noſtris quies & ſalus inde pariatur, & cæteris præbeatur exemplum, conſtitutionem prædictam exactè ab omnibus, & omni tempore præcipimus obſervari.

*Executores deputat.*

§. 3. Mandantes Gubernatori, Magiſtratibus, Judicibus, & Executoribus dictæ Urbis, ac cæteris omnibus ad quos ſpectat, ut gratia & fraude poſtpoſitis, illam, & contrafacientes, juxta illius tenorem afficiant, & alioquin in prohibendis uſquequaque his incommodis invigilent, ſi noſtram, & Apoſtolicæ Sedis ultionem voluerint evitare. Nulli ergo omnino, &c.

*D. P. A. 2. die 5. Septemb.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1573. Non. Septemb. Pont. noſtri anno 2.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. 1573. Indict. 1. die verò 24. menſis Septembris, Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 2. Retroſcripta literæ Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſt. de Vrbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Ioannem Guerardum, & Ioannem de Soya Apoſt. Curſ.*

*Alexander Aſtancollus Mag. Curſ.*

---

XIII. Declarationes Conſtitutionis à Pio V. editæ, circa electionem, & munus Miniſtri generalis, aliorumque Prælatorum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, ac formam & qualitatem Novitiorum recipiendorum, &c.

*De toto Ordine Franciſcano notavi ſup. conſtit. 5. Honor. III.* Solet, *& ſignanter de his Fratribus de Obſervantia ſcripſi ad conſt. 23. Leon. X.* Ite.

*Edita A. D. 1573. & 1579.*

*G R E G O R I V S   P A P A   X I I I.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

COnſuevit Romanus Pontifex cui univerſi Chriſti fideles curæ ſunt, de religioni adſcriptis viris, ut in regularis obſervantiæ candore iidem conſerventur, ſpecialem cognitionem ſuſcipere: quod ſi aliqua per prædeceſſores ſuos ad eum finem ſtatuta ſunt, quæ experientia docente minimè expedire cognoſcit, declarationibus, aliiſque rationibus non deſinit proſpicere.

*Pii V. ordinatio circa electionem Prælatorum, eſt ſup. in conſt. 128. Paſtoralis, ubi notavi.*

§. 1. Accepimus nuper fel. rec. Pium Papam V. prædeceſſorem noſtrum per ſuas in forma Brevis literas, quarum ſeriem præſentibus pro expreſſis habemus, circa Ordinem fratrum Minorum de obſervantia ſalubriter in via Domini dirigendum, inter alia de Miniſtro generali, Commiſſario, & procuratore, etiam generalibus, & provincialibus, ut eo in Capitulo, quo abſolvi debent, definitores non eſſent, neque vocem haberent, ſtatuiſſe.

*Hujus Pont. declaratio circa d. electionem.*

*Tu vide hic inf. aliam declarat.*

§. 2. Nos eam prædeceſſoris ordinationem nonnullis de cauſis, quæ rationi maximè conſonæ ſunt, adducti, ad eum actum coarctamus, dum in officio quod geſſerunt, ſucceſſor eligitur.

*Pii V. ordinatio de diſceſſu Prælatorum à Capit.*

§. 3. Dictarum verò literarum partem, quæ antedictæ proxima eſt, in qua cavetur, ut iidem omnes Miniſter generalis, & alii prædicti, facta ſucceſſoris electione diſcedant.

*Hujus Pōt. declaratio circa hunc diſceſſū.*

*Aliam fecit declarationem hic inf.*

§. 4. Nos ita declaramus, ut ſtatim facta renunciatione officii diſcedere debeant, ut ſi qui eos accuſare velint, durante tempore Sindicatus, liberè id facere poſſint, eo autem finito, juxta ſeriem dicti Ordinis generalium ſtatutorum, in definitorio recipiantur.

*Pii V. ordinatio circa ſubornantes, & ſubornatos electiones.*

§. 5. Ac dum per eaſdem literas præcipiebatur, quod Provincialium Miniſtrorū electio liberè per vota ſecreta fieret, ita ut Commiſſarius generalis, vel qui electioni præſide

præſidere[illegible] formam prædictam tranſgredi, ſeu electores, [illegible]minus verè eligerent, quovis modo impedire convictus fuiſſet, officio privatus exiſteret. Qui verò in electionibus omnibus, vel ante eas per ſex menſes, pro ſe, vel pro alio ſubornaſſet, excommunicationis ſententiam, à qua nonniſi per Rom. Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſet, & voce activa & paſſiva perpetuò careret.

*Hujus Pont. declaratio quoad excommunicationē dictā ſubornantium & ſubornatorum.*

§.6. Facultatem quoad caſus prædictos Rom. Pontifici dumtaxat per dictum prædeceſſorem reſervatam, etiam Miniſtro & Commiſſario generalibus, quando de ipſis non agitur; in omnes eventus prædictos impartimur. Quod autem de ſubornato, & eo pro quo ſubornatio fieret, qui ſubornantem non detuliſſet, ut eandem excommunicationis pœnam incurreret, per dictum prædeceſſorem ſtatutum fuit, penitus abolemus.

*Pii V. ordinatio circa tempus, quo Prælati durarent in officio, & ad illud reeligi non poſſent.*

§.7. Et quod diſponebatur de officio generalis Miniſtri, quod per octo annos duraret; Commiſſarii verò, ac Procuratoris generalis, necnon Provincialis per quatuor, ipſique ſemel officio functi, ad idem eligi non poſſent, niſi poſt ſexdecim annos.

*Hujus Pont. declaratio circa tempus reelectionis.*

§.8. Nos ad Statutorum generalium dicti Ordinis ſeriem & formam reducimus, quibus dicitur expreſsè quod officia ſemel exercentes, ab eis quæ geſſerunt, per duplum temporis vacare debent, ita ut duæ electiones celebrentur antequam ad eadem officia iterum eligantur.

*Hodie circa tempus ſervatur Bulla 22. Leon. X. ſup.*

*Hujus Pont. correctio d. Bulla Pii V. circa electionem Miniſtri gen. in Procuratorem, &c. Ad hoc vide aliam declarationem, quæ mox ſubſequitur.*

§.9. Corrigimus etiam literarum prædictarum eam partem, in qua ſtatuitur, quod nec Commiſſarius generalis in Miniſtrum, ſeu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Miniſtrum, ſeu Commiſſariū generales, nec Miniſter generalis in Procuratorem, vel Commiſſarium generales, niſi poſt dictos ſexdecim annos eligi poſſint, dantes, & concedentes eis ad quos ſpectat facultatem Commiſſarium generalem in Miniſtrum, ſeu Procuratorem generales, & è converſo etiam immediatè poſtquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapſu temporis prædicto non expectato, pro tempore eligendi.

*Et circa Cuſtodes, & Theologiæ lectores.*

§.10. Præterea ex eiſdem literis quod de duobus Diſcretis, quorum conſilio generalis Miniſter uti deberet, mandatum fuerat, cùm expertum ſit, dictos Diſcretos habere nequaquam Ordini prædicto expedire, quodque de Sacræ Theologiæ Lectore, qui quatuor curſus abſolviſſet, ut activa & paſſiva voce in Provinciali Capitulo uteretur, in eiſdem ſtatuebatur, tollimus.

*Confirmatio Bullæ Pauli IV. circa deſcendentes ab hæreticis, &c.*

§. 11. Decernentes de novo, quod quoad illos, qui ex Mahometanorum, Judæorum, vel Hæreticorum damnatorum deſcendunt origine, ſervetur quod piæ mem. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Brevis literas ſub dat. videlicet 24. Aprilis 1559. Pontificatus ſui anno 4. ſtatuit.

*Clauſ. derog.*

§.12. Non obſtantibus literis prædictis in partibus per nos aliàs declaratis & reformatis, quas in reliquis firmas eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. A. 2. die 8. Septemb.*

Dat. Romæ apud S.Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 8. Septembris 1573. Pont. noſtri anno 2.

*Sequitur alia declaratio præinſertæ Conſtitutionis, & alterius Pii V. de qua ibidem.*

*Edita An. D. 1579.*

GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

COnſuevit Romanus Pontifex, &c.

Omittitur hæc narrativa, quia ipſa Bulla eſt, quæ præcedit.

*Declaratio dictarum ordinationum, circa vocem Prælatorum, & diſceſſum eorundem à Definitorio.*

§. 1. Ad tollendam autem omnem ambiguitatem & difficultatem, quæ ſuper iſtis noſtris, vel prædeceſſoris noſtri verbis oriri inter fratres prædictos poſſent, ita ut ſequitur, quod circa prædicta ſervari velimus, expreſſius declaramus: Volentes omnes prædictos, ſcilicet generalem Miniſtrum, Commiſſarium, & Procuratorem generales, vel Commiſſarium Curiæ non debere admitti in definitorio Capituli generalis, in quo à ſuis officiis abſolvuntur, neque in eo loco vocem habere, dum is actus agitur, in quo ſyndicatus ſui rationem reddere tenentur, ſic quod Miniſter generalis facta officii renuntiatione, antequam ſucceſſor eligatur, diſcedat ex definitorio, ut eo abſente liberè agere poſſint contra eum, ſi qui ex Provinciis accuſare eum velint, & ullas habeant adverſus eum querelas, quibus finitis, in omnibus aliis actibus, electionibus & definitoriis adeſſe poſſit, & vocem habere, in quibus ſecundum generalia Ordinis prædicti ſtatuta adeſſe, & vocem habere poſſit. Idem de Commiſſario generali reſpectivè ſervatur, ſic quod Commiſſarius generalis poſt redditam ſyndicatus ſui rationem, in aliis actibus, & electionibus vocem habere poſſit, in quibus ſecundum ſtatuta generalia vocem habere Commiſſarii generales hactenus potuere. Provinciales quoque Miniſtri poſt redditam ſyndicatus ſui rationem, poſſint & debeant in definitorio admitti, & vocem in reliquis actibus Capituli Provincialis, electionibuſque habere. Idem de Procuratore generali, Commiſſarioque Curiæ obſervetur, reſpectu Capituli generalis, quod ſcilicet ſint de definitorio, vocemque in omnibus actibus, & electionibus Capituli generalis habeant, præterquam dum is actus agitur, in quo ſyndicatus ſui rationem reddere tenentur. Neque enim æquum cenſemus, ut iis, qui negotiorum Ordinis habent experientiam & notitiam, excluſis, per ſolos Generalem, & Definitores novos, rerum Religionis non ita gnaros, aut expertos, atque opus eſſet, de illis pronuntietur, ſtatuatur, & definiatur. Declarantes etiam, non eſſe mentis noſtræ, aut voluntatis, generalem Miniſtrum, aut Commiſſarium generalem Ordinis, conceſſa illis per ſtatuta generalia voce privare, aut à Capituli generalis definitorio excludere, niſi tum dum de particulari uniuſcujuſque eorum accuſatione & correctione agitur, & deliberatur.

*Alia declaratio.*

§.2. Eam autem partem literarum noſtrarum, qua dicimus, Corrigimus etiam literarum prædictarum eam partem in qua ſtatuitur, (quod nec Commiſſarius generalis in Miniſtrum, ſeu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Miniſtrum, vel Commiſſarium generales, nec Miniſter generalis in Procuratorem, vel Commiſſarium generales, niſi poſt ſexdecim annos eligi poſſunt, dantes & concedentes eis ad quos ſpectat facultatem Commiſſarium generalem in Miniſtrum, ſeu Procuratorem generales, & è converſo, etiam immediatè poſtquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapſu temporis prædicto non expectato, pro tempore eligendi) pariter mutandam decrevimus, ut omninò juxta prædeceſſoris noſtri decretum illi qui Miniſtri fuerint, Commiſſarii, aut Procuratores generales, vel Curiæ Commiſſarii, non poſſint niſi poſt ſexdecim à ſua ab officiis prædictis abſolutione finitos annos in generales Miniſtros, Commiſſarios, aut Procuratores, vel Curiæ Commiſſarios eligi, aut aſſumi, quatenus dum in officiis prædictis fuerint, ablata illis omni ambitionis occaſione, totos ſe ad ea, quæ ſuarum partium eſſe dignoſcuntur, ſincerè, diligenterque agenda convertant, & intendant, omni ambitus cogitatione abjecta. Miniſtri autem Provinciales per duplum temporis officii miniſteriatus, poſtquam abſoluti à tali officio fuerint, in Miniſtros Provinciales reeligi non poſſint. In reliquis literas noſtras prædictas firmas eſſe volumus, atque in ſuo permanere robore.

*Declaratio conſtit. Pii V. circa procurationem favorum extra Relig.*

§.3. Ad ea autem, quæ in prædictis prædeceſſoris noſtri literis, contra recurrentes ad ſæcularium, & aliquarum extra dictum Ordinem perſonarum favores, ad aliquod officium in Ordine habendum ſtatuta ſunt, aliquid addendum cenſuimus. Nam dum aliquæ extra dictum Ordinem perſonæ pro aliquo fratre officium quodpiam, vel per ſe ipſos, vel per nuntios ſuos, aut per literas petebant, negare dicti fratres conſueverant, ſe ullo modo dictas perſonas ad prædicta ſollicitaſſe. Idem quoque dictæ perſonæ facere ſolitæ erant, negantes ſe à dictis in ſimile fratribus ſollicitatas ad tale pro eis faciendum officium, ſicque ad eorum correctionem, qui contra prædictam prædeceſſoris noſtri ordinationem faciebant, procedi nullo modo poterat. Unde ut huic malo obviam convenienti eatur remedio, ſtatuimus & decernimus, quod is frater, pro quo ſæcularis aliquis, cujuſcumque gradus, aut conditionis fuerit, & quæcumque alia extra dictum Ordinem perſona rogaverit, & petierit, verbo, literiſve, aut nuntiis, ſeu aliàs quomodocumque, per ſe, vel alios, ut aliquod illi officium in Ordine prædicto detur, ipſo facto activa, paſſivaque voce privatus ſit, ad omniaque Ordinis officia inhabilis habeatur, niſi legitimè conſtiterit,

aliquem

[illegible] rogatores hujuſmodi ſubornare, ut illi [illegible] rogarent, aut ſcriberent, occaſione hujuſmodi [illegible] nocerent, & præjudicarent, [illegible] eo quod amicos ſuos extra Ordinem fratres prædicti ſollicitare conſueverant, ad aliquod in Ordine officium eorum favore aſſequendum, majori utantur de cætero diligentia, ad eos hortandos & rogandos, ne ullum pro ipſis officium petant, aut ad aliquod pro illis habendum officium ſuum interponant favorem.

*Clauſ. derog.* §. 4. Non obſtantibus præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in literis prædictis conceſſa fuerint non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. A. 7. die 29. April.* Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 29. Aprilis 1579. Pont. noſtri anno ſeptimo.

---

## XIV. Nova inſtitutio Collegii Germanici in Urbe, pro Scholaribus nationis Germaniæ, piè ibidem educandis, & inſtruendis, cum aſſignatione annui redditus, privilegioque exemptionis à decimis & pedagiis.

*Huic Collegio hic idem Pontifex Protectores, ac Judices ſuarum cauſarum deputavit, ut infra in conſt. 20.*

*Edita A. D. 1573. & 1574.* GREGORIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa conſt.* POſtquam Deo placuit omnipotenti, qui ex ſumma miſericordia, & bonitate ſua vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, humilitatem noſtram ad univerſalis Eccleſiæ regimen vocare, ex eo tempore nos ejuſdem adjuvante gratia, ea cogitare, & urgere non deſtitimus, quæ, ſicut officii noſtri ratio poſtulat, ad divinum ubique cultum, & eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam, & augendam, animarumque ſalutem procurandam maximè cognovimus pertinere. In primis verò animo recolentes ampliſſimam Germaniæ Provinciam, quæ perpetuis ſuperioribus ſæculis inter cæteras fortiſſimæ ipſius nationis laudes, atque virtutes, tanto ſynceræ fidei, & Chriſtianæ Religionis cultu eminere ſolebat, ut reliquis Chriſtianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori eſſet, nunc tot, tantiſque in ea inſtinctu Satanæ excitatis de religione diſſidiis, ita miſerandum in modum afflictam & deformatam eſſe, ut nemo vel mediocri pietate præditus, ſine lacrymis tam gravem animarũ jacturam recordari, nedũ intueri queat, eam præcipuè curam ſuſcepimus, ut quibuſcumque poſſimus modis, nullis laboribus, nulliſve ſumptibus parcentes, apta ſanandis illius vulneribus remedia adhibeamus.

*[illegible] III erexit in Urbe Collegium Germanicum ad alendum, & inſtruendum [illegible] nationis Germanicæ, ſed quaſi deſtitutum remanſit.* §. 1. Ac præter alia, quæ & literis ſcribendis, & Nuntiis in quaſdam Germaniæ partes hac ipſa de cauſa mittendis agere aggreſſi ſumus, conſiderantes fel. record. Julium Papam III. prædeceſſorẽ noſtrum, optimo quidẽ cõſilio Collegium in Urbe alendorũ, & Latinis, Græcis, Hebraïciſque literis, Logica, Phyſica, aliiſque liberalibus Diſciplinis, & ſacra demum Theologia, ac piis & Chriſtiano nomine dignis moribus inſtruendorũ Germanicæ nationis puerorum cauſa erexiſſe, ut ii non per ſe ſolùm boni doctique evaderent, ſed ad patriam remeantes habendis concionibus, ac diſputationibus, refellendis hæreſibus, fideique orthodoxæ puritati dilucidandæ, ac præterea exercendæ animarum curæ, aliiſque piis, & ſanctis operibus apti, & idonei eſſent, & quammaximum in Eccleſia Dei fructũ ex ſe proferrent, tamen id ejus cœptum, atque conatũ tum propter obitum ipſius, tum ob varias, quæ poſtea ſequutæ ſunt temporum & rerum difficultates, parum proceſſiſſe, nullumque incrementum ſuſcepiſſe, quin potiùs quaſi deſtitutum, ac prætermiſſum eſſe, quoniam nec redditus ullus, nec quicquam ferè certi attributum ei Collegio fuerat, & ob id exiguum admodũ puerorum hujuſmodi numerum præ magnitudine Provinciæ, & meſſis, quæ in ea eſt, hoc tẽpore ali & inſtitui.

*Hic igitur [illegible] de novo [illegible] erigit.* §. 2. Nos propterea ad opus hoc eidem nationi adeò utile & ſalutare, totis viribus promovendum, animum & mentem noſtram convertimus. Quocirca ad Dei omnipotentis laudem, ſanctæque ipſius Eccleſiæ incrementum, præcipuamque Germanicæ nationis ſalutem, & commodum, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, auctoritate Apoſtolica Collegium prædictum Germanicum appellandum renovantes, illud rurſus de integro in alma Urbe noſtra erigimus & inſtituimus, voluműſque in eo poſthac non minus quam centum pueros ex univerſa Germania, Septentrionalibuſque illi adjacentibus regionibus colligendos, dictis ſcientiis ac diſciplinis, necnon ſacris Canonibus inſtitui atque erudiri.

§. 3. Ad quorum ſuſtentationem redditus annuos decem millium aureorum ipſi Collegio attribuimus, quos ex Cam. Apoſt. pecuniis quotannis volumus numerari, diſtributa in menſes ſingulos pro rata ſolutione, quoad de totidem reddituum ſumma in bonis ſtabilibus eidem Collegio à nobis fuerit proviſum. Cæterum cum Societatis presbyterorum Jesu in hoc educandorum, inſtituendorumque puerorum munere diligentia, fides, integritas, & in aliis hujuſmodi Collegiis, & in hoc ipſo ſatis cognita ſit, atque perſpecta, volumus idem Collegium atque ſcholares ſub ipſorum, ſicut adhuc fuit, regimine, inſtitutione, doctrina atque obedientia eſſe. *Et pro illius ſuſtentatione applicat annuos duc. decem millia.*

§. 4. Necnon Collegium ipſum, illiuſque Rectores, Gubernatores, Magiſtros, Præceptores, atque Scholares pro tempore in eo exiſtentes, eorumque bona mobilia & immobilia cujuſcumque qualitatis & quantitatis, in dicta Urbe, vel extra, ac alias ubique locorum conſiſtentia, ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentis Senatoris, & Conſulum, ac Conſervatorum, & Reformatorum dictæ Urbis, necnon Rectoris ſtudii generalis, aliorumve quorumcumque Judicum & Officialium in ipſa Urbe, vel aliàs ubilibet conſtitutorum. *Ejuſque gubernium concedit patribus Societ. Jeſu.*

§. 5. Illaque ac in propriis eorum rebus & bonis cum eis contrahentes, à ſolutione & exactione quorumcumque pedagii, gabellæ, bollettini, decimarum, & cujuſvis alterius tam ordinarii, quàm extraordinarii oneris, ex quacumque cauſa impoſitorum, & imponendorum eximimus & prorſus liberamus, ac ſub beati Petri & Sedis Apoſtolicæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque, & dictæ Sedi immediatè ſubjicimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus. *Exemptionemque à decimis, & gabellis concedit. Quod melius declarat infr.*

§. 6. Atque inſuper eidem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, ut omnibus & quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus ſtudium generale Almæ Urbis, & illius Rector, Doctoreſque, & in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æqualiter & pariter uti, potiri, & gaudere valeant, in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus. *Privilegia Studii Urbis tribuit. Quæ vide ſup. in conſt. 9. Bonif. VIII.*

§. 7. Necnon Senatori, Conſulibus, Conſervatoribus, Reformatoribus, Rectorique, & aliis Judicibus, Officialibus, & perſonis prædictis, ac pro tempore exiſtenti S.R.E. Camerario, Præſidentibuſque, & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, ac quibuſvis Commiſſariis ad exactionem onerum præfatorum pro tempore deputatis, nec quarumcumque literarum eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſarum prætextu, Collegium, Scholares, Rectores, & Gubernatores prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis quomodolibet moleſtent, ſeu moleſtari permittant, diſtrictiùs inhibemus. *Inhibetque omnibus Officialibus ne Collegium de ſuper moleſtent.*

§. 8. Et præterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegii, cum aſſiſtentia tamen Cardinalium Protectorũ, qui pro tempore conſtituti fuerint, ſeu alicujus eorum, vel de ipſorum conſilio, & expreſſo conſenſu, illos quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererint, in prædictis facultatibus ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratuſque, & Magiſterii gradus, ſervata forma Concilii Viennen. juxta Univerſitatis ejuſdem Urbis conſuetudinem, ſeu aliàs promovendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi. Quodque in facultatibus ſupradictis ſic promoti, illas legere, & interpretari, ac de eis diſputare, & quoſcumque gradui ſeu gradibus hujuſmodi convenientes actus exercere, ac omnibus & ſingulis *Regentibus, & Superioribus Collegii concedit facultatem, ut unà cum Protectoribus poſſint ſcholares ad gradus promovere, &c.*

privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis & indultis, quibus alii in prædicta, ſeu aliis univerſitatibus, & alibi juxta illius, & aliarum univerſitatum hujuſmodi conſtitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti, de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, ac debeant, perinde ac ſi gradus prædictos in ipſa univerſitate, juxta conſuetudines & mores prædictos ſuſcepiſſent, concedendi, & indulgendi liberam eadem auctoritate damus facultatem, & poteſtatem.

*Deputatque Collegii Protectores pro ejus regimine.*

§.9. Præterea, ut ejuſdem Collegii conſervationi bonoque regimini, tam in his quæ ad ſcholarium inſtitutionem & diſciplinam, quàm ad victum, aliaque hujumodi neceſſaria pertinent, opportuniùs conſulatur, & promptum eis, paratumque auxilium ſit, Venerabiles fratres noſtros Joannem Moronum Oſtien. & Alexandrum Farneſium Præneſtinen. Epiſcopos, ac dilectos filios Marcum S. Georgii ab Altaëmps, Ptolomæum Comen. S. Agatæ, ac Ludovicum Madruccium S. Honuphrii titulorum S. R. E. presbyteros Cardinales, ejuſdem Collegii protectores & defenſores conſtituimus, & deputamus, quorum conſilio, & ope, tam ſupradicta, quàm quæcumque alia ad eoſdem in Collegio admittendos ſcholares, retinendoſve, atque de beneficiis eccleſiaſticis providendos ſpectantia agantur, ſtatuantur, & ordinentur. Dantes eiſdem, & pro tempore exiſtentibus Protectoribus, plenam & liberam facultatem, & auctoritatem pro ſalubri directione & conſervatione dicti Collegii, illiuſque bonorum & rerum, ac jurium, tam temporalium quàm ſpiritualium, Oeconomos, Advocatos, Procuratores, alioſque Miniſtros & Officiales in eo deputandi, amovendique, & alios eorum loco ſufficiendi: ordinationes præterea, & ſtatuta (æqua tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus, & Conc. Trident. non repugnantia) faciendi, & edendi, eaque, cum opus viſum fuerit, revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ poſtquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata & confirmata eſſent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magiſtris, Scholaribus, aliiſve perſonis in Collegio ſervientibus & miniſtrantibus inviolabiliter obſervari, ac juxta eorundem diſpoſitionem à quibuſvis Judicibus, ſublata quavis aliter judicandi facultate, judicari & definiri debere: & ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

*Contrariis derogat.*

§.10. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & dictæ Urbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdē Senatori, Conſulibus, Conſervatoribus, Reformatoribus, Camerario, Univerſitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, & perſonis, aliiſque prædictis, necnon prædictæ Urbi, & populo Romano ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcūque.

*Indulgentias Scholaribus d. Collegii elargitur.*

§.11. Ut verò etiam tēporalibus commodis ſpiritualia munera addamus, quibus fideliū devotio, & merita creſcere magis, & augeri poſſint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate, noſtraque confiſi, omnibus & ſingulis ſcholaribus, qui in id Collegium recepti fuerint, in ipſo ingreſſu, ac deinde in exitu, ſi quidem confeſſi & contriti ſacram communionem devotè perceperint, atque etiam ſi eodem in Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorū Indulgentiam & remiſſionem concedimus, & elargimur.

*Transumptis credi jubet.*

§.12. Volumus inſuper, ut præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo communi dicti Collegii, aut alicujus Curiæ eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra, ac aliàs ubicumque opus fuerit, habeatur, quæ haberetur iiſdem præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarn. Dom. 1573. 8 Idus Augusti, Pont. noſtri anno 2. *D. P. An. 2. die 8. Aug.*

*Sequitur amplior conceſſio exemptionis à Datiis, &c.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1574.*

*Exordium.*

UT cæteri de Republ. benemeriti immunitate interdum juvandi ſunt, ita maximè eorum ratio hac in re habenda eſt, quos ad fidei catholicæ incrementum in ſinu noſtro confovemus.

*Amplior exemptio à datiis & gabellis.*

§.1. Quocirca ut Collegium Germanicum pridem à nobis in Urbe noſtra in integro inſtitutum, in quo non minùs quàm centū pueros ex univerſa Germania, & ſeptentrionalibus illi adjacentibus regionibus colligendos liberalibus ſcientiis ac diſciplinis, necnon ſacris Canonibus & Theologia inſtitui, atque erudiri volumus, & ad illorum ſuſtentationem redditus annuos decem millium aureorum ipſi Collegio perpetuò attribuimus, ſpeciali privilegio proſequi volentes, Motu proprio, deque noſtra mera liberalitate, Collegium præfatum, ejuſque res & bona quæcumque, præſentia & futura, ac ipſius Collegii ſcholares, & alios in eo degentes ab omnibus & ſingulis Portarum, Molendinorum Farinæ trium pro centenario, ac quatuor juliorum pro quolibet vegete vini ſolvi ſolitorum, aliiſque datiis, vectigalibus, angariis, ac terræ, mariſque gabellis & dohanis, ordinariis, & extraordinariis hactenus quomodolibet impoſitis, & in poſterum quandocumque quavis occaſione vel cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda imponendis, etiam adinſtar exemptionis dilectorum filiorum Cameræ Apoſtolicæ Clericorum, etiam ratione Ripæ & Ripettæ dohanæ terræ, ac etiam Graſciæ nuncupatæ Urbis prædictæ, necnon carnium, vinorum, pannorum, lini, lanæ, ſerici, & quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum, & veſtitum neceſſarium, ex toto ſtatu noſtro eccleſiaſtico & quibuſcumque aliis locis extra dictum ſtatum conſiſtentibus, ad Collegium præfatum, tam per terram quàm per mare & aquam dulcem, ac aliàs quomodolibet conducendorum, ac etiam jam ad dictam Urbem quomodolibet conductorum, ac in ea exiſtentium, & pro eodem Collegio in magna ſeu parva quantitate, tam in barchis, quàm in magazenis, & aliàs ubilibet emendorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò eximimus & liberamus, liberaque, immunia, & exempta eſſe volumus.

*Inhibitio ne Collegium deſuper moleſtetur.*

§. 2. Diſtrictiùs inhibentes omnibus & ſingulis tam Urbis, quàm ſtatus prædictorum, gabellarum, datiorum, & vectigalium eorundem Datiariis, Conductoribus, ſeu Appaltatoribus, cæteriſque ad quos ſpectat & ſpectare poterit quomodolibet in futurum, ne Collegium præfatum, illiuſque Scholares & perſonas, vel pro eis agentes, & eorum bona quæcumque, aut eorum quemlibet directè vel indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio moleſtare, impedire, vel perturbare audeant, ſeu præſumant. Quinimmò eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant ipſos, & eorum quemlibet immunitate, exemptione, & aliis præmiſſis pacificè frui, & gaudere. Ac decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§.3. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Urbis & dohanarum prædictarum, ac quorumcumque Tribunalium & Curiarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Tribunalibus & Curiis, illorumque Judicibus, necnon Appaltatoribus & Dohaneriis prædictis, ac quibuſcumque aliis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac aliàs

quomo

quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.* §. 4. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ejuſdem Collegii Secretarii ſubſcriptis, & ſigillo communi ejuſdem Collegii munitis, eadem prorſus fides in Judicio & extra, ac aliàs ubicumque opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. An. 3. die 15. Julii.* Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarn. Dom. 1574. Idibus Julii, Pont. noſtri anno 3.

---

## XV. Forma obſervanda in electione Abbatiſſarum Monaſteriorum Monialium Congregationis Caſſinenſis Ordinis S. Benedicti.

*De ætate & qualitate Abbatiſſarum habes Conc. Trid. ſeſſ. 15. cap. 7. de Regul. Et de iſta Congreg. vide etiam Conſt. ſubſeq. cum ibi indicandis.*

Quo verò ad facultates Ordinariorum in electione Abbatiſſarum Monaſteriorum, quæ Regularibus ſubjiciuntur, habes Greg. XV. Conſt. 18. *Inſcrutabili*, inf. tom. 4.

*Edita A. D. 1574.* *GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* EX noſtri paſtoralis officii debito ad ea libenter attendimus, per quæ Monaſteriorum quorumlibet, præſertim verò Sanctimonialium, quæ relictis hujus mundi illecebris, ſeſe earum ſponſo JESU CHRISTO Salvatori, & Domino noſtro perpetuò manciparunt, proſpero ſtatui, & felici directioni conſulitur: quod potiſſimum ex animi noſtri voto ſucceſſurum conſpicitur, ſi in Abbatiſſarum ipſorum Monaſteriorum Monialium, dum pro tempore vacant, electionibus omnis dilatio, & tergiverſatio, quantum fieri poſſit, removeatur, & ad electionem ipſam quanto citiùs procedatur, ne aliàs Monaſteria ipſa diutinæ vacationis Abbatiſſarum ſentiant incommoda.

*Cauſa hujus conſtit.* §. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, in electionibus Abbatiſſarum Monaſteriorum Monialium ſub cura, regimine, & gubernio Congregationis Caſſinen. alias S. Juſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti exiſtentium, dum eorum vacatio pro tempore occurrit, duæ partes ex tribus partibus vocum, ſeu votorum, vel ſuffragiorum Monialium ipſorum Monaſteriorum requirantur, & ea de cauſa ſæpenumero multæ difficultates, & diſcrepantiæ, ac ſcandala oriantur, priuſquam vota, ſeu ſuffragia unita & concordantia uſque ad dictum numerum requiſitum inveniri, & haberi poſſint.

*Forma eligendi Abbatiſſas Monialium regimini Congreg. Caſſinen. ſubjectarum.* *Sedis autem vota ſecreta eſſe debere ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. de regularibus, cap. 6.* §. 2. Nos in præmiſſis opportunum remedium adhibere volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc factæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus dilecti filii, nunc & pro tempore exiſtentes dictæ Congregationis Viſitatores, ac Abbates, ſeu Prælati reſpectivè, quibus moniales ipſorum recommendatæ, ſeu ſub quorum regimine, gubernio, & cura, ut præfertur, exiſtunt, toties quoties faciendarum electionum Abbatiſſarum hujuſmodi pro tempore caſus evenerit, in eventum quod dictæ Moniales prædictorum Monaſteriorum in electionibus ipſarum faciendis per duo ſcrutitia non convenerint, poſſint, valeant & debeant ipſorum Monaſteriorum Monialibus proponere duas vel tres ejuſdem Monaſterii Moniales, quas ad regimen & gubernium aptiores eſſe judicaverint, gravantes in hoc eorum conſcientiam, ut illa ex dictis duabus vel tribus Monialibus ſic proponitis, quæ plura Monialium vota ſive ſuffragia in ſui favorem habuerit ſit, & eſſe cenſeatur legitimè & canonicè electa in Abbatiſſam ipſius Monaſterii, & tanquam talis in Abbatiſſam Monaſterii hujuſmodi, per eos ad quos ſpectabit, omninò inſtitui, ſeu confirmari debeat: neque de cætero electiones dictarum Abbatiſſarum, alias quam ut præfertur, & per præſentes diſponitur, fieri poſſint, nec debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus:

*Prælatorum d. Congreg. facultas circa ejuſmodi Abbatiſſarum electionem.* §. 3. Necnon etiam Viſitatoribus, & Abbatibus, ſeu Prælatis præfatis, ut duas, vel tres Moniales, modo & forma præmiſſis, ac ad effectum prædictum proponere, necnon Moniales dictorum Monaſteriorum ad eaſdem duas vel tres Moniales ſic pro tempore eis propoſitas acceptandum, & unam ex ipſis duabus vel tribus, ut præfertur, eligendum, adque præmiſſa omnia & ſingula, necnon per præſentes diſpoſita obſervandum, etiam ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, etiam ſæpiùs aggravandis, cæteriſque juris & facti remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, etiam quacumque appellatione, recurſu, & reclamatione poſtpoſitis penitus, & ſemotis, auctoritate noſtra cogere, & compellere, aliaque in præmiſſis, & in ſubſcriptis, ac circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere & exercere liberè & licitè poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac plenam, liberam & omnimodam deſuper licentiam, poteſtatem, facultatem, & auctoritatem impartimur: necnon etiam dictis Monialibus ipſorum Monaſteriorum, ut præſentibus noſtris, ac Viſitatoribus, Abbatibus, & Prælatis prædictis in præmiſſis omninò pareāt in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, necnon aliis pœnis diſtrictè præcipiendo mandamus.

*Clauſula præſervativa hujus conſtit.* §. 4. Præſentes quoque de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, nullatenus unquam poſſe, ſed eas ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere: necnon ab omnibus, quos præmiſſa concernunt, & in futurum concernent, perpetuò inviolabiliter & ad unguem obſervari, ſicque in præmiſſis ab omnibus cenſeri, ac ita per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis actoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus.

*Clauſ. derog. omnium contrariorum.* §. 5. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dictis, dummodo quis ultra tres dietas vigore præſentium ad judicium non trahatur, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, provincialibuſque & ſynodalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Monaſteriorum, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis & illorum ſuperioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ac expreſſa & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus; aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ac Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Dat. P. A. 2. die 16. April.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1574. Pontificatus noſtri anno 2.

XVI. **Innovatio conſtitutionum Eugenii IV. circa poteſtatem Definitorum, & Viſitatorum Congregationis Caſſinenſis, alias S. Juſtinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, & prohibitio Ambitus, necnon appellationis à Prælatis ejuſdem Congregationis.**

*Quæ reſpiciunt iſtam Congregationem notavi ſuprà ad conſt. 1. Julii II.*

*Edita An. D. 1574.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*In Religione nihil utilius obedientia erga Superiores.*

NIhil in unaquaque religioſa familia, in qua obedientiæ firmiſſimè jactis fundamentis, plerique fideles in clauſtris Altiſſimo famulari ſtudent, æquè arbitramur eſſe utile, quam ſupremam in eiſdem auctoritatem gerentibus omni contentione excluſa, ea qua decet reverentia, univerſos parere, eorumque dictis audientes eſſe, necnon à regularis obſervantiæ profeſſorum pectoribus, bonorum aſſequendorum nimiam cupiditatem exulare.

*Hæc ut vigeat in Congreg. Caſſinenſi hic Pont. exoptat.*

§. 1. Utque hæc divina aſſiſtente gratia, maximè in Congregatione Monachorum de obſervantia Congregationis Caſſinen. alias S. Juſtinæ de Padua, Ordinis S. Benedicti, quæ vitæ ſanctitate claruit, ex ſententia noſtra ſuccedant, antiquas conſtitutiones approbandas, & in illarum tranſgreſſores duriores pœnas proponendas, & alias opportunè providendum eſſe cenſemus, prout in Domino conſpicimus expedire.

*Eugen. IV. decrevit Definitoribus generalibus omnem obedientiam præſtari, & ad eos electionem, & deſtitutionem Abbatum ſpectare, ut ſup. in ejus conſt. 5.*

§. 2. Accepimus enim, quod licèt alias felicis recordationis Eugen. Papa IV. prædeceſſor noſter, ſub Datum Romæ apud S. Petrum, anno Domini 1432. 9. Kal. Decembr. Pont. ſui anno 2. Inter alia voluerit, in Capitulo generali ejuſdem Congregat. ſingulis annis celebrando, novem Definitores ex Monachis dictæ Congregationis eligi, qui vocem in Capitulo haberent, ſicque electos totum Capitulum præfatum repræſentare, eorundemque Definitorum ſtatutis, conſtitutionibus, ordinationibus, definitionibus, & correctionibus ſingulos Congregationis ejuſdem Monachos, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ſive conditionis exiſterent, in omnibus efficaciter parere, ac hujuſmodi Definitores de Monaſteriis, & locis, illorumque bonis (prout viderent expedire) diſponere. Necnon ex Monachis tunc præſentibus & futuris, quos ad id idoneos judicaviſſent, in Abbates pro tempore vacantium Monaſteriorum, ac Prioratuum hujuſmodi, alias juxta dictæ Congregationis conſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta eligere, ſive nominare. Necnon ad eorum beneplacitum taliter electos abſque aliqua etiam cauſæ cognitione, à regimine etiam dictorum Monaſteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare cenſerentur, abſolvere, & amovere poſſe.

*Velut quæ ſervari, etiamſi Abbatia vacaret apud Sedem Apoſt. ſed eius conſt. non poſui.*

§. 3. Idemque per alias literas datas Florentiæ, Pont. ſui anno 4. decreverit, dum occurrente vacatione Monaſteriorum & Prioratuum dictæ Congregationis, etiam apud Sedem Apoſtolicam vacantium, qua illis ratione providendum eſſet ordinavit, prout in ſingulis ejuſdem prædeceſſoris literis pleniùs continetur.

*Hæc autem decreta non obſervantur.*

§. 4. Nihilominus nonnullos dictæ Congregationis Monachos, ejus quam Deo voverunt obedientiæ planè oblitos, præfatis Superioribus in electione, & amotione Abbatum, & aliorum ad eorundem nutum, & beneplacitum Monaſteriis & aliis officiis abſolvendis, & liberandis, aut ad illa eligendis, & nominandis, adverſari, & contradicere, & cum illis ad contentiones devenire, alios verò, ne contra eos veluti inobedientes, vel alia etiam ex cauſa, aut ex quantumvis gravi crimine & exceſſu procedi poſſit, contra ejuſdem Congregationis ſtatuta & ordinationes varias oppoſitiones & ſubterfugia, aut alia impedimenta afferre vel interponere, necnon abſque eorundem Superiorum licentia, in his quæ ad morum correctionem & regimen, adminiſtrationemque Congregat. ejuſdem pertinent, juriſperitos & alios conſulere temerè auſos fuiſſe, & nunc præſumere, quoſdam etiam profeſſionis & regulæ quam ſub humilitatis habitu profeſſi ſunt, immemores reperiri, qui ſic ambitione dignitatum, & officiorum eccleſiaſticorum in dicta Congregatione conſequendorum, quò facilius de Congregationis rebus, & perſonis ad eorum libitum diſponant, ſe efferri patiuntur, ut ad eccleſiaſticorum & ſæcularium Principum auxilia, vel occultè vel palam recurrant, & à S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis commendatitias literas propterea expectant, & novi aliquid ſemper, ut optati compotes fiant, in eorum animæ perniciem parando, ac moliendo, ejuſdem Congreg. quietem cum animarum illorum periculo non modico perturbent.

*Hic idem Pont. ea iterato decernit.*

§. 5. Nos igitur præmiſſis occurrere, ac ejuſdem Congreg. Monachorum honori & quieti, quos in viſceribus gerimus charitatis, necnon ad deterrenda maleficia, gravioribus etiam pœnis propoſitis, conſulere cupientes, ac dictarum prædeceſſoris literarum ſeriem, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia ſingulas prædeceſſoris præfati literas, ea in parte, qua illæ auctoritatem illorum, qui pro tempore regendæ Congregationi deputati erunt, reſpiciunt, quod ad eorum nutum & beneplacitum Abbates & alios quovis nomine nuncupatos dictæ Congregationis Prælatos, vel Officiales eligere, & electos ſimiliter abſque aliqua cauſæ cognitione, ſervatis alias ipſius Congregationis conſtitutionibus, ab officio amovere & abſolvere poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus & quatenus etiam opus ſit, eaſdem quoad præmiſſa dumtaxat innovamus, quodque contra eos, qui in præmiſſis eiſdem Superioribus, in electionibus, vel amotionibus hujuſmodi contradicere, vel ſe opponere, aut cum illis contendere præſumpſerint, per pœnam privationis officiorum, quæ obtinuerint, ac perſonæ correctionem & carcerationem animadvertatur, ſtatuimus.

*Judicia contra Monachos ſummariè & appellatione remota agi, &c. debere declarat.*

§. 6. Cumque idem prædeceſſor diſtrictiùs inhibuerit, ne cui Prælatorum vel Monachorum dictæ Congregationis, ab inſtitutis, ordinationibus, correctionibus & mandatis Capituli generalis, ſive Præſidentis, aut Viſitatorum vel Rectorum ejuſdem Congreg. ad quemcumque, etiam Sedem Apoſtolicam, niſi de ſpeciali indulto Summi Pontificis liceret appellare, quamcumque appellationem, ſi aliquam quandoque interponi contingeret, cum inde ſecutis irritam decernendo. Si autem contra aliquem Prælatum vel Monachum dictæ Congregationis civiliter, aut criminaliter ageretur, ſecundùm ſtatuta & conſuetudines Congregat. præfatæ, juris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litiũ anfractibus omiſſis, procedi debere mandaverit, ejuſdem prædeceſſoris exemplo adducti, quod quãdocumque contra Monachos judicium ex quavis cauſa inſtitui contigerit, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſola facti veritate inſpecta, necnon omni & quacumque appellatione remota agi.

*Appellantes coerceri mandat cum eis conſulentibus.*

§. 7. Appellantes verò, aut de nullitatibus ſententiarum, proceſſuum, & aliorum quorumcumque contra ſe decretorum, vel actorum dicentes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes, illis non obſtan. privatione officiorum, & carceris pœnis itidem affici, & ad ulteriora in cauſis, quas pro tempore agitari continget, privationiſque carceris, & aliarum pœnarum propterea inflictarum executionem procedi poſſe volumus, eaſdemque pœnas ad eos etiam Monachos, qui à juriſperitis, aut aliis quibuſvis perſonis extra dictam Congregationem, abſque eorum Superiorum licentia, in his quæ ad obedientiam, aut correctionem, ejuſdemve Congregationis regimen pertinebunt, conſilium capient, extendimus.

*Ambientibus & eorum complicibus pœnas imponit.*

§. 8. Ac omnes & ſingulos Monachos Congregationis præfatæ, cujuſcumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ exiſtentes, & quacumque dignitate præfulgentes, qui ad Prælaturas, & alia officia dictæ Congregationis aſſequenda intenti, ad Principum & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis directè vel indirectè, palam vel occulte, ad dignitates ſeu officia in Cõgregatione præfata obtinenda aſpiraverint, vel aliis minus legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint, illorumque complices & fautores ad quaſcumque Prælaturas, dignitates,

& officia ſpiritualia vel temporalia, & præſertim in ipſa Congregatione obtenta & obtinenda, perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, dignitatibus, adminiſtrationibus vel officiis eo ipſo privamus, ac privatos voce tum activa, tum paſſiva carere decernimus, & declaramus.

*Promotiones canonicè fieri jubet.*

§. 9. Et in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ omnibus dictæ Congregationis Monachis, qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, præcipientes, diſtrictèque mandantes, ne aliquos precibus, literis, vel favoribus Principum vel Prælatorum, aut aliorum extra dictum gremium exiſtentium adducti, ad cujuſvis generis prælaturas, dignitates, officia, adminiſtrationes & gradus promovere præſumant, immò promovendorum meritis & virtutibus tantum inſpectis, quod Dei cauſam agant, memores ſint, quo magis puro & ſincero corde, nulla privata aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant. Decernentes electiones & promotiones ad Monaſteria ſic literis, aut aliis favoribus Principum & Prælatorum, vel aliorum extra gremium, ut præfertur, exiſtentium, eorumque precibus aut pollicitationibus injuſtè ac indebitè extortas, nullas, invalidaſque eſſe, & adverſus eos qui his minùs legitimis rationibus ad regenda Monaſteria vel Prioratus, aut alia officia ſe eligi, aut aſſumi obtinuerint, per ejuſdem Congregationis Superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita, condignis pœnis, tanquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores affici poſſe & debere. Et ita per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derogat.*

§. 10. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictorum Congregationis & ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis & illorum Superioribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis conceſſis & confirmatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice Motu, & ſcientia ſimilibus latiſſimè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi præfatis Congregationi & Monachis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptis fidem adhiberi jubet.*

§. 11. Ac ut harum literarum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos faciliùs deveniat, volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo ſingulo quoque anno publicè legi, illaſque dicto Capitulo lectas ſi arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, vel impreſſis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præſidentis ipſius Congregationis vel alterius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti obſignatis, eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur.

*Dat. P. An. 2. die 17. Apr.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Aprilis 1574. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

---

XVII.

Ordinationes circa electionem Præpoſiti generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi de Obſervantia, eorumque ſtudia, & acceſſus ad Urbem.

*Ad hæc vide quæ immutavit hic idem Pont. in ſua conſt. 90. Ea quæ, ubi notabo.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Edita An. D. 1574.*

*Exordium.*

PRo noſtri muneris officio & charitate paterna, qua omnes religioſorum Ordines proſequimur, quæcumque ad illorum ſtatum, ſalutaremque tranquillitatem pertinere arbitramur, ea adjuvante Domino inſtituere nitimur, atque ſtudemus.

*Congregatio Monachorum S. Hieronymi ex ejus inſtituto habet Priores annales, & [illegible] per tres annos in Priores eligi poſſunt, & poſtea per annum vacare debent.*

§. 1. Inter eos autem ad Congregationem Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi reſpeximus, quæ paucorum numero continetur, utpote cujus Monachi & Fratres ad centum ſexaginta vix aſcendunt, & ex antiquis conſtitutionibus & conſuetudinibus Priores habet annales, necnon in eodem Monaſterio, in quo Prioratus officium aliquem gerere contigerit, vel aliis ejuſdem Congregationis Monaſteriis, poſſunt ſingulis annis uſque ad tres annos tantum in Priores de novo eligi, ita tamen ut triennio elapſo, quo rurſus in Priores eligi valeant, ab hujuſmodi officio ſaltem per annum vacare debeant.

*Ex qua frequenti mutatione ambitus occaſio præbetur.*

§. 2. Hæc autem aſſidua mutatio, plurium deſideria ita excitat, ut nonnulli profeſſionis quam in habitu ſinceritatis & humilitatis Deo voverunt, immemores, ambiendis illius dignitatibus & officiis aſſiduè incumbant, quo magis pro eorum libito de rebus & bonis ad eandem Congregationem pertinentibus diſponere poſſint. Effrenata verò hac cupiditate ſic nonnulli efferri patiuntur, ut Principum ſæcularium & aliorum auxilia & favores plerumque occultè, quandoque etiam palam expetant, illoſque implorare non vereantur, diverſa ſuper his pacta ineundo, ſeditiones excitando, præſentationes quas practicas vocant exercendo, in maximum Chriſti fidelium ſcandalum, ac publicam dictæ Congregationis perturbationem, quæ ad labefactandum religioſorum ſtatum apertiſſimè tendunt.

*Hic idem Pont. prædictos Priores amovet & alios deputat, eiſque Prioratus à ſuo Capit. aſſignari mandat.*

§. 3. Nos igitur his incommodis per novas editas ordinationes occurrendum eſſe cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, modernos dictæ Congregationes Priores ab officiis Prioratuum hujuſmodi abſolvimus & amovemus; necnon dilectos filios Hieronymum Cremaſcum modernum Præpoſitum generalem, Martinum, Julium, Conſtantinum, Deodatum, Urbanum, Aloyſium Comenſem, Hippolytum, Euſebium, Leandrum, Angelicum Locatum, Felicem & Stephanum, Dominicum & Timotheum in Priores Monaſteriorum eorundem loco prædictorum eligimus. Aſſignationem autem eorundem Prioratuum unicuique Priori per nos electo, à generali Capitulo faciendam remittimus.

*Definitores [illegible] conſtituit.*

§. 4. Ac ex ipſis Prioribus, Hieronymum, Deodatum, Urbanum, Aloyſium, Euſebium, Leandrum, Angelicum Locatum, Felicem & Stephanum pro hac vice dumtaxat in ejuſdem Congregationis Definitores conſtituimus & deputamus.

*Priores poſtea eligendos perpetuò Priores remanere decernit.*

§. 5. Priores verò hujuſmodi in poſterum perpetuò Priores durare decernimus, niſi aliquis ſic ejus exigentibus demeritis Priorali dignitate privandus eſſet, qui privati ad dicta officia in poſterum exercenda inhabiles poſtmodùm exiſtant.

*Sed eoſdem in Monaſt. triennio tantùm permanere, & poſtea aliis præfici jubet. Confirmat [illegible] Clem. VIII. [illegible] 21. Cap. tamen [illegible] eos transferre [illegible]*

§. 6. Ultra autem tres annos Priores in adminiſtratione ejuſdem Monaſterii non permaneant, ſed illi aliis Monaſteriis adminiſtrandis præficiantur, & ad illa transferantur, ac triennium hujuſmodi à Capitulo generali proximis temporibus celebrando numeretur.

*Hoc a p. [illegible]*

§. 7. Poſſit tamen idem generale Capitulum quos judicaverit expedire, de uno ad aliud Monaſterium regendum ſingulis annis transferre.

*Capit. proximè loco Priorum, ut ſupra deputatorum vacantium alios ſubrogare poteſt.*

§.8. Quod ſi aliqui ex ſupranominatis, qui in Priores per nos, ut præfertur, electi fuerunt, Prioratus ſibi delatos acceptare recuſaverint, aut eos vel ſtatim, vel paulò poſt dimittere voluerint, tunc & eo caſu liceat Capitulo generali proximè celebrando hac vice dumtaxat eorum loco alios dictæ Congregationis profeſſores, etiamſi de numero Vicariorum, ut infra dicetur, non extiterint, in Priores eligere, ac illos ſubrogare, & ad Prioratus hujuſmodi officia exercenda per tempus prædictum deputare.

*Præpoſitum gen. Viſitatores, Conſultores, & Definitores ex numero Priorum eligendos eſſe decernit.*

*Imò ex omnibus ſubditis eligi poſſunt Præpoſitus, & Definitores, ut in d. conſt. Clem. VIII. num. 21.*

§.9. Præterea cum antea liceret quemcumque Monachum in presbyteratus ordine conſtitutum, in Præpoſitum generalem, Viſitatorem & Conſultorem eligere, & dummodo vocem haberet in generali Capitulo prædicto, etiam in Definitores illi omnes aſſumi valerent, & multitudo vocem & ſuffragium in electione habentium, & eligendorum maximam pareret confuſionem, propter varias, illicitaſque pactiones & pollicitationes, quas præmiſſorum occaſione ineunt. Nos hujuſmodi malo obviare volentes, quod iidem omnes, Præpoſitus videlicet generalis, Viſitatores, Conſultores, & Definitores, ex numero Priorum, ab ipſiſmet Prioribus tantum eligantur mandamus, præterquam in S. Alexii de Urbe, & S. Pauli Civitatis Albanen. Monaſteriis, in quibus pro evitandis expenſis & incommodis duos ex illis Monachis, qui ad ibi degendum, aut eorum alter conſtituentur, pro tempore, etiamſi Priores non eſſent, Viſitatores deputari poſſe permittitur. Qui tamen uti eorundem Monaſteriorum Viſitatores in generali Præpoſito, vel Definitoribus eligendis, vocem non habeant, quoad reliqua autem conceſſa ſibi per generale Capitulum auctoritate fungantur.

*Procuratores à Monaſt. miſſos ad Capit. gen. voce electiva carere declarat.*

*Hoc corrigit infr. Clem. VIII. in conſt. 21.*

§.10. Inſuper ex cauſis prædictis, vitandique ambitus gratia, eos procuratores, qui ab unoquoque Monaſterio ad generale Capitulum deſtinantur, ut de ſtatu Monaſteriorum, à quo miſſi fuerint, generale Capitulum prædictum planè edoceant, & ea omnia quæ ad illud pertinent poſtmodùm referant, necnon vocem in electione Præpoſiti generalis, & Definitorum, tam activam quàm paſſivam habeant, illa in poſterum volumus carere.

*Electio Prioris vacantis ad Cap. defertur, eſt, &c.*

§.11. Ad hæc ſi medio tempore à celebrato Capitulo generali uſque ad aliud celebrandum alicujus Monaſterii Prioratum quomodocumque, & ex quavis cauſa vacare contigerit, novi Prioris electio uſque ad Capitulum generale proximè celebrandum, nec ultra differenda erit. Et interim Monaſterii Vicarius, vel quivis alter per Præpoſitum generalem, cum voto Conſultorum per modum proviſionis dumtaxat deputandus erit.

*Priores ex Vicariis eligendi ſunt.*

*Imò etiam ex non Vicariis, ut in d. bulla 21. Clem. VIII.*

§.12. Nemo aliquis ad Prioratum aſſumendus erit, niſi & tempore vacationis, & tempore electionis ſit alicujus Monaſterii Vicarius.

*Vicariorum electio ad quos ſpectet.*

§.13. Vicariorum autem electio per Capitulum generale facienda erit, ut eſt moris. Quod ſi medio tempore aliqua Vicariatuum officia quomodocumque vacare contigerit, cum voto Conſultorum generalis Præpoſitus poterit Monachos in Vicarios eligere, prout ea in re duxerit expedire.

*Monachis extra Clauſtra lectiones audire, vel profiteri vetat. Et in Monaſteriis certo modo permittit.*

§.14. Ad evitandam etiam extra clauſtra Monaſteriorum Monachis præfatis vagandi ac diſcurrendi occaſionem, Monachos ad quodcumque gymnaſium, vel publicam academiam quibuſvis ampliſſimis privilegiis ſuffultam, ad audiendas cujuſvis facultatis lectiones accedere, aut illas publicè, vel privatim profiteri prohibemus. In propriis autem Monaſteriis, dummodo in facultatibus, vel in Theologia Magiſterii, vel Licentiaturæ, aut alios gradus ſuſcipere non audeant, ipſis arbitrio Præpoſiti generalis dumtaxat literarum ſtudiis à jure permiſſis operam dare concedimus.

*Acceſſum ad Urbem abſque Protectoris, vel Præpoſiti gen. li entia prohibet.*

§.15. Monachorum prædictorum nullus abſque expreſſa licentia à Venerabili fratre noſtro Joanne Epiſcopo Oſtienſi Cardinale Morono nuncupato, nunc dictæ Congregationis, & pro tempore exiſtente apud nos, Sedemque Apoſtolicam Protectore, aut à Præpoſito generali in ſcriptis obtenta, ad Almam Urbem noſtram ſub quovis prætextu ſe conferre audebit: ſi ſecus fecerit, carceris, à quo per integrum annum ad pœnam inobedientiæ luendam detinebitur, ac vocis tam activæ, quàm paſſivæ privationis, aliiſque etiam gravioribus arbitrio pro tempore generalis Præpoſiti imponendis pœnis plectendus erit.

*Conſtit. Procurat. ad negotia, vel cauſa Congreg. vel ejus locorum, omnibus interdicit.*

§.16. Sub eiſdem pœnis edicimus, ne aliquis dictæ Congregationis Ordinem expreſsè profeſſus, in Urbe, vel alibi procuratores, aut negotiorum geſtores, aut aliò nomine nuncupatos, circa cauſas & negotia ad dictam Congregationem univerſam, vel illius Monaſteria, aut regularia loca quomodolibet directè, vel indirectè ſpectantia, vel pertinentia conſtituere audeat.

*Præpoſitum gen. ex Prioribus, & ad annum eligi mandat.*

*Imò ex omnibus, ut inf. in conſt. 21. Clem. VIII.*

§.17. Demùm Præpoſitum generalem ex Prioribus in poſterum eligi debere, & Capituli generalis auctoritate electum, ultra annum in Generalatus officio minimè perſeverare poſſe.

*Aliter geſta irritat.*

§.18. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, definirique debere, prædictaque omnia firma, & inviolabilia fore & eſſe, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Omnes prædicta obſervari præcipit.*

§.19. Quocirca moderno & pro tempore exiſtenti Præpoſito generali, ac univerſis & ſingulis dictæ Congregationis Monachis per Apoſtolica ſcripta, illis etiam in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut præſentes literas humiliter recipiant, & quæcumque in ipſis continentur, alia deſuper à nobis non expectata juſſione, aut mentis noſtræ declaratione, firmiter cuſtodiant, & in omnibus illis ſtudiosè ac reverenter obedire procurent.

*Public. hujus conſtit. & ejus execut. Præpoſito generali demandat.*

§.20. Quin etiam ipſi Præpoſito generali præcipimus ut eaſdem præſentes in omnibus ejuſdem Congregationis Monaſteriis, necnon ab omnibus Monachis prædictis inviolabiliter faciat per ſe vel alium obſervari, quoſcumque contradictores & rebelles, ac etiam reclamantes, eiſque auxilium vel favorem, publicè, vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio præſtantes, tam Eccleſiaſticos quàm laïcos cujuſcumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, cæteraque juris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendo, cenſuraſque & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§.21. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, & quibuſvis Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dictorum Congregationis & Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis & illorum ſuperioribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam pluries confirmatis & innovatis: quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, formas datas, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus, pro expreſſis habentes & inſertis, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice Motu, & ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, latiſſimè derogamus, ac derogatum eſſe volumus contrariis quibuſcumque, aut ſi prædictis Congregationi & Monachis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.22. Per

*Conſtit. Ord. quoad caſus hic ni expreſſos, & [illegible] Præpoſiti gen. factam à Pio V. præſervat.*

§.22. Per hæc autem antiquis d. Congr. conſtitutionibus, & laudabilibus conſuetudinibus more utentium in dicta Congregatione comprobatis, aut ſtatutis etiam forſan juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, vel privilegiis, indultis, vel literis Apoſtolicis ſuper præmiſſis forſan emanatis, niſi quoad caſus expreſſos, in nihilo penitus detrahere, aut literis piæ mem. Pii Papæ V. circa deputationem moderni Præpoſiti generalis derogare non intendimus, quinimò tempore deputationis expleto Capitulo generali minimè ademptam eſſe volumus facultatem, quo minùs idem ad officium generalis Præpoſiti eligi poſſit.

*Dat. P. An. 3. die 26. Maii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 26. Maii 1574. Pont. noſtri anno tertio.

---

## XVIII. Confirmatio, & extenſio gratiarum, privilegiorum, & indultorum Ordinis Ciſtercienſis Monachorum S. Benedicti, novæque ordinationes pro feliciori ejus regimine.

*Alias ordinationes ad eundem finem ſtatuerunt Eugen. III. in conſt.* 2. Sacroſancta, *ſup. Clemens IV. in conſt.* 3. Parvus, *ſuprà, Bened. XII in conſtit.* 3. Fulgens, *Pius IV. conſtit.* 70. In eminenti, *ac Pius V. in conſtit.* 101. Ex innumeris.

De inſtitutione autem hujus Ordinis, ac aliis eum concernentibus, notavi ſup. in Paſchal. II. conſt. 1. *Deſiderium.*

*Edita A. D. 1574.*

*GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus conſtituti, ad ea, per quæ ſacræ religionis Ciſtercienſis Ordinis, nobis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti ſtatus feliciter dirigatur, & regularis vitæ inſtitutio jam diu à Sanctis viris tam piè & religioſè tradita & conſtituta conſervetur, & ſi quid deperire inceperit, Domino concedente reformationem ſuſcipiat, & in ſuum priſtinum ſtatum refloreſcat, ac denique perſonæ ſub ſuavi Religionis hujuſmodi jugo, Domino ſecundùm regulæ ſuæ puritatem famulantes, ſua in pacis & quietis ſuavitate vota reddere, & fructus in Dei Eccleſia uberiores proferre valeant, libenter intendimus, & his quæ per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros propterea conceſſa & ordinata fuiſſe reperiuntur, etiam noſtræ approbationis robur adjicimus, ac aliàs deſuper ſtatuimus, ordinamus, moderamur & reformamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Pius IV. confirmavit antiquas ordinationes, & indulta Ord. & alia ſtatuit, ut ſup. in ejus conſt. 70. In eminenti.*

§.1. Dudum ſiquidem fel. record. Pio Papa IV. prædeceſſori noſtro pro parte bonæ mem. Ludovici olim Abbatis Monaſterii Ciſtercii, Cabilonenſis diœceſis expoſito, quod licèt ſacer Ciſtercienſis Ordo in ſumma puritatis & devotionis perfectione, per multa retroactorum annorum ſæcula, ac tandiu exemplari Religioſorum ſuorum vita, atque ſanctimonia, non ſolùm in Regno Franciæ, ubi ſupremum ejus caput, videlicet Ciſtercii præfatum, cum aliis quatuor illius præcipuis, nempe Firmitatis, Pontigniaci, Clarevallis, & Morimundi, Cabilonenſis prædictæ, & Antiſiodorenſis & Lingonenſis reſpectivè diœceſis Monaſteriis, filiabus Ciſtercii nuncupatis, ſed etiam per alia ferè univerſa Chriſtiani Orbis climata cum bonæ famæ, & virtutem odore, eximioque Religionis decore, ad ædificationem militantis Eccleſiæ, quandiu juxta Sanctorum Patrum inſtitutiones, & regularia illius inſtituta, præfatis, aliiſque Monaſteriis de Monachorum dicti Ordinis perſonis proviſum, ejuſque laudabilia inſtituta, ritus, conſuetudines & privilegia firmiter obſervata fuerant, Domino cooperante floruiſſet. Nihilominus tunc à pluribus annis citra, præſertim poſtquàm pleraque Monaſteriorum, ac Prioratuum ſuorum, aliis quam dicti Ordinis perſonis commendari, ac ab eorum Superioris obedientia per exemptionum, unionum, aliaſque diverſas vias, tanquam membra à ſuo corpore divelli, abſtrahi, & diſmembrari cœperant, ſpecioſo illo regularis diſciplinæ candore paulatim offuſcato, univerſi Ordinis ſtatus in miſerabilem diſperſionem, & deſolationem prolapſus erat: & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod tantis hujus olim Deo, mortalibuſque gratis Religionis incommodis aliter quàm per antiquorum ſtatutorum, conſuetudinum, rituum & privilegiorum prædictorum undique convulſorum, & diverſimodè oppreſſorum reſtitutionem mederi non poſſe videbatur, præfatus prædeceſſor ſupplicationibus ipſius Ludovici Abbatis in ea parte tunc inclinatus, antiqua privilegia per quoſcumque Rom. Pontifices prædeceſſores ſuos eidem Ciſtercienſi Ordini, & ejus Capitulo generali indulta & conceſſa, per ſuas literas approbavit, confirmavit, innovavit, & alia deſuper ſtatuit & ordinavit.

*Pius V. cit. in rub. eadē confirmavit, & quadam alia de novo conceſſit pro reformat. ejuſdem Ord.*

§. 2. Et deinde piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter eodem erga præfati Ciſtercienſis Ordinis bonum ſtatum, & reformationem zelo & animi propenſione affectus, antiqua illa eidem Ordini, ut præfertur, conceſſa privilegia & indulta, per ſuas literas etiam approbavit & confirmavit, ac literis Pii IV. prædeceſſoris ejuſmodi, etiam ſuæ approbationis robur adjecit. Necnon nonnulla alia opportuna pro temporis conditione præfati Ciſtercienſis Ordinis reformationem concernentia, de novo eidem Ordini & Capitulo generali conceſſit, & indulſit, prout in ſingulis literis præfatis pleniùs continetur. Cum autem firmiora ſint ea, quibus Sedis prædictæ ſæpiùs intercedit auctoritas.

*Hic modò Pōtificum bullas approbat, & omnes ordinationes & ſtatuta dicti Ord. cōfirmat. Volens quod Abbas & Prælati loca, & perſonas viſitent, & corripiant.*

§.3. Nos cupientes, ut illa, quæ pro dicti Ordinis, cujus decus & integritatem, ac priſtini candoris reſtitutionem non minori, quam prædicti prædeceſſores noſtri zelo affectamus, ſalubri directione tam piè ac ſanctè ſtatuta ſunt, inconcuſſa perpetuò remaneant, omnium & ſingularum immunitatum, libertatum, exemptionum, conſervationum, facultatum, ordinationum, ſtatutorum, privilegiorum, indultorum, & aliarum gratiarum, necnon literarum Pii IV. & Pii V. prædeceſſorum hujuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, Motu proprio, non ad Abbatis generalis, & Superiorum Ordinis hujuſmodi, vel quorumvis aliorum inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, omnes & ſingulas ab Abbate Monaſterii Ciſtercii, aliiſque Superioribus & Capitulo generali Ordinis hujuſmodi, ejuſque deputatis immunitates, libertates, & exemptiones quibuſvis, tam virorum, quàm S. Catharinæ Cajetan. & S. Mariæ de Cœleſtia nuncupatæ Venetiarum, aliiſque Monialium Monaſteriis, ac Prioribus, & aliis regularibus locis dicti Ordinis, ac dilectis filiis Abbatibus, & Prioribus, dilectiſque in Chriſto filiabus, Abbatiſſis & Prioriſſis, necnon Conventibus, Capitulis, & perſonis eorundem, tam in Gallia, Italia, Hiſpania, Portugallia, Germania, Anglia & Scotia, quàm alibi ubilibet conſiſtentibus, ita quod immunitatibus, libertatibus & exemptionibus hujuſmodi non obſtantibus, pro tempore exiſtentes Abbas generalis nuncupatus, & alii Superiores dicti Ordinis, eorumque Vicarii, juxta ipſius Ordinis inſtituta, Monaſteria, Prioratus, & loca prædicta, ac illorum perſonas, tam in capitibus quàm in membris viſitare liberè, & licitè valeant.

*Indulta Ap. Epiſcopis, & aliis conceſſa viſitandi eadem loca, limitantur, ita ut Abbas præfatus, & Superiores illa etiam viſitare poſſint. Hoc idem ſtatuit Paul. IV. ibid.*

§.4. Ac quæcumque privilegia & indulta Apoſtolica viſitandi Monaſteria, tam virorum quàm mulierum Ordinis hujuſmodi, quibuſvis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis aliis locorum Ordinariis, Abbatibus & aliis, quàm Generali Ciſtercienſi prædicto, ac aliis quatuor primis nuncupatis quatuor Monaſteriorum filiarum Ciſtercii nuncupatorum præfatorum Abbatibus, cæteriſque Superioribus ejuſdem Ord. ad id ab ipſo generali Capitulo deputatis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & præeminentiæ exiſtentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam

Sedem,

Sedem, etiam ad quorumvis Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam, vel etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, etiam conſiſtorialiter, & cum cauſæ cognitione, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, hactenus quomodolibet conceſſa, & etiam iteratis vicibus approbata, & Apoſtolicas, & alias literas deſuper confectas, & inde ſecuta quæcumque, ad hoc dumtaxat, ut Abbati generali & aliis Superioribus Ordinis, eorumque Vicariis, Monaſteria hujuſmodi, ut præfertur, viſitare liceat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium moderamur & limitamus.

*Inhibitio contra Epiſc. & alios impedientes illos in viſitationibus. Hoc idem voluit Pius IV. ibid.*

§.5. Inhibentes Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis ſuperioribus Prælatis, videlicet ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac ſuſpenſionis à divinis, Abbatibus verò, & aliis inferioribus prælatis, cæteriſque quibuſcumque perſonis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne Abbatem generalem, & alios ſuperiores Ordinis, eorumque Vicarios præfatos, quo minus viſitationes, juxta regularia Ordinis inſtituta hujuſmodi, liberè facere poſſit, per ſe, vel per interpoſitas perſonas, directè, vel indirectè, aut aliàs quoquo modo impedire audeant, vel præſumant.

*Monachi & Moniales omnes admittant Abb. & alios Superiores viſitan. ſub pœnis hic expreſſis.*

§.6. Ipſis autem Monaſteriorum, & aliorum locorum prædictorum Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Conventibus, Monachis, Monialibus, & perſonis, ut Generalem, alioſque Abbates, Superiores, & Vicarios præfatos, ut præfertur, viſitare volentes, benigne recipiant, eiſque & eorum mandatis, in concernentibus eorum viſitandi officium hujuſmodi pareant, & humiliter obediant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſimilis excommunicationis pœna diſtrictè præcipiendo mandamus.

*Confirmatio omnium gratiarum Ord. Hæc habetur etiam in d. conſt. Pii IV.*

§.7. Et inſuper univerſa & ſingula privilegia, prærogativas, immunitates, exemptiones, libertates, conſervatorias, facultates, indulta, & alias gratias Ciſtercii, & quatuor filiabus nuncupatis Monaſteriis, ac Ordini, ejuſque Capitulo generali, Definitoribus, & aliis Superioribus præfatis, per piæ mem. Paſchalem II. Calliſtum etiam II. Eugenium III. Alexandrum etiam III. Lucium ſimiliter III. Honorium pariter III. Gregorium IX. Innocentium IV. Sixtum etiam IV. præſertim commendas, & Commendatarios Monaſteriorum, & aliorum locorum Ordinis hujuſmodi concernentia, & quod Commendatarii pro tempore exiſtentes nullam in Monaſteria dicti Ordinis ſibi commendata, & eorum Monachos juriſdictionem exerceant, & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem hujuſmodi hactenus quomodolibet conceſſa.

*Confirmatio ordinationũ, & ſtatutorum d. Ord. Hæc habetur etiam in d. conſt. Pii IV.*

§.8. Necnon ordinationes & ſtatuta ab exordio fundationis ejuſdem Ordinis uſque in præſentem diem in dicto Capitulo concorditer edita, etiamſi in uſu eſſe deſierint, dummodo per lapſum temporis immemorabilis, videlicet centum annorum in deſuetudinem non abierint. Ac præterea ſuper contributionibus per omnia & ſingula ejuſdem Ordinis Monaſteria Abbati Ciſtercii, ſeu Capitulo generali prædictis faciendis & ſolvendis, ac prout illa concernunt omnia & ſingula alia in literis Apoſtolicis, aliiſque documentis deſuper confectis contenta, & inde ſecuta quæcumque, licita tamen & honeſta, ac decretis Concilii Tridentini non adverſantia, eiſdem auctoritate & tenore ex certa ſcientia confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis, & noſtræ approbationis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem ſupplemus. Necnon potiori pro cautela eadem omnia & ſingula privilegia, prærogativas, facultates, exemptiones, quatenus ſint in uſu, conſervatorias, indulta, & alias gratias eiſdem modo & forma, quibus Ordini, ejuſque Abbatibus, Capitulo generali, & Superioribus prædictis per dictos prædeceſſores conceſſa ſunt, illis de novo auctoritate, & tenore prædictis concedimus & innovamus.

*In Monaſt. commendatis aliis perſonis, quam ejus Ord. inſtituatur*

§.9. Et præterea quod in Monaſteriis dicti Ordinis, quæ diverſis perſonis, etiamſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & S.R.E. Cardinales exiſtant, de præſenti commendata etiam reperiuntur, & in futurum commendari, ſeu aliis quoquo modo aliis quàm Ordinis ipſius perſonis concedi contingat, ubi non fuerit, inſtituatur menſa Conventualis, ab Abbatiali menſa diſtincta & ſeparata, cum annuis fructibus, redditibus, & proventibus, juxta Monaſteriorum ipſorum facultates competentibus, & honeſtis, pro ſufficienti Conventus & Monachorum, aliorumque Religioſorum ejuſdem Ordinis numero in unoquoque ex ipſis Monaſteriis per ipſos Generalem, & cæteros Ordinis ipſius Superiores, aut eorum Vicarios ordinando, quam quidem menſam, quia etiam ædificiorum, & locorum ad diſciplinæ monaſticæ obſervationem pertinentium, ſcilicet templorum, ornamentorum, jocalium, librorum Eccleſiaſticorum, dormitorii, refectorii, aliorumque locorum regularium, necnon Monaſteriorum clauſuræ neceſſariis, & ordinariis reparationibus faciendis obligatam & obſtrictam eſſe volumus, ut in ea inſtituenda expenſarum annuarum ad hæc neceſſariarum ratio habeatur, ſtatuimus, & mandamus, ac eandem menſam ſic inſtituendam, congruoſque redditus aſſignandos ipſi Commendatarii omninò teneantur, & ad id etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas, fructuum, reddituum, & proventuum ſequeſtrationes, & alia opportuna juris remedia cogi poſſint, & debeant.

*Debet menſa Convent. diſtincta ab Abbatia, & ſufficiens pro Monachis.*

§.10. Et quia ſicut accepimus in multis dicti Ordinis tam virorum quàm mulierum Monaſteriis quamplures mendicantium aliorum Ordinum Religioſi utriuſque ſexus ab immemorabili tempore citra ſe intruſerunt, & per ſe intrudere præſumunt, quod illi vel inde realiter, & cum effectu ejiciantur, vel ſaltem habitum infra annum ſuſcipiant, ac profeſſionem regularem ejuſdem Ciſtercien. Ordinis expreſsè emittant, debitamque obedientiam, & reverentiam illius Abbati generali, & reliquis Superioribus prædictis præſtent, ac divinum officium ſecundum ipſius Ordinis morem celebrent, ſeque regularibus ejus inſtitutis omninò conforment. Quodque Monachi in Monaſteriis, & Prioratibus ejuſdem Ordinis, aliis piis locis pro tempore unitis, annexis, & incorporatis degentes, ſint & remaneant ſub obedientia, & correctione Abbatis generalis, aliorumque Superiorum Ordinis Ciſtercienſis præfatorum, & ſuorum Vicariorum in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi uniones, annexiones, & incorporationes hujuſmodi non emanaſſent, etiamſi in illis aliter caveretur, & uſus, non tamen à tempore immemorabili, ut præfertur, contrarium obtineat, quæ contra ſtatuti hujuſmodi tenorem nemini ſuffragentur.

*Religioſi alterius Ord. intruſi in Monaſt. hujus Ord. aut inde ejiciantur, aut ejuſdem Ord. profeſſionem faciant.*

§. 11. Quod nullæ alterius Ordinis Moniales niſi cauſa legitima ſubſiſtente, in Abbatiſſas Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis aſſumi, vel ſi aſſumantur, in eiſdem Monaſteriis recipi poſſint, niſi immediato Patre Superiore præſente, qui habitum illis exhibeat, & ab eis tria ſubſtantialia vota, necnon juramenta obſervandi ſtatuta dicti Ordinis, ac ſecundum ea vivendi recipiat.

*Moniales alterius Ord. quando recipi poſſint in Abbatiſſas.*

§.12. Quodque omnia & ſingula Monaſteria Ordinis hujuſmodi, tam virorum quam mulierum ubicumque exiſtent, ſeu eorum Abbates, vel Priores, etiam Commendatarii, Abbatiſſæque vel Prioriſſæ in ſignum obedientiæ & ſuperioritatis ſolita regalia, videlicet contributiones ſolitas Abbati Monaſterii Ciſtercii, & Capitulo generali prædictis, omnibus exceptione, recuſatione, præſcriptione, & alia excuſatione penitus ceſſantibus, annuatim ſolvere teneantur, & ad id compelli poſſint ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus.

*Monaſt. omnia tenentur ad contributiones ſolvendas Abbati, & Capitulo.*

§.13. Et inſuper ut Monaſteria Ciſtercienſis Ordinis hujuſmodi, quorum quamplurima, ut accepimus, præſertim in utraque Sicilia conſiſtentia, aut debitis officiis deſtituta, aut Monachis ob non præſtitam alimoniam deſerta, aut omnino collapſa, retecta, recluſa, patentia reperiuntur, & ut prophana habentur, ad Conventum, diſciplinam, & bonam frugem revocentur, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine etiam ſtatuimus, & ordinamus, ut omnia Monaſteria, & loca dicti Ordinis, tam in utraque Sicilia, quàm cæteris omnibus Orbis partibus conſtituta, etiam commendata, ac etiam de jurepatronatus laïcorum quocumque modo exiſtentia, quæ convulſa,

*Monaſt. etiã commendata, & de jurepatronatus laicorum, deſtituta reficiantur, & reducantur ad clauſuram.*

convulſa, diruta, & extenuata exiſtunt, reficiantur, & ad debitam clauſuram reducantur. Ac pro [illegible] præmiſſorum executione conveniens pecunia ſtatuatur, & quotannis in id opus donec abſolutum fuerit, erogetur, ac in eiſdem, & cæteris domibus, quemadmodum eorum facultates ad id fuerint ſufficientes, competens Monachorum & Miniſtrorum numerus reſtituatur.

*In Eccleſiis providentur neceſſaria ad uſum Mona[...] & cultum divinū, Miſſæque & alia officia [...] quotidie celebrentur.*

§.14. Ipſorumque quoque Eccleſiæ, ſacriſtiæ, dormitoria, & officinæ vaſis, veſtimentis, libris, ſacra, & communi ſupellectile ac cæteris omnibus ad divinum cultum, & monaſticum uſum neceſſariis convenienter inſtruantur. Miſſæ præterea ſacrificium, & alia divina officia nocturna, & diurna quotidie in choro pſallendo juxta ritum dicti Ordinis ſine intermiſſione celebrentur. Inſuper ubi ſacra lectio juxta Concilii Tridentini diſpoſitionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad divini officii & chori uſum neceſſarii ſunt, ſaltem Biblia & Catechiſmus ad Parochos ante aliquot annos editus, item opera S. Bernardi, & ſi qui alii ad honeſtam Monachorum occupationem haberi poterunt, habeantur, niſi de illis in aſſignatione menſæ Conventualis jam proſpectum reperiatur, ita tamen, ut de his omnibus, necnon vaſis, veſtimentis, & cætera ſupellectile præfata ſemel receptis omnes Conventus rationem reddere debeant.

*Novitii inſtruantur in [...] Monaſteriis cujuſcumque Provinciæ.*

§.15. Et ut Novitii ea qua decet diſciplina informentur, unum aut duo Monaſteria in quacumque Provincia ubi commodè fieri poterit, ordinentur, in quibus Magiſtri etiam cæterorum Monaſteriorum Novitios divini officii rationem, & regularis obſervantiæ inſtituta doceant, ita ut quodlibet Monaſterium ſuis neceſſaria ſuppeditet, & ſi nullos habuerit, alii pro eo, ejuſque impenſis recipiantur, & inſtruantur.

*Conventus [...], & [...] modo [...] Commendatariis, vel [...].*

§.16. Omnia ædificia Conventus quoquoverſus claudantur, portæ non neceſſariæ obſtruantur, clatri feneſtris, ubicumque opus fuerit infigantur. Templa, Sacriſtiæ, Capitula, Dormitoria, Refectoria, Infirmariæ, & omnino aliæ Clauſtri partes nihil prophani patiantur, nec Conventus horreum, penu, præſepia, nec prorſus ulla promercalia Abbatum Commendatariorum, Conductorum, aut aliorum recipiant, nec illa à Commendatariis, penſionariis, aliiſve de Clauſo non exiſtentibus occupentur, ſed illis ſolum proprii clauſtrales utantur, prout ad divini officii celebrationem, regularemque obſervantiam fuerunt conſtituta.

*Mulieres loca [...] non ingrediantur. [...] ſtrictius [...] Pius V. in ſuis bulla [...] Regularium.*

§.17. Mulieribus omnibus cujuſcumque qualitatis, dignitatis, & ætatis, ingreſſus clauſtri, & aliorum locorum regularium, etiam ædium partis, quæ ab Abbatibus Commendatariis, Prioribus, aliiſve miniſtris, etiam diviſim poſſidentur, ſit penitus interdictus, & ſi ſecus factum erit, tam ingredientes quàm recipientes excommunicationis ſententiam incurrant, carcer quoque ad correctionem monachorum, ubi non eſt, conſtituatur.

*Inventarium [...] in quolibet Monaſterio omnium [...] & bonorum.*

§.18. Et in omnibus Monaſteriis inventarium omnium præfatorum, necnon inſtrumentorum, fundationum, dotationum, auctoritatum, exemplarium, omniumque munimentorum conſcribatur, & in formam authenticam redigatur, illudque & cætera omnia præfata fideliter aſſerventur ſicubi verò locorum quicquam producendum erit, exemplum ab Archetypo deſumatur & tranſmittatur, niſi talis contigerit neceſſitas, ut ipſum exemplar producendum ſit, quod tunc in fidem alicujus probati deponatur, qui idoneè caveat illud ipſum quamprimùm reportandum.

*Monaſteria exiſtentia in locis non tutis transferantur ad loca vicina.*

§.19. Illa quoque Monaſteria locis patentibus conſtituta, quæ propter Turcarum, ſeu Prædonum, vel hæreticorum incurſiones tutè ſervari non poterunt, facto de ipſorum juribus, literis, auctoritatibus, tabulis, monumentis, atque omni prorſus ſupellectile, mobilibuſque bonis, jocalibus, & rebus fideli inventario, & ſi opus erit, earum omnium depoſitio fiat apud perſonam fide & facultatibus idoneam, ita ut nihil omninò inde ſine conſenſu expreſſo, & ſpeciali mandato Conventus moveri valeat, in Civitates, oppidave vicina transferantur.

*Viſitationes [...] ſollicitè & prudenter.*

§.20. Cæterùm ad reſtituendam monaſticam diſciplinam, & reſtitutam conſervandam, Ciſtercii, & cæteri patres Abbates in Capitulo generali provideant diligenter, ut omnes viſitationes ſollicitè, & prudenter, ac cum pietate fiant, ſalutem animarum, Religionis zelum, perpetuum cultum divinum, clauſuram, obedientiam, & cætera omnia, quæ ad mores, correctionem, & Religioſorum ædificationem pertinent, procurando. Quibus in rebus ubicumque non ſunt menſæ Conventuali aſſignati redditus, qui hoc onus ferre poſſint, Abbates, & Commendatarii, ac alii quicumque adminiſtrationem ſpiritualium, & temporalium viſitandorum Monaſteriorum habentes, neceſſaria omnia miniſtrare, ac contributiones, & ſumptus pro gerendis aliis communibus negotiis dictæ Sedis auctoritate impoſitas, ac etiam ad brachii ſæcularis adhibitionem præſtare.

*Viſitatores hoſpitari debent à commendatariis.*

§.21. Viſitatores, ac ſolitos & neceſſarios ipſorum famulos, & jumenta debita Hoſpitalitate recipere, & eiſdem in omnibus auxiliari omninò debeant, & ad id etiam cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis per Capitulum, ac etiam per ipſos Viſitatores compellantur.

*Commendatarii nihil detrahant de neceſſariis Monachorum, & eos ob delicta non ejiciant, ſed ad ſuperiores deferant.*

§.22. Ne porrò deſerendi Monaſterii occaſio Monachis præbeatur, quod ex vagandi libertate illis à Commendatariis oblata, ut impenſis parcant, plerumque evenit, præcipimus & interdicimus, ne ulli omnino Commendatarii quicquam vel minimum, de menſa, & aliis neceſſariis detrahant, neque ullo modo diminuant, aut quempiam etiam propter delictum ejiciant, ſed quotieſcumque Monachi quid admiſerint, quod quidem animadverſione dignum ſit, id quamprimum Priori Clauſtrali, vel ſi gravius ſit delictum, Viſitatori ſignificent, qui correctionem juxta Eccleſiæ, & dicti Ordinis ſtatuta faciat, qui ſi ultra ſex menſes diſtulerit, eo ipſo ſit ab officio depoſitus, & ad illud, cæteraque omnia Ordinis ejuſdem officia triennio inhabilis cenſeatur, ſtatimque Præſidentes correctionem hujuſmodi aliis committere teneantur.

*Archivium fiat Ciſtercii cum indice cujuſcumque Monaſt. & beneficiorum, ac bonorum, & jurium eorum.*

§.23. Ad hæc volumus, & mandamus, ut apud dictum Monaſterium Ciſtercii conſtituatur, conſtitutumve reſtituatur Archivium, in quo Index ordine compoſitus omnium aliorum Monaſteriorum, Prioratuum, Eccleſiarum, & beneficiorum dicti Ordinis, in omni parte Orbis conſtitutorum, etiam in Commendam obtentorum, vel unitorum habeatur, & item diſtinctum cujuſque inventarium, ſive repertorium bonorum, proprietatum, rerum, jurium & actionum omnium, necnon exemplum authenticum inſtrumentorum privilegiorum, fundationum, donationum, literarum, auctoritatum & monumentorum quorumcumque conficiatur, confectumque fideliter aſſervetur.

*Revocatio indultorum, & licentiarū habendi aliquid proprium.*

§.24. Revocamus quoque, & abolemus omnia & quæcumque privilegia, auctoritates, licentias, diſpenſationes, & indulta cujuſque privati rerum, & bonorum uſus, proprietatis, poſſeſſionis, & dominii, omnibus cujuſcumque gradus, & dignitatis Monachis dicti Ordinis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem, ejuſque Legatos, ex quibuſcumque cauſis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſa, confirmata, & innovata, quibuſcumque concepta formulis, ac clauſulis, & decretis ſuffulta, quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ac volumus illa omnia vires, & effectum de cætero non habere, quin etiam Viſitatores, & cæteros omnes, qui in hujuſmodi proprietarios ſeverè non animadverterint, ad officia hujuſmodi, & alia ipſius Ordinis miniſteria perpetuò inhabiles eſſe.

*Eleemoſynas pauperibus ſubminiſtrent Commendatarii.*

§.25. Cæterum, ut vicina plebs egena, pro Religionis conſuetudine, & inſtituto confoveri, ac cæteri piam, & fidelem rerum adminiſtrationem collaudare poſſint, eiſdem Commendatariis præcipimus, ut in ſuis Monaſteriis pauperes eleemoſynis pro modo facultatum proſequantur.

*Appellatio non datur ad Legatos, vel Nuntios Apoſtolicos à ſententia Abbatis, & aliorū Superiorum hujus Ord.*

§.26. Quia vero nihil æque diſſolute, & indiſciplinate vivendi licentiam adfert, quam impunitatis ſpes, eamque non ita pridem tam nonnulla ejuſdem Ordinis Monaſteria, quam illorum perſonæ ex eo nanciſci cœperint, quod à ſententiis, & decretis per ipſius Ordinis Generalem, aut ejus Vicarios in Provinciis deputatos contra ſe latis, ad noſtros, & dictæ Sedis Legatos, & Nuntios provocando, pœnas in ſe conſtitutas eludere ſatagunt, in antiquorum ſtatutorum, conſuetudinum, rituum, & privi-

legiorum

legiorum præfatorum præjudicium, & ipſius Ordinis Superiorum contemptum, ideò ne abuſus, & incommoda hujuſmodi tractu temporis altius irrepant, providere volentes, Motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus ſtatuimus, & ordinamus, ac diſtrictè præcipimus, & interdicimus, ne ulli omninò dictæ Sedis Legati, vel Nuntii appellationes à ſententiis, & decretis per Abbatem generalem, vel ejus Vicarios, aut Superiores præfatos latis, vel promulgatis, ut præfertur, pro tempore interpoſitas, ullo modo recipiant, aut admittant, neque de illis cognoſcant, ſeu illarum, vel quocumque alio prætextu Monaſteria, Prioratus, aut alia loca ejuſdem Ordinis viſitent, ſed quotieſcumque ad illos aliquid in Monachos, aut perſonas hujuſmodi animadverſione dignum deferri contigerit, juxta formam Commendatarii circa delicta Monachorum, & perſonarum earundem per nos, ut præfertur, præſcriptam, Vicarium ipſius Ordinis in illa Provincia inſtitutum monendum curent, qui delinquentes ſub pœna ſuperius ad id conſtituta exemplariter corrigere, & punire teneatur. Decernentes appellationes, provocationes, aut quaſcumque alias reclamationes à Monachis, & perſonis hujuſmodi ad dictos Legatos, ſeu Nuntios, vel locorum Ordinarios, ut præfertur, pro tempore interpoſitas, vel interponendas, ac proceſſus deſuper habitos, vel habendos, necnon inde ſecuta, vel ſequenda quæcumque, nullius fore roboris, vel momenti, ac generalem Abbatem, & Vicarios, necnon Superiores præfatos, ad correctionem, & punitionem delinquentium Monachorum, & perſonarum Ordinis hujuſmodi, applicationibus, provocationibus, & reclamationibus hujuſmodi nequaquam obſtantibus procedere poſſe, & debere.

*Clauſula præſervativa hujus conſtit.*

§.27. Præſentes quoque literas de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu, quovis prætextu, quæſitove colore, vel ingenio nullatenus notari, argui, vel impugnari poſſe, neminemque illas quavis de cauſa etiam juſtiſſima impugnantem in judicio, vel extra audiendum eſſe, nec illas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, gratiarumque revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum intuitu, & contemplatione, aut in eorum, vel etiam nullius favorem, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, ac etiam vim contractus, aut legis, ſeu ſtatuti perpetui inducentibus decretis, & alias quomodolibet conceſſis, & concedendis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis deſuper quomodolibet editis, & edendis aliquatenus comprehendi, neque illis aliquo unquam tempore, etiam per Sedem præfatam derogari poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi de toto tenore, & dat. præſentium, expreſſa mentio habita, & derogatio, ſuſpẽſio, revocatio, limitatio, modificatio, aliaque præmiſſa de Ciſtercii, aliorumque quatuor primorum nuncupatorum Abbatum prædictorũ expreſſo conſenſu facta fuerint, & ſi aliter derogari, revocari, ſuſpendi, limitari, aut emendari contigerit, hujuſmodi derogationem, revocationem, ſuſpenſionem, limitationem, correctionem, & emendationem nullius eſſe roboris, vel momenti, & quoties illæ, vel illa emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtituta, & de novo, etiam ſub quacũque dat. per ipſum Abbatem Monaſterii Ciſtercii pro tempore exiſten. eligen. conceſſa eſſe, & cenſeri.

*Decretum irritans.*

§.28. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungen. etiam S.R.E. Card. aut cauſarũ Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Deputatio executorum & facultates.*

§.29. Et nihilominus omnibus noſtris, & dictæ Sedis Legatis, & Nuntiis, ubicumque exiſten. ac locorum Ordinariis, necnon Ordinis præfati Conſervatoribus, ipſorumque ſingulis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatũ, Vicariorum, Viſitatorum, & aliorum præfatorum, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ipſiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra Abbates, Vicarios, Viſitatores, & alios præfatos, confirmatione, approbatione, adjectione, ſuppletione, conceſſione, ſtatuto, ordinatione, innovatione, præcepto, interdicto, renovatione, abolitione, ac ſui generalis voluntatis mandatis, decretis noſtris, aliiſque præmiſſis pacificè frui, & gaudere, ac præſentes literas ab omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, non permittentes Abbates, Vicarios, Viſitatores, Superiores, ac alios præfatos deſuper contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per præfatas, ac alias ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſ. derog.*

§.30. Non obſtantibus præmiſſis, & ſanctæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. pariter prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſlibet etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus, & decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Legatis, Nuntiis, & Ordinariis præfatis, ac aliis quibuſvis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis: quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum veriores tenores, formas, datas, & decreta in eis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, necnon omnibus illis, quæ in literis Pii IV. & Pii V. aliorum prædeceſſorum præfatorum expreſſum fuit non obſtare, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides danda tranſumptis hujus Bullæ.*

§.31. Cæterùm quia difficile foret eaſdem præſentes ad diverſa loca, Provinciaſque circumferre, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam formis impreſſis, manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Abbatis generalis, aut alicujus ex aliis Superioribus Ordinis hujuſmodi munitis plena, & indubia, ac ea prorſus fides ubique etiam in judicio adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. Anno die 12. Julii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Julii 1574. Pont. noſtri anno 3.

---

## Declaratio ſuper executione Brevium, ſeu Literarum Apoſtolicarum de capienda poſſeſſione beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum interpretatione Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 20. XIX.

*Contra impedientes executionem Literarum Apoſt. vide Conſt. 39. Clem. VII.* Romanus, *ſup. & Pauli V. conſt. 63. §. 24. cum ibidem notatis.*

*GREGO*

*Anno D. 1574.* GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romani Pontificis providentiam circumſpectam pertinere dignoſcitur, dubia ſuper ſacrorum Conciliorum decretis pro tempore inſurgentia, ſic ſuæ declarationis oraculo dilucidare, & interpretari, ut exinde litium diſpendia inter fideles quoſlibet valeant ſubmoveri.

*Exordium.*

*[Margin:] Rom. Pont. ſo... quandoque ... ut ... & ... beneficiorum Sedi Ap. reſervatorum, nomine ejuſdem Sedis apprehendantur, ... literæ ... expediuntur, & ... ut ... mandat, proviſos ... in poſſeſſionem induci, &c.*

§. 1. Accepimus ſanè nuper, quòd licet multoties Romanus Pontifex, ut proviſiones, & gratiæ per eum de beneficiis pro tempore vacantibus, ac ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni, & ordinationi reſervatis, in favorem diverſarum perſonarum ſibi gratarum & acceptarum factæ, executioni debitæ demandentur, & ne (dum literæ Apoſtolicæ ſub plumbo deſuper expediuntur) beneficia ipſa ab aliquibus indebitè occupentur, aut aliqua in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta ſuſtineant, nonnunquam corporalem poſſeſſionem ipſorum beneficiorum, & illis annexorum, juriumque & pertinentiarum quomodocumque Sedis, & Cameræ Apoſtolicarum nominibus apprehendi, ac omnes, & quoſcumque fructus, redditus, & proventus beneficiorum, & annexorum eorundem percipi, exigi, eoſque integros perſonis prædictis, poſtquam ipſæ literas ſub plumbo expeditas haberent, unà cum dicta poſſeſſione conſignari, quandoque verò, dum literæ ſub plumbo hujuſmodi expeditæ exiſtunt, ut jus ſuum unicuique illorum conſervetur, & temerariorum audacia debita caſtigatione compeſcatur, ac ipſæ literæ Apoſtolicæ faciliùs debitæ executioni, ut par eſt, demandentur, proviſos de beneficiis in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem beneficiorum, & annexorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum induci, & inductos in ea manuteneri amotis quibuſlibet intruſis detentoribus ab eiſdem, aliaque fieri, & exequi per diverſas ſuas in forma Brevis, & ſub annulo Piſcatoris confectas literas mandet, & præcipiat, certis inibi modo, & forma tunc præſcriptis, dilecto filio cauſarum Curiæ Apoſtolicæ generali Auditori, ſeu aliis executoribus deſuper deputatis, quibus omninò parendum eſſet.

*Multi tamen ad impediendā executionem dictarū literarum Ap. ... cauſas omnes in prima inſtantia ... ad Ordinarios, exceptis cauſis à Pont. per ſpeciale reſcriptū committendis.*

§. 2. Nihilominus nonnulli beneficiis prædictis inhiantes, ac gratias prædictas eludere, eorumque intruſiones, & detentiones improbè tueri ſatagentes, executionem literarum in forma Brevis hujuſmodi, & facultatem per eas ipſis executoribus attributam, diverſis dubiis, & cavillationibus remorentur, & proceſſus per eoſdem executores deſuper habitos, & formatos, ac inde ſecuta quæcumque nulla, & invalida, nulliuſque roboris, vel momenti eſſe, neque attendi debere contendunt, ſub prætextu, quod in decreto ſacri Concilii Tridentini ſeſſione vigeſimaquarta, capitulo vigeſimo, diſpoſitum fuerit, quod cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur, exceptis his, quæ juxta Canonicas ſanctiones apud Sedem prædictam ſunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit Summus Pontifex Romanus, per ſpeciale reſcriptum Signaturæ ſuæ ejus manu propria ſubſcribendum committere, aut avocare. Verum cum decretum hujuſmodi Concilii conceſſionem prædictarum literarum in forma Brevis & illarum executionem nihil afficiat, neque per illos cauſa, ſeu inſtantia introducatur, ſed merè executive procedi mandetur, literæ quoque in forma Brevis annulo Piſcatoris munitæ non minoris ſint efficaciæ, & auctoritatis, quam reſcripta Signaturæ Romani Pont. ejus manu propria ſubſcripta.

*Hic his Pont. declarat executionem hujuſmodi literarum Apoſtolicarum impediri non poſſe, ex prædictis.*

§. 3. Nos in his noſtræ debitæ declarationis cautelam adhibentes, ac proviſorū prædictorū jus adverſus dubia, & cavillationes hujuſmodi, æquitate, & juſtitia ſuadentibus præſervare volentes, necnon prædictarū, & quarumcumque literarū in forma Brevis ſuper capiēda poſſeſſione nomine Cameræ hujuſmodi, aut in favorē literarū ſub plumbo expeditarum, tam à prædeceſſoribus noſtris, quā nobis, & dicta Sede hactenus conceſſarum tenores, ac litis, & cauſæ, ſi quæ deſuper executæ ſint, ſtatū, & merita, nominaque & cognomina judicum, executorum, & colligantium præſentibus pro ſufficienter expreſſis habētes, Motu proprio, non ad ipſorum proviſorum, aut aliorum nobis pro eis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac de mera noſtra deliberatione declaramus, per conceſſionem literarum in forma Brevis, & ſub annulo Piſcatoris ſuper capienda poſſeſſione quorūcumque beneficiorum diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatorum, ſeu affectorum, Sedis, & Cam. Apoſtolicarum nominibus apprehendenda, & in ejuſdem poſſeſſionis favorem proviſorū ab ipſa Sede de eiſdem beneficiis, poſtquā literas ſub plūbo ſuper proviſionis hujuſmodi habuerūt expeditas relaxatione, necnon aſſiſtentia ipſis proviſis literis deſuper ſub plumbo expeditas habentibus præſtanda, & aliorum inibi expreſſorum executione facienda, quę mandata executiva ſunt, & ſummariam dumtaxat cauſarum, propter quas illæ emanarūt, cognitionem requirunt, decretis Concilii hujuſmodi non contraveniri, nihilque præjudicii illis inferri, vel eorum formam in aliquo violari, neque id dici, aut cenſeri, vel executionem literarum earundem propterea in aliquo ſuſpendi, ſive remorari, aut facultatem literarum executoribus conceſſam impediri, ſed executores ipſos, & ab eis deputatos ſubexecutores facultates ſibi per eaſdem literas, ut præfertur, conceſſis uti, frui, gaudere, & contra illis non parentes ad declarationem incurſus pœnarum, & cenſurarum in eiſdem literis in forma Brevis contentarum, ac invocationem brachii ſæcularis procedere, ac alia omnia, & ſingula eiſdem literis contenta (illarum tamen forma ſervata) facere, & exequi liberè, & licitè potuiſſe, & poſſe, necnon proceſſus deſuper habitos, & formatos, habendoſque & formandos, ac inde ſecuta, & ſequenda quæcumque firma, valida, & efficacia fuiſſe, eſſe, & fore, ſuoſque integros, & plenarios effectus ſortiri debere in omnibus, & per omnia.

§. 4. Præſentes quoque literas de ſubreptionis, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari nullatenus poſſe. *Clauſula præſervativa.*

§. 5. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quacumque auctoritate fungentes, etiam Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 6. Diſtrictius inhibentes, in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, & quavis etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel alia majori dignitate, & eccleſiaſtica, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & quavis ſæculari poteſtate fungentibus, ne decreto, & declarationi noſtris prædictis, quovis quæſito colore directè, vel indirectè contravenire audeant, vel præſumant. *Contravenientium pœna.*

§. 7. Et nihilominus univerſis, & ſingulis noſtris, & Sedis dictæ Nuntiis, ac locorum Ordinariis, eorumque officialibus, quatenus ipſi & eorum ſinguli, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte proviſorum, & executorum, & ſubexecutorum prædictorum, ſeu quarumcumque aliarum perſonarum in præmiſſis intereſſe habentium, vel alicujus ex eis fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra prædictos proviſos, & executores, & ſubexecutores, ſeu alios in præmiſſis intereſſe habentes, eorumque ſingulos, decreto, declaratione, inhibitione, & aliis præmiſſis pacificè frui, & gaudere, ac præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter obſervari. Non permittentes aliquem deſuper contra illarum tenorem quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. *Executorum deputatio, & facultates.*

§. 8. Non obſtan. fel. rec. Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus *Clauſ. derog.*

dedbus dictis (dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur) aliiſque Apoſtolicis, necnon in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Exemplorum fides.*

§. 9. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca ubi opus fuerit deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadẽ prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 1. die 10. Junii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 10. Julii 1574. Pont. noſtri anno 3.

XX. Juriſdictio, & Facultates S.R.E. Card. Protectorum Collegii Germanici in Vrbe.

*De inſtitutione, & privilegiis ejus, attende ſup. conſt.* 14. Poſtquam.

*Edita An. D. 1574.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

PRo noſtri muneris officio æquum eſt providere, ut qui in ſcholis bonarum diſciplinarum operam dant, à perturbationibus quantum poteſt liberentur.

*Juriſdictio Cardd. Protectorũ Collegii cognoſcendi ejus cauſas ſummariè, &c.*

§. 1. Quocirca Collegium Germanicum pridem à nobis in Urbe noſtra inſtitutum, in quo non minus quam centum pueros ex univerſa Germania, Septentrionalibuſque illi adjacẽtibus regionibus colligendos, liberalibus ſciẽtiis, ac diſciplinis, necnõ ſacris Canonibus, & Theologia inſtrui, atque erudiri volumus, & ad illorum ſuſtentationem redditus annuos decem millium aureorum ipſi Collegio perpetuò attribuimus, ſpeciali privilegio proſequi volentes, Motu proprio Venerabilibus fratribus noſtris Jo. Oſtien. Morono, & Alexandro Præneſtino Epiſcopis, Farneſio, ac dilectis filiis noſtris Marco S. Georgii ab Altaëmps, & Ptolomæo S. Agathæ Comen. ac Ludovico S. Onuphrii titulorum Madrucio nuncupatis, Presbyteris Card. ejuſdem Collegii Protectoribus, & Defenſoribus à nobis conſtitutis, ac eorum cuilibet omnes, & ſingulas cauſas civiles, criminales, & mixtas d. Collegii, illiuſque Collegialium, Scholarium, Rectorum, Magiſtrorũ, Oeconomorum, Advocatorum, Procuratorumque, aliorumque Miniſtrorum, & Officialium pro tempore exiſtentiũ, Collegium prędictũ, illiuſque res, jura, actiones, & bona concernẽtes dumtaxat, tam activè, quàm paſſivè, per ſe ipſos, aut quemlibet ipſorum, vel eorum, aut cujuſlibet ipſorũ Auditorum, ſeu Auditores, aut alium, vel alios qui eis videbuntur, etiam ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, necnõ manu regia, nullaque tela judiciaria ſervata, ſed ſola facti veritate inſpecta, atque etiam omni, & quacumque appellatione remota, audiendi, cognoſcendi, decidendi, & fine debito terminandi, vel etiam delegandi, & ad hunc effectum quoſcumque citandi, ac quibus, & quoties inhibendum fuerit, etiã ſub pœnis pecuniariis, & aliis eorum arbitrio, ac in ſubſidium juris cenſuris Eccleſiaſticis inhibendi, cæteraque omnia in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi liberam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem.

*Decretum irritans.*

§. 2. Decernentes irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtylo Palatii, & Romanæ Curiæ, necnon quorumcumque Tribunalium Urbis prædictæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. eiſdem Tribunalibus & Curiis, illorumque Judicibus, etiam ejuſdem Palatii Auditoribus, ac quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, aut alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forẽt, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cõtrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides danda tráſumptis ſimiliter ut originalis.*

§. 4. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici, dictique Collegii Secretarii ſubſcriptis, & ſigillo communi ejuſdem Collegii munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud, ac alias ubicumque opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

*D. P. A. 3. die 15. Julii.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1574. Idibus Julii, Pontific. noſtri anno 3.

Juriſdictio Inquiſitorum hæreticæ pravitatis, in eos, qui ad ordinem Presbyteratus minimè promoti, Miſſas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrant. XXI.

*Hoc idem ſupponunt Paulus IV. Sixt. V. atque Clemens VIII. dum ab Inquiſitoribus ejuſmodi reos prævia degradatione, Curiæ ſæculari tradendos eſſe decreverunt, ut videre eſt in d. Clem. conſt.* 81. Etſi alias.

Hanc Clem. VIII. conſt. contra non promotos ad ſacrum Presbyteratus Ordinem Sacramentales confeſſiones audientes, aut Miſſam celebrantes, eoſque prævia degradatione Curiæ ſæculari tradendos editam, extendit, & ampliavit ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleverint, S.D.N. Urban. VIII. in conſt. 79. *Apoſtolatus*, inf. tom. 4.

*Edita A. D. 1574*

*GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

OFficii noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, ut dubia quæ variis Doctorum opinionibus hinc inde diverſa ſentientibus agitantur, ad juriſdictionem Sanctiſſimi Officii Inquiſitionis hæreticæ pravitatis pertinent, noſtræ declarationis oraculo (prout ratio ipſa ſuadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occaſio in poſterum relinquatur.

*Dubium, an qui non ſunt in Ordine Presbyteratus, & Miſſas celebrant, &c. poſſint ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis puniri.*

§. 1. Ad aures noſtras ſiquidem nuper pervenit; multos eſſe qui dubitent, an contra eos, qui in ſacro Presbyteratus ordine non conſtituti, Miſſas celebrare, confeſſiones, ac abſolutionem impartiri, auſi fuerint, per officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis hæreticæ pravitatis in Hiſpaniarum Regnis inſtitutum, & illius Inquiſitores procedendum, vel etiam animadvertendum ſit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquiſitores prædictos puniri debeant. Nam etſi multorum ſententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquiſitoribus plectendum eſſe, hiſce præſertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam ſæculares eorum Sacramentorum miniſtros eſſe poſſe, non deſũnt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni, unde plerumque per eorundem Regnorum Inquiſitores diverſa ferũtur in hujuſmodi cauſis ſuffragia.

*Declaratio quod poſſint.*

§. 2. Nos itaque, ut omnis difficultas dubitatioque tollatur, animadvertentes eos qui Presbyteratus ordine non

non ſunt in[illegible]ti, & ſe in adminiſtrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quæ ſolos presbyteros miniſtros eorundem ſacramentorum conſtituendo, illis dumtaxat quibus eadem munera congruere exiſtimavit, committi voluit, eorum qui in presbyteratus ordine non conſtituti Miſſas celebrant, & confeſſiones audiunt, ut præfertur, cognitionem, & puniſionem, etiam ad Inquiſitionis officium, & Inquiſitores antedictos pertinere, & quod hujuſmodi delicti ratione adverſus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquiſitores prædicti valeant, Apoſtolica auctoritate præſentium tenore perpetuò declaramus, & definimus.

*[Decernit] ita, & non aliter judicetur.* §.3. Et ita ab omnibus, & ſingulis Ordinariis, & delegatis judicibus, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*[Contrar]iis quibuſcumque non obſtantibus.* §.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon juribus municipalibus, legibus regnorum prædictorum, pragmaticiſque ſanctionibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Civitatum, & locorum quorumcumque dictorum regnorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis forſan per nos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ſub quibuſvis verborum formis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ſeu de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad ſupplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P. An. 3. die 6. Aug.* Dat. Rom. apud S. Marcum, ſub annulo Piſc. die 6. Aug. 1574. anno à Nativit. Domini, Pont. autem noſtri anno 3.

---

## XXII. De Ædificiis, & Jure congrui, ac juriſdictione, & facultatibus S.R.E. Camerarii, & Magiſtrorum Viarum Urbis.

*Hoc officium in Vrbe antiquiſſimum reintegravit Martinus V. in conſt. 9.* Etſi in cunctarum. *Et ejus juriſdictionem ampliavit Sixt. IV. in conſt. 20.* Etſi de, *Leo X. in conſt. 19.* Inter, *ac Pius IV in conſt. 102.* Inter, *ac Pius V. omnes eorum diſpoſitiones ad terminos juris reduxit in conſt. 126.* Ad hoc nos. *Et idcircò iſte Pont. d. officium innovat, & facultates, juriſdictionemque præſcribit, ampliat, & declarat.*

Ad hæc omnia vide etiam novum Stat. Urbis lib. 3. c. 59.

*Edita An. D. 1574.* *GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* QUæ publicè utilia, & decora eſſe huic Almæ Urbi ratio ipſa atque uſus docuit, ea privatis cupiditatibus, ac commodis præferenda cenſemus.

*Cauſa hujus conſt.* §.1. Cum itaque fel. mem. Pius Papa V. prædeceſſor noſter nonnullas per fel. record. Sixtum IV. Leon. X. & Pium etiam IV. ſimiliter prædeceſſores noſtros ad ornatum Urbis editas conſtitutiones, unà cum decreto Cameræ Apoſtolicæ de inquilinis in emptionibus domorum præferendis, tanquam juris communis correctorias, & quæ nimis latè à Judicibus interpretatæ cauſam injuriæ quamplurimis pauperibus inferendæ præberent, duobus editis ſcriptis, quorum ſolam ſignaturã ſufficere voluit, Motu proprio abrogaſſet, & ad viam juris communis reduxiſſet, Dilecti filii Senatus, Populuſque Romanus abrogationem, & reductionem hujuſmodi ægrè ferentes, initio Pontificatus noſtri, & alias perſæpè publico decreto à nobis enixè poſtularunt ſupplices, ut literas præfatas Pii V. uti decori publico, ac multorum civium commoditati infenſas tollere pro noſtro erga hanc Almam Urbem paterno amore dignaremur. Quam rem dum nos diutiùs differimus, plurimorum eandem ob cauſam querimonias expoſtulantium ſuſtinuimus, quin etiam intelleximus publicum ipſius Urbis ornatum deſeri, & magnifica ædificia jampridem inchoata, propter nimiam quorundam cupiditatem interrupta pendere, plurimoſque ea de cauſa ædificandi conſilium abjeciſſe. Quibus malis, quoad minimo Civium noſtrorum, ac Curialium detrimento fieri poſſit, mederi cupientes, cum etiam in literis Sixti, ac Leonis, ac Pii IV. hujuſmodi multa addenda, & minuenda, ac aliàs animadverſione digna apparerent, opportunum arbitrati ſumus, omnibus prædictis Sixti, Leonis, Piorum literis antiquatis, & abrogatis quæ ab illis ad publicum Urbis, illiuſque diſtrictus ornatum, aëris ſalubritatem, ac privatorum etiam commoditatem providè tunc ordinata fuerant, ea magis commoda his temporibus ratione moderata, ſimulque ea quæ nos de novo ſtatuenda duximus, una complecti omnia, ne publicum bonum, ac decus jacere diutius pateremur.

*Abrogatio conſtitutionum Apoſtolicarũ circa diſpoſita in hac conſt. & facultas Camerarii & Magiſtrorum cogendi dominos locorum ad ea vendendum pro viis, & locis publicis dirigendis.* §.2. Itaque dictas ac quaſcumque alias prædeceſſorum literas, quatenus ad aliquod eorum, quæ his noſtris literis continebuntur, pertinent, deque aliquo eorum ſtatuunt, aut diſponunt antiquantes, & abrogantes, atque penitus revocantes, & tollentes, de poteſtatis nobis tributæ plenitudine ſtatuimus, quod qui pro tempore fuerint S. R. E. Camerarius, atque ædificiorum & viarum Urbis Magiſtri, quacumque Urbis parte neceſſarium atque utile fore cognoverint, poſſint pro viis, areis, plateis, aliiſque locis publicis, ſive veteribus dirigendis, & ampliandis, ſive novis ducendis, & conſtituendis, cogere dominos domorum, & locorum quorumlibet, tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares quacumque dignitate præditos, ut vendant Conſervatoribus, aut Sindico ejuſdẽ Urbis domos, & loca quæ Camerarius, & Magiſtri prædicti ad id neceſſaria duxerint, ſive illa domini ipſi habitẽt, ſive aliis locare ſoliti ſint, pretio à Magiſtris prædictis ſtatuendo.

*Domóſque dirutas, areas, aliaque loca vacua exiſtentia ſecus vias publicas claudendi.* §.3. Ubi verò aliquas ruinas eſſe perceperint, locave aperta viis publicis hærentia, ne laceræ atque inhabitatæ domus, interruptaque ſpatiis interjacentibus viarũ ſepta Urbi deformitatem atque incommoditatem afferant, curent ipſi Camerarius & Magiſtri eas celeriter ſarciri, itaque quoſcumque dominos, ſive directos, ſive utiles domorum dirutarum, vel arearum, aliorumve locorum vacuorum ſecus vias publicas jacentium, gravibus pœnis propoſitis, brevique ipſorum arbitrio præfinito tempore, cogant domos dirutas, vel areas, aliave loca hujuſmodi ab eis poſſeſſa, muro ſaltem claudere, murumque ipſum ad eam altitudinem, quæ proxima ædificia, proximoſque muros æquet, vel ad aliam, quam ipſi præſcripſerint, attollere. Eamque ob cauſam iidem Camerarius, & Magiſtri, ſi ipſis viſum fuerit, interdicant interim inde dominis exactionem, & conductoribus, ſi qui fortè fuerint, ſolutionem penſionum, ſeu canonum, aut cenſuum, eaſque faciant in hujuſmodi opus ipſoſmet conductores impendere, quas cùm conductores ita impenderint, domini acceptas ferre debeant, cum verò impendere juſſi neglexerint, opus quod in tempore juxta hujuſmodi præſcriptum factum non fuerit, ſua ipſi impenſa perficiant. Quod ſi vel nulli ſint conductores, vel penſiones interea temporis debitæ ſatis operi non ſint, neque tamen domini poſſidentes domos dirutas, aut areas locave aperta hujuſmodi ſic clauſerint, ex tunc præfinito tempore elapſo, ſi utiles tantum domini ſint, ab utili eorum dominio, omnique jure quod inde eis competebat, cecidiſſe intelligantur, locaque ipſa ad directos dominos liberè, cum onere tamen illa ita claudendi, devoluta ſint eo ipſo. Si verò etiam directum dominium, ſive per proximè dictam devolutionem, ſive alias habeant, liceat prædictis Camerario & Magiſtris, poſtquam ſic præfinitum ipſis dominis tempus effluxerit, tum exigendis propoſitis pœnis, tum aliis creſcente contumacia etiam gravioribus, & ſæpiùs incutiendis eos plectere, tum verò etiam captis ex aliis illorum bonis pignoribus, eiſque per ſubhaſtationem de more diſtractis, pecuniam cogere, unde murus, & præſcriptum opus omninò perficiatur. Vel ſi hac quoque ratione non profecerint, loca eadem, modò domini ipſi illa non incolãt, propoſitis ad hoc ſemel, vel pluries

edictis quibuſcumque perſonis illa novis ædificiis inſtaurare, vel ſaltem ſic claudere volentibus [illegible]are, aut emphyteuſim, etiam ad longum tempus, vel ad unius aut plurium perſonarum, ſive ſucceſſivarum, ſive nominandarum vitas, atque etiam perpetuò concedere, vel etiam vendere, aut aliàs alienare, pro penſione, aut canone, aut pretio quod reperiri poterit: ita quidem ut ex pluribus hoc caſu oblatoribus, ſi quis rei particeps, aut conſors fuerit, is præ omnibus obtineat, niſi forſan & ipſe in claudendo negligens fuerit: præter hunc autem, vicinis cæteris, & inter vicinos, qui magis indiget, vel qui vicinus eſt pluribus partibus, inter cæteros verò qui plus, quique ad majorem Urbis ornatum ædificare voluerit, præferatur, judicio eorundē Camerarii & Magiſtrorum.

*Ædificantes poſſunt muro propinquo uti, ſoluto pretio.*

§.4. Pro privatis autem ædificiis ſimiliter, aut novis conſtruendis, aut veteribus ampliandis, liceat cuicumque quovis muro ſibi propinquo liberè uti, eique tigna, lapides, aliamque materiam ædificii ſui, totumque ipſum ædificium injungere, & annectere, etiamſi murus is ad vicinum ſuum totus pertineat, perſoluto tamen ejuſdem muri dimidio pretio, ad eam æſtimationem, quam duo periti, quorum ſingulos ſingulæ partes elegerint, vel illis diſcordibus, ipſi viarum Magiſtri declaraverint.

*Viculoſque intermedios eorum domibus adjungere.*

§.5. Et ſi inter duas domos viculus fortè, ſive intercapedo trium circiter, ut ſolet, palmorum interſit, liceat ei qui primus in altera earundem domorum ædificare cœperit, habita tamen ab ipſis Magiſtris licentia, totum ſibi viculum nullo perſoluto pretio occupare, ac domui ſuæ adjungere, domumque ad vicini murum producere, muroque, ut ſupra dictum eſt, communiter uti.

*Vicinos etiam cogere ad eis vendendum loca vicina aliis locata, vel etiam ab eis inhabitata, aucto pretio ad 12. vel 5. partem reſpectivè.*

§.6. At ſi quis domum, fundum, ſolumve habens, ibi ædificare voluerit, illi Camerarius & Magiſtri præfati cogant vendi domos, aliaque loca eidem domui, fundo, ſolo vicina, quæ eorum domini non incolunt, ſed locare ſolēt, quæque iidem Camerarius, & Magiſtri hujuſmodi ædificio utilia & neceſſaria putaverint, pretio tamen aucto duodecima ejus parte, ultra æſtimationem modo prædicto faciendām. Et nihilominus ſi ædificium ipſum inſigne futurū ſit, eique perficiendo aliqua domus etiam à domino habitata, vel hortus, aliúſve locus muris clauſus opportunius cohæreat, eo caſu (dummodo ædificium jam cœptū ſit, idque à duobus ſaltē lateribus cohæreat domui, horto, vel loco hujuſmodi, illiúſque æſtimationē quadruplo ſit exceſſurum) cogant dominum etiam ſic habitantem, ut domum, hortum, vel locum vendat, aucto tamen dicto pretio ad quintā ejus partē, datáque ipſi domino ſex menſium dilatione poſt factam venditionem, quo interim ibidem permanens aliam ſibi habitationem parare poſſit.

*Domini domus partem dirutā ob ornatum Urbis, cogāt vicinos contiguos domus non habitantes, eis vendere. Et ſi plures ſint domini, electio datur ei qui minorē jacturā paſſus eſt, vel qui domū ſuam ſarſit.*

§.7. Præterea cum ob ducendam ſive dirigendam viam, vel ob aliud opus publicum, aliqua pars alicujus domus, quam dominus ſine ulla fraude tunc habitaret, mandato dictorum Magiſtrorum diruta fuerit, unde domus habitationi domini incommoda efficiatur, ut familiam non capiat, ſi juxta illam fuerit alia domus annua penſione, vel aliàs locari ſolita, cujus conjunctione hujuſmodi incommoditati ſubveniri poſſit, ut id fiat cogant eam domino domus dirutæ, ſi ibi deinceps habitaturus ſit, vendi pretio quod ſupradicto modo æſtimatum fuerit. Quod ſi diverſorum dominorum domus hujuſmodi jacturam paſſæ locari ſolebant, non autem habitari, alio ipſorum dominorum petente, cogatur alius domum ſuam ſic dirutam vel exciſam vendere, conſtituto pretio ad æſtimationem prædictam, hac tamen diſtinctione habita ut detur optio illi, qui minorem jacturam in ſua paſſus fuerit, an ipſe velit aliam emere. Quin etiam, ſi quis poſt hujuſmodi ruinas, propter publicum aliquod opus factas propriam domum ea de cauſa aliqua parte dirutam vel exciſam, quam ipſe habitare ſolebat, ſarſerit, eique alia domus ſimilem paſſa jacturam contigua ſit, quam dominus ſimiliter habitans intra tempus à Magiſtris præfinitum neque ſarſerit, neque muro clauſerit, ſed deformem reliquerit, velítque is, qui ſuam ſarſit, truncam illam ſibi contiguam ſuæ conjungere & ædificare, ac propterea pretio, ut ſupra dictum eſt, æſtimando, & ampliùs addita ejuſdem pretii quinta parte emere, cogatur ejus dominus, licet habitans, ita vendere.

*Vendere volē-*

§.8. Sed & cùm aliqua domus, ſive fundus, aut ſolum volente ſua [illegible] domino [illegible] vendi[illegible] venditor perquirere à vicinis, qui [illegible] rem aliquam immobilem illi contiguam ha[illegible] ſe empturos nullo modo antea pr[illegible] eorum velit rem vendendam emere, eiſque [illegible] omnia pacta & conditiones, quibus eam [illegible] que procul fictione contraxit, intimare, perquiſitio [illegible] tem, & intimatio fiat per unum ex Curſoribus, ſeu Mandatariis, perſonaliter quidem ſi reperti fuerint, ſin autem duorum Curſorum, ſeu Mandatariorum diligentia reperiri commodè non potuerint, fiant domi dimiſſa copia, abſentibus autem ab Urbe, docto extrajudicialiter [illegible] ſummariè coram eiſdem Camerario & Magiſtr[illegible] abeſſe, fiat per publicum edictum locis, quibus [illegible] conſuetum eſt, affigendum. Quibus ita factis jurent tam venditor quam emptor apud acta Notarii dictorum Magiſtrorum, venditionem de hujuſmodi re jam factam, & intimatam, eſſe veram, & in ea ejuſque pretio non interceſſiſſe dolum, fraudem, ſimulationémve aliquam.

*[illegible] Vicini [illegible] quod acceptum [illegible] venditionis [illegible] aliquam [illegible] hanc inf[illegible] à ſcientia. Imò debent intimari [illegible] manifeſtàm.*

*Vicini, [illegible] qui[illegible] venditione intimata fuerint, ſi emere voluerint, debent hoc declarare, &c.*

*Imò Inquilini præferuntur vicinis nolentibus ædificare, ut mox ſequitur.*

§.9. Poſt hæc ſi vicini prædicti ſe eiſdem pretio, ac pactis, & conditionibus empturos non deliberaverint, & ibi ædificaturos non permiſerint, præſentes ſcilicet intra quindecim dies, abſentes verò intra triginta, à die præſtitorum hujuſmodi juramentorum, rurſus tam præſentes quam abſentes intra alios quindecim dies ab hujuſmodi declaratione, & promiſſione, ſi fiat, omnia juxta ea quæ in venditione intimata continebuntur, non præſtiterint, pretiúmque, ſi quod in illa ſolutum fuerat, non perſolverint, & de ædificando ibi ad certam ſummam, certúmque tempus, ac ſub certa pœna, prout ab eiſdē Magiſtris præſcriptum fuerit, ſe non obligaverint, illis poſthabitis, venditio cuicumque alii facta maneat, & rata ſit. Qui verò intra utrumque dictorum terminorum prædicta impleverit, ei cæteris excluſis venditio [illegible] fieri debeat. Ac ſi perquiſitio, & intimatio ita factæ, juramentáque ita præſtita non fuerint, quæcumque venditio de ea domo, ſive ſolo cuicumque alii facta, nullū jus emptori tribuat, & quoad illū pro infecta ſit, quandiu vicini intra annum à die quo illam reſciverint, ſe oppoſuerint. Si quidem aliquo ipſorum intra dictum annum petente, ſeque, ut prædictum eſt, obligante ad ædificandum, & pretium emptori (ſi is illud accipere, & emptioni ſuæ renuntiare, ac ratione illius, prout Camerarius & Magiſtri mandaverint, cavere voluerit,) reſtituente, alioquin pretium ipſum deponente, venditio ei facta cenſeatur, & perinde ex illa in rei poſſeſſione inducatur, expulſo inde dicto primo emptore, ac ſi cum eo & ad ejus commodum celebrata eſſet. Reſciviſſe autem, quoad hoc attinet, intelligatur, quocumque modo perceperint vel hoc ſolùm, rem ſcilicet fuiſſe venditam, licet neque pretiū, neque alias conditiones, aut qualitates perceperint. Poſt dictum vero annum maneat prima venditio, neque hac de cauſa à quoquam ampliùs impetatur.

*Simulatoreſque hujuſmodi venditionum pœnas hic expreſſas incurrunt.*

§.10. Cæterùm eo caſu quo perquiſitio, & intimatio prædictæ fient, ſi in illa venditione aliqua ſimulatio, præſertim circa pretium augendum, admiſſa fuerit, tum venditio nulla ſit, tū ſimulatores ipſi, alter re, alter pretio privati ſint, ipſumque pretium, ipſaque res Cāmeræ Apoſtolicæ applicentur eo ipſo. Et prætera iidem ſimulatores pœnis falſi, & ſi juraverint, etiam perjurii puniantur.

*Inquilinis etiam intimatio præfata fieri debet, & ipſi præſtare [illegible] quæ [illegible] ta in venditione, non autem ædificare: vicini autem eis præferuntur, ſi ædificare velint.*

§.11. Eadem omnia & in Inquilino locum habeant, cum domus volente domino venalis erit, videlicet ut etiam ipſius domus inquilino, ſi quis erit, perquiſitio, & intimatio fiant modo prædicto, ipſeque, ſi emere voluerit, tum intra eoſdem terminos, tum deinceps eadem faciat, quæ vicini facere debent, excepta duntaxat oblatione & obligatione de ædificando. Etenim inter inquilinum, & vicinos ea ſit diſtinctio, ut volētibus ædificare vicinis, inquilini nulla ratio habeatur, ſed tantum vicinorum. At illis non promittentibus ædificare, inquilino, etiamſi ædificaturus non ſit, idem jus in emptionem competat, quod vicinis, ſi ædificare vellent, ſecundùm prædicta competeret.

*Viciniſque pluribus concurrentibus quis præferri debeat.*

§.12. Verumtamen quando in ſingulis caſibus prædictis, ſive coactæ, ſive ſpontaneæ vēditionis, duo vicini fuerint, quorum ædificiis vendenda res opportuna exiſtat, & propterea illam ſibi quiſque ex hac cōſtitutione vendi poſtulet, is obtineat qui magis illa indiguerit, aut ſi uterque æquè indigeat, inter utrūque dividatur, quatenus utrique

commoda

[illegible] tribu[illegible]. At ſi hujuſmodi portiones utri[illegible] inutiles, [illegible] illi detur, cujus ædificio à [illegible] vel [illegible] magis adhæſerit. Si verò alte[illegible] futura ſit, nihil illi, ſed tota al[illegible] ſi nulla fuerit ædificantium indigentia, is [illegible] magis fuerit vicinus, vel in vicinitate pa[illegible]s qui plus, quique ad majorem Urbis ornatum, judicio [illegible] Camerarii & Magiſtrorum, ædificare voluerit.

§. 13. Præter ſupradictos autem vicinitatis caſus, ſi quis [illegible]mum, aliumve fundum, aut ſolū in emphyteuſim, aliā [illegible], perpetuò vel ad unius aut plurium perſona[illegible] vitam, pro annuo canone, aliave reſponſione conceſ[illegible] habeat, ibique ædificare velit, liceat eiſdem Camera[illegible] Magiſtris, eo petente, domum, fundum, aut ſolum hujuſmodi ab ejus directi domini, licet nolentis, proprietate, dominio, ac jure, necnon à canonis ſeu reſponſionis præſtatione eximere & liberare, alia re ſtabili priùs conſtituta, pretii, commoditatis, redditus, ac bonitatis, ſaltem paris, quæ loco illius liberata ſit, quoad omnia, & ad eundem directum dominum ratione proprietatis, dominii, devolutionis, & aliàs cujuſcumque juris & oneris, eiſdem modo & forma pertineat, quibus illa pertinebat, tranſlato quoque ad iſtam hujuſmodi canone, ſive reſponſione, cum augmento quintæ illius partis, & inſuper præſtita idonea cautione, & etiam facta per illū qui ædificaturus eſt, obligatione omnium ſuorum bonorum, tum quod res in quam facta eſt hujuſmodi tranſlatio libera eſt, tum etiā de evictione in ea forma, qua in Urbe præſtari ſolet.

§. 14. In ruſticis quoque prædiis, ut illorum nitori ad honeſtā in illis hominum commoditatem, ſalutaremque ſive animi, ſive corporis refectionem, aliqua ratione conſulatur, illud obſervetur, ut qui vineas aut canneta intra tria ab urbe milliaria, ſive partiariis colonis aliqua parte fructuum, ſive aliis pecunia ſolent locare, cogi poſſint eadem vendere, pretio æſtimando ut ſupra dictum eſt, & ampliùs duodecima ipſius pretii parte, iis qui prope illa vineas poſſident, quas colunt ſua impenſa, dummodo emptorum vineæ ſint non ſolùm majoris pretii & menſuræ, ſed magis etiam & cultæ, & ædificiorum ſtructuris conſpicuæ, hiſque omnibus illa tantopere ſuperent, ut magna inter utraque adſit inæqualitas, judicio eorundem Camerarii, & Magiſtrorum. Non poſſint autem cogi ut partem tantummodo earum vendant.

§. 15. Ii verò qui uſque ad duodecim ab Urbe milliaria habent prædiola menſuræ decem dumtaxat, vel pauciorum rubrorum, quas linguas ſeu pedicas dicunt, contigua majoribus aliorum prædiis, quæ caſalia appellantur. Item ii quoque ex quorum caſalibus ſimiles linguæ, ſeu pedicæ ejuſdem menſuræ, in aliorum intra idem ſpatium duodecim milliarium conſtituta caſalia excurrunt, eaque interſecant, ut à duobus, ut minùs, lateribus linguæ ipſæ à vicinis caſalibus circundentur, cogi poſſint, ſive ipſi colant, ſive aliis locent, illas vendere, conſtituto pretio ad æſtimationem, de qua ſupra dictum eſt, adjectaque ejuſdem pretii quinta parte.

§. 16. Quæcumque autem ſupra ſtatuta ſunt, tum de Urbanis, tum de ruſticis prædiis, aut ſpontè aut coactè vendendis, vel etiam à directis dominis liberandis, ea locum habeant omninò, ſive prædia ipſa ſint eccleſiaſtica, & ad quaſcumque Eccleſias, & baſilicas etiam dictæ Urbis, etiam Patriarchales, aut cujuſvis Ordinis monaſteria, & etiam mendicantium domos, aliaque loca religioſa, necnon hoſpitalia, etiam nationum, aut regularium, militiarum, ſodalitateſque aut confraternitates, cæteraque pia loca pertinentia, dummodo neque contigua Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, religioſiſque, ac piis locis hujuſmodi, neque intra illorum ſepta conſiſtant, ſive ſint privatarum perſonarum capellæ, & oratoria, vel domus aut loca ſervandæ hoſpitalitati deſtinata, modò hoſpitalitas inibi jam neque exerceatur actu, neque ampliùs exerceri debeat, ſive ſint laïcalia, & cuicumque fideicommiſſo, ſubſtitutioni, ſucceſſioni, vel diſpoſitioni obnoxia, & tam hæc laïcalia, quā illa Eccleſiaſtica, eorū qui illa reliquerūt, ſeu dederunt, ultima, vel alia voluntate alienari prohibita, ac quocumque onere gravata.

Facultas Camerarii, & Magiſtrorum, & forma procedendi in caſibus, in quibus recuſat quis vendere aliqua bona, juxta formam hujus conſtitutionis.

§. 17. Sed quoties caſus evenerit, quo res aliqua hac conſtitutione vendi debeat, ſi is ad quem pertinet eam vendere, his monitus à Camerario & Magiſtris, cum aſſignatione convenientis termini ad vendendum, recuſaverit, vel malitioſè diſtulerit, tunc Camerarius, & Magiſtri vice ac nomine recuſantis, vel differentis rem ipſam vendant, cum promiſſionibus, obligationibus, renunciationibus, pactis etiam pœnalibus & clauſulis conſuetis, pretiūmque, quod inde cum ejus augmento proveniet, apud ædem ſacram, vel perſonam fide & facultatibus idoneam deponant. Deinde ſi res Eccleſiaſtica erat, vel etiam ſi laïcalis, ſed quod ſciatur, fideicommiſſo, ſimilive diſpoſitioni ſubjecta, alienarive prohibita, aut onere gravata, antequam emptor ejus poſſeſſionem aſſequatur, pretium ipſum totum in aliquorum bonorum immobilium emptionem utiliter convertatur, cavente de evictione etiam ipſo emptore & ad id omnia bona obligante, denturque bona inde empta domino rei venditæ. Quo facto venditio rei illius nequaquam reſcindi, aut etiam impugnari poſſit prætextu quarumvis obſtantium diſpoſitionum, ſive etiam inutilitatis Eccleſiæ, aut loci vel perſonæ cujuſquam. Et inſuper res illa vendita libera ſit, & exempta ab omnibus hujuſmodi diſpoſitionibus, prohibitionibus, & oneribus, eaque ad bona, in quæ illius pretium converſum eſt, ſint tranſlata. Et exinde bona ipſa dictæ venditæ rei loco maneant, eiſdemque prorſus diſpoſitionibus, prohibitionibus, & oneribus ſubjaceant, quibus illa ſubjacebat, ſintque nihilominus de evictione illius emptori obligata eo ipſo.

Et procedendi etiam quando quis conſenſit vendere juxta hanc diſpoſitionem.

§. 18. Sin autem res vendita neque Eccleſiaſtica erat, atque ejuſmodi vinculis obnoxia habeatur, & qui ejus dominus fuerat, venditioni ita factæ conſentire velit, ac fidejuſſores de evictione præſtare, pretium illi ſolvatur. Quod ſi hujuſmodi fidejuſſores præſtare noluerit, vel etiam non potuerit, emantur ex ipſo pretio, arbitrio eorundem Camerarii & Magiſtrorum, vel loca montium non vacabilium, vel alia bona immobilia, de quorum evictione idoneis fidejuſſoribus ſit cautū, eaque dicto domino tradita ſint loco ſimilis cautionis pro re vēdita, donec aliter emptori idoneè caveatur, & interim vendi, aut aliàs alienari nullo modo poſſint. Verū uſquequo pretiū, vel ex pretio alia res empta, ut præfertur, domino tradatur, pēſio quę ex ipſius rei vēditę locatione percipi ſolebat, vel percipi veriſimiliter potuiſſet, eidē ab emptore perſolvatur.

Facultas eorundem præſcribēdi tempus ad ædificandum, & ſummam ibi exponendam à volentibus uti favore hujus conſtitutionis ex cauſa, ædificandi.

§. 19. Curent autem Camerarius, & Magiſtri, ut quiſquis per cauſam ædificandi hujus conſtitutionis favore uti voluerit, ei ante omnia, conſideratis tum ipſius loci qualitatibus, ſummam quam ædificando, ut minimum, impendere, ac tempus quo inchoaſſe, quoque perfeciſſe debeat, propoſitis quas voluerint pœnis præſcribant. Iſque ad præſcriptum hujuſmodi promittat, & ſe, bonaque ſua omnia arctiſſimè obliget, ſubiturus omninò pœnas ipſas, niſi promiſſa præſtiterit, omni purgatione moræ ex quocumque jure, & etiam canonica æquitate competenti penitus ſublata. Et nihilominus compellendus ab eiſdem Camerario, & Magiſtris, vel promiſſa perficere, vel quæ propterea emit, & etiam illis vicina, quorum occaſione emit, & in quibus ſe ædificaturum propoſuerat, loca, & domos aliis ædificare volentibus juſto pretio, ſicut ſupradictum eſt æſtimando, abſque alio augmento vendere.

Qui emerunt bona vigore dictarum literarum Sixti IV. Leonis X. ac Pii IV. & ædificare promiſerunt, debent ea adimplere infra ſex menſes.

§. 20. Sed ne aliquorum impunitas, qui ut accepimus, beneficio literarum Sixti & Leonis, ac Pii IV. dum illæ vigerent abuſi, domos, & loca ex illarum depoſitione acquiſita, infabricata adhuc retinent, aliis admittendi ſimilia audaciam præbeat, iidem Camerarius & Magiſtri, illos omnes, qui à viginti annis citra loca aliqua ex dictarum literarum diſpoſitione emerunt, ſeque in illis ædificaturos promiſerunt, nec præſtiterunt, cogant ea omnia quæ tunc facere debebant, intra ſpatium ſex menſium à die præcepti eis hac de re faciendi implere, alioquin pœnas præmiſſas ab iis exigant omninò. Et præter illas, loca eadem dominis quibus oblata fuerunt, ſi ipſi velint, eodem pretio quod tunc ſolutum fuit, reſtitui, vel illis nolentibus aliis, qui ibi ædificaturi ſint, pretio, ut ſupradictum eſt, æſtimando, vendi compellant.

Applicatio locis piis pœnarum incurrendarū ob contraventionem.

§. 21. Cæterùm pœnæ omnes, quas incurrunt, qui adverſus conſtitutionem hanc, ſeu Camerarii & Magiſtrorum pro ipſius conſtitutionis executione mandata vel decreta admiſerint, piis locis dictæ Urbis ita applicatæ ſint,

ſint, ut illi ex ipſis jocis irrevocabiliter debeantur, pro quo primum pœnæ ipſæ poſt illarum incurſum petitæ fuerint, ad quam petitionem, lapſis ab hujuſmodi incurſu triginta diebus, niſi dicti Camerarius, & Magiſtri illas jam pro eorum debito exegerint, quilibet in dicta Urbe, vel in Romana Curia judex ad illarum exactionem indeſinenter procedat, donec eidem loco verè & integrè perſolutæ fuerint. Nullo autem dictorum locorum petente, noſter in Urbe Vicarius eas de manu dictorum Camerarii & Magiſtrorum acceptas, vel eis ab ipſo interpellatis negligentibus, ab eorum debitoribus exactas, inter dicta loca, juxta eorum indigentiam arbitrio ſuo diſtribuat.

*Facultas Camerarii, & Magiſtrorum procedendi ſummariè, &c. pro executione prædictorum.*

§. 22. Nos enim ad ſupradicta omnia & ſingula faciendum, & exequendum, inque illis, & pro illis ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſolaque veritate inſpecta, ac manu regia, etiam ex officio procedendum plenam, expeditam, liberamque auctoritatem, & poteſtatem, Camerario ſcilicet in Eccleſiaſticas, eidemque & Magiſtris viarum prædictis in laïcas, ac quoad pœnas prædictas Vicario, ac ſingulis Urbis, vel Curiæ Judicibus hujuſmodi, in quaſcumque perſonas, de eadem poteſtatis plenitudine, præſentis conſtitutionis auctoritate tribuimus & demandamus.

*Decretum irritans.*

§. 23. Decernentes eadem omnia, & ſingula quæ ſupra ſtatuta ſunt, ſi quando in aliquo caſu de eorum ſenſu controverſia continget, in eam partem interpretanda eſſe, quæ ad Urbis ornatum magis facere videbitur. Ac ſemper, & ubique, ſive in judicio, ſive extra judicium favorabilia cenſeri. Et ita ab omnibus judicibus etiam Palatii Apoſtolici Auditoribus, & Cardinalibus, ſublata quavis aliter interpretandi, & judicandi poteſtate, interpretari & judicari debere. Et ſi ſecus fiat, fore irritum & inane.

*Clauſula derogatoria.*

§. 24. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Symmachi, & Pauli II. de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, legibus etiam Imperialibus, dictæque Urbis, atque Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum religioſorum, ſive piorum, Ordinumque, quorum bona hujuſmodi fuerint, ſtatutis & conſuetudinibus, necnon teſtantium voluntatibus, aliiſque diſpoſitionibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, & locis, eorumque Superioribus, Capitulis, & Conventibus, ſeu Populo Romano, aliiſque quibuſcumque conceſſis, & quibuſvis aliis Sedis Apoſtolicæ indulgentiis, per quæ præſentium executio, & per eas tributæ juriſdictionis explicatio poſſet quomodolibet impediri vel retardari, quibus omnibus, eorum tenores pro plenè & integrè expreſſis habentes, de poteſtatis plenitudine prædicta derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

*D. P. A. 3. die 1. Octobris.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1574. Kal. Octobris, Pont. noſtri anno 3.

---

## XXIII. Privilegium Doctorum Romanorum, publicè legendi in quacumque Facultate, in generali Studio Almæ Urbis.

*Hujus ſtudii erectionem, & alia, quæ ipſum concernunt, vide ſup. in conſt.* 9. *Bonif. VIII.* In ſupremæ, *& Leon. X. conſt.* 4. Dum ſuaviſſimos, *& inf. in conſt.* 74. *Sixti V.* Immenſa, *in Congreg. x. cum aliis, quæ ad eas notavi.*

*Edita An. D. 1574.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa conſt.*

CUpientes univerſos Almæ Urbis noſtræ origine Civium filios ad bonarum literarum cognitionem & doctrinam, pro communi, & publica utilitate, dictæque Urbis ornamento, & honore, paterna charitate & Sedis Apoſtolicæ munificentia, atque liberalitate allicere, ut ipſis, & etiam cæteris ad virtutem calcar honorificum, & fructuoſum addatur: Motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de mera noſtra liberalitate dilectis filiis Senatui, & Populo Romano.

*Doctores ex patre & avo Roma natis, admittantur ad lecturam in hoc ſtudio.*

§. 1. Quod ex nunc deinceps, & perpetuis futuris temporibus omnes, & ſingulos adoleſcentes & juvenes Doctores ex patre & avo Romæ natis Romanos, excedentes 22. ſuæ ætatis annum, qui in ſtudio, ſeu Gymnaſio publico dictæ Urbis in quacumque facultate pro tempore legere voluerint, ad lecturam hujuſmodi, facta tamen prius per eos coram dilectis filiis noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper eodem Studio, ſeu Gymnaſio deputatis, ac illius Rectore, & Reformatoribus pro tempore exiſtentibus, una lectione, admitti debeant cum ſalario 25. ſcutorum quolibet anno pro unoquoque, qui, ut præfertur, legere voluerit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & elargimur. Necnon eiſdem Doctoribus, ut præfertur, qui in eodem Gymnaſio munus legendi ſubibunt, dictum ſalarium annuum 25. ſcutorum, ipſis & eorum cuilibet debitis, & conſuetis in eodem Studio, ſeu Gymnaſio temporibus, ac de, & ex ejuſdem Studii, ſeu Gymnaſii redditibus, proventibus, vectigalibus, & aliis emolumentis univerſis per eos, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, perſolvendum, Motu, & auctoritate ſimilibus conſtituimus, & aſſignamus, ipſoſque ad lecturam hujuſmodi recipi, & admitti, & ſalarium eis, & eorum ſingulis perſolvi debere, ut præfertur, decernimus.

*Executorum deputatio.*

§. 2. Mandantes propterea dilectis filiis Conſervatoribus Cameræ dictæ Urbis, ac Rectori, & Reformatoribus dicti Studii, ſeu Gymnaſii, præſentibus, & futuris, aliiſque omnibus, & ſingulis, ad quos id quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quatenus præſentes noſtras literas recipiant, & admittant, ac inviolabiliter obſervent, & ab omnibus, quos ea quomodolibet concernunt & concernent, obſervari mandent, & faciant: necnon Doctoribus legentibus hujuſmodi de dicto ſalario, debitis, ut præfertur, temporibus annuatim reſpondeant, & etiam faciant ab aliis reſponderi realiter & cum effectu. Et ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

*Derogatio contrariorum.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtol. ac Studii, vel Gymnaſii, necnon Urbis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis ſuperioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu ſimili, ac conſiſtorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. an. 3. die 12. Octob.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Octobris 1574. Pontificatus noſtri anno 3.

---

## XXIV. Confirmatio, & extenſio conſtitutionis Bonif. VIII. editæ contra dantes aliquid, vel promittentes, vel recipientes, pro obtinenda gratia, vel juſtitia apud Sedem Apoſtolicam.

*Hæc Bulla à Clem. VIII. approbata & extenſa fuerunt ad quoquo modo aliquid dantes, vel recipientes de rebus Communitatum Status Eccleſiaſtici in conſt.* 10. Pro commiſſa, *ubi notabo.*

*Edita An. D. 1574.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

AB ipſo Pontificatus noſtri principio quàmmaximè poſſumus enitimur, atque contendimus, ut domus & curia noſtra à ſordibus expurgetur.

*Bonif. V[illegible] excommunicavit da[illegible] vel reci[illegible]tes, ut in [illegible] conſt. 1.*

§. 1. Cui ſalubri conſilio incumbens fel. record. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, religioſos, & laïcos utriuſque ſexus, ſive

ſive familiares Curiæ, ſive undecumque alios, qui aliquod peſſum facerent, ſeu quid parvum vel magnum promitterent, &c.

Reſiduum prætermittitur, quia eſt ſup.

*Hic Pont. amm confirmat, & ad fautores extendit.* §. 2. Sed hoc ſcelus ita hodie in mores inductum eſt, ut plerique cupiditate improbi quæſtus, potentiorum ſuffragationibus adnixi, hujuſmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpiſſimè nundinentur. Alii alios, quos gratia præſtare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant. Quidam etiam ſe talium operam atque induſtriam pretio, & muneribus quæſiſſe affingant. Quæ cùm peſſima ſint, & Curiæ prædictæ exiſtimationem graviſſimè offendant, in eos qui talia agunt animadvertendum fore arbitrati, Conſtitutionem prædictam cum ſuis cenſuris & pœnis omnibus innovamus, eaſdemque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum, quæ adſcripſimus, danteſque illis, & aliis ſupradictis auxilium, conſilium, vel favorem.

*Aliaſque pœnas imponit.* §. 3. Quin etiam eos omnes, omni beneficio & officio Eccleſiaſtico, & ſæculari, ſive temporali, ſive perpetuò ipſo jure privamus, ac privatos eſſe declaramus, & præterea infamiæ ſubjectos perpetuò, ac inhabiles ad illa & alia eſſe volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris ſint exemplo.

*Revelantibus impunitas donat.* §. 4. Illis tamen qui rem adhuc incognitam, compliceſque, fautores, & ſocios retexerint, impunitas concedatur.

*D. P. A. 3. die 9. Novemb.* Dat. Romæ apud S. Petr. anno Incarn. Dominicæ 1574. Nonis Novembris, Pont. noſtri anno tertio.

*Anno à Nativitate D. 1574. Indict. 2. die verò 8. menſis Novembris, Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 3. retroſcripta litera Apoſt. affixa & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Joannis Laterat. & Principis Apoſt. de Urbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Alexandrum Aſtancollum, & Antonium Clerici S. D. N. Papæ Curſ.*

*Petrus Aloyſius Gayta Mag. Curſ.*

---

## XXV. Quod Subcollectores, & Commiſſarii Nuntii Apoſtolici in Regno Neapolitano, ejus dumtaxat juriſdictioni ſubjaceant, in cauſis criminalibus contra eos promovendis.

*Edita An. D. 1575.* GREGORIUS PAPA XIII.

*Dilecto filio Magiſtro Antonio Saulio utriuſque Signaturæ noſtræ Referendario, moderno, & pro tempore exiſtenti in Regno Neapolitano Nuntio, & Collectori noſtro Generali.*

*Exordium.* CUpientes pro noſtri officii cura indemnitati dilectorum filiorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Miniſtrorum, ne illi moleſtiis, litibus vel incommodis fatigentur, quantum cum Deo poſſumus, opportunè providere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

*Privilegium fori tra Subcollectoribus & Commiſſariis Nuntii Apoſt. in Regno Neapolis.* §. 1. Quod omnes, & ſingulæ cauſæ nunc motæ, & pro tempore movendæ, quorumvis prætenſorum exceſſuum, criminum, & delictorum per quoſcumque ſubcollectores, & Commiſſarios, tam generales quàm particulares in quibuſlibet Provinciis, Civitatibus, & Diœceſibus iſtius Regni Neapolitani, per te, & pro tempore iſthic exiſtentem noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Nuntium & Collectorem generalem deputatos commiſſorum, à te, & pro tempore exiſtente Nuntio ſolùm, non autem à quibuſvis aliis Judicibus, etiam locorum Ordinariis deinceps in futurum, non modò durante eorum officio, ſed etiam poſt ipſum dimiſſum, donec vixerint, audiri, cognoſci, & decidi poſſint, & debeant. Aliiſque Judicibus, & locorum Ordinariis, ne illis ſeſe quovis prætextu, ſeu quæſito colore intromittere quoquo modo ullatenus audeant, vel præſumant, diſtrictiùs inhibemus.

*Clauſula ſublata & decretum irritans.* §. 2. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere. Necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Facultas Nuntii in contravenientes.* §. 3. Quocirca tibi & pro tempore exiſtenti Nuntio, contradictores quoſlibet & rebelles, etiamſi Epiſcopali, aut Archiepiſcopali dignitate fungentes fuerint, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac ſuſpenſionis à divinis quoad Epiſcopos, & Archiepiſcopos, quo verò ad inferiores, ſub pecuniariis arbitrio veſtro declarandis, & applicandis pœnis, & demùm ſub ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, & per alia juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendi, brachiumque ſæculare ad hoc, ſi opus fuerit, invocandi, cæteraque ad id neceſſaria faciendi, & exequendi plenam & liberam per eaſdem præſentes facultatem concedimus, & poteſtatem.

*Derogatio contrariorum.* §. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium forſan conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Dat. P. An. 3. die 4. Janu.* Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 4. Januarii 1575. Pont. noſtri anno tertio.

---

## XXVI. Reformatio Curiæ de Sabellis, Mareſcalli Almæ Urbis.

*Mareſcalli officium antiquiſſimum eſt, ejuſque curæ Conclavis cuſtodia demandata eſt, ut vidi in quadam conſtitutione Innoc. VI. ſub die 26. Julii 1352. quam ſine mendo habere non potui. Et de ejus juriſdictione, & reformatione, vide etiam ſup. in conſt. 28. Julii II.* Decet, *& in conſtit. 58. Pii IV. & infr. in conſt. 71. Pauli V.* Univerſi, *in tit. 8.*

*Edita An. D. 1575.* GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* DUm rectè adminiſtrandæ ubique juſtitiæ rationes omnes bene conſtitutas & cupimus, & pro noſtro munere, veterique ſtudio, quo poſſumus enitimur, haud poſtrema eſſe debet minorum hujus Urbis Tribunalium cura, in quibus quicquid delinquitur, eo deterius contingit, quo pauperiores efficit, quibus in re tenui, & acrius ex injuria damnum, & difficilius remedium afferri ſolet.

*Cauſa reformationis.* §. 1. Dum igitur nuper officium Mareſcallatus Sedis Apoſtolicæ dilecto filio nobili viro Bernardino de Sabellis Mareſcallo dictæ Sedis conceſſerimus, volentes eidem officio non minus de legum præſtantia, quàm de viri ſolertia eſſe proſpectum, ut in illius Curia de Sabellis nuncupata, tum judícia, tum cætera ad id munus pertinentia, ad juſti, & recti normam directa, ſine ſorde peragantur, infraſcripta hæc, quorum aliqua pridem à Julio II. & à Pio IV. fel. rec. prædeceſſoribus noſtris, licet prudenter conſtituta, jam in uſu non erant, ibi deinceps inviolatè ſervanda perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, atque etiam innovamus.

*Index gratuitò deputetur. Hoc idem voluit Pius IV. cit. in rub.* §. 2. Judex ibi jus dicturus, gratuito à Mareſcallo deputetur, adeo ut neque Judici dare, neque Mareſcallo accipere propter hoc quidquã liceat, etiam mutui, aliove nomine, quavis de cauſa, vel ante, vel poſt deputationem, etiam auctoritate, ſive prætextu cujuſcumque conſuetudinis, aut indulti à Sede Apoſtolica conceſſi, illam enim improbamus, hoc autem revocamus expreſſè.

*Et ad annum, & ex rationabili cauſa ad biennium.* §. 1. Deputatio verò fiat ad annum dumtaxat, quo finito, finitum etiam ſit ejus Judicis officium, niſi propter aliquam rationabilem cauſam prorogandum viſum fue-

rit, ſed prorogatio alium annum omninò non excedat, & ſemel tantum fieri poſſit.

*Sindicatuique ſtare caveat.*

§.4. *Antequam incipiat exercere officium, caveat* idoneis fidejuſſoribus de ſtando ſindicatui. Finito officio, etiamſi nec querelatus, nec requiſitus fuerit, offerat ſe ſindicatui coram Gubernatore Urbis, & Auditore Cameræ: illi verò quadraginta diebus ſindicatum abſolvant, Judicemque, prout jure faciendum erit, vel liberent, vel condemnent, & puniant: quod ſi intra dictorum dierum numerum non fecerint, Camerarius S.R.E. qui tunc erit, duos viros deputet, qui intrà alios viginti dies hujuſmodi ſindicatum peragant. Lapſis autem dictis terminis pro abſoluto habeatur.

*Commentarienſis, & Capitanei, ac Executoris officia non vendantur, nec locentur.*

§.5. Commentarienſis, & Capitanei, necnon Executoris ejuſdem Curiæ munia per idoneos, & fidos miniſtros gerantur, & neque vendantur, neque locentur ullo modo, neque quidquam pro illis habendis, aut exercendis quovis nomine, & prætextu ſolvatur, ſive reſpondeatur: qui aliquid ſolverint, ſive reſponderint, officio privati ſint, & publicè fuſtigentur.

*Notarii ſint duo tantum. Hoc idem decrevit idem Pius IV.*

§.6. Notariorum officia ibi duo tantummodo habeantur, quodque ſoli Notarii ſint, neque hic numerus aliquo prætextu augeri unquam poſſit.

*Judex non cognoſcat cauſas pro quibus ſtatuta eſt pœna corporalis.*

§.7. Cæterùm de cauſis criminum capitalium, item de illis criminibus, pro quibus pœna corporis afflictiva, vel jure, vel ſtatutis, vel bannimentis à majoribus magiſtratibus promulgatis eſt impoſita, neque Mareſcallus, neque judex ab eo deputatus cognoſcant.

§.8. Sed de aliis minoribus delictis, niſi jam in alio Tribunali judicium de illis finitum, aut priùs cœptum fuerit, cognoſcere poſſint.

*Neque alias ſi alibi ſit præventum.*

*Significationeſque non concedat.*

§.9. Nunquam tamen ſalvumconductum, aut ſignificationem, ut vocant, vel in leviſſimis delictis, & prætextu cujuſvis dependentiæ concedant, niſi fortè reus data fidejuſſione relaxatus eſſet: aliter conceſſum, vel conceſſam cæteri Judices non ſervent.

*Fiſcus citetur in cauſis criminalibus ejuſdem Curiæ.*

§.10. In quacumque autem cauſa criminali, quæ in hac Curia cœpta fuerit, citetur Procurator Fiſci in omnibus illis terminis, & actis, in quibus ſolet in aliis Curiis Urbis citari.

*Pœnarum ſolutiones adnotentur, ut hic.*

§.11. Præterea in quacumque cauſa ibi cœpta, proferatur omninò ſententia, ſive abſolvendo, ſive condemnando. Et ſi quæ ſolutiones pœnarum in eadem Curia recipientur, ſcribantur in libro ad hoc ordinato, ſinguliſque ſolutionibus ſubſcribat ipſemet reus, vel ſi is neſciverit, ipſius Procurator, vel alius in cauſa defenſor.

*App. detur in Civilibus cauſis ab A. C.*

§.12. In civilibus verò cauſis, à gravaminibus in dicta Curia illatis appelletur ad Auditorem.

*Tributum non exigatur ab inhoneſtis mulieribus.*

§.13. Poſtremò exactiones illas, quæ à mulieribus inhoneſtis ſingulis annis, ſinguliſque ſex menſibus, aut aliàs ſub nomine tributi fieri ſolebant, omninò prohibemus, propoſita Mareſcallo illas attentari pœna privationis officii ipſo facto incurrenda.

*Clauſ. derog.*

§.14. Non obſtantibus dictæ Curiæ, etiam longiſſimi, & immemorabilis temporis obſervantia, ac confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, & ſtylo, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illi vel pro tempore exiſtenti Mareſcallo ex quavis cauſa conceſſis, & etiam ſæpiùs confirmatis, quibus omnibus, illorum tenores hic pro integrè expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino, &c.

*D.P. A.3. die 27. Januarii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1575. ſexto Kal. Februarii, Pontificatus Noſtri anno tertio.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1575. Indict. 3. die verò ultima menſis Januar. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorij divina providentia Papa XIII. anno 3. retroſcripta litera Apoſtolica originaliter affixa & publicata fuerunt in valvis Eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſt. de Vrbe, Cancellariæ Apoſtol. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Camillum Cherubinum, & Guglielmum Marchi Curſ.*

*M. Antonius Brutus Mag. Curſ.*

## Prohibitio appellandi per Religioſos Ordinis S. Franſciſci de Obſervantia, à Prælatis ejuſdem Ordinis ad Tribunalia ſæcularia, vel mutandi ordinationes Miniſtri Generalis, Permiſſioque habendi recurſum ad ipſum Miniſtrum, vel Protectorem, aut Rom. Pont. XXVII.

*Alia de hoc Ordine attende ſup. in conſt. 23. Leon. X.* Ite.

*GREGORIVS PAPA XIII.* *Edita A.D. 1575.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

QUoniam noſtro Paſtorali potiſſimum incumbit officio, ut ea quæ auſu temerario ab Eccleſiaſticis, præſertim regularibus perſonis plerumque attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compeſcamus, & removeamus.

*Cauſa hujus prohibitionis.*

§.1. Idcirco cum referente dilecto filio fratre Chriſtophoro de Capite fontium, Fratrum Minorum de Obſervantia ordinis S. Franciſci Generali Miniſtro, non ſine animi noſtri moleſtia nuper intellexerimus nonnunquam quoſdam Religioſos, & Religioſas Ordinis ſui hujuſmodi, Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores, ut in eorum malefactis & inobedientia ſe diutiùs confoveant, ab iis quæ per Prælatos ejuſdem Ordinis, etiam Guardianos, ſive Provinciales, vel Commiſſarios ab ipſo Generali Miniſtro pro tempore deputatos acta ſunt, & decreta, ad Tribunalia ſæcularia appellare, & ad ea temerè confugere.

*Prohibitio appellandi à Prælatis hujus Ordinis ad ſæcularia Tribunalia.*

§.2. Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium præcipimus, & inhibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis, tam activæ, quam paſſivæ eo ipſo incurrendis pœnis, ne quis Provincialis, aut alius cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus & conditionis Ordinis hujuſmodi Religioſus aut Religioſa ad ipſa Tribunalia ſæcularia quovis prætextu, aut quæſito colore, ut præfertur, appellare, vel illa propterea quoquo modo adire audeant vel præſumant, ſed ſi ſe à Prælatis ſuis gravari prætendant, ad Generalem Miniſtrum ipſius Ordinis, ſeu illius Protectorē, aut Viceprotectorē in Romana Curia, vel ad nos ſive Romanum Pontificem ſucceſſorem noſtrum, ſupremum in Eccleſia Dei Judicē, ſicut antiquitus ſemper conſuetū fuit, recurſum habeat, unde illis brevi manu Juſtitia miniſtrabitur.

*Contravenientium, eorumque fautorum pœna.*

§.3. Declarantes nihilominus non modo eoſdem Religioſos & Religioſas cōtrafacientes, in dictas pœnas incidere, verumetiam eorum quomodolibet directè vel indirectè fautores, & conſultores, illas quoque incurrere.

*Prohibitio reſiſtendi Commiſſariis miſſis pro viſitandis Provinciis, ſub eiſdem pœnis.*

§.4. Præterea ſub pœnis prædictis prohibemus, ne quis Provincialis, aut Guardianus, vel cujuſcumque alterius gradus Religioſus aut Religioſa ejuſdem Ordinis ab ipſo Miniſtro generali miſſi pro viſitandis Provinciis, Commiſſariis, reſiſtere, nec eis ſe opponere aut contradicere, ſeu ſe rebellem exhibere, ipſos quacumque de cauſa, vel quæſito colore non recipiendo, audeat, neque debeat.

*Facultas Miniſtri generalis mittendi Commiſſarios.*

§.5. Volentes eundem Miniſtrum generalem quotieſcumque ſibi expedire videbitur, quos voluerit Commiſſarios ad quaſcumque ſui Ordinis utriuſque familiæ Provincias, quibuſvis conſuetudinibus ac ſtatutis per quaſlibet perſonas in contrarium factis, non obſtantibus, liberè mittere poſſe.

*Miniſtri Provinciales non immutent ordinata ab ipſis Commiſſariis.*

§.6. Inſuper quia, ut etiam accepimus, aliquando nonnulli Miniſtri ex viſitatis Provinciis, per Commiſſarios ad hoc ab ipſo Generali Miniſtro deputatos, quæ à dictis Commiſſariis rectè, & ſalubriter ordinata, & geſta fuerunt, reſcindere, mutare, aut contemnere ſolent, ſub omnibus, & ſingulis pœnis ſupradictis expreſsè prohibemus, ne quiſquam ab eiſdem Commiſſariis facta, & ordinata mutare, alterare, aut pervertere ſine

expreſſa

[illegible] licentia, & permiſſione ipſius Miniſtri generalis, [illegible] ſolus ea mutare valeat, ullo modo præſumant. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 4. die 8. Aprilis.*

Dat. Romæ apud S. Petr. &c. die octava Aprilis 1575. Pont. noſtri anno tertio.

---

XVIII. Revocatio licentiarum & indultorum quibuſcumque mulieribus conceſſorum ingrediendi Monaſteria cujuſcumque Ordinis Regularium. Prohibitioque utendi ejuſmodi licentiis pro caſibus neceſſariis concedendis, præterquam ipſis neceſſitatibus urgentibus. Et declaratio quod Prælati Monialium in caſibus neceſſariis, & paucis comitati religioſis ea ingredi poſſint.

*Aliam declarationem circa uſum ejuſmodi licentiarum mulieribus ſecularibus concedendarum, vide conſt. 52. Pauli V.* Facultatum. *Et poſtremò revocationem generalem omnium conceſſarum edidit idem Paul. in alia conſt. 74.* Monialium.

*Edita An. D. 1575. & 1581.*

*G R E G O R I V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Proœmium.*

UBi gratiæ, & indulta ab hac Sede conceſſa, ſucceſſu temporis incommodum afferre noſcuntur, expedit illa ſalubri præſidentis conſilio ſubmoveri.

*Revocatio licentiarum ingrediendi Monaſteria Monialium, & virorum cujuſcumque ordinis.*

§. 1. Proinde Sanctimonialium quieti & tranquillitati conſulere, ac omnia quæ illas à ſpiritualium rerum cogitatione & exercitio avocant, impedimenta tollere, pericula que, & ſcandala ab eis removere cupientes, auctoritate præſentium revocamus, & abolemus omnes, & quaſcumque licentias, ac facultates ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca Monialiũ, ac etiam virorum quorumvis Ordinum, quibuſvis etiã Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & aliis cujuſcumque ſtatus & conditionis mulieribus, ac etiam omnes, & quaſcumque licẽtias ingrediendi Monaſteria, Domos & loca ipſarum Sanctimonialium, quibuſcumque viris, etiam ejuſdem ſtatus, & dignitatis tam à prædeceſſoribus noſtris, quàm etiam nobis, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, aut aliis ex quibuſvis, quantumcumque urgentibus cauſis, ſub quibuſcumque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatorum reſtitutoriis, aliiſque efficacioribus clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumve Principum contemplationem, vel ſupplicationem conceſſas, confirmatas, & etiam iteratis vicibus renovatas. Caſſamuſque & annullamus literas deſuper confectas, & proceſſus habitos per eaſdẽ.

*Prohibitio, & pœna Monaſteria ingredientium vigore licentiarum.*

§. 2. Inhibentes eiſdem qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper qua à nemine niſi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu Monaſteria hujuſmodi quovis modo ingredi audeant.

*Pœna Religioſorum eos admittentiũ.*

§. 3. Abbatiſſis verò, necnon Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monaſteriorum utriuſque ſexus ſuperioribus, & perſonis quocumque nomine vocentur, diſtrictè præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, necnon privationis dignitatum, beneficiorum & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, ne [illegible] Monaſteria, Domos, & loca ſua quemquam prætextu hujuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.

*Prohibitio utendi licentiis in caſibus neceſſariis concedendis, niſi ipſa neceſſitates urgeant.*

§. 4. Quin etiam ſub eiſdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel Superioribus quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantum ex decreto Concilii Tridentini facultas tribuitur, ne Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales ſub eiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant.

*Clauſula derogatoria.*

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriorumque & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus prædictis, ac aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, conceſſis, & confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 6. Quoniam autem difficile eſſet præſentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. An. 4. die 13. Junii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1575. Idibus Junii, Pont. noſtri anno 4.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. 1575. Indict. 3. die verò 24. menſis Junii, Pont. autem Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 4. Retroſcriptæ literæ Apoſt. publicatæ, & affixæ fuerunt in valvis Eccleſiæ S. Ioan. Lateran. ac Baſilicæ Principis Apoſt. de Urbe, & Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octaviano, & Ioan. Andream Panizzam Apoſt. Curſores.*

*Joannes Freils Mag. Curſ.*

*Sequitur declaratio d. Conſtitutionis quoad Prælatos Monialium.*

*Edita An. D. 1581.*

*G R E G O R I V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Cauſa conſt.*

DUbiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur ſuper eo quod optima primùm ratione Concilium ſanxit Tridentinum, deinde in conſtitutione fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri nonis Julii, Pontificatus ſui Anno 3. atque item noſtra idibus Junii Pont. noſtri anno 4. editis fuit proviſum, ne cui in poſterum, niſi in caſibus neceſſariis ſepta Monaſteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuiſſe ſciamus circa perſonas, quæ alterius ad id licentia non indigent, ſed ſui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito ſuæ voluntatis hujuſmodi ſepta ingredi, vel potiùs ſervare debeant ipſi quoque regulam à Concilio præſcriptam.

*Declaratio quod Prælati Monaſteria Monialium in caſibus dumtaxat neceſſariis ea ingredi valeant.*

§. 1. Nos omnem hæſitationis materiam tollere, & viam ſcandalis præcidere, & Sanctimonialium, quieti conſulere volentes, harum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus, Prælatos omnes tam ſæculares quàm regulares, quibus cura & regimen Monaſteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi Monaſteria prædicta ita demum uti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis comitati. Quocirca univerſos & ſingulos Epiſcopali ſeu majori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumvis Ordinum

Abbates

Abbates, Priores, Miniſtros, & alios quoſcumque Superiores Regulares ſeriò monemus, ut facultate hujuſmodi, qui eam habent, præterquam in caſibus, ut præfertur, neceſſariis neutiquam utantur.

*Contravenientium pœna.* §. 2. Quod ſi contrafecerint, eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda à munere Pontificali, & à divinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere, regulares verò omni officio, ac miniſterio privatos excommunicationi ſimiliter ſubjacere.

*Derogatio contrariorum.* §. 3. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus, & Provincialibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Eccleſiis, earumve Prælatis, aut Ordinibus, in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis quovis modo conceſſis, approbatis, & innovatis, etiamſi illis caveretur expreſsè, quod nemo interdici, ſuſpendi, vel excommunicari poſſet per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, quibus, eorumque totis tenoribus, perinde ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.* §. 4. Quoniam verò difficile eſſet præſentes ad ſingula loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impreſſis, manuque Notarii publici, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem fidem adhiberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 10. die 23. Dec.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Decembris 1581. Pont. noſtri anno 10.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate Domini 1581. Ind. 11. die verò Sabbati 30. menſis Decemb. Pont. S. D. N. Gregorii divina providentia Papa XIII. anno 10. retroſcripta litera in forma Brevis publicata & affixa fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Scipionem de Octavianis Apoſtolicum Curſorem.*

*Caliſtus Brunettus Mag. Curſ.*

---

## XXIX. Ordinationes à Collegio Phyſicorum, necnon à Collegio Aromatariorum Urbis obſervandæ, eorumque in prima, & Auditoris Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ in ſecunda inſtantia jurisdictiones.

*Quoad prædictam Phyſicorum juriſdictionem, vide Pauli V. reformationem infrà in conſt.* 71. Univerſi, *in ult. tit. & ibi habetur etiam de Collegii Aromatariorum reformatione.*

*Edita An. D. 1575.* *GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.* CUm officio Paſtorali incumbat gregem ſibi commiſſum ſecundùm juris tramites, ac etiam juxta facti exigentiam vigili cura gubernare, ac abuſus, & pravas corruptelas introductas, liteſque, & controverſias, ex quibus maximè reſultant diſpendia partium, & totius populi damnum, maximaque jactura non ſine vitæ periculo, pro viribus tollere, acceperimus autem inter Collegium Medicorum Almæ Urbis noſtræ, & Collegium Aromatariorum ſuper modo viſitationis Apothecarum, juriſdictione, pœnarum applicatione, ac rebus aliis diu controverſum fuiſſe, & quotidie hinc inde querelæ ad aures noſtras deferantur.

*Prima deſi- tio ſuum non ſortita effectum.* §. 1. Ac volentes has controverſias, & differentias omninò & in perpetuum extinguere, vivæ vocis oraculo dilecto filio noſtro Franciſco Tituli S. MARIÆ in Porticu Alciato, ac bon. mem. Joanni Paulo Tituli Sancti Pancratii Presbyteris Cardinalibus ab Eccleſia nuncupatis, ut tam Collegium Medicorum, quàm Collegium Aromatariorum, ac ſeparatim, & in contradictorio audirent, jura ipſa viderent, nobiſque referrent, & cum pluries hoc feciſſent, & deinde re imperfecta ab eadem Urbe dictum Joannem Paulum Cardinalem recedere contigiſſet, in locum illius ſimilis mem. Julium S. Theodori, Diaconum Cardinalem de Aquaviva nuncupatum deputavimus, qui ſimul cum prædicto Franciſco Cardinali differentias prædictas & jura Medicorum, & Aromatariorum audiverunt, & cognoverunt, nobiſque retulerunt, & relatione facta quædam Capitula ab ipſis concepta Motu proprio confirmavimus, & obſervari mandavimus, prout in ſchedula dicti Motus proprii manu noſtra ſignata, ſub datum videlicet Romæ apud S. Petrum, Kalend. Decembr. Pont. noſtri anno 2. apparet.

§. 2. Cumque deinde pro parte Collegii Medicorum prædictorum iterum fuerit ſupplicatum ſuper novis rationibus, & juribus audiri, nos ut omnis materia, & occaſio conquerendi, & reclamandi in perpetuum tolleretur, commiſimus eidem Franciſco, & Julio Cardinalibus, ut Medicorum, & Aromatariorum Collegia iterum audirent, & cùm differentiæ jam ferè ſopitæ eſſent, ab humanis, ſicut Altiſſimo placuit, dictus Julius Cardinalis receſſit, unde nos cupientes has differentias quantocitius terminari, commiſimus dicto Franciſco Cardinali informato, ut iterum (ſi opus eſſet) audiret Collegium Medicorum, & deinde nobis referret: qui Franciſcus Cardinalis iterum de novo Medicorum, & Aromatariorum Collegiis hujuſmodi auditis, nobis retulit Medicos, & Aromatarios hujuſmodi ad infraſcripta Capitula conveniſſe, & concordaſſe, videlicet. *Poſtrema definitio nunc firmata ſuper.*

§. 3. Quod nemini liceat artem Aromatariam Magiſtri Inſtitoris, ſive apothecæ præpoſiti, aut quovis alio nomine, ac titulo exercere, niſi antea à Protomedico, ejuſque Conſiliariis, & ab Aromatariorum Conſulibus examinatus, probatuſque erit, qui ſecus fecerit, viginti quinque ducatorum pœna mulctetur, eaque de re ſoli Protomedicus, & Conſiliarii ejus in ſuo ſolo Tribunali, vocatis etiam Aromatariorum Conſulibus inquirant, procedant, cognoſcant, decidant, puniant, ſed in ſingulis actibus cum dictorum Conſulum Aromatariorum conſilio: quod ſi à Protomedico, & Conſiliariis non probabitur, tunc recta via ad pro tempore exiſtentem Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalem Auditorem, pro ejus deciſione eatur, & deciſo eo articulo, in quo Protomedicus & Conſiliarii non probabunt Conſilium Conſulum Aromatariorum, revertatur in reliquis cognitio, & deciſio ad ipſos ſolos Protomedicum, & Conſiliarios, qui in aliis ſequentibus actibus idem obſervare teneantur. *Aromatariorum pœ[…] ne, ſi aromatarius non probati […] vide […] Pauli […]*

§. 4. Patentes autem approbationis juxta ſtylum, & ſolitum fiant. *Patentium expeditio.*

§. 5. Nullus Aromatarius ex Simplicibus compoſita medicamenta conficiat, eadem vigintiquinque ducatorum pœna propoſita, niſi priùs Simplicia hujuſmodi inſpecta, & probata ſint à Protomedico, & Conſiliariis, aut certè ab aliis idoneis perſonis Protomedici juſſu, præſente etiam uno aliquo ex Collegii Medicis, qui ſemper intereſſe debeat, donec omnis inſpectio abſolvatur: qui contrafecerit, in eum Protomedicus, & Conſiliarii inquirant, & animadvertant de conſilio Conſulum Aromatariorum, ſervata forma, & modo expreſſo in proximo præcedenti Capitulo, & non aliàs, aliter, nec alio modo. Quod ſi Protomedicus, & Conſiliarii Simplicia inſpicere, aut alios ad hanc inſpectionem, ut ſupra deligere rogati prætermittant, mulctentur arbitrio Collegii Medicorum: quod ſi iterum lapſo triduo rogati negligant, liceat Aromatariis ſolis ſua compoſita facere. *Aromatariorum […] ſimplici[…] compoſit[…] conficiun[…] ſervata […] vide […] Pauli.*

§. 6. Protomedicus ſemel, iterum, ac ſæpiùs in eodem anno, & deinde quoties id expedire judicaverit, per ſe, aut per alios à ſe eligendos, ut ſupra dictum eſt, unà cum Conſulibus Aromatariorum omnia ſimplicia, & compoſita medicamenta inſpiciet, eaque oſtendere Aromatarii ſine recuſatione debeant, ut quæ proba, & idonea videbuntur probari poſſint, quæ verò tanquam mala, & vitioſa rejicientur, ea in Capitulo, legitimo die quo jus dicetur, publicè comburantur, iique apud quos inventa fuerint, luant pœnas contentas in Motu proprio fel. rec. Pauli Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, cui nolumus in hac parte *Viſitatio Aromatariorum. Hoc tempore viſitationis juramentum Aromatariis præſtari […] Pauli V. […] ejus conſt.*

parte derogare. Qui non obtemperaverit, à Protomedico, & Conſiliariis, de conſilio Conſulum Aromatariorum, ſervata ſemper forma, de qua in primo Capitulo, & non aliàs, ut ſupra, eadem pœna coërceatur, ut multis incommodis, & periculis, quæ facilè oriri poſſunt occurratur.

*[...]venditione medicamentorum.*

§.7. Nulli Aromatario liceat rem medicinalem in medicamentum redactam electivè evacuantem, neque ſcamoneatam, aut valde opiatam vendere, donare, ut nullo modo cuiquam viro, vel mulieri capiendam dare, niſi id ei verbo, aut ſcripto imperarit Medicus Phyſicus, qui ex alicujus probati Collegii auctoritate Doctor, aut Licentiatus, aut denique is ſit, cui in Urbe medicinam exercere ſit permiſſum. Qui deliquerit, à Protomedico, & Conſiliariis ejus eadem pœna puniatur.

*[...]cique venenatarum.*

§.8. Nemini venena, aut res venenatas dent, niſi eis conſtet ad quem uſum expetantur. Qui contrafecerit, eadem vigintiquinque ducatorum pœna Protomedici, & Conſiliariorum ſententia mulctetur.

*Libro recep[...]tarum.*

§.9. Librum habeat, in quo diligenter medicinas omnes à Medicis imperatas, quas vulgò receptas vocant, nec uſque alibi deſcribant: qui ſecus fecerit à Protomedico, & Conſiliariis quinque ducatorum pœna plectatur.

*Rebus retinendis.*

§.10. Res omnes, quæ uſu quotidiano, & more ad medicinam pertinent, Aromatarii in ſuis apothecis habeant, atque aſſervent: quænam verò res illæ ſint, Protomedicus, & Collegium Medicorum, & Conſules Aromatariorum declarabunt, eaſque in Indice notatas, & deſcriptas ſingulis Aromatariis dabunt. Teneantur autem Aromatarii infra menſem à die declarationis hujuſmodi, ſive intra aliud certum tempus, Protomedici, & Conſiliariorum ſuorum arbitrio præfiniendum, res illas ſibi, ſive parcè ſive copiosè pro cujuſque facultate emere, qui neglexerint, decem ducatorum pœnam ſubeant, deque eo Protomedicus, & Conſiliarii, de conſilio Conſulum Aromatariorum, & ſervata forma, de qua in primo Capitulo, & non aliàs, ut ſupra cognoſcant, & puniant, citent, inquirant, procedant, ſeu cognoſci, puniri, citari, inquiri, & procedi, ac alia faciant, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna.

*Vendendiſ[...]*

§. 11. Ne cui det Aromatarius rem medicinalem à Medico præſcriptam, niſi ad pondus: quod quidem in pagella, quam receptam dicunt, disertè expreſſum ſit; rem ipſam appendent, & delinquenti Protomedicus, & Conſiliarii quinque ducatorum pœnam irrogent.

*[...] rerum Aromataria[...] [...]tribuendo.*

§.12. Singulis annis Protomedicus, Conſiliarii, & Conſules Aromatariorum, coram dictæ Cameræ præſidentibus rebus artis Aromatariæ certum pretium conſtituant, ne quis de injuſto pretio jure queri poſſit, quod ſi quo minùs id fiat per Conſules ſteterit, quivis ex ipſis, & quoties in eo peccarit, ducatos vigintiquinque pendat pœnæ nomine. Cognitio autem conſtitutionis pretii ad Protomedicum, & Conſiliarios, de conſilio Conſulum Aromatariorum, ſervata ſemper forma, de qua in primo Capitulo, & non aliàs, aliter, nec alio modo pertineant, animadverſio autem in Conſules ad ſolum Protomedicum, & ejus Conſiliarios, à quibus ſi Conſules ſe gravari putaverint, adeant dictum Auditorem Cameræ, qui quod juris erit, præcipiat, exequatur.

*Societate inter Medicos & Aromatarios interdicta.*

§.13. Neque Medico, ſive Phyſico, ſive Chirurgo cum Aromatario, neque Aromatario cum Medico ſocietatem ullo modo inire liceat, qui aliter fecerit, vigintiquinque ducatorum pœna à Collegio Medicorum, ſi Medicus fuerit, ſi verò Aromatarius, à Conſulibus Aromatariorum afficiatur.

*Taxatione pretii.*

§. 14. Si in rebus medicinalibus à taxatione Conſulum, eorumque calculis appellatum ſit, Protomedicus, & Reviſores ex forma Conſtitutionum artis Aromatariorum adeantur, qui ſi diſcordes intra ſe fuerint, de eo dictus Auditor cognoſcat, & decidat.

*Medicinis per Aromatarios ſubminiſtrandis.*

§.15. Nulli Phyſico, nulli Chirurgo, aut cuivis alteri medicinam, aut rem ad medicamentum pertinentem cuipiam, præterquam ex juſta aliqua cauſa à Protomedico, & ejus Conſiliariis in ſcriptis probanda, vendere liceat, niſi priùs ea res in Aromataria ſit conſignata, & per ipſum Aromatarium ſubminiſtrata: qui ſecus fecerit, à Collegio Medicorum, ſi Medicus fuerit, ſi verò Aromatarius, vel extraneus, ab Aromatariorum Conſulibus 25. ducatorum pœna plectatur.

*Protomedici viſitatione Aromatariorum.*

§.16. Protomedicus per ſe aut per alium à ſe electum uno præterea aliquo ex Medicorum Collegio adhibito, ut ſupra explicatum eſt, quoties ei libuerit etiam extra ordinationem, apothecas Aromatariorum viſitare, inſpicere, & perquirere liberè quidem poſſit, nihil verò abſque Conſiliariis, & Conſulibus Aromatariorum damnare, aut improbare poſſit, liceat ei tantum arbitratu ſuo quæ voluerit obſignare, & ne quiſquam iis utatur interdicere, quoad ipſius Protomedici, & Conſiliariorum judicio, de conſilio, ut ſupra, Conſulum de tota re definiatur, ſervata forma, de qua in primo Capitulo, & non alias, aliter, nec alio modo.

*Librorum Aromatariorum fides.*

§.17. Quod autem ad fraudum occaſiones tollendas facit, Aromatariorum libris ultra tres annos fides in judiciis ne habeatur, niſi aut inſtrumentum publicum; aut ſyngrapha exhibeatur, quæ fidem faciat, quæque cum nominibus, & rationibus in eiſdem libris deſcriptis conſentiat, aut certè conſtet de diligentia ab Aromatariis infra dictum tempus adhibita adverſus debitores, ob cauſas in libris notatas, planumque ſit per debitores ipſos ſtetiſſe, quo minus ſolverent, aut aliter Aromatariis caverent, ut poſtremò nomina, & partitæ, ut appellant, in libris deſcriptæ, à debitoribus recognitæ, earundem ſubſcriptione comprobentur, non obſtante diſpoſitione dicti Pauli, & aliorum forſan prædeceſſorum contrarium determinante.

*Conſulum Aromatariorum juriſdictione.*

§.18. Quivis etiam Eccleſiaſticus quantum ad medicamenta, & cætera ad artem Aromatariam ſpectantia Conſulibus Aromatariorum ſubjectus ſit, atque apud illos, & non alibi querelæ de hujuſmodi rebus habeantur, & decidantur, ſervatis ſervandis. Hi verò ex præſcripto Statutorum, tam dictæ Urbis quàm artis ſuæ cognoſcant, & procedant.

*Moratoriæ prohibitione.*

§.19. Nemo cujuſvis conditionis ſit ob res medicinales, & Aromatarias ſolutionis dilationem, quam moratoriam, aut cinquinam vocant, impetrare poſſit.

*Viſitatione Aromatariarum extra Urbem. Ad hoc vide etiam Paul. V. conſt. [...] in rub.*

§.20. Quotieſcumque ad viſitandas tabernas Aromatarias, quæ extra Urbem ſunt, Medicus ex Urbe mittendus erit, ne is forſan artis Aromatariæ imperitum ſibi comitem adjungat, Protomedicus, qui viſitatoris deſignandi jus obtinet, Urbanis Aromatariis id denuntiet, atque ab eis exquirat, habeantne aliquem peritum, & idoneum hominem, qui Medico illi in hujuſmodi viſitationis munere comes, & Miniſter eſſe velit, quo invento, Protomedicus utriſque eam viſitandi Provinciam delegabit, curabitque Aromatario viaticum competens præſtari: quod ſi Aromatarii negligentes ea in re fuerint, ſolus Protomedicus hunc etiam eligat. Sin autem Protomedicus non adnuntiaverit, in 25. ducatorum à Syndicis, tempore ſindicatus, pœna mulctetur.

*Medico ad viſitandum [...] deſtinato.*

§.21. Medicus verò ad viſitandum deſtinatus, ſingulas apothecas, & officinas Aromatarias, non ficlè aut fallaciter, ſed verè viſitet, atque inſpiciat, & debitis pœnis puniat, idque ſe feciſſe teſtimonio publico allato doceat: ſi contrafecerit, Protomedici, & Conſiliariorum communi decreto, 25. ducatorum pœnam ſubeat, quæ pœna pro numero apothecarum, quas non inſpexerit toties ab eo exigatur.

*Pœnarum exactione et ratione.*

§.22. Ut autem pecuniæ, quæ ab iis, qui his decretis non obtemperaverint, pœnæ nomine exigentur ratio conſtet, ſingulis annis à Protomedico & Conſulibus unus Depoſitarius ex Aromatariis conjunctim eligatur, penes quem pecunia omnis ex hujuſmodi mulctatione collecta deponatur, eique ex pœnis exigendis certum ſtipendium Protomedici & Conſulum arbitrio ſtatuatur, ita tamen ut antea de reliqua ſumma reſtituenda idoneam cautionem præbeat. Is autem in fine cujuſlibet anni, de pœnis exactis Protomedico, & Conſuli Aromatariorum rationem reddat. Duo autem libri rationum fiant, quorum alter apud Protomedicum, alter verò apud Conſules ſit.

*Pœnarum partitione.*

§.23. In partiendis verò pœnis, & mulctis, quæ ex delictis, & contraventionibus Urbanorum Aromatariorum, ſive aliàs, & ex quacumque cauſa, etiam extra viſitationem, à quibuſcumque exigerentur, piæ mem. Pii Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri Motus proprius ſervetur,

qui

qui datus est die 12. Augusti, Pontificatus sui anno 5. Ita videlicet, ut quarta pars Medicorum Collegio attribuatur, reliqua Hoſpitali S. Laurentii in Miranda, non obſtante altero poſteriore ejuſdem Pii V. Motu proprio, quo pecuniæ omnes pœnæ nomine colligendæ, domui dicti Hoſpitalis attribui videbantur.

*Earumdemque applicatione.* §. 24. Si ex cujuſvis accuſatione, aut denuntiatione aliquem ex Aromatariorum, vel Medicorum numero adverſus hæc decreta deliquiſſe conſtiterit, tunc ex integra ſumma, qua reus mulctabitur, quarta pars à Protomedico & Conſiliariis eidem accuſatori, aut denuntiatori ſtatim adjudicetur, quod reliquum erit à Depoſitario conſervetur, ut in fine anni inter Collegium Medicorum, & Hoſpitale Aromatariorum, ratione paulò ante dicta dividatur.

*Cognitione quoque, ac declaratione tranſgreſſionum.* §. 25. Cognitio, & declaratio an aliquis adverſus ſupradicta decreta deliquerit, & in pœnam inciderit, necne, ejuſque pœnæ exigendæ juſſio ad eos ſolos, & in ea forma pertineat, quibus in ipſis ſingulis Capitulis Decretorum expreſſis verbis definitum eſt, quoties autem his Decretis Protomedico, & ejus Conſiliariis, de conſilio Conſulum Aromatariorum, ut ſuprà aliquod mandatum eſt, ita ſemper intelligatur, ut tam in inquirendo, quàm in procedendo, citando, cognoſcendo, declarando, decidendo, & puniendo, & in quoſcumque alios actus ſimiles faciendo, ipſorum Conſulum Aromatariorum conſilium petere teneantur, quod ſi Protomedicus, & Conſiliarii minus probaverint, neque cum iis conſenſerint, tunc eatur recta ad Auditorem prædictum, qui manu regia, omni, & quacumque appellatione remota cognoſcat, & decidat, & deinceps ſervetur forma ſupra in primo Capitulo expreſſa.

*A. C. Juriſdictione.* §. 26. Idem Auditor his omnibus decretis exequendis præſit, at quibus in rebus ſolis Protomedico, & Conſiliariis cognoſcendi, & decidendi, puniendique facultas abſque alio conſilio Conſulum Aromatariorum data eſt, liceat Aromatariis, ſi quando ſe injuſtè lædi conquerantur, coram eodem Auditore de eorum injuriis agere, qui pariter manu regia, omni & quacumque appellatione remota eos audiat, & prout juris erit præcipiat, & exequatur, & quos calumnioſè conqueſtos eſſe repererit, arbitrio ſuo mulctet, mulctaſque hac ex cauſa exactas Phyſicorū Collegio, & Hoſpitali prædicto in totum applicet.

*Protomedici & Conſiliariorum Conventu.* §. 27. Conſules Aromatariorum ex eorum Decretorum facultate cum Protomedico & Conſiliariis de re aliqua in conſilium venire debent, Protomedici domum adeant, quoties ab eo fuerint vocati, facta priùs præcedenti die intimatione, & quod ſi venire neglexerint, Protomedicus, & Conſiliarii abſque Conſulibus omnia agere, & decernere poſſint.

*Supplicatio pro approbatione Papæ.* §. 28. Quare pro parte Medicorum, & Aromatariorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capitulis prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Approbatio Papæ.* §. 29. Nos igitur eoſdem Medicos, & Aromatarios, illorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac ſtatum, & merita cauſarum hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati dicta Statuta, & Decreta, de Medicorum & Aromatariorum prædictorum conſenſu, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac illa inviolabiliter in perpetuum, & ſingulis futuris temporibus, per Protomedicum, & Collegium Medicorum, ac Conſules, & Collegium Aromatariorum pro tempore exiſtentes, & alios quoſcumque inviolabiliter obſervari, proceſſuſque & acta quæcumque in cauſis hujuſmodi facta caſſari, & annullari, ac Medicis & Aromatariis perpetuum ſilentium imponi, & impoſitum eſſe volumus, prout caſſamus, & ſilentium imponimus.

*Clauſ. ſublatæ, &c.* §. 30. Et ita tam per dictum Auditorem, & ejus in civilibus Locumtenentem pro tempore exiſtentem, quàm etiam per alios quoſcumque Judices, etiam Rotæ Auditores, ac S. R. E. Cardinales decerni, & judicari debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 31. Et ita perpetuæ ſententiæ, & voluntatis incommutabilis noſtræ eſſe dicimus, neque has noſtras literas de ſubreptionis, vel obreptionis, vel intentionis noſtræ fraudatæ, vel alio quoquam vitio notari, impugnari, revocari, moderari, vel annullari poſſe, & quoties illas annullari, moderari, revocari, impugnari, vel notari contigerit, toties in priſtinum ſtatum repoſitas, reintegratas, & reſtitutas eſſe, & illis nullatenus derogari, niſi Conſiſtorialiter de trina derogatione ſeparatim, intercedente uno anno inter unam & aliam, etiam Conſiſtorialiter, & accedente conſenſu amborum Collegiorum, & cum inſertione præſentium, volumus, & mandamus. *Clauſula præſervativa.*

§. 32. Non obſtantibus reſcriptis fel. rec. Julii III. & Pauli IV. ac Pii V. & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, ac Capitulis factis per quondam Cæſarem Brancatium, & Cardinalem de Salviatis, dictæque Cameræ decretis, vel confirmationibus, ſeu declarationibus, Statutis dicti Collegii Medicorum, etiam juramento, & auctoritate Apoſtolica confirmatis, quorum tenores, & formas, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, haberi volumus pro expreſſis, conſuetudinibus, & uſibus quibuſcumque, quibus omnibus, & ſingulis, ad effectum præſentium dumtaxat derogamus, & derogatum eſſe intẽdimus, ac præcipimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſula derogatoria.*

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Julii 1575. Pont. noſtri anno 4. *D. P. A. 4. 1. Julii.*

---

## Reintegratio licentiarum, & facultatum Fratrum, & Militum Hoſpitalium, & Militiarum, tam S. Jacobi de Spatha, quam de Calatrava, & etiam de Alcantara teſtandi, & diſponendi de eorum bonis. XXX.

*Vide de hujuſmodi Militiis, quæ tibi indicavi ſup. ad conſt. 1. Adriani VI.* Dum intra.

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita An. D. 1575.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* Romani Pontificis providentiæ & benignitatis proprium eſt, ubi æquitas ſuadet ac Catholicorum vota expoſcunt, quæ generaliter à prædeceſſoribus ſuis ſtatuta ſunt, moderari, illaque interdũ tollere, quæ facultatem teſtandi & diſponendi de bonis, quæ ſub regulari habitu militiarum degentes perſonæ poſſident, adimunt.

*Pius V. facultatem teſtandi Militum S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, & de Alcantara revocavit, ut ſup. in ejus conſt. 74. Sacroſanctum.* §. 1. Licet enim fel. record. Pius V. prædeceſſor noſter, per ſuam perpetuò valituram conſtitutionem, inter alias omnes & quaſcumque licentias, & facultates teſtandi, & alias quomodolibet diſponendi, & ad certam quantumvis modicam ſummam, & quantitatem, de rebus, fructibus, & bonis immobilibus, mobilibus, & ſe moventibus, inter alios, ad Magiſtros, Priores, Præceptores, Milites, Fratres, & Perſonas Militiarum, & Hoſpitalium videlicet Sancti Jacobi de Spatha, de Calatrava, & Alcantara Militiarum Hiſpaniarum, ratione præceptoriarum, hoſpitalium & beneficiorum Eccleſiaſticorum etiam ſæcularium, & aliorum Ordinum Regularium, ac penſionum, ac fructuum quorumcumque provenientium, necnon facta uſque tunc, non tamen effectum ſortita licentiarum, & facultatum prædictarum teſtamenta, & alias diſpoſitiones hujuſmodi, etiamſi per eaſdem licentias & facultates diſponeretur, quod dimidia, vel alia pars rerum, & bonorum prædictorum militiis, Hoſpitalibus, domibus & locis, unde illa provenirent, vel aliis piis locis relinquerentur, revocaverit, & aboleverit, decernens teſtamenta, donationes, & alias diſpoſitiones, quas prætextu privilegiorum, facultatum, diſpenſationum, & indultorum prædictorum ſic revocatorum, ac contra dictarum literarum tenorem per quemcumque, etiam Apoſtolica auctoritate fieri, vel factas

proſe

qui contigerit, tãquam ſubreptitiè exortas nullius protſus roboris vel momenti eſſe, nec per eas jus, aut titulum etiam coloratum cuiquam acquiri poſſe, & alias prout in ejuſdem prædeceſſoris noſtri literis latiùs explicatur.

*Philippus Hiſpaniarũ Rex huic Pont. exponit bonæ vocationum dictis Militibus damnoſam eſſe, & ſupplicatur pro opportuna proviſione.* §. 2. Nihilominus chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, & de Alcantara militiarum perpetuus adminiſtrator Apoſt. auctoritate deputatus, animadvertens pleroſque ex militibus militarium prædictarum pro fide Catholica tuenda, & conſervanda, arma induere, & ei rei plerumque perpetuam operam (ut veros Chriſti athletas decet) navare, alios verò gravibus negotiis pertractandis eſſe diſtentos, & ex earundem militiarum ſtabilimentis, aut etiam Apoſtolicis indultis, liberè uxores ducere poſſe, & in habitu militari quandam Religioſorum imaginem referre, nihilque hominibus præſertim militibus prædictis gravius evenire poſſe intelligens, quam ut libera eis ſit de bonis quæ viventes poſſident, tam in ultima voluntate (quando ampliùs velle non poſſunt,) quàm alias diſponendi tributa poteſtas. Propterea nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ex conſueta Sedis Apoſtolicæ benignitate opportunè circa præmiſſa providere dignaremur.

*Pontifex dat facultatem.* §. 3. Nos igitur commodis Militum Militiarum prædictarum, quibus idem Philippus Rex præeſt conſulere ac Philippi Regis volũtati hac in parte ſatisfacere, volẽtes, conſtitutioniſque prædictæ ſeriem, ac ſi de verbo ad verbum insereretur, præſentibus pro expreſſa habentes, illam, necnon omnes illius effectus quoad hoc, ut S. Jacobi de Spatha, & de Calatrava, & de Alcantara prioribus, præceptoribus, & aliis ipſarum Militiarum obtinentibus beneficia, & quovis nomine nuncupatis Militibus quæcumque licentiæ & facultates teſtandi, & aliàs quomodolibet diſponendi de rebus, fructibus, & bonis mobilibus, immobilibus & ſe moventibus ut præfertur ſuffragentur, eædemque licentiæ & facultates in poſterum valeant, ac perpetuam roboris firmitatem obtineant, ſuoſque effectus plenè ſortiantur, penitus, & omnino Apoſtolica auctoritate tenore præſentiũ tollimus, & abolemus.

*Teſtamenta quæ eorundem, quorum cauſa integra eſt, plenarium effectum ſortiri decernit.* §. 4. Necnon teſtamenta, & alias diſpoſitiones in vim licentiarum, facultatum, & conſuetudinum prædictarum jam condita, diſpoſita, & ordinata, quæ prædicta edita Conſtitutione, juxta teſtatoris, vel diſponentis voluntatem effectum minimè ſortiri potuerunt, & quorum cauſa adhuc integra eſt, & medio hoc tempore nihil novi acciderit, adverſus ejuſdem Conſtitutionis diſpoſitionem, omniaque & ſingula quæ in ea continentur, in eum in quem antequam à dicto Pio prædeceſſore conſtitutio prædicta edita fuiſſet, quomodolibet erant, ſtatum reſtituimus, & reponimus, & plenariè reintegramus, ſuoſque plenarios & integros effectus, impedimentis omnibus ſublatis, quæ ex dicta Conſtitutione provenerunt, ſortiri debere volumus, ſtatuimus, & ordinamus, omneſque, & ſingulas earundem trium Militiarum militibus præſentibus, & futuris teſtandi, & alias diſponendi de bonis prædictis conceſſas facultates & conſuetudines, potiori pro cautela approbamus, & firmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

*Clauſula ſublata.* §. 5. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios earundem Militiarum, & delegatos, & quoſcumque alios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales (ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate) ubique judicari, & definiri debere, irritumque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Derogatio contrariorum.* §. 6. Non obſtantibus præmiſſis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, tam per dictum, quam per quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, ſub quibuſcumque tenoribus ac formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis. Quibus omnibus, etiamſi de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, aut quævis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque.

§. 7. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur exhibitis vel oſtenſis. *Tranſumptorum fides.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Octobris 1575. Pont. noſtri anno 4. *D. P. A. 4. die 6. Octobris.*

---

## Quod Prælati Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis Captivorum benedicere poſſint vaſa, veſtimenta & ornamenta Eccleſiaſtica. XXXI.

*Hanc facultatem ſpecialiter conceſſit Paul. V. iſtis Fratribus ſe transferentibus ad partes Infidelium pro illorum converſione, infr. in ejus Conſt.* 40. Ex omnibus. *Alia autem de Ordine notavi ſup. ad conſt.* 1. *Innoc. III.* Operante.

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita Ann. D. 1575.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* EXpoſcit paſtoralis officii cura nobis ex alto commiſſa, ut ſingulorum Chriſti fidelium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium votis rationi non contradicentibus favorabiliter annuamus.

*Cauſa hujus conſtit.* §. 1. Sanè pro parte dilecti filii Fratris Franciſci Bochet in Theologia Magiſtri Pariſienſis, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Vicarii Generalis in Romana Curia reſidentis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dilecti Provinciales, Vicarii, & Miniſtri prædicti Ordinis in Hiſpaniarum Regnis conſiſtentes, qui Triennales dumtaxat exiſtũt, caſulas, tunicas, albas, & mappas, & alia veſtimenta, & ornamenta, ac etiam vaſa Eccleſiaſtica ad divinum officium peragendum neceſſaria, ac ſolita, & conſueta benedicendi à Sede Apoſtolica licentiam habeant, nihilominus Provinciales, Vicarii, & Miniſtri Ordinis prædicti in Galliis, Flandria ac Provincia Provinciæ, aliiſque Galliarum Regnis, & dominiis conſiſtentes, qui ad vitam eligi, & deputari conſueverunt, eadem licentia hactenus minimè uſi ſunt, nec in futurum abſque ſpeciali indulto noſtro uti poſſunt, cuperet idem Franciſcus ſibi à Provincialibus, & aliis Vicariis, & Miniſtris ejuſdem Ordinis in Galliis, Flandria, & Provincia Provinciæ hujuſmodi, aliiſque Galliarum Regnis, & dominiis, nunc & pro tempore exiſtentibus licentiam prædictam per nos concedi. Quare nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Conceſſio facultatis, de qua in rubr.* §. 2. Nos igitur honeſtis ejuſdem Franciſci poſtulatis grato concurrentes affectu, ipſumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac licentiæ hujuſmodi, & literarum deſuper expeditarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eidem Franciſco, ac aliis Vicariis generalibus, Provincialibus, & Miniſtris dicti Ordinis in Galliis, Flandria, & Provincia Provinciæ hujuſmodi, aliiſque Galliarum Regnis, & dominiis, nunc & pro tempore exiſtentibus, caſulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia, & alia quæcumque ornamenta, ac vaſa Eccleſiaſtica (illis tamen exceptis, quibus Sanctum Chriſma applicandum eſt) benedicendi juxta tenorem licentiæ Vicariis, Miniſtris, & aliis prædictis Regnorum Hiſpaniarum conceſſæ tantum, licentiam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus, illamque ad eoſdem Galliæ,

Flandriæ, Provinciæque hujuſmodi, ac aliorum Galliarum Dominiorum, & Regnorum Vicarios, Provinciales & alios prædictos nunc, & pro tempore exiſtentes, etiam perpetuò extendimus, & ampliamus: Ipſoſque, ut de cætero illa uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi illis principaliter eadem licentia Apoſtolica auctoritate conceſſa fuiſſet, decernimus.

*Derogatio contrariorum.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in literis ejuſdem licentiæ expreſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 4. die 7. Octob.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Octobris 1575. Pont. noſtri anno 4.

---

## XXXII. Quod omnes gratiæ, & privilegia Militiis S. Jacobi de Spatha, & de Calatrava, ac de Alcantara in Regnis Caſtellæ & Legionis exiſtentibus conceſſa, & concedenda, ſint communia Militiis S. Jacobi de Spatha, & de Avis, Regni Portugalliæ, & Algarbiorum.

*De his Militiis dixi ſup. ad conſt.* 1. *Adriani VI.* Dum intra, *ad ea te remitto.*

*Edita A. D. 1575.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

EX Apoſtolicæ Sedis, in qua meritis licet inſufficientibus divina diſponente clementia conſtituti ſumus, benignitate procedit, ut ſuper eis, quæ perſonis ſub regulari habitu contra Chriſti nominis æmulos pro orthodoxæ fidei ampliatione, & conſervatione continuè militant, per ejuſdem Sedis clementiam circumſpectam pro tempore conceſſa reperiuntur, an ad alias ejuſdem profeſſionis extendantur perſonas, ambiguitatis ſcrupulos pro tempore exorientes, declarationis noſtræ miniſterio dilucidemus, ac in his officii noſtri partes favorabiliter impartiamur.

*Militia S. Jacobi de Spatha, & Militia de Avis Regni Portugalliæ à Sede Apoſt. inſtituta gaudent omnibus gratiis, & privilegiis Militiarum S. Jacobi, & de Calatrava, & de Alcantara in Regnis Caſtellæ & Legionis.*

§.1. Sane chariſſimus in Chriſto filius noſter Sebaſtianus Portugalliæ, & Albargiorum Rex Illuſtris, qui militiarum S. Jacobi de Spatha, S. Auguſtini, & de Avis Ciſtercienſis Ordinis, Regni Portugalliæ Magnus Magiſter, ſeu perpetuus adminiſtrator per Sedem Apoſtolicam deputatus exiſtit, tam ſuo, quam dilectorum filiorum, Præceptorum, Fratrum, militum, & aliorum Religioſorum, ac perſonarum militiarum prædictarum nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod licet ex diverſis Romanorum Pontificum, & præſertim fel. record. Nicolai V. & Julii II. & Pauli III. prædeceſſorum noſtrorum privilegiis & conceſſionibus, prædictæ militiæ in eodem Regno adverſus Mauros, alioſque fidei Catholicæ hoſtes antiquitas per Sedem prædictam inſtitutæ ſalubriter, illarumque tunc & pro tempore exiſtentes magiſtri, ſeu adminiſtratores, Conventus, Priores, Commendatores, præceptores, fratres, & milites, eorumque ſinguli, necnon perſonæ & loca, domus ac Eccleſiæ militiarum earundem, perpetuis futuris temporibus omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, conceſſionibus, indultis, libertatibus, conſervatoriis, indulgentiis, exemptionibus, honoribus, literis Apoſtolicis, & aliis gratiis Magiſtris ſeu adminiſtratoribus, Conventibus, Prioribus, commendatariis, præceptoribus, fratribus, & militibus ejuſdem S. Jacobi, & de Calatrava ac de Alcantara Militiarũ in Caſtellæ, & Legionis Regnis inſtitutatum, in genere quovis modo ab ipſis Romanis Pontificibus & Sede prædicta conceſſis, & in poſterum concedẽdis, ac quibus illi utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poſſent quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, ac ſi eis in genere conceſſa fuiſſent, & loco Judicum in literis Apoſtolicis Regnorũ Caſtellæ, & Legionis Militiis hujuſmodi pro tempore conceſſis deputatorum alios Judices, in dignitate tamen Eccleſiaſtica ſimiliter conſtitutos, in dicto Regno Portugalliæ, qui eandem poteſtatem haberent, quam Judices in eiſdem literis deputati habebant, ſeu habere poſſent quomodolibet in futurum, deputare liberè, & licitè poſſint & valeant.

*Quidam tamen Ordinarii dubitarũt an literæ Pii V. emanatæ ad favorem dictarum Militiarum in Regnis Caſtellæ & Legionis ſuffragentur Militiis antedictis Regni Portugalliæ.*

§.2. Nihilominus ex nimium forſan ſcrupuloſa locorum Ordinariis ejuſdem Regni Portugalliæ, certis prætenſionibus dubitari contingit, an literæ per piæ memoriæ Pium Papam V. prædeceſſorem noſtrum ſub Dat. videlicet quinto Idus Januarii, Pontificatus ſui anno primo procurant Chriſtianiſſimo filio Philippo Rege Catholico, qui militiarum in Caſtellæ, & Legionis Regnis inſtitutarum, hujuſmodi perpetuus adminiſtrator per eandem Sedem deputatus exiſtit, conceſſæ, privilegiorum, indultorum, conſervatoriarum & aliarum gratiarum ipſis Militiis Regnorum Caſtellæ, & Legionis conceſſarum præſervatione, innovatione, militiis Regni Portugalliæ, & Sebaſtiano Regi, ac pro tempore exiſtentibus magnis Magiſtris, Conventibus, Prioribus, Commendatoribus, præceptoribus, fratribus, militibus, perſonis, Eccleſiis, domibus, locis, bonis, poſſeſſionibus, juribus & juriſdictionibus militiarum Regni Portugalliæ hujuſmodi ſuffragari, & illis gaudere poſſint vel debeant, & exinde effectus literarum Pii prædeceſſoris hujuſmodi, quoad Regni Portugalliæ Militias, illarumque ſingulas perſonas prædictas frequenter impeditur, & retardatur, militiæque Regni Portugalliæ & illarum perſonæ hujuſmodi ſæpenumero gravamina, injurias, & incommoda ſuſtinent, in earum detrimentum, ac privilegiorum, indultorum, & facultatum ſibi conceſſarum læſionem.

*Et quia nulla eſt ferè differentia inter prædictas Militias.*

§.3. Cum autem ſicuti eadem petitio ſubjungebat, Magiſtri, Conventus, Priores, Commendatarii, præceptores, fratres, milites & aliæ perſonæ ejuſdem S. Jacobi de Spatha, ſive in Legionis, Caſtellæ & Aragonum, ſive in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis conſtituti, ſive ejuſdem profeſſionis exiſtant, & ſub eiſdem regularibus inſtitutis militent, neque alia inter eos differentia, quam quod in diverſis Regnis conſiſtunt fore dignoſcatur, ac in favorem ipſius militiæ de Spatha, & de Avis in genere conceſſa appareant, & neutiquam conveniens videatur, ut militiæ prædictæ, etiamſi in diverſis Regnis inſtitutæ diverſo jure fulciri, aut inniti debeant, præſertim quod illæ ſemper in omnibus & per omnia per alios Romanos Pontifices prædictos æquiparatæ fuerunt.

*Rex Portugalliæ petiit dubium ſubmoveri.*

§.4. Ac propterea idẽ Sebaſtianus Rex nominibus prædictis nobis humiliter ſupplicari fecerit, quatenus ambiguitatis prædictæ ſcrupulis, antequam altius irrepant, ac jurgiorum & litigiorum materiam parturiant, declarationis noſtræ miniſterio ſũmovere, & aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic ideo Pontifex omnia privilegia dictarum Militiarum in Regnis Caſtellæ & Legionis exiſten. conceſſa & concedẽda, Militiis antedictis Regni Portugalliæ & Algarbiorum communicat.*

§.5. Nos igitur qui præter commune debitum, quo ex Apoſtolatus officio cæteris fidelibus debitores exiſtimus, Militias Regni Portugalliæ, illarumque perſonas hujuſmodi, eo ſpecialius paterna dilectione complectimur, quo pro tuitione prædictæ fidei, ejuſque propagatione atque præſidio, contra immaniſſimos Chriſti nominis hoſtes, Mauros ſcilicet, & alias barbaras nationes, cum proprii effuſione cruoris, & vitæ periculo, continuè decertari, facti evidentia cognoſcimus, eundem Sebaſtianũ Regem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eorundem Nicolai, Julii & Pauli prædeceſſorum prædictorum veſtigiis inhærentes, omnemque dubitationem in præmiſſis removere volentes, necnon omnium & ſingulorum privilegiorum, conceſſionum, indultorum, conſervatoriarũ, & aliarum gratiarũ per quoſcumque Roman. Pont. prædeceſſores noſtros, & Sedem prædictam eiſdem militiis, tam in Legionis, & Caſtellæ, quàm Portugalliæ Regnis prædictis inſtitutis, illorumque magnis Magiſtris, ſeu adminiſtratoribus, Conventibus, Prioribus, Commẽdatoribus, Præceptoribus, fratrib. Militibus & perſonis prædictis, ac deſuper confectarum, & dictarum Pii prædeceſſoris literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia, prærogativas, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, indulgentias, conſervatorias, indulta, & alias gratias militiis Caſtellæ & Legionis, & Regnorum hujuſmodi, ac prædicto

Philippo

Philippo Regi,& pro tempore exiſtentibus adminiſtratoribus, Conventibus, Prioribus, Commendatoribus, Præceptoribus, fratribus Militibus, & aliis perſonis, Eccleſiis, domibus, locis, bonis, poſſeſſionibus, juribus, juriſdictionibus Militiarum in Caſtellæ, & Legionis Regnis inſtitutarum hujuſmodi, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem eandem hactenus quomodolibet tam in genere, quam in ſpecie conceſſa, & in poſterum concedenda, eiſdem modo & forma, quibus conceſſa ſunt, & in poſterum concedentur, ad Militias Regni Portugalliæ, ac Sebaſtianum Regem, & pro tempore exiſtentes magnos Magiſtros, ſeu adminiſtratores, Conventus, Priores, Commendatores, præceptores, fratres, Milites, perſonas, & Eccleſias, domos, loca, bona, poſſeſſiones, jura, juriſdictiones militiarū in Regno Portugalliæ inſtitutarum hujuſmodi extendi, & illa eis in omnibus & per omnia ac pariformiter & æquè principaliter abſque ulla prorſus differentia, ac ſi militiis Regni Portugalliæ, & Sebaſtiano Regi, ac pro tempore exiſtentibus magnis Magiſtris, ſeu adminiſtratoribus, cōventibus, Prioribus, Commendatoribus, præceptoribus, fratribus, militibus, perſonis & Eccleſiis, domibus, locis, bonis, poſſeſſionibus, juribus, juriſdictionibus Militiarū Regni Portugalliæ hujuſmodi, ſpecificè & expreſsè conceſſa fuiſſent & concederentur, perpetuò ſuffragari, ac illis uti, potiri, necnon loco Judicum in privilegiis & aliis literis Apoſtolicis Regnorum Caſtellæ & Legionis, Militiis hujuſmodi, pro tempore conceſſis deputatorum, dilectos filios Capellanum majorem prædicti Regis, & ſucceſſorum Regum Portugalliæ, Archidiaconos Dolicierva, Brancheren. & Electoren. Eccleſiarum nunc & pro tempore exiſten. in dicto Regno Portugalliæ, qui eandem poteſtatem habeant, quam Judices in eiſdem literis & privilegiis deputati habent, ſeu habere poterunt quomodolibet in futurum, deputatos eſſe, nec deſuper prædictos Ordinarios ſeu alios cujuſcūque ſtatus, gradus, conditionis, ordinis, præeminentiæ & qualitatis exiſtentes, etiā Cardinalatus honore fulgentes, moleſtari, perturbari, vel inquietari poſſe. Ipſaſque militias Regni Portugalliæ, illarumque ſingulares perſonas in eodem ſtatu, quo militiæ Regnorum Caſtellæ & Legionis, illarumque perſonæ hujuſmodi quomodolibet exiſtunt & pro tempore reperientur, perpetuò conſervari debere, & ita intentionis prædeceſſorum prædictorum fuiſſe, & etiam noſtræ eſſe, & perpetuo fore, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium decernimus & declaramus. Et nihilominus pro potiori cautela eadē omnia & ſingula privilegia, & prærogativas, exemptiones, facultates, indulgentias, cōſervatorias, indulta, & alias gratias eiſdem modo & forma quibus, militiis Caſtellæ ac Legionis Regnorum, earumque ſuperioribus & perſonis hujuſmodi, ut præfertur, conceſſa ſunt, & in poſterū concedentur, ad militias Regni Portugalliæ, illarumque Superiores & perſonas hujuſmodi ſimiliter perpetuò extendimus, eiſque auctoritate & tenore prædictis, modo tamē & forma in literis Pii prædeceſſoris hujuſmodi contentis, concedimus & indulgemus.

*Clauſula hujus bullæ præſervativa.*

§.6. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quoquam alio defectu notari vel impugnari poſſe, nec illas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi.

*Clauſula ſublata.*

§.7. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Card. ac cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ex nunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deputatio.*

§.8. Quocirca venerabili fratri Epiſcopo Amerinenſi & dilectis filiis Capellano majori prædicti Sebaſtiani Regis moderno & pro tempore exiſtenti, ac Archidiacono Elborenſi per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte prædicti Regis



moderni & pro tempore exiſtentis Magni Magiſtri, ſeu adminiſtratoris Conventuum, Priorum, Commendatorum, præceptorum, fratrum, militum, perſonarum, Eccleſiarum, domorum, locorum, bonorum, poſſeſſionum, jurium, juriſdictionum militiæ Regni Portugalliæ hujuſmodi, ſeu alicujus eorum deſuper requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra literas hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, ac ſingulos quos eædem literæ concernunt illis pacificè gaudere, nec permittant eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Clauſula derogatoria.*

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac militiarum prædictarum juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, necnon quibuſcumque declarationibus, inhibitionibus & decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, & Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.10. Volumus autem quod privilegiorum, indultorum & aliarum gratiarum præfatarum, ac etiam præſentium literarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis plena, & integra, ac eadem fides prorſus adhibeatur, in judicio & extra, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi originaliter forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 8....*

Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 8. menſis...... 1575. Pont. noſtri anno 4.

---

## Profeſſio Orthodoxæ fidei à Græcis emittenda.

*De materia Græcorum indicavi in conſtit.* 14. *Innocent. IV.* Sub Catholicæ. XXXIII.

*Forma profeſſionis fidei.*

SAnctiſſimus D. N. D. Gregorius, &c.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet.

*Artic. 1.*

§.1. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JESUM Chriſtum, Filium DEI unigenitum. Et ex patre natum ante omnia ſæcula. DEUM de DEO, lumen de lumine: DEUM verum de DEO vero. Genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu S. ex MARIA Virgine: & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui loquutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam

Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

*Artic. 2.* §. 2. Credo etiam, ſuſcipio, atque profiteor ea omnia, quæ ſacra œcumenica Synodus Florentina ſuper unione Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ definivit & declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica Spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligẽtiam tendat, ut per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam, ſecundum Latinos verò, principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Cumque omnia quæ Patris ſunt ipſe Pater unigenito Filio ſuo gignendo dederit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Illamque verborum illorũ, Filioque, explicationem, veritatis declarãdæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitã.

*Artic. 3.* §. 3. Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici. Sacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.

*Artic. 4.* §. 4. Item ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis Purgatorii poſt mortem purgari, & ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorumque animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperiùs dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt, meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

*Artic. 5.* §. 5. Item Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jesu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in actis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

*Artic. 6.* §. 6. Inſuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ ex decretis ſacræ œcumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, etiam ultra contenta in ſupradicto fidei Symbolo, profitenda, ac recipienda propoſuit, atque præſcripſit, ut ſequitur.

*Artic. 7.* §. 7. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.

*Artic. 8.* §. 8. Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor.

*Artic. 9.* §. 9. Profiteor quoque ſeptem eſſe & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

*Artic. 10.* §. 10. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione, recipio & admitto.

§. 11. Omnia & ſingula, quæ de peccato Originali, & de Juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. *Artic. 11.*

§. 12. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum anima, & divinitate D.N. Jesu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiationem appellat. *Artic. 12.*

§. 13. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. *Artic. 13.*

§. 14. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. *Artic. 14.*

§. 15. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. *Artic. 15.*

§. 16. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. *Artic. 16.*

§. 17. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſt. Principis ſucceſſori, ac Jesu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. *Artic. 17.*

§. 18. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, & ſchiſmata, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo, & abjuro. *Artic. 18.*

§. 19. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. Spondeo. *Iterata ſ[...] ſio.*

§. 20. Voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. *Iuramentum*

---

## Quod liceat Fratribus & Monialibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, bona etiam ſtabilia pro neceſſitate, vel utilitate Monaſteriorum alienare. XXXIV

*Alia, quæ hunc Ordinem reſpiciunt, indicavi tibi ſup. in conſt. 8. Hon. III.* Ut vivendi.

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita A. 1576.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Ex incumbenti nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio, ad ea libenter animum noſtrum convertimus, per quæ religioſam vitam ducentibus perſonis, quæ aſſiduos labores pro fide Catholica conſtanter tuenda & defendenda ſuſtinent, inter quas familia fratrum Ordinis glorioſiſſimæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, jure enumerari poteſt, commodis, & utilitati opportunè conſulatur. *Exordium.*

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt fratres dicti Ordinis, quod ſæpenumerò accidit, ut pro aliqua urgenti neceſſitate, vel utilitate Monaſteriorum, domorum, & locorum dicti Ordinis, tam virorum, quam mulierum, illorum bona alienare vel permutare expediret, ac quandoque contingit, ut conditio ſemel oblata, ſi prætermittatur, maximam afferat jacturam, præterquam quod difficile *Ordo Carm[...] licarũ ſup[...] cui Papa p[...] proviſione [...] lienandi [...] bona occu[...] te aliqua [...] ceſſitate, [...] utilitate.*

difficile admodum exiſtit pro ſingulis faciendis permutationibus, & aliis contractibus ad Sedem Apoſtolicam recurrere, ac id non ſine fratrum ipſius Ordinis moleſtia fieri poteſt. Quare iidem fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipſos fratres, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eiſdem fratribus, ut ex nunc de cætero, perpetuis futuris temporibus fratres, & moniales dicti totius Ordinis Carmelitarum, omnium & quorumcumque Monaſteriorum, Domorum, & locorum ejuſdem Ordinis ubilibet nunc & pro tempore conſiſtentium, liberè & licitè poſſint, & valeant quæcumque bona, ſtabilia & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris, & in quocumque loco exiſtentia eorundem Monaſteriorum, Domorum, & locorum vendere, alienare, & permutare pro pretio, pactis, modis, & formis hinc inde conveniendis, licentiam, & facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus: Proviſo tamen quod præmiſſa omnia fiant pro commoditate, vel utilitate ipſorum Monaſteriorum, Domorum & locorum, & quod conſenſus duarum partium ex tribus partibus fratrum, vel monialium ipſius Monaſterii, Domus, vel loci, cujus dicta bona erunt, accedat, & interveniat abſque aliàs à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, pro tempore exiſtentibus, aut Sede Apoſt. vel illius de latere Legatis, ſeu Nuntiis, aut etiam locorum Ordinariis petenda vel obtinenda licentia, ſeu confirmatione.

§.3. Ita tamen, quod loco conſenſus Sedis Apoſt. dilectus filius Prior Generalis dicti Ordinis nunc & pro tempore exiſtens, & diligenter examinata, & re evidenter utili comprobata habeat, prout ſibi ex nunc perpetuò concedimus, poteſtatem ratificandi hujuſmodi permutationes, & alienationes, ac contractus, ſicque ubi talis ordo non fuit ſervatus, conceſſio, venditio, alienatio, ac contractus deſuper aliter facti, nulli, & invalidi, nulliuſque roboris, ac momenti exiſtant, & donec prædictus Prior Generalis modo prædicto non ratificaverit, poſſeſſio remaneat & remanere intelligatur penes ipſos fratres, ſeu moniales dicti Monaſterii, ſeu domus, aut loci, ſeu permutantis, & alienantis, ac ita in præmiſſis perpetuò declaramus, & decernimus. Et nihilominus ex nunc prout ex tunc, & è contra, poſtquam permutationes, alienationeſque, necnon contractus, ſervatis enarratis pro tempore facti, & per dictum Priorem Generalem ratificati fuerint, ut præfertur, ſeu conſenſus ejuſdem Prioris Generalis intervenerit, eaſdem permutationes, & alienationes, ac contractus, & deinde ſequuta quæcumque, necnon inſtrumenta & ſcripturas deſuper pro tempore confecta approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debère ſtatuimus.

§.4. Decernentes, quod ad utilitatem, ſeu commoditatem Monaſteriorum, Domorum, & locorum prædictorum aſſertioni duarum partium ex tribus partibus fratrum, vel Monialium illius loci, cujus bona erunt, poſtquàm ratificatio facta fuit, illaſque, & illa, necnon præſentes, & in eis contenta, validas, & efficaces, ac valida & efficacia perpetuò fore, necnon ab omnibus obſervari debere, ipſique, & cum eis contrahentes prædictos ſuper præmiſſis, & inde ſequutis quibuſcumque, per quoſcumque quavis auctoritate quomodolibet moleſtari, vel impediri non poſſe, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Quocirca Vener. fratri Epiſcopo Marceratenſi & dilectis filiis cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti, nunc & pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorum fratrum Carmelitarum, vel monialium, aut alicujus eorum ſuper his fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, quos illa concernunt integrè & inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos aut eorum aliquem deſuper contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.6. Non obſtantibus felic. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & piæ mem. Symmachi, ac Pauli Papæ II. prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, vel alienatis recuperandis, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis: necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Monaſteriorum, Domorum, & Ordinis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & irritantibus, ac aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, ac totis eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. — *Clauſulas contrariorum derogatorias appoſuit.*

§.7. Volumus autem, quod ſi ad alienationem bonorum ſtabilium ex cauſa majoris utilitatis, aut alia ratione ſuadente deveniendum erit, alienationes bonorum ad Monaſteria, & domos ejuſdem Ordinis ſpectantium non antea fiant, quam cum reperta fuerint bona eiſdem Monaſteriis, & Domibus utiliora, in quibus pretium rerum hujuſmodi alienatarum unico contextu realiter & cum effectu inveſtiatur, vel convertatur, alias alienatio ipſa ſit ipſo jure nulla.

§.8. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, etiam impreſſis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die tertia Februarii 1576. Pont. noſtri anno 4. — *D. P. An. 4. die 3. Febr.*

---

## Juriſdictio & facultates Præfecti Annonæ Urbis, & totius Status Eccleſiaſtici. XXXV.

*Pro regimine Annonæ Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium inſtituit Sixtus V. in conſt.* 74. Immenſa, *in* 4. *Congreg. Et ſubſidium ducentorum millium ſcutorum paravit pro ejus ſubventione in alia conſt.* 78. Abundantes. *Et iſte Præfectus cognoſcit etiam cauſas Piſtorum Urbis, ut in ejuſdem Six. conſt.* 36. Cœleſtis, §. 6. *Et procedit etiam contra mercantes frumenta, &c. ut in conſt.* 49. *Clem. VIII.* Frumenti.

*Edita A.D. 1576.*

GREGORIUS PAPA XIII.

*Motu proprio, &c.*

*Exordium.*

[illegible] officii [illegible] aſſiduè premimur, libentiſſimè [illegible] animo, per quam in ſtatu noſtro Eccleſiaſtico annona & abundè inveniri, & communi haberi pretio poſſit, noſtrique ex hoc ſubditi, quoad fieri poſſit, ſubleventur.

*Deputatio Andreæ Spinolæ Præfecti Annonæ, cum facultatibus, & privilegiis conſuetis, & maximè infraſcriptis.*

§. 1. Quare cupientes inſignem probitate, & experientia virum, qui prout res expoſtulat ipſa, nos adire quotidie, cuncta ad annonam hujuſmodi pertinentia collaturus commodè poſſit, de delictorum tamen filiorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericorum Præſidentiũ numero juxta antiquam hactenus obſervatam conſuetudinem præficere, ac de fide, probitate, integritate, prudentia, & multiplici rerum gerendarum experientia Dilecti filii Andreæ Spinolæ in utraque ſignatura noſtra Referendarii, dictæque Cameræ Clerici Præſiden. nobis affatim perſpectis, plurimum in Domino confiſi, ſperanteſque ea, quæ ejus curæ demandaverimus, omni cum laude geſturum, & executurum fore, Motu ſimili, &c. eundem Andream frumentariæ Annonæ Almæ Urbis, & reliqui ſtatus noſtri Eccleſiaſtici generalem Præfectum, ad noſtrum & dictæ Sedis beneplacitum, cum honoribus, oneribus, facultatibus, & auctoritatibus, juriſdictione, privilegiis, exemptionibus, & prærogativis ſolitis & conſuetis, ac dilecto filio noſtro Cæſari Brumano tunc ejuſdem Cameræ Clerico præſiden. & dictæ Annonæ nuper Præfecto, & quibuſvis ad aliis hujuſmodi Præfecturæ officium Annonæ hactenus deputatis quomodolibet in hunc uſque diem conceſſis, Apoſtolica auctoritate harum ſerie approbantes & ratificantes, omnia & quæcumque per eum hactenus geſta, facta, & ordinata hucuſque de novo conſtituimus, facimus, & deputamus.

*Facultas cogendi quoscũque ad notificandũ eorum frumenta & legumina.*

§. 2. Dantes illi in præmiſſis omnibus & ſingulis plenam facultatem & auctoritatem, tam in præfata Alma Urbe, quàm quibuſvis aliis nobis, & S.R.E. mediatè, vel immediatè ſubjectis Provinciis, Civitatibus, oppidis, & locis, frumenta, ac legumina cujuſvis generis, ſeu ſpeciei adnotandi & deſcribendi, ſeu adnotari & deſcribi faciendi, ac univerſas & ſingulas utriuſque ſexus perſonas cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis & præeminentiæ exiſtentes, eidem S.R.E. mediatè, vel immediatè ſubjectas, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, etiamſi perſonæ ſæculares hujuſmodi Ducali, Marchionali, & Comitis, vel alia majori, Eccleſiaſticæ verò Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primatiali, vel alia majori dignitate, ſeu dignitatibus præfulgeant, ac etiamſi Cardinalatus fungantur honore, vel etiam majores exiſtant, ad veram frumentorum, & leguminum, quæ ipſos tempore deſuper publicandorum edictorum, ſeu bannimentorum habere continget, quantitatem, etiam in ſcriptis medio juramento denuntiandi, quarum denuntiationum notulam etiam ad dilectum filium Aloyſium Card. Cornelium, necnon pro tempore Camerarium noſtrum deferri volumus, ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ac pecuniariis, necnon manifeſtæ rebellionis, læſæque Majeſtatis, ac dominiorum, & aliorum bonorum ſuorum confiſcationis, aliiſque ejus arbitrio imponendis & applicandis, cæteriſque pœnis, etiam quibuſvis eidem Andreæ videbitur, etiam per publicum edictum in locis ſibi beneviſis affigendum, vel aliàs publicandum monendi, & requirendi.

*Et prohibẽdi, ne illa aſportentur de loco ad locum, ſine ejus licentia.*

§. 3. Eiſque ne frumenta & legumina hujuſmodi extra dictum Statum Eccleſiaſticum, neque de loco ad locum, etiam loca ejuſdem ſtatus ſine ejuſdem Andreæ licentia aſportare ullo modo audeant, ſub ſimilibus pœnis inhibentes, inobedientes, ſeu contravenientes quoſlibet, in cenſuras & pœnas prædictas incidiſſe & incurriſſe declarandi, aggravandi, & reaggravandi, invocato etiam auxilio brachii ſæcularis, necnon executiones quaſlibet, tam reales quàm perſonales fieri mandandi.

*Fraudeſque deſuper committentes coercendi.*

§. 4. Præterea quoſcumque in præmiſſis fraudes committentes, vel aliàs noxios, & delinquentes mulctandi, ac quibuſvis etiam ultimi ſupplicii, vel aliis corporis afflictivis pœnis condemnandi, & ſeu ipſos, ac prædictos inobedientes, ſeu non parentes à quibuſvis cenſuris & mulctis, ac ut præfertur, afflictivis etiam ultimi ſupplicii pœnis [illegible] & liberandi, [illegible] cum eis concordandi, ac accordandi, [illegible] & tranſigendi, ac [illegible] ſibi beneviſas concordias, compoſitiones, [illegible]

*Frumenta, quæ & legumina quæ cogendi & emendi pretiis ſibi benevisis.*

§. 5. Item quaſcumque [illegible] leguminum hujuſmodi quantitates cogendi, ac [illegible] vel alio quovis titulo pro pretiis, & mo[illegible] ſibi videbitur acquirendi, proptereaque quaſvis pecuniarum ſummas mutuo, vel aliter capiendi, ac ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum quibuſvis Mercatoribus, & aliis perſonis quibuſlibet conventiones, & partitas quaſcumque, etiam cum quorumvis donativo, cum mutuantibus dandorum promiſſione & donatione faciendi, ac deſuper contractus & inſtrumenta qualibet, cum pactis, conditionibus, capitulis & clauſulis ſibi beneviſis celebrandi, & ineundi, ac pro illorum obſervatione præfatam Cameram, & omnia illius bona præſentia & futura in quavis, etiam pleniori ipſius Cameræ forma obligandi.

*Miniſtros ſuper deputandi cum ſalariis ab eo declarandis.*

§. 6. Necnon quoſcumque Commiſſarios, Officiales, & Miniſtros opportunos, aut aliàs ſibi beneviſos deputandi, & hactenus quomodolibet deputatos revocandi, & removendi, prout nos harum ſerie quoſcumque Commiſſarios, Officiales, & Miniſtros ſuper hujuſmodi frumentorum negotio hactenus etiam per nos quomodolibet deputatos revocamus, & removemus, eorumque proviſiones & ſalaria declarandi, eiſque illas & illa, ac aliis, quibus opus fuerit, quaſvis pecuniarum ſummas, & quantitates ex frumentorum & leguminum hujuſmodi venditione, conventionibuſque, ſeu partitis ineundi, vel alias hujuſmodi rei frumentariæ negotio quomodolibet provenientes, ſolvi & exburſari mandandi, omneſque & ſingulos quorumvis Civitatum Annonæ Præfectorum, à nobis hactenus quomodolibet deputatorum miniſtros, quovis nomine nuncupatos, quos circa hujuſmodi Annonæ negotium ſe quomodolibet ingeſſiſſe conſtabit, ad ſibi, ſeu à ſe deputandis de à ſe geſtis, & adminiſtratis rationes & computa reddentes, & reliqua, ſi quæ ſint, reſtituendi per ſimiles cenſuras & pœnas, aliaque juris & facti remedia opportuna cogendi, & compellendi, cogique & compelli faciendi.

*Cætera omnia neceſſaria, & opportuna faciendi.*

§. 7. Ac denique cætera omnia, & ſingula ad hujuſmodi rei frumentariæ negotium quomodolibet pertinentia gerendi, exercendi, & exequendi, ac edicendi, ſeu edici & proclamari faciendi, neceſſaria & opportuna, quæque omnes Clerici præſidentes Cameræ hujuſmodi, dum ſimul coadunati & congregati ipſam Cameram faciunt, & repræſentant, facere, gerere, exercere, & exequi, ac edicere, ſeu edici & proclamari facere poſſint & valeant: unumque vel plures loco ſui cum ſimili, vel limitata poteſtate ſubſtituen. & ejus arbitrio removendi.

*Officiales, ... & omnes ... Præfecti ...*

§. 8. Mandantes propterea dilectis filiis Camerario, & Theſaurario generali noſtris, necnon Clericis præſidentibus dictæ Cameræ, cæteriſque ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ut has noſtras in præfata Camera admittant, & in illius libris deſcribi & regiſtrari faciant, deſuperque patentes literas, & alias ſcripturas opportunas expediant & expediri mandent, auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, & Legatis de latere, eorumque Vicelegatis, ac tam dictæ Urbis, quàm aliarum Provinciarum, Civitatum, & locorum nobis, & S.R.E. mediatè & immediatè ſubjectorum quorumcumque Gubernatoribus, Locatenentibus, Prætoribus, Vicariis, & aliis quovis nomine nuncupatis Officialibus, & juſtitiæ Miniſtris, necnon Communitatibus & Univerſitatibus, eorumque Magiſtratibus, & perſonis publicis, & privatis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, etiam ſtrictius inhibendo, ne eundem Andream, aut ejus pro tempore Miniſtros in præmiſſis, vel aliis ad dictum rei frumentariæ negotium pertinentibus ullo modo, vel obtentu impediant, vel remorentur, aut moleſtent, imò ejus, & eorum nomine requiſiti, illi & illis deſuper opportunè faveant & aſſiſtant, ejuſque & eorum mandata, edicta, ſeu proclamationes, aut alias ordinationes exequi mandent, & faciant realiter & cum effectu.

*Clauſ. derog.*

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus etiam Apoſtolicis, necnon ſtatutis & reformationibus, etiam juramento, &c. roboratis,

roboratis, privilegiis [illegible] literis Apoſtolicis, [illegible] eiſdem [illegible] & earundem [illegible] Civitatum, Provinciarum [illegible] Communitatibus, ſeu Univerſitatibus [illegible] Ecclesiaſticis [illegible] Secularibus, [illegible] que ſupra deſignatis [illegible] quibuſvis perſonis [illegible] ſuper extractione [illegible] & legatorum, etiam per Sedem Apoſtolicam & Cameram præfatam, in genere vel in ſpecie, tam ex cauſa onerosa, ac ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac aliàs quomodolibet conceſſis, & concedendis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, &c. eorum tenores, &c. illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè harum ſerie latiſſimè derogamus, illaque adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe, ſeu debere decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sola ſignatura ſufficit.*

§. 10. Decernentes præſentium noſtram ſolam ſignaturam ſufficere, & ubique in judicio & extra, in Romana Curia & extra, plenam fidem facere, regula contraria non obſtante. ſeu ſi eidem Andreæ videbitur, deſuper literas, etiam per Breve noſtrum, etiam cum omnium & ſingulorum præmiſſorum pleniori ſpecificatione & expreſſione, ac quarumcumque ſcripturarum deſuper neceſſariarum ad verbum, ſi videbitur, inſertione, aliiſque clauſulis & cautelis neceſſariis & opportunis, adeo quod contraria quæcumque prorſus tollantur, & non obſtent, ſimul vel ſeparatim expedire poſſe.

*[illegible] tranſumptorum.*

§. 11. Ipſarumque præſentium, & etiam dictarum literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem adhiberi, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*[illegible] ſubſcr.*

Placet Motu proprio V.

*[illegible]miſſio in Camera Pont. [illegible] 4. die 7. Maii.*

*Die 7. Maii 1576. admiſſa fuit in Camera Apoſt. & per RR. PP. DD. Clericos regiſtrari mandata, quam ego Not. infraſcriptus in lib. diverſ. regiſtravi.*

---

## [X]XXVI. Quod religioſi, & perſonæ Societatis JESU ad publicas proceſſiones accedere non cogantur.

*Alia de hac Societate vide ſup. apud conſtit. 25. Pauli III.* Regimini, *ſup.*

*[illegible] An. D. 1576.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*[illegible]*

QUæcumque ſacrarum Religionum inſtituta offendere, & illarum perſonarum functiones & ſalutaria miniſteria retardare noſcuntur, noſtrum nos incitat officium de medio removere.

*[illegible] Societas [illegible] inſti[illegible] non cogi[illegible] ad publicas ſupplicationes.*

§. 1. Sanè licet ſicut accepimus, dilecti filii Præpoſitus Generalis, & alii presbyteri religioſi Societatis JESU, ab illius primæva erectione à Sede hac Apoſtolica juxta divinæ vocationis directionem emanata, & per Nos etiam confirmata, ad divinum officium privatim tantum, & non in communi, ſeu in choro recitandum teneantur, ac propter ipſius Societatis tam multa Collegia & Seminaria, quæ ſpecialem poſtulant inſtituti religioſi modum, necnon miniſteriorum illius amplitudinem, ac difficultatem, & in Eccleſia Dei utilitatem, ex antiqua conſuetudine jam inde ab hujuſmodi erectione recepta obſervatum, decretoque etiam generalis eorum Congregationis deſuper edito, ne ad publicas ſupplicationes, ſeu proceſſiones quivis ex illius perſonis accederent, niſi ubi propter hæreticorum vel gentilium converſionem, aut alias expediens eſſe pro tempore exiſtens Generalis ipſius Societatis Præpoſitus judicaret, ordinatum fuerit.

*Ordinarii tamen [illegible] Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 13.*

§. 2. Nihilominus nonnulli locorum Ordinarii, forſan Concilii Tridentini auctoritate & decreto moti, dictos presbyteros ad ſupplicationes prædictas procedere nuper coëgerunt, non ſine illorum functionum, ac miniſteriorum retardatione.

*Hic modo Pōt. [illegible] de cau[illegible] ſit eam voluit ab hujuſmodi publicis ſupplicationibus.*

§. 3. Nos igitur, qui præfatos presbyteros & religioſos dictæ Societatis à ſtudiis, lectionibus, prædicationibus confeſſionibus audiendis, & aliis verbi Dei miniſteriis, ac pietatis operibus, quibus [illegible] laudabiliter incumberent, & incumbere non deſiſtunt, quavis [illegible] cauſa [illegible] nolumus; Conſiderantes in Eccleſia Dei non deeſſe alios Ordines religioſorum, qui vel ex inſtituto, vel abſque propriarum functionum impedimento ſupplicationibus hujuſmodi intereſſe, aliaque publica divina officia exercere ſanctè, continenterque valeant, in præmiſſis opportunè providere, ipſoſque Præpoſitum, Presbyteros, & eorum ſingulos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectũ præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad dictorum Præpoſiti, & Presbyterorum, vel aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione Præpoſitum, ac omnes & ſingulos presbyteros, ac religioſos & perſonas alias omnes dictæ Societatis [illegible]que locorum exiſtentes, ab intereſſentia ſupplicationum ſeu precum, aut proceſſionum hujuſmodi, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò eximimus & liberamus.

*Nulli igitur eos deſuper moleſtent.*

§. 4. Diſtrictius inhibentes quibuſvis locorum Ordinariis, etiam Patriarchali, vel Archiepiſcopali dignitate, ac etiam Cardinalatus & Legationis Sedis Apoſtolicæ honore præfulgentibus, & aliis perſonis quacumque auctoritate fungentibus, ne modernos, & pro tempore exiſtentes Præpoſitum & alios presbyteros, & Religioſos Societatis hujuſmodi ad proceſſionibus præfatis intereſſendum, quavis occaſione, cauſa, ſeu quovis prætextu, ingenio vel colore, directè vel indirectè, mediatè vel immediatè cogere, aut deſuper præmiſſis moleſtare, perturbare, vel inquietare, ſeu moleſtari, perturbari, aut inquietari facere audeant, vel præſumant, ſeu permittant.

*Executorum & [illegible] rum S[illegible] tis deputatio.*

§. 5. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus generalibus, & Curiæ cauſarum Cam. Apoſt. generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet ſpectat & ſpectabit, per eaſdem præſentes mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpoſiti, presbyterorum, & religioſorum Societatis hujuſmodi, vel alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibus & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorum.*

§. 6. Non obſtantibus felic. record. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium trahatur, & aliis Apoſtolicis, necnon in generalibus, provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptorum fides.*

§. 7. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam Præpoſiti ipſius Societatis mu-

nitis eadem prorſus fides, tam in judicio, quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi forent [illegible] vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 5. die 16. Julii.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Julii 1576. Pont. noſtri anno 5.

---

XXXVII. Quod Confeſſores in vim privilegiorum Cruciatæ ſanctæ eligendi, neminem ab incurſu & lapſu in hæreſim abſolvere poſſint.

*Edita A.D. 1576.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.* Officii noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, ne gratiæ & privilegia à Sede Apoſtolica ad animarum ſalutem emanata, in illarum detrimentum interpretentur, aut extendantur.

*Cauſa hujus declarationis.* §. 1. Nuper quidem accepimus, nonnullos curioſa & ſubtili magis, quàm vera interpretatione prætendere, in vim privilegiorum Cruciatæ ſanctæ ab eadem Sede conceſſorum eligendi confeſſores, qui à nonnullis criminibus & exceſſibus abſolvere poſſint, à lapſu, & incurſu in hæreſim abſolvendi facultatem & auctoritatem, ſaltem in foro conſcientiæ habere.

*Declaratio, de qua in rubr.* §. 2. Nos autem omnem dubitandi occaſionem in præmiſſis removendam eſſe exiſtimantes, ne circa id ullo tempore hæſitari contingat, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, felic. record. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri, ac noſtræ intentionis nunquam fuiſſe, vel eſſe, dictis confeſſoribus aliquo modo abſolvendi ab incurſu in hæreſim, quod crimen uti cæteris graviſſimum ſpeciali nota eſt dignum, facultatem concedere, nec illam per dictum prædeceſſorem, & nos unquam conceſſam fuiſſe, vel eſſe cenſeri, aut ipſis confeſſoribus dictorum privilegiorum auctoritate electis abſolutionem impartiri licuiſſe, neque in poſterum licere, aut abſolutiones, quæ jam forſan eo caſu ſub datorum privilegiorum prætextu per confeſſores impenſæ, nemini ſuffragari potuiſſe ſive poſſe, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus & declaramus.

*Facultas Cõmiſſarii Cruciatæ, illã in vulgare idioma redigendi, &c.* §. 3. Et ut Chriſti fideles ſupradictæ declarationis commodius notitiam habere poſſint, licentiam & facultatem concedimus Commiſſario generali dictæ Cruciatæ, illa de Latino ſermone in vulgari juxta linguam provinciæ, ubi publicatio ipſius Cruciatæ facienda erit, redactam, unà cum facultatibus dictæ Cruciatæ, & per modum exceptionis, in ſuo loco, ſive ad partem imprimi poſſe facere, in contrarium facientibus quibuſcumque non obſtantibus.

*Fides tranſumptorum.* §. 4. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Apoſtolici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Commiſſarii, ſeu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 5. die 23. Sept.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Septembris 1576. Pont. noſtri anno 5.

---

XXXVIII. De Confraternitate Recommendatorum B. M. Virginis, Confalonis poſtea nuncupata, Romæ anno 1264. à nonnullis Patritiis Romanis inſtituta. Ac de modo orandi, ſive Corona à S. Bonaventura ejus Confratribus præſcripta, indulgentiarumque elargitione.

*Hanc ſodalitatem in Archiconfraternitatem hic idem Pont. poſtea crexit, cum poteſtate alias ſibi Confraternitates aggregandi, cum indulgentiarum communicatione, die 26. Aprilis 1579. ſed ejus Bullam prætermiſi. Extat etenim de forma aggregandi nova diſpoſitio Clem. VIII. in ſua conſt.* 115. Quæcumque. *Et de d. erectione habetur in omnibus Bullis mox cit.*

Eidem Archiconfraternitati opus captivos Sedis Apoſtolicæ ſubditos ab [illegible] redimendi [illegible]gavit hic idem Pontifex in [illegible], ubi etiam privilegium duos incarceratos liberandi [illegible]. Et pro opere d. [illegible] annuo [illegible] eſt Sixtus V. in ſua conſtit. 27. Cum [illegible] que ſpecialem [illegible] Archiconfraternitatis [illegible]gavit in alia conſtit. 37. Cum [illegible]. Et circa indulgentias videnda erit nova diſpoſitio Pauli V. firmata ſub die 23. Octobr. 1606. mox in lucem edenda.

*Edita An. D. 1576.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Exordium.* Paſtoris æterni, qui non vult mortem, ſed converſionem peccatoris, vices licet immeriti gerentes in terris, Chriſti fideles ſingulos, præſertim piis ſodalitatibus, ad charitatis & miſericordiæ opera exercenda ſub glorioſiſſimæ Virginis Mariæ nomine, & vexillo inſtitutis adſcriptos, ad devotionis ſinceritatem erga Salvatorem, & Dominum noſtrum Jesum Christum, cui pro ipſis ab æterna morte redimendis in ara Crucis immolato nulla condigna reverentia, nulluſque ſatis congruus honor, ulla ratione poſſet unquam exhiberi, per ampliùs augendum, frequenteſque & efficaces orationes ſibi, tam pro eorum, quàm aliorum Chriſti fidelium etiam defunctorum animarum ſalute devotè effundendum, eſca ſpiritualium alimentorum, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus libenter invitamus, ut exinde ſuorum abolita macula delictorum, promiſſæ redemptionis fructum faciliùs conſequi, & ad ſempiternæ gloriæ beatitudinem feliciter pervenire mereantur.

*Sodalitas S. Mariæ Confalonis de anno 1264. inſtituta & à Pontificibus decorata diverſis privilegiis.* §. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, ſuperioribus temporibus, videlicet de Anno Domini 1264. in Alma Urbe noſtra admodum inſignis Societatis Regulæ Recommendatorum ejuſdem B. Mariæ Virginis primò, & deinde Confalonis nuncupata, per nonnullos Patritios Romanos, & alios eximios, ac egregios viros ex revelatione ipſius Mariæ Virginis, ut piè creditur, canonicè inſtituta, ac inſignibus, & præclaris privilegiis, indulgentiis, aliiſque peccatorum remiſſionibus per diverſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros decorata.

*Et quòd Corona ſeu modo orandi à S. Bonaventura Confratribus data fuit.* §. 2. Et inter cætera pro illius felici directione, & animarum dilectorum filiorum ipſius Societatis Confratrum, tunc & pro tempore exiſtentium ſalute, eorumque devotionis incremento, divini nominis, ac ejuſdem B. Mariæ Virginis honore & gloria per S. Bonaventuram tunc in humanis agentem, & Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſorem, piè ſtatuta & ordinata, eiſdem Confratribus certa, facilis, commoda, & omnibus pervia orandi, & Altiſſimo preces effundendi ratio, & forma, Corona nuncupata, præſcripta fuerit, videlicet quod ipſi Confratres loco horarum canonicarum, viginti quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, cum verſu incipiente, Gloria Patri, in fine Pſalmorum recitari ſolito, necnon ſepties orationem, ſalutationemque hujuſmodi, cum verſiculo Defunctorum nuncupato, qui incipit, Requiem æternam, & ejus reſponſorio recitare tenerentur.

*Confratribus ſic orantibus variæ indulgentiæ conceſſa fuerunt.* §. 3. Ipſis autem Confratribus ſub hujuſmodi forma piè orantibus varias indulgentias, & peccatorum remiſſiones conceſſas fuiſſe, multorum fide dignorum teſtimonia à ſuis majoribus quaſi per manus tradita & accepta comprobent. Cæterùm propter diuturni temporis hujuſmodi lapſum, illiuſque varias calamitates ac injurias, de conceſſionibus indulgentiarum, & remiſſionum hujuſmodi aliter quam ut præfertur non conſtet.

*Hic modo Pontif. ut [illegible] mam orandi obſervent, & aliis piis operibus [illegible] ſtudeant.* §. 4. Nos cupientes ut ipſa Societas, cujus Confratres prædicti, ut etiam accepimus, in Virginibus pauperibus nuptui ſingulis annis tradendis, Miſſis & aliis divinis Officiis in eorum Oratorio celebrandis, aliiſque piis operibus non ſine ſummo religionis, & charitatis Chriſtianæ fervore intenti, laudabiles effectus producere non ceſſant, & ad quam dilectus filius noſter Alexãder tituli S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Sfortia nuncupatus, Viceprotector,

protector, & Angelus Capranica, & Hortenſius Franci-
panis, necnon Joannes Dominicus Guelphus, & Vale-
rius de Valle, Patritii Romani moderni Cuſtodes ejuſ-
dem Societatis dilecti filii ſingularem gerunt devotionis
affectum, proſperis incrementis jugiter proficiat, & in
debita veneratione habeatur, ac non ſolùm illius, ſed
etiam quarumcumque aliarum ei nunc aggregatarum, &
deinceps aggregandarum Societatum Confratres pro
tempore exiſtentes, eo ferventius & libentius formam
orandi hujuſmodi cum devotionis incremento obſer-
vent, & recitationi Coronæ præfatæ intendant, quo
exinde majoribus donis ſpiritualibus ſe refectos fore
conſpexerint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB.
Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi.

*...lgentias ...nunc a- ...largitur. ...ad indul- ...us vide ...hic no- ...in rubr.*

§. 5. Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fide-
libus in confratres, tam Confalonis quàm aliarum ei ag-
gregatarum & aggregandarum Societatum hujuſmodi
pro tempore receptis, qui forma præſcripta hujuſmodi
oraverint, & dictam Coronam devotè recitaverint, Do-
minicis & aliis feſtivis viginti, cæteris verò non feriatis
diebus decem annos de eis injunctis, vel alias quomodo-
libet debitis pœnitentiis, quo die prædictorum id fece-
rint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium miſeri-
corditer in Domino relaxamus. Dictis verò Confratribus
in Nativitatis & Reſurrectionis, ac Pentecoſtes Domini
noſtri Jesu Christi, cæteriſque tam in illius, quam
ejuſdem B. Mariæ Virginis honorem celebrari ſolitis fe-
ſtivitatibus, eandem Coronam etiam recitantibus, quo
die feſtivitatum id fecerint, plenariam omnium peccato-
rum ſuorum, de quibus ore confeſſi, & corde contriti
fuerint, indulgentiam & remiſſionem auctoritate & teno-
re prædictis concedimus & elargimur. Declarantes ean-
dem indulgentiam aſſequi etiam illos ex Confratribus
prædictis, qui eorum vita durante ſingulis diebus, ceſſan-
te legitimo impedimento, eandem Coronam ſimiliter re-
citaverint, & in mortis articulo confeſſi & contriti de-
ceſſerint, ſeu id facere nequeuntes, contritionis ſigna
exhibuerint & oſtenderint, vel ad minus ter in hebdo-
mada eandem Coronam recitantes, & in illorum mortis
articulo dictam Coronam ſupra ſe habentes, ſanctiſſi-
mum nomen Jesus ore, ſeu ſaltem corde invocaverint.
Et inſuper ut animarum Chriſti fidelium, tam vivorum
quam defunctorum ſaluti peramplius conſulatur, eiſdem
Confratribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ut Co-
ronam prædictam quadrageſimalibus, & aliis anni tem
poribus ac diebus, quibus in Eccleſiis dictæ Urbis &
extra illius muros exiſtentibus ſtationes ſunt indictæ,
recitando, omnes & ſingulas indulgentias, peccatorum-
que remiſſiones, tam pro ſe, quam per modum ſuffragii
pro Confratribus in Chriſti charitate defunctis, pro qui-
bus illam recitaverint, conſequantur, quas conſequeren-
tur, ſi eiſdem temporibus & diebus, Eccleſias ipſas pro
eiſdem ſtationibus & indulgentiis deputatas perſonali-
ter viſitarent. Et poſtremò, ut ſi ipſi Confratres, pariter
confeſſi & contriti ſingulis ſecundis feriis cujuſlibet
menſis, ac etiam die Commemorationis defunctorum Co-
ronam ipſam cum verſiculo, & reſponſorio prædictis in-
cipien. Requiem æternam, genibus flexis, pro cujuſcum-
que Confratris anima, quæ Deo in charitate conjuncta ab
hac luce migraverit, pariter recitaverint, per hujuſmodi
recitationem anima ipſa, eorundem Domini noſtri Jesu
Christi, & B. Virginis Mariæ, ac beatorum Apoſtolo-
rum Petri & Pauli, aliorumque Sanctorum meritis ſuf-
fragantibus, à Purgatorii pœnis liberari valeat, eiſdem
auctoritate & tenore etiam concedimus, & indulgemus.

*Clauſula ...rativa.*

§. 6. Præſentibus literis, quas ſub quibuſvis ſimilium
vel diſſimilium indulgentiarum revocationibus, limita-
tionibus, ſuſpenſionibus, ac aliis contrariis diſpoſitioni-
bus comprehendi, quavis etiam dicta auctoritate, etiam
per nos & pro tempore exiſtentes Romanos Pontifices
ſucceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, aut alias ex
quacumque quantumvis urgentiſſima ac neceſſaria cau-
ſa, etiam in favorem Baſilicæ ejuſdem S. Petri de dicta
Urbe, Cruciatæ ſanctæ, vel expeditionis contra infide-
les, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, in gene-
re vel in ſpecie, & alias quomodolibet factis & emanatis
nullatenus unquam comprehenſas, & quoties illæ ema-
nabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſti-
tutas, ac de novo, etiam ſub quacumque etiam poſterio-
ri data per pro tempore exiſtentes ipſius Societatis
Confalonis Cuſtodes eligenda conceſſas, reſtitutas, &
plenariè reintegratas eſſe, fore & cenſeri, ac Confratri-
bus & aliis prædictis ſuffragari debere decernimus, per-
petuis futuris temporibus valituris, etiamſi Societati, &
illius Confratribus prædictis aliqua alia indulgentia
perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duratura, per
nos, vel Sedem eandem conceſſa fuerit.

§. 7. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, *Fides tranſumptorum.*
etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcri-
ptis, & ſigillo dictæ Societatis, ſeu alicujus perſonæ in
dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus
fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhibere-
tur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 12. *D. P. A. 5. die 12. Octobris.*
Octobris 1576. Pont. noſtri anno quinto.

---

## Quod pro Religione Clericorum Regularium Societatis Jesu, ubique Eccleſiæ, & domus ædificari poſſint, non obſtan. privilegio aliis Ordinibus conceſſo & concedendo, quod propè eorum loca nova Monaſteria conſtrui nequeant. XXXIX.

*Hoc privilegium quod omnibus ferè Mendicantibus ob communicationem privilegiorum prodeſſe puto, ſpecificè Sedes Apoſt. dedit Ordini S. Franciſci, & Ordini S. Dominici, ut videre eſt ſup. in conſt. 21. Jul. II.* Exponi, *ubi notavi. Ac Ordini Eremitarum Sancti Auguſtini, ut in conſtit. 2. Bonifacii VIII. Alia autem de hac ſocietate indicabo hic infrà in conſtit.* 89. Aſcendente.

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita An. D. 1576.*
*Ad futuram rei memoriam.*

SAlvatoris Domini noſtri Jesu Christi, qui chari- *Exordium.*
tas eſt, & Deus Pacis, his in terris vices licèt imme-
riti gerentes, ea quæ pacis ſunt, præſertim cum militan-
tis Eccleſiæ firmamentum, omniſque filiæ Sion decor, in
animorum conjunctione, pace, & tranquillitate verſetur,
noſque unum in Chriſto corpus ſimus, pro noſtri debi-
ti officio, tanquam ipſius myſtici corporis caput quæ-
rentes litium quarumvis, quæ fraternam dilectionem la-
cerant, maxime verò quæ inter religioſas perſonas ven-
tilantur, occaſionibus obviamus, exortaſque quantum
cum Deo poſſumus conſopimus.

§. 1. Sane, ut accepimus, licet dilecti filii presbyteri *Soc. Jeſu multa ſunt ſtrenuea & ſtudiis.*
venerabilis Societatis Jesu in vinea Domini, tanquam
fructiferi palmites, in toto fere orbe, tam in continen-
dis in via mandatorum Chriſti fidelibus, infirmis in fide
conſolidandis, ægrotiſque ſanandis, confractis alligan-
dis, & abjectis reducendis, ovibuſque diſpertis, & lupis
veſpertinis, leonumque famelicis catulis in devoratio-
nem expoſitis, reclamandis & defendendis, quam etiam
iis, quæ extra ovile Chriſti, ſacroſanctique Imperii noſtri
tutelam, ſub ignorantiæ jugo in obſcuris & tenebricoſis
lucis, ac deſertis, per montuoſas ac difficiles vias aber-
rant, convertendis, & ad nationes catholica religione
imbutas, & ad immanes, barbaraſque divini cultus, po-
liticique ornatus ignaras gentes, ferino potiùs quam
humano more viventes, ſeſe extendentes, optimum &
uberrimum fructum attulerint, & in dies majori cum
ſollicitudine afferre, zizania extirpare, bonum ſemen re-
novare, plantare, terraſque incultas Evangelico, ac Eccle-
ſiaſticæ diſciplinæ vomere eruderare non ceſſant.

§. 2. Ac dudum propter ipſius Societatis, tam utiles, *Ideoque Paul. III ejus inſtitutum confirmavit ſuprà in co. 5. Regimini.*
tamque neceſſarias functiones, quæ tum in domibus per
frequentem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentorum
adminiſtrationem, & ad eorum frequentationem ſectan-
dam exhortationem, prædicationemque, & ſpiritualia
exercitia,

exercitia, ac alia verbi Dei miniſteria, tum in Collegiis per lectiones, tam bonarum literarum quam Philoſophiæ etiam & Theologiæ ad juventutem bonis moribus & literis imbuendam, ex ipſius Societatis primæva inſtituti erectione, ac divina vocatione, magno Dei beneficio, & Eccleſiæ ſpirituali emolumento exercet, fel. rec. Paulus Papa III. ſpeciali privilegio, ut quæcumque domos, Eccleſias, & Collegia ædificare, vel conceſſa recipere & inhabitare poſſet, indulſerit.

*Jul. III. etiam conſt. 9.*

§. 3. Et deinde piæ memoriæ Julius etiam Papa III. indultum hujuſmodi confirmaverit.

*Pius IV. conceſſit indultū cann. 140. ut hic, ſed ejus Bullam non poſui.*

§. 4. Et ſucceſſivè recolendæ memoriæ Pius IV. prædeceſſores noſtri idem indultum, etiam intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicantium; de novo conceſſerit.

*Hic Pont. confirmavit.*

§. 5. Neque poſtremò cum lis & cauſa, ſeu controverſia, aut quæſtionis materia deſuper occaſione certæ domus per ipſos presbyteros à dilecto filio Comite de Orgaz Toleti emptæ, conceſſionem ejuſdem Pii prædeceſſoris confirmantes, emptionem dictæ domus rectè factam, & in ea presbyteros ipſos habitare poſſe & debere declaraverimus, & aliàs prout in ſingulis literis Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur.

*Quia tamen Societas adhuc moleſtatur.*

§. 6. Nihilominus præfati presbyteri à diverſis dictorum Ordinū religioſis diverſimodè, vigore ſeu prætextu privilegiorum hujuſmodi cannarum adhuc, prout de facto, tam in Mexicana, quam in Guaxicana novæ Hiſpaniæ civitatibus, non ſine animi noſtri diſplicentia, moleſtantur, immò & excommunicationis ſententia interdum feriuntur, in Chriſtiani populi ſcandalum non modicum.

*Hic propterea Pont. ex iſtis cauſis hic relatis.*

§. 7. Nos igitur attendentes dictam Societatem, quæ quamvis Collegia habeat annexa, & hæc redditus pro ſtudentium neceſſitate habere poſſint, inter Mendicantium Ordinum religiones, per ſanctæ memoriæ Pium Papam V. ſimiliter prædeceſſorem noſtrum per quaſdam ſuas in forma Brevis literas, ſub die 7. menſis Julii, Pontificatus ſui anno 6. expeditas, adſcripta & declarata, ac privilegiorum Ordinum Mendicantium particeps effecta fuit, ex ejus inſtituto & conſtitutionibus Apoſtolica auctoritate confirmatis, bona ſtabilia poſſidere non poſſe, ſed incertis eleemoſynis, fideliumque largitionibus, & ſubventionibus vivere, nec minus quam cæteros Mendicantes Ordines, in excolenda vinea Domini, aſſiduè laborare, immò nec alios juxta ſe domos, & Monaſteria ædificare prohibere, neve ullum, aut certè quamminimum præjudicium aliis religioſorum monaſteriis ex Societatis, Domorum, Collegiorum, & Eccleſiarum vicinitate provenire, ex eo quod propter diverſam ſanctionum & inſtituti rationem, Societas ipſa nec chori uſum habet, nec ad funerales aſſociationes accedit, nec defunctorum funera, niſi rara, nulla item Miſſarum, vel ſepulchralia ſtipendia, nullas ſepulchrorum, vel capellaniarum fundationes, nullam denique prorſus eleemoſynam, quæ ad quodvis ipſius Societatis miniſterium, vel opus dirigi intelligatur, admittit. Ac prout noſtrum Nos invitat officium, inconvenientibus hujuſmodi obviare, ac ſcandala quæcumque & contentionum, præcipuè inter religioſas perſonas, occaſiones removere, necnon tam ſalubribus dictæ Societatis miniſteriis, quæ pro eorum dignitate, ac majori fidelium fructu, in locis aptis, ubi major ſeges, & frequentior populi conſuetudo viget, exerceri & miniſtrari debent, viam potiùs aperire, quàm impedimenta ulla objici permittere volentes.

*Privilegium cannarū quibuſcumque Ordinibus cōceſſum reſpectu hujus Societatis revocat, non obſtante nova conceſſione per eos obtinenda. Tu vide novum privilegium Carmelitis Diſcalceatis elargitum à S. D.*

§. 8. Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, eoſdem presbyteros, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac ſupradictarum literarum, necnon & aliorum Ordinum, privilegiorum, & in eis contentarum clauſularum tenores, ac alia etiam forſan circa præmiſſa de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habentes, ac privilegia dictorum Ordinum ſuper non ædificatione infra dictas cannas, quoad dictam Societatem tantum, ſuſpendentes, revocantes ac invalidantes, ſilentium perpetuum quibuſvis ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo vigore cujuſvis confirmationis, aut ampliationis, & de novo conceſſionis dictarum cannarum à Sede Apoſtolica quomodolibet, & pari motu, etiam conſiſtorialiter, ac cum quibuſvis præſentium derogationibus ſpecificè factis, obtentarum, & in futurum obtinendarum, contra præſentium tenorem venientibus imponentes.

*N. Paul... ſua conſt... Ad Eccl...*

*Et facult... Eccleſias, domos fa... candi co... dit. Tu ad hoc... de conſtit. Clem. VI... Quoniam...*

§. 9. Eiſdem presbyteris & Societati, ut quæcumque Domos, Collegia, Eccleſias & alia ædificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare, ac quæcumque loca, Domos, Eccleſias, Oratoria, & alia cujuſcumque ſtructuræ ædificia, ſibi quomodolibet relicta, vel oblata recipere, acceptare, emere, poſſidere & retinere, ac in eis omnia & ſingula, functiones, lectiones & miniſteria, in aliis ejuſdem Societatis Domibus, Collegiis, Eccleſiis, & aliis locis fieri & exerceri ſolita, habere, facere, & exercere liberè & licitè poſſint & valeant, earundem præſentium tenore de ſpecialis dono gratiæ concedimus & indulgemus, eoſque à quibuſvis cenſuris & pœnis in illos præmiſſorum occaſione forſan latis, abſolvimus.

*Privilegia Societatis ... nia confirm...*

§. 10. Necnon indulta per Paulum, Julium, & Pium prædeceſſores noſtros prædictos, & Nos eis, ut præfertur, conceſſa & confirmata, cum omnibus & ſingulis in eis contentis conceſſionibus, privilegiis, facultatibus, prærogativis, & aliis gratiis, declarationibus, derogationibus, aliiſque quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis decretis & clauſulis, approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

*Clauſulæ præſervativas appo...*

§. 11. Necnon oppoſitionem & contradictionem quorumcumque quovis titulo, vigore, prætextu, colore ipſis presbyteris præjudicium afferre, ac præſentes literas de obreptionis ſeu ſubreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu notari vel impugnari, ſuſpendi, revocari, annullari, invalidari, aut ad viam juris reduci, vel contra illas attentari non poſſe, neque debere, ſed illas perpetuò validas, efficaces, & illibatas exiſtere, & ubi aliquid contra eas extorqueri & obtineri contigerit, illas nihilominus in ſuo pleno & integro robore, abſque eo quod deſuper impetranda ſit à Sede prædicta illarum confirmatio, reſtitutio, revalidatio, vel nova conceſſio, permanere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter in poſterum contigerit attentari decernimus. Ac quaſvis excommunicationis ſententias, vigore talium privilegiorum cannarum, contra dictos presbyteros vel Societatem latas & ferendas, eos, vel eorum aliquem nullatenus afficere poſſe declaramus.

*Executores deputat.*

§. 12. Quocirca univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per præſentes pari motu mandamus, quatenus ipſi vel eorum quilibet, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum presbyterorum, aut alterius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos decreto, confirmatione, indulto, aliiſque præmiſſis pacificè gaudere, ac eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque perpetuò inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos ſuper eiſdem præmiſſis, vel eorum aliquo, per quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium religioſos, ſeu locorum Ordinarios, aut alios quoſcumque Judices & perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, & quacumque, etiam Pontificali, Regia, vel alia auctoritate fungantur, publicè vel occultè, directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè, quovis quæſito colore vel ingenio impediri, moleſtari, perturbari, vel aliàs quomodolibet inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 13. Non

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, ac pia memoria Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas quis auctoritate præſentium ad judicium trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumque ſuperioribus, & perſonis, etiam ſuper non ædificandis Eccleſiis, Domibus, Collegiis, & aliis ædificiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum cœnobiis & conventibus, vel monaſteriis & domibus, ac aliàs ſub quibuſcumque tenoribus & formis, per quoſcumque Romanos Pontifices conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac omnibus aliis, quæ Nos & prædicti prædeceſſores noſtri in ſingulis literis prædictis voluimus non obſtare. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non tamen per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, motu ſimili, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Tranſumptis fides. §. 14. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ, vel etiam Generalis Præpoſiti ipſius Societatis munitis in judicio & alibi ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D.A.5. die 30. Octobris. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Octobris 1576. Pont. noſtri anno 5.

---

XL. Juriſdictio Protomedici & Collegii Phyſicorum Almæ Urbis, quoſcumque Medicos in ea medentes examinandi, & non repertos idoneos ab exercitio medicinæ expellendi, atque coërcendi.

*Ejuſdem Collegii & Protomedici auctoritatem in Urbe doctorandi, & juriſdictionem cauſas ad Artem ſpectantes cognoſcendi, habes ſup. in conſt. 19. Jul. III.* Meritis, *& latius infra in Clem. VIII. conſt. 12. Et aliquid circa viſitationem Aromatariarum in Pauli V. conſt. 71. §. 25.*

An. D. 1576. *GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium. IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea noſtræ conſiderationis aciem libenter dirigimus, per quæ proviſionis noſtræ auxilio Artis Medicinæ miniſterium rectè & fideliter exerceatur, & ne in eo nonnullorum imperitia errores in alterius jacturam fiant, noſtri paſtoralis officii partes libenter impartimur, prout temporum qualitate penſata id perſpicimus ſalubriter expedire.

Cauſa hujus conſtit. §. 1. Cùm itaque ſicut accepimus in Urbe noſtra à diverſis Medicis & Artem Medicinæ exercentibus, etiam publicè Doctoratis, & privilegium Doctoratus, etiam à publicis & generalibus Studiorum Univerſitatibus habentibus quamplurimi & graviſſimi errores medendo, & Artem Medicinæ exercendo, etiam in hominum perniciem, & grave damnum committantur, dum nempe dicti Medici non admodum experti in remedia, & præſidia, quæ non conveniunt, quinimmò contraria & diverſa uſcumque præſcribant, adhibeant, & conſulant, etiam interdum, vel ſæpiùs experientiam & periculum dictæ Artis in rebus dubiis, & ipſis incognitis, cum maximo & evidenti hominum vitæ diſcrimine faciendo.

Conceſſio juriſdictionis de qua in rubr. §. 2. Nos pro noſtri Paſtoralis officii debito huic gravi malo occurrere, & in præmiſſis opportunè providere volentes, dictorum filiorum Protomedici & Collegii Phyſicorum dictæ Urbis in hac parte ſupplicationibus inclinati, eiſdem Protomedico nunc & pro tempore exiſtenti, ac Collegio Phyſicorum dictæ Urbis in eadem Urbe, omnes & ſingulos, ac quoſcumque Artem Medicinæ exercentes, etiam Medicos publicè, & in publicis Gymnaſiis, vel Univerſitatibus quibuſcumque doctoratos, & promotos, exceptis tamen illis Medicis, qui longo uſu, tam in ſtationibus Medicorum, ſive Collegiis habitis, quàm alias in exercitio Medicinæ probi & periti communiter exiſtimantur, ad ſe examini ſubjiciendum, & per interdictionem exercitii medicinæ compellere, & per ipſum Protomedicum, & duos alios de eodem Collegio examinare, & illos quos ad Medicinam exercendam non idoneos, nec ſufficientes repererint, exercitio Medicinæ hujuſmodi in ipſa Urbe prorſus interdicere, ſeu ab ipſo exercitio ad tempus, & donec, & quouſque ſtudio mediante ad melius profecerint, ſuſpendere, aut eis ne dictam Artem, niſi cum præſentia, vel conſilio alterius, vel aliorum Medicorum idoneorum, & à dictis Protomedico, & duobus de Collegio hujuſmodi approbatorum ullatenus exercere audeant, nec debeant, prohibere. Ac in contrafacientes, aut contradicentes quoſlibet quaſvis pœnas ipſi Collegio beneviſas, & arbitrio ejuſdem Collegii piis uſibus applicandas infligere, illaſque ab eis exigere, omniaque & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere & exercere liberè & licitè valeant, ac etiam debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & mandamus, ſicque etiam perpetuò ſtatuimus & ordinamus, necnon eiſdem Protomedico & Collegio, in & ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, licentiam, poteſtatem, & auctoritatem impartimur.

Prohibitio contra omnes impedientes. §. 3. Ac etiam Protomedicum & Collegium hujuſmodi, eorumque deputatos & deputandos ſuper præmiſſis omnibus & in ſingulis, ac illorum executione, per quoſcumque quavis auctoritate, & quocumque quæſito colore, ingenio, vel prætextu quomodolibet moleſtari, vel impediri non poſſe decernimus. Mandantes præterea dictis Medicis, qui ut præfertur, non idonei, nec ſufficientes pro tempore reperti fuerint, ut in virtute ſanctæ obedientiæ, & etiam ſibi per Collegium prædictum comminandis & infligendis pœnis, ejuſdem Collegii mandatis pareant & obediant.

Officiales eis faveant, & hujus bullæ obſervantiam curent. §. 4. Necnon dilectis filiis Curiæ cauſarum generali Auditori, Gubernatori, Vicario, & Senatori, ac Conſervatoribus Cameræ dictæ Urbis, cæteriſque jus dicentibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, quavis auctoritate fungentibus & functuris, ac juſtitiæ miniſtris dictæ Urbis, & quibuſvis aliis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, quatenus ipſi & eorum quilibet eiſdem Protomedico & Collegio in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, præſentes noſtras recipiant & admittant, ac inviolabiliter obſervent, & ab omnibus ad quos ſpectat & ſpectabit, obſervari mandent & præcipiant, faciantque Protomedicum, & Collegium hujuſmodi præmiſſis omnibus pacificè & quietè uti, frui & gaudere, nec permittant eos per quemlibet contra earundem præſentium tenorem quoquo modo moleſtari aut impediri, contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam pecuniarias, aliaque opportuna juris & facti remedia, quacumque appellatione remota compeſcendo, ac cenſuras ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Quibuſcumque non obſtantibus. §. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac privilegiis doctoratus in Medicina dictis Medicis qui, ut præfertur, non idonei,

idonei, nec ſufficientes pro tempore reperti fuerint quomodolibet, & etiam per quæcumque Gymnaſia, Collegia & Univerſitates, etiam generales, ac etiam prævio rigoroſo examine, etiam publicè facto, conceſſis & concedendis, necnon quacumque præſcriptione, etiam longiſſimi temporis, quo ipſi tales Medici, etiam abſque aliqua contradictione medicati fuerint, & artem prædictam etiam palam, & publicè nemine contradicente exercuerint, ac regula noſtra de non tollendo jure quæſito, ſi opus ſit, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus, dictæque Urbis & quorumcumque Gymnaſiorum, Collegiorum, & Univerſitatum, Studiorum, etiam generalium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, legibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam illis, eorumque ſuperioribus, & perſonis, ac etiam dictis Medicis, qui pro tempore non idonei, nec ſufficientes, ut præfertur, reperti fuerint, in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac in poſterum concedendis, confirmandis, & innovandis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſervanda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides tranſumptorum.* §. 6. Volumus inſuper quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut dicti Collegii munitis eadem prorſus fides adhibeatur, in judicio & extra illud, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 5. die 1. Nov.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Novembris 1576. Pontificatus noſtri anno quinto.

---

## XLI. Declaratio concordatorum inter Sedem Apoſtolicam & nationem Germanicam, circa collationes beneficiorum Eccleſiaſticorum, in menſibus reſervatis.

*Iſta concordata firmavit Nicolaus V. in conſt.* 1. Ad ſacram, *ubi notavi.*

*Edita An. D. 1576.* GREGORIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.* Quæ in Eccleſiam Dei incommoda inferunt, noſtra nos expedit animadverſione removere.

*Nicol. V. ſtatuit Ordinarios poſſe diſponere de beneficiis vacantibus in menſibus Sedi Apoſt. reſervatis, niſi fuerit à dicta Sede proviſum, ut ſup. in ejus conſtit. cit. in rub.* §. 1. Cum itaque per literas fel. record. Nicolai Papæ V. nationi Germanicæ, pro illius unione & concordia cum Sede Apoſtolica inter alia concedatur, ut quoties aliquo vacante beneficio Eccleſiaſtico in menſibus Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris, in quibus vacantium Germaniæ beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio dictæ Sedi ſpecialiter reſervata eſt, non apparuerit intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica auctoritate proviſum fuerit, ex tunc & non antea, Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinet, de illo diſponere poſſit, & ſæpenumero contingat, ut antequam inquiſitio, quam plerumque etiam in concurſu plurium, ſive in partibus, ſive apud dictam Sedem fieri oportet in vitam, mores & doctrinam eorum, quibus de dictis beneficiis per Sedem eandem providendum eſt, compleri poſſit, aut antequam de ipſis proviſionibus, ſeu de mandatis, quæ ad inquiſitiones & proviſiones hujuſmodi faciendas ab eadem Sede impetrantur, vel Motu proprio procedunt, literæ Apoſtolicæ conficiantur, vel etiam antequam mandata ipſa à Judicibus ad quos directa ſunt, recipiantur, vel recepta expediantur, interdum quoque literis Apoſtolicis expeditis, & gratia purificata, ſeu mandatis prædictis receptis, & inquiſitione completa, antequam omnimoda executio perficiatur, propter diverſa impedimenta, quæ frequenter ſuccedunt, tempus trium menſium, ex quo vacatio beneficii in loco ipſius nota eſt, expiret, ac proinde Ordinarii locorum, aut alii ad quos talium beneficiorum diſpoſitio, ceſſantibus Apoſtolicis reſervationibus, pertinet, lapſo tempore prædicto, licet priuſquam illud laberetur, proviſionis ſive alterius diſpoſitionis de illis à dicta Sede jam gratia facta fuerit (quod ipſum ad tribuendum, & quærendum jus ſatis ſuperque eſſe certa juris interpretatione frequenter declaratum eſt) illa tamen conferre contendant. Qua de cauſa multis religione & pietate inſignibus, quando ii poſt oſtenſum virtutis & doctrinæ ſuæ ſpecimen, atque inde emenſos labores, & ſumptus beneficiis potiri deberent, alii præoccupatores obtentu ordinariæ collationis hujuſmodi contra adverſantur.

§. 2. Nos indignum rati, quod temporis mora, quam ad perſcrutandam accuratiùs talium probitatem, induſtriam, & alia requiſita intercedere pro utilitate Eccleſiæ neceſſe eſt, locum injuriis aperiat, attendenteſque verba prædicta, in loco beneficii, cum verbis, notæ vacationis, quæ protinus antecedunt, conjungi, & ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis, ſenſumque conceſſionis, & literarum prædictarum ſic eſſe, ut diſpoſitio beneficii intra tres menſes à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter utriuſque juris interpretes jampridem controverſa ſumma ratione judicatum apparet, vix enim eſt, ut itineribus non modò infeſtis, aut prohibitis, quod fere ſemper alicui contingit, ſed etiam expeditis, quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel pauliſper moratus, in eaſdem ſe recipere tanta temporis anguſtia poſſit. Quocirca æquitate & juſtitia ſuadentibus, præſentium auctoritate declaramus, conceſſionem Nicolai Papæ, & literas prædictas locum omnino non habere, quod Ordinarii, aut alii collatores prædicti, poſt lapſum trium menſium ex die notæ vacationis in loco beneficii diſponere poſſint de ullis beneficiis prædictis, alias ſub conceſſione & literis prædictis comprehenſis extra Rom. Cur. in menſibus prædictis quoquo modo vacantibus, vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium menſium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiſcumque gratia, vel diſpoſitio, aut conceſſio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum ſit factam à Sede prædicta diſpoſitionem hujuſmodi in longum obtegere, illi quibus deinceps gratiæ hujuſmodi concedentur, etiam conceſſionum fidem & teſtimonium intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii hujuſmodi, vel dictis collatoribus ſignificare, vel in ipſo beneficii loco publicare quoquo modo teneantur. *Hic Pius declarat ſtatutum Nicolai.*

§. 3. Decernentes omnes & quaſcumque diſpoſitiones de dictis beneficiis, ab eiſdem collatoribus poſt ſignificationem, ſeu publicationem hujuſmodi pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti fore. Sicque in quibuſvis cauſis pendentibus, & futuris judicari debere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his ab eiſdem collatoribus, aut quibuſcumque aliis ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 4. Quod ſi fortè quiſquam collatorum prædictorum fuerit præſentium violator, eum à beneficiorum & officiorum collatione tandiu ſuſpendimus, donec ipſe veniam petens reſtitutionis gratiam à Sede prædicta meruerit obtinere. *Collat. inobedient. pœna.*

§. 5. Cæterum volumus ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

§. 6. Nulli

§.12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti, ſuſpenſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſt. ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1576. Kal. Novemb. Pontificatus noſtri anno 5.

*Anno à Nativitate Dom. 1576. Indict. 4. die verò 29. menſis Novembris, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 5. retroſcripta litera affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis S. Ioan. Lateranen. & Principis Apoſt. de Vrbe, & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Freyle, & Claudium Mongeat ejuſdem S.D.N. Pap. Curſ.*

*Ant. Ludovicus Mag. Curſ.*

---

LII. Inſtitutio Collegii Græcorum in Urbe, pro Scholaribus Nationis Græcæ piè alendis, & inſtruendis, cum annuorum redditüum aſſignatione, & indultorum conceſſione.

*Ad materiam Græcorum plenè notavi ſup. in conſt. 14. Innoc. IV.* Sub Catholicæ, *ibi videas.*

*GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

IN Apoſtolicæ Sedis ſpecula diſponente Domino, meritis licet imparibus conſtituti, ad univerſarum gentium, populorumque Chriſti fidem colentium ſalutem procurandam ita nos eſſe agnovimus debitores, ut non minus longè quam juxta poſitis, charitatis & vigilantiæ noſtræ ſtudium impartientes, quod expedire cenſemus, hucuſque pro viribus exequamur.

§.1. Itaque cum Chriſtiani Orbis partes mentis noſtræ oculis perluſtramus, inter varias horum temporũ ærumnas animum noſtrũ piget miſeratio Græcæ Nationis, quæ cùm olim literarum ſcientiarũque eruditionis præſtãtia & imperii floruerit ſublimitate, poſtea Turcarũ ſubjecta tyrannidi, ad extremam fuit redacta calamitatem, & quod miſerrimum eſt, corporum ſervitutem ſecuta eſt captivitas animorum, qua in tantam ſcientiarum omnium ignorantiam Græciæ populi devenerũt, ut vix ullus inter eos reperiatur, qui illas profiteri, & alios docere poſſit, atque adeo omnes, qui Epiſcoporum, presbyterorũ, alteriuſque Eccleſiaſtici Ordinis gradum inter eos obtinent fœdiſſimis ignorãtiæ tenebris obvoluti, ſacræ Theologiæ rudes, Catholicorum dogmatũ ignari, & ab orthodoxorũ religionis ſemita, & S.R.E. omniũ matris & magiſtræ obediẽtia recedẽtes, in varios errores, & ſchiſmata prolapſi sũt, & laïcos in eandem erroris foveam ſecum pertraxerunt.

§.2. Quocirca cupientes antiquam & celebrem Nationem ab hujuſmodi ignorantiæ, & eorum caligine ad veritatis lucem, & ſalutis viam revocare, nullum ad id aptius remedium à nobis exiſtimavimus poſſe adhiberi, quàm ſi in Alma hac Urbe noſtra Collegium erigatur, in quo pueri & adoleſcentes Græci ex ipſa Græcia, & aliis Provinciis ac locis, ubi commorantur inquiſiti, alãtur, & Græcis literis, liberalibus diſciplinis, ac ſcientiis, ſacra præſertim Theologia, Eccleſiaſticis præterea ritibus, à viris probatę fidei & doctrinæ ſedulo inſtituantur, & poſtquam in Catholicæ fidei firmitate ſolidati fuerint, & in hujuſmodi ſtudiis profecerint, ad eorum Provinciam & loca redeuntes alii, qui monaſticam vitam maluerint profiteri, cæteros Monachos & Religioſos Catholicè inſtruere, & ad monaſticam diſciplinam, regularemque obſervantiam à qua penitus declinare videntur, juxta Sanctorũ Patrum inſtituta revocare ſtudeant. Alii autem qui in Clerum adſcribentur, Nationis ſuæ populis prodeſſe, & præeſſe, animarum curam exercere, verbum Dei ſincerè prędicare, Populos ab erroribus & ſchiſmate removere, & ad ſalutarem orthodoxæ fidei veritatem reducere poſſint. Reliqui verò qui in laïcali vita permanſerint, publicè per Civitates aliorum Græcorum filios, ejuſdem fidei rudimenta & veritatem, literaſque & artes liberales edocere, ac ſimiliter in orthodoxæ religionis cultu continere valeant. Atque ita divina favente gratia ſperari poſſit, ut ſanctæ integra fidei prædicatio & doctrina in ipſa Græcia, & totius præterea Orientis partibus aliquando reſtituatur, priſcorumque gentis ejuſdem patrum lumina clareſcant. Proinde ad Omnipotentis Dei gloriam, ſanctæ fidei Catholicæ exaltationem, animarum eorundem Græcorum ſalutem, ac perpetuam ipſorum cum Eccleſia Romana unionem, Motu proprio, certaque ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, unum Collegium Græcorum puerorum, & adoleſcentum in eadem Urbe noſtra, loco ad id ſtatuendo auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus, eique dotis nomine centum ſcuta auri ex noſtris, & Cam. Apoſt. pecuniis, donec aliter opportunè provideatur, in ſingulos menſes ſolvenda aſſignamus. Præterea cum Cathedralis Eccleſia Chiſamen. Inſulæ Cretæ certo modo vacaverit, & vacet ad præſens, nos conſiderantes Eccleſiam ipſam Clero, populoque Latino, exceptis paucis quibuſdam Canonicis, qui tamen ab immemorabili tempore, ſive ob tenuitatem præbendarum, ſive alias ob cauſas ibi nunquam reſederunt, ſed Cydoniæ ibi propinquæ habitare ſoliti ſunt, omnino carere, convenire judicavimus, ſubſidiũ aliquod Collegio prædicto in ſuſtentationem Scholarium ex hujus Eccleſiæ fructibus applicare, donec Deo dante talis conſtitui poſſit Epiſcopus, qui etiam clero & populo Græco Sacramenta, & quæ ſunt Pontificalis ordinis valeat miniſtrare, quare omnes dictæ Chiſamen. Eccleſiæ fructus, redditus, & proventus, omniaque jura, obventiones, & emolumenta, exceptis ducentis ſcutis, annuè adminiſtratori, ſeu Vicario, qui à nobis eidem Eccleſiæ deputabitur perſolvendis, & annua penſione centum ſcutorum auri ſimilium, quam Venerabili fratri nunc Epiſcopo Milovien. ut commodius ſuſtentari poſſit, aſſignari decernimus, ipſi Græcorum Collegio à nobis erecto ad annos quindecim eadem auctoritate Apoſtolica applicamus, attribuimus, & aſſignamus, ita ut ab ipſius Collegii procuratoribus propria auctoritate ea omnia exigi, percipi, & levari, prædiaque, domus, & bona quæcumque locari, aliaque ad id opportuna & neceſſaria fieri poſſint.

§.3. Volumus autem idem Collegium, illiuſque Rectores, Oëconomos, Magiſtros, Præceptores, atque Scholares pro tempore in eo exiſtentes, & eorum domeſticos, Officiales & Miniſtros, ipſiuſque Collegii bona mobilia, & immobilia, cujuſcumque qualitatis & quantitatis in dicta Urbe & extra, ac alias ubique locorum conſiſtentia, exempta eſſe ab omni Juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate & poteſtate pro tempore exiſtentis Senatoris, Conſervatorum, Reformatorumque dictæ Urbis, necnon Rectoris ſtudii generalis, Vicarii Urbis, & Ordinariorum locorum, aliorumve quorumcumque Judicum & Officialium in ipſa Urbe, vel alias ubilibet conſtitutorum, Collegiumque ipſum ſuper propriis ejus rebus, & bonis, & cum ipſo, & ejus nomine ſupradicto contrahentes à ſolutione, & exactione omnis & cujuſcumque pedagii, gabellæ, bullettini, decimarum, & cujuſcumque alterius, tam ordinarii quam extraordinarii oneris ex quacumque cauſa impoſitorum & imponendorum eximimus, & prorſus liberamus, ac ſub beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, Nobiſque & dictæ Sedi immediatè ſubjicimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus. *Exemptionem à ſuperioritate Ordinariorum, & aliorum concedit.*

§.4. Eidemque quoque Collegio, & Scholaribus, Rectoribuſque & Oeconomis ut omnibus & quibuſcũque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus & indultis, quibus ſtudium generale Almæ Urbis, & illius Rector, Doctoreſque in eo etiam actu legentes, quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, uti potiri, & gaudere valeant, in omnibus & per omnia concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus. *Privilegia Studii Vrbis ejuſque Doctorum elargitur.* *Quæ vide ſup. in Bonif. VIII. conſt. 9.*

§.5. Necnon Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, Rectoribus, & aliis Judicibus, Officialibus & perſonis prædictis, ac pro tempore exiſtenti S.R.E. Camerario, Præſidentibuſque & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, ac quibuſvis Commiſſariis ad exactionem decimarum, & aliorum onerum præfatorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque literarum eis ſub quibuſcumque *Officialibus obſervantiam prædictorum demandat.*

tenoribus & formis [illegible] prætextu, Collegium, Scholares, Rectores, Oeconomos, Officiales & Miniſtros prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis quovis modo moleſtent, ſeu moleſtari permittant, diſtrictiùs inhibemus.

*Facultatem promovendi Scholares Collegii ad gradus tribuit.*

§. 6. Et præterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegii, cum aſſiſtentia tamen Cardinalium Protectorum, qui pro tempore fuerint, ſive alicujus eorum, vel de ipſorum conſilio & expreſſo conſenſu, illos quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint, ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratuſque Magiſterii gradus, ſervata Concilii Viennenſis juxta Univerſitatis ejuſdem Urbis conſuetudinem, ſeu alias promovendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi, quodque ſic promoti facultates in quibus ſtuduerunt legere & interpretari, & de eis diſputare, & quoſcumque gradui, ſeu gradibus hujuſmodi concernentes actus exercere, ac omnibus & ſingulis gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in prædicta, ſeu aliis Univerſitatibus, & alibi juxta illius, & aliarum Univerſitatum hujuſmodi conſtitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti, de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, perinde ac ſi gradus prædictos in ipſa Univerſitate juxta conſuetudinem & mores prædictos ſuſcepiſſent, cõcedendi & indulgendi liberam eadem auctoritate tribuimus facultatem.

*Cardinalem Protectorem Collegii deputat.*

§. 7. Inſuper ut ipſius Collegii conſervationi, bonoque regimini, tam in his, quæ ad inſtitutionem & diſciplinam, quàm quæ ad victum & veſtitum, aliaque hujuſmodi neceſſaria pertinent, opportunius conſulatur, Dilectos filios noſtros Jacobum S. Mariæ in Tranſtiberim Sabellum, & Guglielmum S. Laurentii in Paniſperna Sirletum, ac Julium Antonium S. Bartholomæi in Inſula Sanctæ Severinæ titulorum Presbyteros, necnon Antonium S. Mariæ in Coſmedin Diaconum Carafam, nuncupatos Cardinales ejuſdem Collegii Protectores & Defenſores conſtituimus & deputamus, quorum conſilio & ſpe ſupradicta, & alia quæcumque ad eoſdem in Collegio admittendos Scholares, retinendoſve, ac dimittendos ſpectantia agant & ordinent. Dantes eiſdem & pro tempore exiſtentibus Protectoribus plenam & liberam facultatem & auctoritatem pro ſalubri directione & conſervatione dicti Collegii, illiuſque bonorum & rerum, ac jurium, tam ſpiritualium, quàm temporalium, Oeconomos, Advocatos, Procuratores, alioſque miniſtros & officiales in eo deputandi, amovendique, & alios eorum loco ſufficiendi, ordinationeſque & ſtatuta, licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus & Concilio Tridentino non repugnantia, faciendi & edendi, eaque cum viſum fuerit revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ poſtquam facta, edita, revocata, immutata & correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata, & confirmata eſſent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magiſtris, Scholaribus, aliiſve perſonis in Collegio ſervientibus & miniſtrantibus inviolabiliter obſervari, ac juxta eorundem diſpoſitionem, & quibuſvis Judicibus, ſublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari ac definiri debere. Et ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

*Clauſ. derog.*

§. 8. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & dictæ Urbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, Camerario, Univerſitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, & perſonis, aliiſque prædictis, necnon præfatæ Urbi, & populo Romano ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1577. Idibus Januarii, Pontificatus noſtri anno 5.

*D. P. A. 13. Jan.*

*Die 28. Martii 1577. præſentes literæ Apoſtolicæ præſentata fuerunt in Cam. Apoſt. & ex decreto in eadem admiſſa & regiſtrata fuerunt in libro ſignaturarum diverſorum Pontificum penes me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium exiſtentem.*

*Admiſſ. regiſtr. Cam. A.*

*Tydeus de Marchis Not.*

---

XLIII.

## Declaratio, quod ſpolia Regularium extra clauſtra vagantium, ſpectant ad R. Cameram Apoſtolicam, juxta Conſtitutiones Pauli III. & aliorum prædeceſſorum.

*De materia Spoliorum nobis inſpice inf. in conſt. 18. Pauli V.* In eminenti.

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. 1577.*

*Exordium.*

OFficii noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, ut dubia, quæ ab aliquibus falſo ſub prætextu, vel nimis ſubtiliter excitata, in Cameræ noſtræ Apoſt. præjudicium tendunt, declaratione noſtra dilucidentur.

*Pius IV. conſt. ... ſtra ... Pauli IV. ... eſt ſupra, qua ... verat ... regularium degentium extra clauſtra ... illi ... feſſi fuiſſent.*

§. 1. Nuper accepimus quod etſi fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter conſtitutionem, & quæcumque in illa continerentur, per piæ mem. Paulum Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum contra apoſtatas editam, per quam inter cætera decrevit, bona quæcumque mobilia, & immobilia, ac cenſus, redditus, & proventus, jura, & actiones per regularem Ordinem profeſſos, extra clauſtra ſuorum regularium locorum, etiam de licentia ſuorum Superiorum degentes, tempore quo extra clauſtra hujuſmodi fuiſſent acquiſita, etiamſi acquiſitiones hujuſmodi ab ipſis profeſſis ex redditibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, vel ſine cura per eos obtentorum, ſeu detentorum, aut ex propria induſtria, ſeu artificio, mercatura, vel ex teſtamento, ſive ſucceſſione ab inteſtato quorumvis conſanguineorum, affinium, vel amicorum ſuorum, aut quorumcumque aliorum factæ eſſent, non Fiſco, aut Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Religioni, aut Monaſteriis, in quo, ſeu quibus primò profeſſi fuiſſent, eo ipſo applicata eſſe, & cenſeri debere, ad juris & ſacrarum conſtitutionum formam reduxerit.

*Sed ex ... 29. Pauli ... quæ eſt ... iſta ... clabant ... Cam. A. ... multi ... rium ... bant.*

§. 2. Necnon præfata bona regularium extra clauſtra, ut præfertur, degentium, ſive mendicantium, ſive non mendicantium, aut militiarum profeſſorum, etiamſi loca, & canonicales portiones, aut dignitates, in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis cujuſvis Ordinis regularibus obtinuerint, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primatiali, vel quavis alia præfulſerint dignitate, poſt eorum obitum ad eandem Cameram Apoſtolicam, & juxta conſtitutionem fel. record. Pauli Papæ III. ſuper ſpoliis, ſub Dat. videlicet tertio nonas Januarii, Pontificatus ſui anno tertio promulgatam, legitimè ſpectent & pertineant, idque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dum Collector generalis ad recuperandum ſpolia regularium ſpecificè deputatus fuit, apertè demonſtratum extiterit, ac in poſſeſſione illa exigendi, ac recuperandi eadem Camera meritò ſemper fuerit, nihilominus nonnulli vano ſub dictæ conſtitutionis Pauli IV. prædeceſſoris præfati prætextu contrarium aliquando aſſerere non dubitarint.

*Ideo Pont. declarat ... eorum ... Cam. Ap. ſpectaſſe, ſpectare ... jure, juxta Bullam Pauli III. & ... rum prædeceſſorum.*

§. 3. Nos omnem circa prædicta dubitandi occaſionem dimovere, ſimulque æquitate & juſtitia ſuadentibus ejuſdem Cameræ indemnitati, ne in dies moleſtiis & incommodis afficiatur, conſulere volentes, præſentium auctoritate declaramus, res & bona quæcumque prædictos regulares extra clauſtra Eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, & quorumcumque regularium locorum degentes, quocumque jure & actione, ſive ex cauſa teſtati, ſive inteſtati acquiſita, & in poſterum acquirenda, vel ad eos delata, in quibuſvis provinciis, dominiis, regnis, & locis conſiſtant, niſi iidem, ad quos illa ſpectaverint, ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti, eaque legitimè uſi fuerint, ad eandem Cameram pleno jure pertinuiſſe & ſpectare, ac bona quæcumque

que

quæ communem ſub ſpoliorum nomine comprehenſa per ipſam Cameram, ejuſque nomine à quibuſcumque illa quandocumque occupantibus & detinentibus recuperari ac vindicari potuiſſe & poſſe, ac juxta Pauli III.& aliorum prædeceſſorum noſtrorum literas eadem Camera Apoſtolica in hujuſmodi bonis ſpolia nuncupatis verè univerſaliter ſuccedere,quod ipſa Camera præ cæteris hæredibus & ſucceſſoribus ampliori eſt privilegio munita, cuique merito magis favendum eſt, dum in eam rerum & bonorum dominium,ac poſſeſſio nulla traditione præcedēte transfeat,in quacumque bonorum & ſpoliorum,ſive ad regulares,dum viverent ſpectantium,ſucceſſione,quibuſcumque in rebus,ſive pecuniis illa conſiſtant,etiamſi nominatim,aut alia ſpeciali nota illa deſignanda eſſent,quæ ad eandem Cameram jure ſpoliorum pertinuerunt & pertinebunt in poſterum, omni prorſus fictione penitus ceſſante,jus & nomen veri hæredis in eiſdem ſpoliis habere,illiuſque naturam ſortiri,ac veri hæredis privilegiis & juribus in quibuſcumque bonis, pecuniis, juribus & actionibus uti antehac potuiſſe & nunc poſſe, idque eorundem prædeceſſorum,& noſtræ etiam intentionis ſemper fuiſſe & eſſe auctoritate præſentium declaramus.

§.4. Sicque per quoſcumque Judices in quibuſvis cauſis,etiam per appellationem aut alias pendentibus & futuris, ac in quacumque cauſa vel inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate,judicari,& definiri debere,necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter,vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§.5. Mandantes dilecto filio Magiſtro Ludovico Tabernæ Notario & Theſaurario, necnon ſpoliorum ad dictam Cameram pertinentium in univerſa Italia Collectori generali,noſtro,ejuſque in dictis officiis ſucceſſoribus,quatenus præſentem noſtram declarationem,& in ea contenta quæcumque inviolabiliter obſervari curet & faciat, non permittendo eandem Cameram contra illius ſeriem, quacumque ratione vel cauſa,aut quovis quæſito colore vel ingenio,directè vel indirectè moleſtari,aut perturbari, contradictores quoſlibet, & rebelles per opportuna juris & facti remedia,ac demum per ſententias, cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas,appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.6. Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, & Ordinum, vel Militiarum,cujus illæ fuerint,monaſteriorumque vel regularium locorum,etiam juramento,confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus,privilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtolicis earundem Eccleſiarum Præſulibus, capitulis, ac monaſteriorum,regulariumque locorum conventibus,illorumque Ordinibus, Superioribus, & perſonis, necnon civitatibus,provinciis,dominiis & regnis, in quibus bona vel pecuniæ collocatæ, aut illarum redditus percipiendi forſan fuerint, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis,ac cum quibuſvis clauſulis & decretis,etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,& ad favorem religionis conceſſis,confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio,aut quævis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes,illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum,quod interdici,ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis & indulgentiis,generalibus vel ſpecialibus,quorumcumque tenorum exiſtant,per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri,& de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ quoad hoc volumus eis nullatenus ſuffragari.

§.7. Cæterùm præcipimus præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & dicti Theſaurarii, ſeu alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis eandem prorſus fidem adhibendam in judicio & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhiberentur vel oſtenderentur. — *Vide manu ſcriptam.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Januarii 1577. — *D. P. A. 5. die 21. Januarii.*

---

XLVI.

## Confirmatio gratiarum & privilegiorum Archihoſpitali S.Spiritus in Saxia de Urbe conceſſorum,quatenus Concilio Tridentino, & ſacris Canonibus non ſint contraria. Illorumque communicatio inter omnia loca Ordinis.

*Privilegia vide ſup. in conſt. 22. Sixti IV.* Religionis, *ubi notavi. Et cætera, quæ Hoſpitale reſpiciunt, indicavi ſup. in conſt. 7. Innoc. III.* Inter.

*GREGORIUS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.* — *Edita A. D. 1577.*

*Exordium.* SI inter præcipuas virtutes, quas Theologicas dicimus, charitas principem locum obtinet, jactis fidei & ſpei fundamentis, ut cujus virtutis effectus, qui inſignes nobis ante oculos obverſantur, ac præſertim in Archihoſpitali noſtro S. Spiritus in Saxia de Urbe elucent, dum in cujuſvis generis languentes, vulneratos, infirmoſque curando, infantibus expoſitis alendis, puellis nubilibus in matrimonium collocandis,ſummo Chriſtianæ pietatis ſtudio officia exercentur, illa non ſolùm eo in Archihoſpitali conſervari,verum etiam in dies augeri, ſummè operandum nobis eſt, eamque ob cauſam facile induci patimur, ut quæ à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & ad ejus Archihoſpitalis, & ab illo dependen. locorum decus & ornamentum, & pauperum ſubventionem conceſſa ſunt, Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciamus,aliaſque deſuper diſponamus,prout in Domino conſpicimus expedire.

§. 1. Dudum ſiquidem Innocentius Papa III. qui dictum Archihoſpitale fundavit & inſtituit, ac deinde ſucceſſivè plerique Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, inter quos Sixtus Papa IV. idem Archihoſpitale maxime auxit, cupientes illud, ac ejus bona & jura perpetuò conſervari, defendi, & protegi, idem Archihoſpitale,illiuſque præceptoriam,quæ conventualis, aut caput aliarum præceptoriarum Hoſpitalis, & Ordinis prædictorum exiſtit, & à qua omnes aliæ præceptoriæ per fratres ejuſdem Archihoſpitalis teneri ſolitæ dependent, ac perſonas, quæ ejus curam gerent,ab eodem Archihoſpitali dependentes,prædictas præceptorias, Prioratus,Oratoria,Eccleſias,Capellas,membra,grangias, ac in eis reſpectivè inſtitutas & erectas Confraternitates, illarūque Confratres variis indulgentiis etiam plenariis, ac facultatibus,privilegiis, immunitatibus,exēptionibus, libertatibus,& gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus,etiam per ſolam ſignaturam,aut vivæ vocis oraculo,in genere & in ſpecie,tam per viam communicationis, ſive extenſionis privilegiorum,tam mendicantium,quam non mendicantium Ordinibus conceſſorum, ornarunt & decorarunt,ac locupletarunt,illaque antea conceſſa confirmarunt & approbarunt, ac ad omnia loca prædicta ab ipſo Archihoſpitali dependentia extenderunt & ampliarunt,& alias, prout in ſingulis dictorum prædeceſſorum literis deſuper confectis pleniùs continetur. — *Innocent. III. erexit in Urbe Hoſpitale Sancti Spiritus, & Sixtus IV. illud ampliavit, ut ſup. in conſt. cit. in rub.*

§.2. Cum autem ea firmiùs ſubſiſtere, ac majorem vim & robur obtinere noſcātur,quo ſæpius fuerint Apoſtolica auctoritate communita. Propterea dilectus filius Theſeus Aldrovandus, modernus ejus Archihoſpitalis Præceptor nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis ejuſdē Theſei Præceptoris honeſto deſiderio ſatisfacere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur gravium onerum, — *Confirmat hic Pont. indulgentias, & privilegia Hoſpitalis conceſſa quatenus ſint in uſu, & ſacris Canonibus & Conc. Trid. non contraria.*

quæ dicto Archihoſpitali incumbunt [illegible] facultat [illegible] reditusque [illegible] in pauperum, miſerabiliumque ſubventionem erogantur, rationem haberi eſſe cenſeri, & propterea nedum privilegia & facultates, & alia eidem Archihoſpitali, & ab eo dependentibus locis, illorumque perſonis, ac quibuſvis intuitu dicti Archihoſpitalis conceſſa conſervanda, verum etiam quantum cum Deo nobis licet, augenda eſſe exiſtimantes, ac quarumcumque indulgentiarum, privilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum, & cujuſvis generis gratiarum cum quibuſvis clauſulis & decretis, tam per dictos quam quoſcumque Rom. Pont. quibuſvis prædictis, ac aliis forſan rationibus conceſſarum tenores, & prout illa concernunt omnia & ſingula in eis contenta præſentibus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, omnia & ſingula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, peccatorum remiſſiones, conceſſiones, & indulta ſupradicta, & alia quæcumque, ſive dicto Archihoſpitali, ſive ejus Præceptori, ac ab eodem Archihoſpitali dependen. Prioratibus, Præceptoriis, Oratoriis, Capellanis, membris, grangiis, & locis, necnon illorum reſpectivè miniſtris & officialibus, ac tam in dicto Archihoſpitali, quam alibi inſtitutis Confraternitatibus, & Confratribus, quandocumque, & qualitercumque conceſſa, indulta, & approbata, quatenus ſint in uſu, ac ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino non contraria, ex certa noſtra ſcientia denuo Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, omneſque & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem ſupplemus, eademque omnia & ſingula, quæ per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt, prout per illos conceſſa, indulta, & elargita extiterunt, quatenus, ut præfertur, ſint in uſu, adverſus quaſcumque contrarias diſpoſitiones reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

*Illiſque omnibus d. Ordinis communicat.*

§. 3. Illaque omnia & ſingula dicto Archihoſpitali, aut in eo inſtitutæ Confraternitati, aut quibuſvis certis & deſignatis locis dumtaxat forſan conceſſa, univerſis & ſingulis, quæ ab eodem Archihoſpitali dependent Prioratibus, Præceptoriis, Eccleſiis, Capellaniis, Hoſpitalibus, Oratoriis, Eremitoriis, grangiis, membris, & locis ac Confraternitatibus, illarumque Confratribus, & quæ illis in vim privilegiorum prædictorum unita jam fuerunt, & in poſterum uniri contigerit, illorumque miniſtris ac ſervientibus communicamus, concedimus, & impartimur, eademque omnia ad illa extendimus & ampliamus.

*Clauſula præſervativa.*

§. 4. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, aut derogationibus ſimilium gratiarum, indulgentiarum, conceſſionum, & aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, cenſerique debere, ac de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis defectu notari, aut impugnari non poſſe, ſed validas ſemper & efficaces exiſtere, ac perpetuò ſuffragari.

*Decretum irritans.*

§. 5. Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorũ cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritumque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Executorum deputatio, & facultates.*

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris ſacri Concilii S.R.E. Cardinalium Decano, ac Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditori generali nunc, & pro tempore exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Theſei, & pro tempore dicti Archihoſpitalis Præceptoris, aut aliorum in præmiſſis jus & intereſſe quomodolibet habentium, vel dependentium fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Theſeum, & pro tempore [illegible] prædictum, & alios quoſcumque confirmatione [illegible] hujuſmodi, aliiſque præmiſſis juxta præſentium continentiam & tenorem pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas incurriſſe declarando necnon etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſ. [illegible]*

§. 7. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dictis, dummodo quis vigore præſentium ultra tres dictas ad judicium non trahatur, ac piæ memoriæ Pii Papæ V. etiam prædeceſſorum noſtrorum revocatione dictarum indulgentiarum, cum clauſula, manus adjutrices porrigentibus, quas, dempta ea clauſula, nec alias ſuffragari volumus, in provincialibuſque & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon aliorum Hoſpitalium, Monaſteriorum, Eccleſiarum etiam Cathedralium, vel Metropolitanarum, tam mendicantium quam non mendicantium Ordinum, Confraternitatum, piorumque locorum quorumcumque ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem vel alicui eorum ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, ac ex ſimili ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam forſan conſiſtorialiter conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides tranſumptorum.*

§. 8. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad quæcumque loca, ad quæ neceſſe fuerit deferri, volumus præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii, ſeu Secretarii prædicti Archihoſpitalis ſubſcriptis, ac ſigillo dicti, & pro tempore Archihoſpitalis prædicti Præceptoris munitis eandem fidem in judicio & extra adhiberi, quæ præſentibus exhibitis vel oſtenſis ubique gentium, & locorum haberetur.

Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 15. Martii 1577. Pont. noſtri anno 5. *D. P. A. 15. Mart.*

---

## XLV. Juriſdictio S.R.E. Cardinalis Archipresbyteri, & Judicis cauſarum Capituli Canonicorum, & aliarum perſonarum ſacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ.

*Declarata & extenſa fuit hæc juriſdictio à Paulo V. in ejus conſt. 29.* Ad ea.

Hanc Baſilicam Greg. XI. & Pius V. & alii, cæteris Urbis & Orbis Eccleſiis majorem eſſe declararunt, ut notavi in ipſius Greg. XI. conſt. 1. *Super*, & conſt. 94. Pii V. *Infirma*.

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita An. 1577.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſtit.*

CUm ſicut accepimus, ſæpè contingat dilectos filios Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Capellanos,

Capellanos, Cantores, Sacriſtas, Miniſtros, & alias perſonas Eccleſiæ Lateranenſis pro ſuis ratione Archipreſbyteratus, & dictæ Eccleſiæ negotiis, rebus, & bonis per diverſa Tribunalia diſtrahi, & exinde variis ſumptibus, & expenſis, & moleſtiis defatigari.

§. 1. Nos cupientes eorum indemnitatibus hac in parte opportunè providere, ac illorum intuitu perſonas ipſas à ſimilibus ſumptibus, expenſis, & moleſtiis eximere, ac favore proſequi gratiæ ſpecialis, à quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas cauſas civiles & beneficiales, ſpirituales, profanas, meras & mixtas, ac etiam criminales inter ipſoſmet Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Capellanos, Cantores, Sacriſtas, Miniſtros, & perſonas hujuſmodi, earundemque litium conſortes, ſeu quomodolibet ab eis cauſam habentes in Romana Curia coram quibuſcumque Judicibus ordinariis vel delegatis, ſeu executoribus quavis auctoritate fungentes, etiam Almæ Urbis Vicario, Gubernatore, Senatore, & Conſervatoribus, ac aliis Judicibus, necnon Cameræ Apoſtolicæ Clericis, cauſarum Curiæ ejuſdem Cameræ, ſeu Palatii Apoſtolici Auditoribus, vel eorum Locatenentibus ac S.R.E. Cardinalibus, ſuper quibuſcumque bonis etiam emphyteuticis, cenſibus, canonibus, reſponſionibus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, actionibus, creditis, debitis, pecuniarum ſummis, & aliis rebus Capitulum & Eccleſiam hujuſmodi tangentibus, etiam in vim Cameralium, & aliarum quarumcumque obligationum, etiam cum juramento, & quibuſcumque renuntiationibus factarum, in prima vel ſecunda, aut alia ulteriori inſtantia indeciſas pendentes, in eiſdem ſtatu & terminis in quibus reperiuntur, ab ipſis Judicibus ad ſuos harum ſerie avocamus.

§. 2. Illaſque etiam, quatenus de novo inchoandas, & quaſcumque alias ſimiles vel diſſimiles cauſas civiles, & beneficiales, ſeu ſpirituales & profanas, meras & mixtas, ac etiam criminales, citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictivam, quas de cætero perpetuis futuris temporibus inter Capitulũ, Canonicos, & ſingulos alios prædictos, ac eorum quemlibet litis conſortes, & cauſam habentes prædictos ſuper bonis, cenſibus, reſponſionibus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, actionibus, creditis, debitis, pecuniarum ſummis, obligationibus etiam Cameralibus, cæteriſque rebus prædictis, etiam in actis cauſarum hujuſmodi latiùs deductis & educendis, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & annui valoris, & illorum occaſione moveri & exoriri contigerit, cum omnibus & ſingulis ſuis incidentis dependen. emergen. annexis, & connexis, Dilecto filio Marco tituli S. Georgii in Velabro presbytero Cardinali Altaëmps nuncupato, & aliis pro tempore exiſtentibus Archipreſbyteris dictæ Eccleſiæ, tam conjunctim quam diviſim, per ſe ſeu Vicarium ſeu Vicarios ad id ab eis deputatos ſeu deputandos ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſed ſola facti veritate inſpecta, & quatenus opus ſit executivè, & manu regia abſque terminorum ſubſtantialium, & alicujus telæ judiciariæ obſervatione, ſine confectione regiſtri, ſeu extractus, etiam ſingulis diebus & horis, ac etiam quarumcumque feriarum, præterquam in honorem Dei indictarum vel indicendarum temporibus audiendas, cognoſcendas, decidendas, & ſine debito terminandas, committimus & mandamus.

§. 3. Sibique dictas partes reſpectivè ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, etiam in executione citationis, ſeu citationum deſuper decernendarum nominandos in dicta Curia, vel extra, docto tamen etiam extrajudicialiter de non tuto acceſſu, citandi, ac quibus & quoties oportuerit, ſub cenſuris Eccleſiaſticis & pecuniariis pœnis ſuo arbitrio moderan. & amplian etiam per ſimile edictum inhibendi, & in eventum non paritionis pœnas & cenſuras prædictas incurriſſe declarandi, aggravandi, reaggravandi, & brachii ſæcularis auxilium invocandi, vel loco ſententiæ, ſeu ſententiarum per gravamina rendarum mandatum ſeu mandata executiva in forma ſolita & conſueta decernendi, illudque & illa, ac quicquid per eum judicatum fuerit exequendi, expenſas quaſcumque taxandi & moderandi.

§. 4. Necnon Capitulum, Canonicos, & alias dictæ Eccleſiæ perſonas ab excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis ſimpliciter vel ad cautelam, prout juſtum fuerit abſolvendi. *Canonicoſque & alios ab excommunic. abſolven.*

§. 5. Necnon adverſus lapſum temporis, & fatalium, ſi neceſſe fuerit reſtituendi, & quatenus lapſa non ſint, eorum arbitrio prorogandi. *Fataliaque prorogan. & adverſus lapſum reſtitutio.*

§. 6. Attentataque & innovata quæcumque, prout juris fuerint revocandi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi & exequendi. *Attentata revocan. &c.*

§. 7. Necnon Judici ſeu Judicibus coram quibus cauſas hujuſmodi per viam appellationum à ſententiis dictæ Eccleſiæ latis interpoſitarum introduci contigerit, dictis feriis indicendis, ac modo & forma præmiſſis ad illarum totalem & celerem expeditionem procedere poſſint, plenam, liberam, & omnimodum facultatem, poteſtatem & auctoritatem concedimus & elargimur. *In cauſis appellationum non obſtant. feriis procedendi.*

§. 8. Decernentes cauſas hujuſmodi à dicto Cardinali & pro tempore Archipreſbytero exiſtente, vel ejus Vicario prædicto nullo unquam tempore avocari poſſe, & quaſcumque illarum avocationes nullius roboris vel momenti fore, niſi illa per ſpeciale reſcriptum, noſtra vel pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis manu ſignatum, etiam cum præſentium literarum de verbo ad verbum facienda inſertione, Motu ſimili, vocatis & citatis Marco Cardinali, & pro tempore exiſtente Archipreſbytero, & Capitulo prædictis factæ fuerint. *Cauſæ ab Archipreſbytero avocari non poſſint niſi à Pontifice, illo citato.*

§. 9. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 10. Non obſtantibus feriis, & aliis præmiſſis, ac Regula Cancellariæ Apoſtolicæ prohibente mandata executiva alias quam ſub plumbo expediri, necnon aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Palatii, & aliarum dictæ Urbis Curiarum & Tribunaliũ, ac Univerſitatum, Collegiorum, & locorum ſtatutis, & conſuetudinibus juramento roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis illorumque Judicibus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, vel aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcũque. *Clauſ. derog.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Junii 1577. Pont. noſtri anno 6. *D. P. A. 6. die 13. Junii.*

---

## Erectio Eremitorii del Tardon in Monaſterium Ordinis S. Baſilii, ejuſque & aliorum Monaſteriorum Ordinis in Regnis Hiſpaniarum aggregatio eidem Ordini, cum privilegiorum conceſſione. XLVI.

*In hoc poſtea Monaſterio præfinita eſt inſtitutio Monachorum reformatorum, ut habetur infra in Clem. VIII. conſt.* 103. Altiſſimi, *ubi videas alia indicanda.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1577.*

Cogit muneris Apoſtolici ratio de omnium Religioſorum ſtatu nos eſſe ſollicitos, atquè eorum curam ſuſcipere *Proœmium.*

ſuſcipere diligentia, qui rejectis mundi delicils & illecebris, antiquorum ſanctorum Patrum exemplo in ſolitudines conceſſerunt, jejuniis, orationibus, & cœleſtium contemplationi aſſiduè inſiſtentes, ut cum talium numerum alicubi auctum intelligimus, ipſorum vitam, & mores ſub certa alicujus approbatæ regulæ norma ad Dei gloriam, & eorundem ſalutem providè dirigamus.

*Matthæus de la Fuente certam religioſã vitam degit, & multi cum ſecuti ſunt.*

§. 1. Ad noſtram ſiquidem pervenit notitiam, quod cum viginti ab hinc, vel circiter annis quondã Matthæus de la Fuente de Halmiruete Toletan. diœc. dum ſoli Deo placere ſtuderet, unà cum duobus, vel tribus ſociis in Eremum del Tardon Corduben. diœc. ſe recepiſſet, & in ea proprio labore victum parans pauperem vitam duceret, nonnulli alii ejus exemplo, & religioſæ vitæ fama commoti, ſæculi caris poſthabitis, eandem vivendi rationem amplexi ſunt, & ſe illis ſocios adjunxerunt, ipſum præterea Matthæum per loci Ordinarium ad ſacros, & Presbyteratuſ ordines fuiſſe promotum.

*Qui habita notitia conſt. Pii V. 76. qua eſt ſup. regulam S. Baſilii profeſſi ſunt.*

§. 2. Et licet Eremi cultores inter ſe diſtinctas cellulas inhabitarent, eos tamen conſueviſſe ad eundem Matthæum tanquam eorum Patrem, & ſuperiorem, à quo in via Domini inſtruerentur recurrere, ſtatutiſque horis in quodam Oratorio ad piè orandum ſimul convenire, ac ſub dicti Matthæi voluntaria obedientia degere, huncque vivendi morem eo uſque fuiſſe ſervatum, donec ad eorum notitiam conſtitutio fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri deducta fuit, qua ſancitum eſt, ab iis, qui in Congregationibus ſub obedientia voluntaria viverent, quorum habitus à Presbyteris ſæcularibus eſſet diſtinctus, prout ipſorum erat, profeſſionem omninò eſſe emittendam, electa ab ipſis una ſub qua degerent ex Regùlis approbatis.

*Et domos in ipſo Eremo habitare cœperunt Monachorum more vivendo, & divina conventualiter recitando, neceſſariaque ad victum propriis laboribus parãdo.*

§. 3. Nam poſtquam idem Matthæus, & ſocii conſtitutionis hujus certiores facti fuerunt, Regulam S. Baſilii eorum vivendi inſtituto, ut cenſuerunt magis accommodatam, ad cujus præſcriptum Altiſſimo pium exhiberent in habitu humilitatis obſequium, delegerunt. Et deinde Matthæus profeſſionem juxta dictam Regulam emittere volens, Presbyterum ex ſuis ſociis Eremitis, in cujus manibus profiteretur, ſuo arbitrio elegit, & in ejus manibus tria vota juxta regulam prædictam quantum in ſe fuit, profeſſus eſt. Reliqui verò omnes Eremitæ in dicti Matthæi manibus ſimilem profeſſionem emiſerunt, & derelicto cellularùm uſu in domos apud Eremum del Tardon, ut præfertur, & Vallis del Galleguillos Hiſpalenſis diœceſis propriis eorum manibus ad Monaſterii formam conſtructas, clauſuraque munitas numero quadraginta, & ultra demigrarùnt, ubi Religioſorum, & Monachòrum more viverent, prout de præſenti vivunt, horaſque canonicas in Choro, & Miſſas conventualiter, quemadmodum in aliis Monaſteriis fieri conſuevit, juxta Romanum uſum celebrarunt, neceſſariaque ad vitam propriis manuum laboribus juxta eorum inſtitutum parando, nec eleemoſynas petierunt, nec oblatas acceperunt.

*Ipſeque Matth. Abbatis munere functus fuit. Eoque mortuo Didacus Vidal Abbas creatus fuit.*

§. 4. Religioſiſque in prædictis locis, ſic ut præfertur, redactis, idem Matthæus in utriuſque domibus, quaſi illæ in Monaſteria jam erectæ eſſent, nonnullorum qui periti habebantur conſilium ſequutus, Abbatis munere donec vixit ſine canonica proviſione functus fuit, & poſt ejus obitum credentes Religioſi prædicti Monaſteria veri, & legitimi Abbatis regimine eſſe deſtituta, alium Religioſum ex eo numero, videlicet dilectum filium Didacum Vidal in ejuſdem Matthæi locum elegerunt.

*Quia tamen eorum profeſſio nulliter emiſſa erat, & dicta Eremitoria canonicè non erant erecta in Monaſteria Ordinis.*

§. 5. Cum autem iidem Eremitæ prædictam profeſſionem in manibus ejus, qui illam recipiendi facultatem non habebat emiſerint, eademque profeſſio nulla, & invalida reddatur, ac del Tardon, & Vallis de Galleguillos Domus, & Eremitoria hujuſmodi in Monaſteria Ord. S. Baſilii adhuc canonicè erecta non fuiſſe, nec eſſe conſtet.

*Ideo hic Pont. erigit in illis dignitatem Abbatialem, & alia officia inſtituit.*

§. 6. Nos dictorum Eremitarum ſtatui opportunè conſulendum eſſe exiſtimantes, ipſoſque, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ad omnipo[illegible] Dei gloriam, & Religionis Chriſtianæ propagationem prædicta del Tardon, & Vallis del Galleguillos Eremitoria, ſeu Domos in Monaſteria dicti Ordinis S. Baſilii cum ſuis Eccleſiis, & Conventibus, necnon Menſis, Sigillis, Arcis, aliiſque omnibus inſignibus ad id requiſitis, & conſuetis, ac ſi ſingulis dignitatem Abbatialem, adminiſtrationes, & officia in aliis Monaſteriis ipſius Ordinis haberi ſolita pro Abbatibus, & Monachis ad juſtum numerum Conventus, cultum, & regularem diſciplinam ibidem obſervaturis, perpetuò erigimus, & inſtituimus. Ac illis ſic erectis, eorumque Menſis bona, cenſus, actiones, & jura omnia ſuarum cujuſque domorum, ſeu Eremitoriorum ſic in Monaſteria erectorum perpetuò applicamus, & appropriamus.

*Illiſque facultatem ... eorum ... Euchariſt... retinendi ... alia offici... lebrãdi ... Miſſale ... Breviar... nuper reſt... tum.*

§. 7. Ac ipſorum Monaſteriorum ſic erectorum Abbatibus, Conventibus in ſuis quiſque Eccleſiis prædictis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum debitis honore, & reverentia habendi & retinendi, Miſſas, & alia divina Officia Latina lingua ſecundum conſuetudinem, ſeu ritum Romanæ Eccleſiæ, & juxta Breviarium, & Miſſale Roman. ex decreto Concilii Tridentini noviſſimè reſtituta, & juſſu prædicti Pii Papæ edita, donec aliud Sedi Apoſtolicæ expedire videbitur, celebrandi, recitandi, & cantandi licentiam tribuimus.

*Monaſt... que præd... & alia ... gnis Hiſp... niarum ... ſtruẽda ... cit Ordi... Baſilii, & ... protectioni ... dis Apoſt. ... cipit, & ... Ordinari... juriſdict. ... berat.*

§. 8. Ipſaque ſic erecta Monaſteria del Tardon, & de Galleguillos, ac etiam Monaſteriorum S. Mariæ de Oviedo ejuſdem Ordinis S. Baſilii Giennen. diœc. à fel. rec. Pio Papa IV. erectum, & inſtitutum, & à nobis per noſtras literas in forma Brevis Monachis ejuſdem Ordinis in Italia exiſtentibus, ſub unius Abbatis, ſeu Præſidentis generalis in toto Ordine eligendi obedientia ſubjectum, ac perpetuò conjunctum, & quæcumque alia Monaſteria ejuſdem Ordinis S. Baſilii in Hiſpaniarum Regnis in poſterum conſtruenda, & erigenda, dicto Ordini S. Baſilii ſub obedientia futuri, & pro tempore exiſtentis Abbatis, ſeu Vicarii generalis ejuſdem Ordinis, aggregamus, annectimus, & incorporamus, eademque ſic erecta, & erigenda Monaſteria, eorumque Abbates, & Monachos ſub immediata noſtra, & Sedis Apoſt. protectione recipimus, illaque, & illos ab omni Ordinarii juriſdictione, auctoritate, & poteſtate eximimus penitus, & liberamus.

*Eadẽ Mo... ſteria co... ſtuãt ... unã prov... ciam nu... pandã H... niarum, ... qua prov... ciale Cap... lum ſit ... libet trien...*

§. 9. Ita tamen, ut tam del Tardon, & Galleguillos quàm de Oviedo, & alia in dictis Regnis ſub eadem Regula in futurum conſtruenda, & erigenda Monaſteria, ut præfertur, poſtquam conſtructa, & erecta fuerint, unam faciant, & inter ſe conſtituant Provinciam Hiſpaniarum nuncupandam, in qua provinciale Capitulum unoquoque triennio per Abbates, & Monachos, à Conventibus ſingulorum Monaſteriorum ſuorum deputandos celebretur, & in eo unus Viſitator eligatur, qui cum primùm electus fuerit, eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmatus cenſeatur, nulla alia requiſita confirmatione, niſi eidem Capitulo Abbatem, vel Vicarium ejuſdem Ordinis generalem contigerit præſidere, vel eſſe præſentem, cujus auctoritate eo caſu omnino debeat confirmari, dictæque Provinciæ Monachi ſecundum Regulam ejuſdem S. Baſilii, quam profitentur, de cætero vivere.

*Habitu ... gro Mon... uſantur.*

*Forma ... habitus ... claratur.*

§. 10. Atque ut Monachi prædicti del Tardon, & Galleguillos in habitu cum reliquis dicti Ordinis Monachis etiam in Italia exiſtentibus conveniant, loco habitus Griſei, ſeu Brunei coloris, cujuſmodi in præſentiarum gerunt, monaſticum habitum nigrum, prout etiam alias Monachis dicti Monaſterii de Oviedo per dictas noſtras literas conceſſimus deferre, & ita in poſterum reliqui omnes ejuſdem Ordinis, & Provinciæ Monachi futuri eodem habitu regulari uti debeant.

*Privilegi... quoque Or... nis S. Baſ... & Congre... Caſſinen. ... cedit.*

§. 11. Præterea eiſdem, ac Provinciæ Hiſpaniarum Monaſteriis quibuſcumque, ac aliis membris, & locis ab ea dependentibus, illorumque Abbatibus, Prælatis, Monachis & perſonis, omnia privilegia, indulta, immunitates, prærogativas, exemptiones, libertates, gratias, & indulgentias Ordini S. Baſilii prædicti, necnon Congregationi Montis Caſſinen. aliàs Sanctæ Juſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti, tam per nos, quàm per alios Roman. Pontifices prædeceſſores noſtros, Sedemque prædictam alias in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſa (quatenus uſu recepta ſint, & Concilii Tridentini decretis,

aliiſque

aliiſque ſacris canonibus, & ipſius Ordinis Sancti Baſilii inſtitutis non adverſentur) concedimus & communicamus.

§.12. Ac inſuper ut eadem Monaſteria feliciter in via Domini dirigantur, prædictorum omnium Monaſteriorum dictæ Provinciæ Conventibus, & Monachis præcipimus, ut quamprimum provinciale Capitulum eorundem Monaſteriorum Provinciæ Hiſpaniarum celebrent, in quo uſque ad numerum viginti eorum Abbates, & Conventuum diſcreti, ſeu Procuratores, & Monachi habitu, vel profeſſione in eiſdem Monaſteriis, tam de Oviedo, quam del Tardon, & Galleguillos antiquiores, donec tot Monaſteria dicti Ordinis S. Baſilii in eadem Provincia erecta fuerint, quod illorum Abbates & Conventuum Diſcreti, ſeu Procuratores in eodem Capitulo congregandi eundem numerum viginti conſtituant, conveniant.

§. 13. Atque in eo ex Monachis ejuſdem Provinciæ unum, quem magis ad id habilem & idoneum duxerint eligendum, in eorum Viſitatorem ad Triennii tempus, & eo completo ſucceſſivè in provinciali Capitulo tertio quoque anno, ut præmittitur, celebrando eligant.

§.14. Qui omnem in quibuſcumque Monaſteriis prædictæ Provinciæ juriſdictionem habeat, & exerceat, ipſorumque Monaſteriorum Monachos, tam in capite, quàm in membris viſitet, corrigat, & reformet, ſalva ſemper & reſervata dicti Abbatis, ſeu Vicarii ejuſdem Ordinis generalis pro tempore exiſtentis, etiam in præmiſſis obedientia, auctoritate, & ſuperioritate, ac Capitulis provincialibus hujuſmodi præſit, & electioni Abbatum, quorum munus etiam triennale erit, per Monachos ſingulorum Monaſteriorum faciendæ aſſiſtat, vel ad aſſiſtendum electioni hujuſmodi alium ex dictæ Provinciæ Monachis ſpecialiter deputet.

§.15. Prædictus autem Viſitator Provinciæ Hiſpaniarum hujuſmodi, necnon Monaſteria, Abbates, Monachi, & perſonæ dictæ provinciæ Hiſpaniarum prædicto Abbati, ſeu Vicario generali univerſi Ordinis Sancti Baſilii in Italia pro tempore eligendo, conſtituendo, vel deputando ſubjecti exiſtant, & ab eo dependeant. Ita ut idem Abbas, ſeu Vicarius generalis pro tempore exiſtentes, tam in dictum ejuſdem Provinciæ Hiſpaniarum pro tempore Viſitatorem, quam in prædicta, & alia omnia ejuſdem provinciæ erecta & erigenda Monaſteria, Abbates, Priores, & alios Prælatos, ac Monachos, & perſonas pro tempore exiſtentes, plenam & omnimodam juriſdictionem, auctoritatem, & ſuperioritatem habeat, dictumque Viſitatorem, Monaſteria, Abbates, Priores, & Prælatos, ac Monachos, & perſonas, tam in capite, quam in membris viſitare, corrigere, & reformare ſimul, vel ad partem valeat, ipſique Viſitator, Abbates, Priores, & Prælati, ac Monachi, & perſonæ dicto Abbati, ſeu Vicario generali pro tempore exiſtenti, tanquam membra capiti ſubjaceant, ejuſque monitis, & mandatis in præmiſſis, & aliis omnibus, omni prorſus appellatione, reclamatione, & recurſu poſtpoſitis, parere & obedire, illumque cum ad eos, vel dicta Monaſteria divertere, ſeu pro viſitatione hujuſmodi, aut alias accedere contigerit, honorificè & benigne recipere, & pertractare teneantur.

§. 16. Idemque Viſitator Provinciæ Hiſpaniarum in ejuſdem Abbatis generalis electione pro tempore facienda, ac aliis rebus ad univerſum Ordinem S. Baſilii pertinentibus, pro quibus pertractandis aliarum provinciarum Viſitatores, & Superiores evocabuntur, convenire debeat.

§. 17. Ac in electione Abbatis generalis hujuſmodi idem Viſitator activam, & paſſivam vocem habeat.

§.18. Necnon eidem Viſitatori, & aliis in Capitulo provinciali congregatis, tam hac prima vice, quàm in poſterum ſingulis triennis quæcumque ſtatuta, & ordinationes, licita & honeſta, ſacris Canonibus, ac prædicto Conſilio Tridentino, dictique Ordinis regularibus inſtitutis, ac generalibus illius ordinationibus, & conſtitutionibus non contraria condendi, & poſtquam condita fuerint, illa in toto vel in parte, juxta rerum & temporum qualitates mutandi, reformandi, illaque in toto vel in parte tollendi, & abrogandi, aliaque de novo ſtatuendi, quæ tamen ab Abbate, ſeu Vicario dicti Ordinis generali, & in ejus defectum à S. R. E. Cardinali ejuſdem Ordinis Protectore, qui tunc erit, approbari debeant, licentiam, & facultatem concedimus.

§.19. Cæterum perſonis Eremitoriorum, ſeu Domorum del Tardon, & de Galleguillos ſic in Monaſteria erectorum, & earum ſtatui quamprimum conſulendum eſſe rati, Dilectis filiis prædicti S. Mariæ, & S. Benedicti Hiſpalenſis Ordinis ejuſdem S. Benedicti Monaſteriorum Abbatibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſi, vel alter eorum illos ſingulos in Monachos, & in fratres ſuorum quemque Monaſteriorum del Tardon, & Galleguillos admittant, & ab eis profeſſionem regularem dicti Ordinis S. Baſilii, ſi illam ſponte emittere voluerint, recipiant, facientes eos ſincera ibi in Domino charitate tractari. *Degentes in dictis Eremitoriis, ſi profeſſionem Ordinis S. Baſilii emittere voluerint, recipiantur in Monachos.*

§.20. Sed & eos qui in prædictis Domibus, ſeu Eremitoriis del Tardon, & de Galleguillos ſub voluntaria obedientia per annum & ultra jam permanſerint, ſtatim ubi præſentium notitiam habuerint, ad profitendum, ut præfertur, omnino teneantur, quod ut faciant præcipimus per præſentes. *Et [illegible] profeſſionem emittant.*

§. 21. Poſtremò animadvertentes eoſdem del Tardon, & de Galleguillos poſt prætenſam profeſſionem in dicti Matthæi manibus ſic ut præfertur emiſſam, pro vere profeſſis habitos fuiſſe, decernimus, & declaramus illos juxta exemptiones, ac privilegia Ordinis S. Baſilii, vel alias conceſſa, ad ſolutionem decimarum, frugum, & animalium ac aliarum rerum, quæ ex ſuarum manuum labore à die profeſſionis prætenſæ hujuſmodi uſque ad hæc tempora collegerunt, ac in poſterum uſque ad novæ profeſſionis tempora colligent, vel adminiſtrabunt minimè teneri, nec obligatos fuiſſe, aut eſſe, nec ad id per locorum Ordinarios aut alios quoſcumque ad quos decimarum earundem collectio ſpectat, cogi ſive compelli poſſe. *Exemptio à decimis.*

§. 22. Irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quin etiam eos univerſos & ſingulos à ſolutione prædicta abſolvimus, & liberamus. *Decretum irritans.*

§. 23. Quocirca venerabili fratri noſtro Patriarchæ Alexandrino, & dilectis filiis Archidiacono Iſpalenſi, ac Abbati Sanctæ Fidei in Eccleſia Granaten. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte prædictorum, & aliorum quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit, aut præſentes literæ quomodolibet concernent, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem literas, & quæcumque in illis continentur firmiter obſervari. Non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper à quibuſcumque indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per juris & facti remedia opportuna, ac demùm per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Ac legitimis ſuper his habendis ſervatis ſervandis proceſſibus illos ſententias, cenſuras, & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. *Executores deputatio, & facultates.*

§.24. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti, illiuſque Monaſteriorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, etiamſi de illis *Clauſ. derog.*

quocumque totis tenoribus habenda eſſet mentio ſpecialis, perinde ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides exemplorum.*

§. 25. Volumus autem, præſentium exemplis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem in judicio, & extra haberi, quæ eiſdem præſentibus haberetur exhibitis, vel oſtenſis.

Nulli ergo omnino, &c.

*D. P. A. 6. die 24. Maii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1577. 8. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno 6.

---

## XLVII. Confirmatio gratiarum, exemptionum, atque Indulgentiarum Congreg. Fratrum Jeſuatorum S. Hieronymi.

*De hac Congregatione plenè notabo infra in Paul. V. conſtitut.* 16. Religioſos. *Et quoad Indulgentias attende ejuſdem Sanctiſſ. conſtitut.* 21. Romanus.

*Edita An. D. 1577.*

*GREGORIUS PAPA XIII. Dilecti filii, ſalutem, & Apoſtolic. benedictionem.*

*Cauſa hujus conſtit.*

SPectatus, qui in caſtitatis, paupertatis & obedientiæ præceptis diligenter & exactè cuſtodiendis, in vobis elucet religionis zelus, quo duce cœleſtis beatitudinis aſſidua contemplatione, ſive corporis afflictione, ſive orationis ſanctæ ſtudio, contra humani generis adverſarium vos communitis, nos inducit, ut his, quæ à prædeceſſoribus noſtris ad veſtræ Congregationis decus, commodum, & ornamentum, ac animarum ſalutem conceſſa ſunt, Apoſtolicæ firmitatis robur adjiciamus, aliaſque deſuper diſponamus, prout in Domino conſpicimus expedire.

*Martin. V. approbavit hanc Congregationem ſupr. in ejus conſt. 11. Piæ, tom. 1.*

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Martinus Papa V. prædeceſſor noſter veſtræ Congregationis, qui tunc eſſent, & in poſterum forent perſonas, oratoria, domos, atque loca conſtructa, & conſtruenda, ubicumque forent conſtituta cum perſonis, juribus, & pertinentiis, necnon poſſeſſionibus, rebus, & bonis ſub Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepit.

*Alii Pontif. alias gratias ei dederūt, ſed hic habes ſolū Bull. 9. Alex. VI. ſup. tom. 1. & Clem. VII. conſt. 36. Sacra, ibid.*

§. 2. Ac deinde piæ memoriæ Eugenius Papa IV. Nicolaus V. Pius II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Julius II. Leo X. Adrianus etiam VI. Clemens VII. Paulus III. & Julius etiam III. ac Paulus IV. & Pius IV. & forſan alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, Congregationis ejuſdem utriuſque ſexus perſonas variis indulgentiis, etiam plenariis, ac peccatorum remiſſionibus, & facultatibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, etiam per ſolam ſignaturam, ac vivæ vocis oraculo, ac aliàs per literas ſub plumbo, & ſub annulo Piſcatoris conceſſas in genere, vel in ſpecie, tam principaliter eidem Congregationis, quàm per viam communicationis, ſive extenſionis privilegiorum, tam in Mari magno nuncupatis, quàm aliis literis quibuſcumque, etiam Mendicantium Ordinibus conceſſorum contentis ornarunt, & decorarunt, ac locupletarunt, illaque antea conceſſa confirmarunt, & approbarunt, ac perpetua roboris firmitate conſiſtere voluerunt.

*Pius V. Ordinum Mendicantiū privilegia cōmunicavit ſup. in conſt. 30. Romanus, to. 2.*

§. 3. Necnon ultimo loco recol. mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, omnia & ſingula privilegia, facultates, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, indulta, tam tunc per ipſum, quàm quoſcumque alios Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſt. quomodolibet Mendicantibus Ordinibus conceſſa, ad vos, veſtramque Congregationem, fratres, domos, Eccleſias, & loca quæcumque, quoad ea quæ veſtris regulis, & modo vivendi non repugnarent, extendit & ampliavit, voſque verè Mendicantes, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere, necnon omnia & ſingula Conc. Trid. decreta pro Mendicantibus hujuſmodi declarata & modificata, etiam pro veſtra Congregatione hujuſmodi declaravit & modificatus fuit, & aliàs prout in ſingulis prædictorum prædeceſſ. literis deſuper confectis plenius continetur.

*Quæ omnia hic Pont. firmat.*

§. 4. Cum autem ea majorem vim & robur obtinere noſcantur, quæ ſæpius fuerint auctoritate noſtra communita, ac pro parte veſtra, qui prædicta auctoritate noſtra communiri, & approbari mirum in modum deſideratis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis petitiones ad exauditionis noſtræ gratiam admittere, vobiſque ſatisfacere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, privilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum, & cujuſvis generis gratiarum per dictos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices, quibuſvis etiam ſpecialibus rationibus conceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, omnia & ſingula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, ac peccatorum remiſſiones (citra tamen clauſulam porrigendi manus adjutrices) & conceſſiones etiam per vos ſufficienti ad id facultate ſuffultos, ac veſtræ Congregationi aggregatos, infraternatos nuncupatos, extenſas, ac indulta ſupradicta quomodocumque, & qualitercumque conceſſa & approbata (quatenus ſint in uſu, ac ſacris Canonibus, & Conc. Trid. non contraria) ex certa noſtra ſciéntia denuo in perpetuum Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, præſentiſque ſcripti patrocinio communimus: omneſque & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

*Clauſul. præſervativa decretum irritans.*

§. 5. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, aut derogationibus indulgentiarum, conceſſionum, & aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, &c. Sicque, & non aliter, &c.

*Executores deputat.*

§. 6. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchæ Venetiarum, Archiepiſcopo Mediolanenſi, ac Epiſcopo Bononienſi, ſive eorum in ſpiritualibus Vicariis generalibus per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra, aut alicujus ex vobis, & pro tempore dictæ Congregationis fratribus nunc, & in futurum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra vos, & pro tempore dictæ Congregationis fratres, & alios quoſcumque confirmatione, approbatione, ſuppletione, decreto, aliiſque præmiſſis juxta præſentium continentiam & tenorem pacificè frui & gaudere: Non permittentes vos, & veſtræ Congregationis pro tempore fratres per quoſcumque indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari: contradictores quoſlibet ac rebelles, & in iis, quæ præmiſſa concernunt, non parentes per opportuna juris & facti remedia, ac demùm per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulæ derogatoriæ adjungit.*

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſimilis mem. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & Cōcilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ultra tres dietas ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dictæ Congregationis, & Ordinis S. Hieronymi, ac Regulæ S. Auguſtini,

guſtini, ſub qua militatis, necnon aliorum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem vel alicui eorum ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex ſimili ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in eorum literis voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcumque.

§.8. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Februarii 1577. Pont. noſtri anno 6.

---

## VIII. Quod Clerici Regulares Cõgregationis S. Pauli Decollati, abſque licentia ejus Præpoſiti generalis, ad alium quemcumque Ordinem, præter Carthuſianum, tranſire nequeant.

*Hujus Congregationis inſtitutionem, & alia eam tangentia notavi ſup. apud Clem. VII. conſt.* 37. Vota. *Quibus adde, quod poſtmodum Paul. V. huic Congregationi indulſit, quod nova Monaſteria de ſola Ordinariorum licentia fundare valeat, inf. in ſua conſt.* 64. Eccleſiæ. *Et in recipiendis Novitiis formam præſcripſit in alia conſt.* 84. In ſupereminenti.

A. D. 1577.

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

IN ſpecula ſupremæ dignitatis diſpoſitione divina meritis licet inſufficientibus conſtituti, inter multiplices curas, quibus rerum negotiorumque varietatibus obruimur, ad ea ex debito paſtoralis officii nobis commiſſi ſollicitè nos intendere decet, per quæ perſonæ religioſæ in regularis vitæ, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ norma coadjuvante Domino ſalubriter conſervari valeant, & quæ his contraria eſſe noſcuntur, per noſtræ providentiæ ſtudium penitus evellantur.

§.1. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti generalis, & Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum petitio continebat, quod licet ipſi ad animas pretioſiſſimo Domini JESU CHRISTI ſanguine redemptas eidem Domino lucrifaciendas, ſemper dictæ Congregationis religioſos, ab eorum adoleſcentia bonis moribus, ac literis imbuere, omni ratione ſtuduerint, & ea in re nullis unquam ſumptibus, neque laboribus pepercerint, nihilominus nonnulli ex dictis religioſis ob ſcientiam per eos Congregationis prædictæ auſpiciis acquiſitam, tumidiores effecti, immemoreſque officii ſui, ac beneficiorum ab ipſa Congregatione acceptorum, cum primum in literis ita verſati, & eruditi reperiuntur, ut & proximorum ſaluti, & dictæ Congregationi adminiculo eſſe poſſent, libertatem appetentes, tanquam ingrati filii Congregationem ipſam ad effugiendam obedientiam, & obſervantiam, quæ in ea arctiſſimè cuſtodiuntur, ſub arctioris vitæ prætextu deſerunt, ac quod gravius eſt, etiam ipſius Congregationis perſonas, ritus & mores maledictis inſequentes, alios quoque variis, multiſque laxioris vitæ pollicitationibus ſubvertere non ceſſant. Quare pro parte Præpoſiti, & Clericorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus incommodis hujuſmodi occurrere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos igitur qui religioſos quoſlibet in ſuis regularibus inſtitutis laudabiliter continere omni ſtudio affectamus, Præpoſitum & Clericos prædictos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis ſententia per contrafacientes, eiſque conſilium, auxilium, vel favorem præſtantes ipſo facto incurrenda, & à qua, præterquã in mortis articulo cõſtituti ab alio, quàm à Rom. Pont. vel ipſius Congregationis Præpoſito generali pro tempore exiſtente abſolvi non poſſint, diſtrictè præcipiẽdo interdicimus, quod de cætero nullus dictæ Congregationis religioſus cujuſcumque conditionis, ſive clericus, ſive laïcus fuerit, ipſam Congregationem poſt vota per eum ſecundum illius inſtitutiones emiſſa, prætextu cujuſvis indulti ab eodem Rom. Pont. pro tempore exiſtente, ſeu illius Majori Pœnitentiario, aut aliquo Sedis Apoſtolicæ Nuntio, vel Legato, etiam de latere impetrati vel impetrandi, abſque ſpeciali & expreſſa pro tempore exiſtentis Præpoſiti prædicti licentia deſuper obtenta exire, aut ab ea recedere, etiam ob frugẽ melioris vitæ, aut ſtrictioris obſervantiæ, aut alio quæſito colore, ad quemvis aliũ, etiam Minorum, vel aliorum Fratrum Mendicantium, aut Ciſtercienſis vel Sancti Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem tranſire, vel etiam per Superiores Ordinũ, & Monaſteriorum hujuſmodi (Carthuſienſi Ordine dumtaxat excepto) recipi, ſeu admitti poſſit, ſeu præſumat.

§.3. Quodque is qui pro tempore ab ipſa Congregatione ad Carthuſienſis, vel de licentia prædicta ad alium Ordinem hujuſmodi tranſire voluerit, ad Carthuſienſis videlicet infra tres menſes, à die quo ab ipſa Congregatione receſſerit, ad alium verò Ordinem hujuſmodi infra tempus, & à pro tempore exiſtente Præpoſito prædicto præfigendum, accedere, ac illorum Monaſteria, ſeu domos, & loca actu ingredi, & ſi in eis permanere noluerit, aut non poſſit, abſque ulla mora ad dictam Congregationem redire teneatur.

§.4. Et nihilominus ſi quis ex Clericis dictæ Congregationis animo indurato contrarium tenere præſumpſerit, vel à dicta Congregatione poſt emiſſionem votorum hujuſmodi abſque licentia prædicta exire, & in ſæculo, vel alio etiam ſæculari loco degere præſumpſerit, liceat præfato Generali, ſeu aliis dictæ Congregationis Præpoſitis, & Superioribus eoſdem tranſgreſſores & exeuntes, tanquam apoſtatas, etiam invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, ad dictam Congregationem revocare, eoſque capere, & carcerare, ac debitis pœnitentiis ſubjicere. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchæ Alexandrino, & Archiepiſcopo Mediolanen. ac Archipresbytero Eccleſiæ Mediolanen. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præpoſiti, & Clericorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari, ac Præpoſitum, & Clericos præfatos illis omnibus pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoſlibet, ac rebelles & præmiſſis non parentes per prædictas, ac alias ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, cæteraque opportuna juris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, ac pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus

*Prohibitio tranſeundi ad alios, præter Carthuſianos, &c.*

*Formaque tranſeundi præſcribitur.*

*Pœna contravenientibus infligantur.*

*Executorum hujus conſtit. deputatio, & facultates.*

vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis [illegible] derogatur.* §.6. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur ne quis extra ſuam Civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices qui à dicta Sede deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, vel alii ſeu aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quorumcumque Monaſteriorum, Hoſpitalium, Militiarum, & Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ac exemptionibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis reſtitutionibus, præſentationibus, ac mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, & aliis fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam intuitu, conſideratione & ad ſupplicationem Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, necnon S.R.E. Cardinalium, & de illorum conſilio, ac matura deliberatione prius habita, ſeu etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis, ac etiam multiplicatis vicibus innovatis, quorumcumque tenorum exiſtant, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Exemplis fides datur.* §.7. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, ubi neceſſe fuerit, deferre, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium literarum exemplis ſeu tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici Romanæ Curiæ munitis, eadem fides tam in judicio quam extra illud ubilibet adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

*D.P.A.6. die 13. Septemb.* Dat. Rom. apud S. Petr. Anno Incarn. Dominicæ 1577. Idibus Septembris, Pont. noſtri anno 6.

---

## XLIX. Prohibitio Sal exterum mercandi, in locis Sedi Apoſtolicæ mediatè, aut immediatè ſubjectis.

*Hac prohibitio prodiit à Calixt. III. ſub die 1. Maii 1455. ſed hac ſtante conſultò à me fuit illa prætermiſſa. Extenditur autem à Clemente VIII. inf. in conſt.* 49. Frumenti.

*[illegible] An. D. 1567. & 1582.*

GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* Ex incumbenti nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ ſubditorum noſtrorum commoditati, & Cameræ Apoſtolicæ indemnitati opportunè conſulatur.

*Cauſa hujus conſtit.* §. 1. Cùm itaque, ſicut accepimus, quantitas ſalis, quod in ſalinis Civitatis noſtræ Cerviæ ob neceſſariam dilectorum filiorum illius Civium, & incolarum ſuſtentationem quotannis conficitur; & à Camera Apoſtolica certo convento pretio emi conſuevit, adeo aucta ſit, ut nonniſi congrui temporis ſpatio diſtrahi poſſit, & ex hoc niſi remedium opportunum adhibeatur, vel ipſos Cives, & incolas ab ulteriori ejuſdem ſalis fabrica non ſine gravi eorum diſpendio ceſſare, vel ipſam Cameram pecuniarum recuperatione, quas pro dicto pretio erogat, fruſtrari oporteat.

*Prohibitio mercandi ſal exterum in locis S. R. E.* §. 2. Nos cupientes, ut par eſt, non ſolùm eorundem Civium & incolarum, quos paterna benevolentia proſequimur, verum etiam indemnitati ejuſdem Cameræ opportunè proſpicere, ac fel. rec. Julii Papæ III. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, quod de cætero in Civitatibus, Terris, & locis ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis, nulli prorſus locorum Univerſitati, Collegio, Communitati, vel privatis perſonis, quavis dignitate, etiam Archiepiſcopali, Cardinalatus, vel majori Eccleſiaſtica vel laicali dignitate fulgentibus, ſal exterum, & illud præſertim, quod ab oris Dalmatiæ, ſeu Orientalibus vel Meridionalibus, & aliis mundi regionibus advehitur, in publicos, vel privatos uſus mercari liceat, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Communitates, aut Univerſitates mille, & quoad reliquas privatas perſonas, & collegia perſonarum Eccleſiaſticarum, centum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis ſalis exteri hujuſmodi, Cameræ præfatæ applican. ipſo facto per quemlibet contravenientem, & pro qualibet contraventione incurrendis pœnis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & decernimus.

*Executores Deputantur facultates.* §.3. Mandantes dilectis filiis Legatis, Præſidentibus, & Gubernatoribus Provinciarum, & illorum Locatenentibus, ac locorum Gubernatoribus, & aliis Officialibus, ad quos pertinebit, in virtute ſanctæ obedientiæ, ut ſtatutum, & decretum noſtra hujuſmodi inviolabiliter obſervari faciant, contemptores & obedientes, per opportuna facti & juris remedia compeſcendo.

*Clauſulæ derogatoriæ.* §.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis tam generalibus, quam provincialibus, necnon etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, quomodolibet conceſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.* §.5. Volumus autem atque decernimus, quod præſentium tranſumptis manu alicujus Cameræ Apoſtolicæ Notarii ſubſcriptis, & ſigillo dilecti filii noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P.A. 6. die 17. Dec.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Decembris 1577. Pont. noſtri anno 6.

*Sequitur extenſio præcedentis Conſtitutionis.*

*Edita An. 1582.*

GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Refertur conſtit. præced.* Alias emanarunt à nobis literæ tenoris ſubſequentis, videlicet. Ex incumbenti, &c. ſupra.

*Declaratio extenſio [illegible] prohibitionis.* §.1. Cum autem mentis, ac voluntatis noſtræ fuerit, non modo immediatè, ſed etiam mediatè nobis & Apoſtol. Sedis ſubjectos in præinſertis literis comprehendi; idcirco Motu proprio, & certa noſtra ſcientia ſimilibus tenore præſentium decernimus, & declaramus, etiam mediatè nobis, & dictæ Sedi ſubjectos, in dictis literis fuiſſe comprehenſos, eaſque etiam ad hoc validas, & efficaces fuiſſe, eſſe, & fore, ac illos qui poſt earum datam hactenus quomodolibet eis contravenerunt, & ex nunc in futurum contravenient, pœnas prædictas incurriſſe & incurrere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in eiſdem literis de mediatè & immediatè ſubjectis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio facta fuiſſet. Sicque ab omnibus cenſeri, & judicari debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.* §.2. Non obſtantibus omnibus, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.* §. 3. Volumus etiam quod præſentium tranſumptis manu Notarii Cameræ Apoſtolicæ ſubſcriptis, & ſigillo noſtri, & S. R. E. Camerarii munitis plena ubique fides adhibeatur, ac ſi originales literæ exhiberentur.

*D. P. An. 11. die 3. Dec.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Decembris 1582. Pont. noſtri anno 11.

Prohi

**Prohibitio extrahendi de locis Status Ecclesiastici triticum, hordeum, legumina, animalia, & omnis generis fruges & frumenta, etiam ex bonis Ecclesiaſticis collecta, vel impediendi illa afferentes ad Urbem, aut ea emendi, præterquam pro uſu ſuo, ſuarumque familiarum unius anni. Necnon revocatio licentiarum, & indultorum extrahendi, etiam ex cauſa onerosa conceſſorum.**

*Has constitutiones approbavit Clem. VIII. & alias pœnas (ſublata excommunicatione) impoſuit in conſt.* 49. Frumenti, *& ampliavit Paulus V. in conſt.* 12. Inter, *ubi excommunicationis pœnam contra extrahentes tantum innovavit, & ſupradicta indulta declaravit, & latiùs revocavit.*

Pauli V. conſtit. mitigavit, & extrahentes non incurrere cenſuras Eccleſiaſticas certis caſibus declaravit Greg. XV. in conſt. 30. *Romani*, inf. tom. 4.

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

VOlentes pro noſtra paſtorali ſollicitudine providere, ut ea, quæ communem vitæ uſum, & ſuſtentationem concernunt, in ſtatu noſtro Eccleſiaſtico honeſto pretio habeantur, veſtigiis quoque felic. record. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri inhærentes.

§. 1. Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra omnibus, & ſingulis Communitatibus, Univerſitatibus, ac perſonis, tam laïcis quam Eccleſiaſticis, etiam quorumvis Ordinum Regularibus, cujuſvis ſtatus, conditionis, & ordinis exiſtentibus, etiam Archiepiſcopali & Epiſcopali, vel alia majori dignitate fulgentibus, ac etiam Baronibus, Domicellis & Dominis temporalibus Status noſtri Eccleſiaſtici, ac ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœnis tenore præſentium inhibemus, ne quovis prætextu, directè vel indirectè cujuſvis generis frumenta, blada, & legumina, atque animalia quæcumque, extra ſtatum Eccleſiaſticum extrahere & aſportare audeant, ſeu præſumant. Eos verò, qui contra inhibitionem noſtram hujuſmodi commiſerint, ultra prædictas, etiam amiſſionis frumentorum, bladorum, leguminum, & animalium præfatorum, necnon quinque ſcutorum pro qualibet ſalma frumenti, bladorum, & leguminum hujuſmodi, & duorum ſcutorum pro quolibet capite animalis pœnas Fiſco & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ applicandas, ipſo facto incurrere volumus, ac decernimus.

§. 2. Mandantes dilectis filiis Aloyſio tituli S. Marci Presbytero Cardinali Cornelio nuncupato, noſtro & S. R. E. Camerario, necnon Magiſtro Andreæ Spinolæ dictæ Cameræ Clerico, & Annonæ Præfecto, quatenus ipſi præcipuam in præmiſſis curam habentes, præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, quos illa concernunt, firmiter obſervari, executionique debitæ demandari, necnon in Provinciis, civitatibus, terris, & locis Status Eccleſiaſtici præfati, ubi opus fuerit, publicari, & notificari curent, ac ad exactionem pœnarum prædictarum, quacumque appellatione remota, quibuſvis opportunis juris & facti remediis procedant, & procedi faciant. Contradictores, ac præmiſſorum executionem quomodolibet impedientes per prædictas alias pecuniarias, ac ſibi viſas pœnas, etiam omni appellatione ceſſante, compeſcant. Super quibus omnibus, aliiſque circa ea neceſſariis & opportunis plenam, & liberam per eaſdem præſentes ipſis concedimus facultatem.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis communitatibus, univerſitatibus, ac perſonis quibuſcumque, etiam, ut præfertur, qualificatis, etiam Motu ſimili, vel aliàs quomodocumque [illegible] qualitercumque conceſſis, confirmatis & innovatis; quibus omnibus, eorum tenores ac ſi ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus [illegible], vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 4. Volumus autem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem adhiberi, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Fides exemplorum.*

Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 18. Decembris 1577. Pont. noſtri anno 6. *D. P. A. 6. 18. Dec.*

*Sequitur latius Prohibitio extrahendi frumenta, &c. extra Statum Eccleſiaſticum, & impediendi afferentes illa ad Urbem, & emendi ultra uſum unius anni, & revocatio Indultorum.*

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita An. D. 1578.*
*Ad futuram rei memoriam.*

INter multiplices nobis ex alto commiſſi paſtoralis officii curas, ad eam libenter intendimus, per quam in Statu noſtro Eccleſiaſtico annonæ abundantia habeatur, & ſubditi noſtri in rerum humano victui neceſſariarum copioſa affluentia latè vivant, neque illarum penuria opprimantur. Quod ut fiat, experientia rerum magiſtra docente, id maximè neceſſarium eſſe cognovimus, ut ne ipſa annona à Statu noſtro prædicto extrahatur, utque ad Almam Urbem noſtram undique libere afferatur, neque afferentibus ullum impedimentum præſtetur, neque aliqui propriis commodis ſtudentes, contra publicam utilitatem de his rebus monopolia facere valeant, omni ſtudio provideamus. *Exordium.*

§. 1. Idcirco nos pro noſtri officii debito in præmiſſis opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, quod nulli nobis & S. R. E. mediatè vel immediatè ſubjecti, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, etiamſi Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini temporales, aut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, vel etiam S. R. E. Cardinales extiterint, ſub excommunicationis majoris, ac læſæ majeſtatis criminis, dominiorum, & bonorum ſuorum confiſcationis, feudorum amiſſionis, & quorumvis privilegiorum ſuſpenſionis, & aliis etiam pecuniariis arbitrio noſtro imponendis, & applicandis, ac etiam in publicis edictis, & proclamatibus per Præfectos Annonæ pro tempore tam hactenus editis & emiſſis, quam in futurum edendis & emittendis, quæ nos ex nunc, prout ex tunc Apoſtolica auctoritate approbamus & confirmamus, contentis cenſuris, & pœnis, triticum, hordeum, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges, etiam ex bonis Eccleſiaſticis collecta, à terris, & locis dicti ſtatus noſtri Eccleſiaſtici, abſque expreſſa noſtra, & à nobis obtenta in ſcriptis, & manu noſtra ſignata licentia, extrahere, vel extrahi facere. *Prohibitio extrahendi, ut in rub.*

§. 2. Nullique ex prædictis eorum ſubditos & vaſſallos, aut alias quaſcumque perſonas, quo minus triticum, hordeum, legumina, fruměta, & fruges præfata, à quibuſvis locis eis ſubjectis, quovis prætextu, etiam molituræ, aut cujuſvis alterius oneris ſolutionis, ad Almam Urbem noſtram afferant, prohibere, aut per ſe, vel alium, ſeu alios, directè vel indirectè impedire audeant, quin potius illis ſic afferentibus omnem opem, & favorem præſtent. *Prohibitio impediendi, ut in rubr.*

§. 3. Ac inſuper nulli aliquam tritici, hordei, leguminum, omniſque generis frumentorum, & frugum quantitatem, niſi pro ſuo, ſuarumque familiarum unius anni dumtaxat uſu emere valeant, & contrafacientes pœnas prædictas incurriſſe declarentur, & aggraventur ipſo facto, ſtatuimus atque decernimus. *Prohibitio emendi ultra uſum unius anni.*

§. 4. Mandantes dilecto filio Aloyſio tituli S. Marci presbytero *Deputatio, & ſ[illegible] executorum.*

Presbytero Cardinali Cornelio nuncupato, noſtro, & S. R.E. Camerario, ac dictæ Annonæ Præfectis, ut contra eos, qui ſtatuto, & decreto noſtro hujuſmodi in aliquo contravenerint, manu regia, & nulla tela judiciaria ſervata procedant, ac eos pœnas prædictas incurriſſe declarent, aggravent, reaggravent, interdicant, & brachium ſæculare in eos adhibeant.

*Licentia omnis ex cauſa onerosa revocantur. Declarat & ampliat Paul. IV. cit. in rub.*

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis, ac gratiis Apoſtolicis eiſdem perſonis, ac Civitatibus, terris, & locis, ac quibuſvis aliis per Cameram, aut per nos, & prædeceſſores noſtros, in genere, vel in ſpecie, etiam ex cauſa oneroſa, ac ſub quibuſcumque tenoribus & formis forſan conceſſis, confirmatis & ſæpius innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus *ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua*, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, *illorum* tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat latiſſimè derogamus, & ad effectum prædictum ad beneplacitum noſtrum ſuſpenſa eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma & effectus public.*

§.6. Et ut præmiſſa omnia ad notitiam omnium deducantur, ne aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, volumus quod præſentes literæ per aliquos Curiæ noſtræ Curſores ad Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvas, & in acie Campi Floræ affigantur, & cum inde amovebuntur, earum exempla in eiſdem locis affixa remaneant. Mandantes quoque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus & aliis dictorum locorum Officialibus, quatenus præſentes publicent, & publicari faciant. Et quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P.A.6. die 1. Maii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Maii 1578. Pontificatus noſtri anno 6.

*Admiſſio in Cam. Apoſt.*

*Die* 12. *Maii* 1578. *præſentes literæ Apoſtolicæ exhibitæ & præſentatæ in plena Camera Apoſtolica, inſtante magnifico D. Rodulpho Bonfiolo, illius Commiſſario generali, & ex decreto in eadem Camera facto admiſſæ, & regiſtratæ fuerunt lib.*3. *Signaturarum S. D. N. apud me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium.*

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini* 1578. *Indict.* 6. *die verò* 7. *menſis Maii, Pontif. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno ejus* 6. *affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem copiis affixis earum, per me Petrum Aloyſium Gaytam ejuſdem S. D. N. Papæ Curſ.*

*Claudius Mongeat Mag. Curſ.*

## LI. Exemptio Religionis Clericorum Regularium Soc. JESU à ſolutione & præſtatione decimarum, & aliorum onerum quorumcumque.

*Iſtam exemptionem jam conceſſerat Paul. III. ſup. in ejus conſt.*48. Licèt, *& etiam Pius IV. hic relatus. Sed iſte Pontifex eam declarat, & ampliat. Cætera autem de hac Societate notata ſunt ſup. in ejuſdem Pauli III. conſt.*25. Regimini.

*Edita An.D. 1578.*

*GREGORIVS PAPA XIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

PAſtoralis officii cura nobis meritis licet imparibus ex alto commiſſa, nos admonet, ut noſtræ proviſionis efficiatur miniſterio, quod ea quæ Religioſis quibuſlibet, præſertim ſub Sacratiſſimi Nominis JESU, totius humani generis Redemptoris vexillo, ad illius honorem & gloriam, proximorumque ſpiritualem profectum, ac orthodoxæ fidei defenſionem, & propagationem in terris militantibus ab Apoſtolica Sede providè conceſſa repe-rientur, ſublatis quibuſlibet impedimentis, ſuos, ut par eſt, debitos effectus perpetuis futuris temporibus ſortiantur.

*Paul. III. dit exem... à deci...*

§.1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Everardus Mercurianus, &c.

Omittitur hic narrativa, quia ipſa Bulla eſt loco cit. in rub.

*Pius IV. ampliavi... ſed ejus ... lam non ... nti bis ... cienter ... tam.*

§.2. Et ſucceſſivè piæ memoriæ Pius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, exemptionem, ac cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis literas ipſius Pauli prædeceſſoris deſuper confectas, necnon inde ſecuta quæcumque, per ſuas literas ex certa ſcientia confirmaverit, approbaverit, & etiam plenariè innovaverit. Ac pro potiori cautela univerſam Societatem prædictam, omniaque & ſingula ejus Domos, etiam probationis, & Collegia ubilibet conſiſtentia, præſentia, & futura, eorumque perſonas, fructus, redditus, & proventus, etiam bonorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium & regularium quorumcumque, *illis* pro tempore unitorum, aliiſque res, & bona quæcumque à quibuſvis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis, etiam charitativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam, pro tempore impoſitis, etiamſi in illorum impoſitione caveretur, quod nulla prorſus exemptio cuiquam adverſus illa ſuffragaretur. Ita quod Societas, ejuſque Domus, etiam probationis, Collegia, fructus, res, & bona præfata ſemper ab illis abſque declaratione deſuper facienda excepta eſſent, & eſſe cenſerentur, perpetuò liberaverit, & exemerit, prout in ſingulis literis prædeceſſorum hujuſmodi plenius continetur.

*Sed dub... faciebat ... non erat ... gatum ... per, ac ...*

§.3. Nihilominus quia in illis nulla de conſtitutione recol. memor. Innocentii Papæ III. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, in Concilio generali ſuper decimis edita, quæ incipit Nuper, expreſſa, & ſpecifica mentio facta, nec ei ſpecialiter & expreſsè derogatum fuit, idem Præpoſitus dubitat, ſingulas literas prædictas de ſubreptionis, ſeu nullitatis vitio notari, ac Societati, illiuſque Domibus, Collegiis & perſonis prædictis minus utiles reddi, aut illa ſuper exemptione hujuſmodi moleſtari, vel perturbari poſſe tempore procedente.

*Hic ideo eandē ex... ptionē ... concedit, ampliat.*

§.4. Nos igitur, qui votivum ipſius Societatis profectum ſyncero paternæ charitatis affectu libenter amplectimur, eiſdem Societati, illiuſque Domibus, etiam probationis, Collegiis, & perſonis, ne propterea dictarum literarum fruſtrentur effectu, opportunè providere volentes, ipſumque Præpoſitum, & ſingulares perſonas Societatis hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtūt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; necnon ſingularum literarum prædictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium, & cauſarum ſuper præmiſſis jam forſan motarum ſtatum, & merita, nominaque & cognomina Judicum, & collitigantium, ac titulos, & jura eorum, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ipſius Præpoſiti ſupplicationibus in hac parte inclinati, volumus, ac Societati, illiuſque Domibus, etiam probationum, Collegiis, & perſonis prædictis eadem auctoritate concedimus, quod ſingulæ literæ prædictæ cum exemptionis cæteriſque omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, & decretis, proceſſuſque habiti per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eis quibus conceſſæ exiſtunt, perpetuò ſuffragentur in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in illis de conſtitutione Innocentii prædeceſſoris, & ſeu Collegii generalis hujuſmodi ſpecifica, & expreſſa mentio facta, eique ſpecialiter, & expreſsè derogatum fuiſſet, prout Nos eidem conſtitutioni ad effectum præmiſſum ſpecialiter & expreſsè harum ſerie derogamus. Decernentes ita in quibuſcumque cauſis, pendentibus & futuris, per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his

à

à quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus litis pendentiis, ſi quæ ſint, & aliis præmiſſis, ac Innocentii prædeceſſoris, & ſeu generalis Concilii hujuſmodi, aliiſque Apoſtolicis, necnon in provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ in ſingulis literis prædictis expreſſum fuit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, quod earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis dictæ Societatis munitis, eadem prorſus fides, in judicio & extra ubicumque adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Januarii 1578. Pont. noſtri anno 6.

---

II. Juriſdictio S. R. E. Cardinalium Protectorum, & Judicum cauſarum Domus Piæ, ad recipiendas, & piè alendas mulieres peccatrices pœnitentes, in Urbe inſtitutæ.

*Erecta fuit hæc Domus Pia tempore Pii IV. & ejus regimen ſpectabat ad Sodalitatem duodecim SS Apoſtolorum nuncupatam, ut in ejus conſt.* 90. In Apoſtolicæ. *Hodie autem gubernatur, & regitur à Cardd. pro tempore Protectoribus, & à Congregatione deſuper inſtituta quamplurium piorum hominum, inter quos ego Laertius ſpatio multorum annorum, licet minimus, non modicum inſudavi.*

An.D. 1578. GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUpientes Domum Piam nuncupatam in Urbe noſtra per fel. record. Pium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum pro mulieribus peccatricibus & converſis, ac pœnitentibus inſtitutam, in qua eædem cognoſcentes ſe à via ſalutis aberrare, ſe recipere poſſent, ibidemque deliberare valerent, an vellent nubere, ſeu moniales effici, ac pro ejuſdem Domus regimine, & gubernio erectam Confraternitatem, illarumque perſonas ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequi, & juxta debitum paſtoralis officii eorum occurrere diſpendiis, quærimus, & ut in via Domini moleſtiis quibuſcumque quàm primum ſublatis, proficiant, ſalubriter intendimus.

§. 1. Ne igitur Domus & Confraternitatis hujuſmodi perſonas gravibus incommodis & diſpendiis affici contingat, dum per diverſa Urbis noſtræ Tribunalia, pro variis cauſis, rebus & negotiis litigare cogerentur.

§. 2. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controverſias, civiles, criminales, profanas, ſpirituales, meras, & miſtas, nomine dictæ Domus, vel in ea degentium perſonarum, ac Confraternitatis, ſeu ejus Adminiſtratorum, Gubernatorum, & Deputatorum, ac monialium, ſeu mulierum in eadem domo degentium, ſed quæ inde egreſſæ, & nuptui traditæ, vel Monaſticam vitam amplexæ fuerint, contra alias quaſcumque perſonas, cujuſcumque gradus, dignitatis, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentes, Univerſitates, Societates, Congregationes, Monaſteria, aut alia loca pia in quibus Domus ſive perſonæ prædictæ Rei, vel Actoris partes ſuſtinuerint, etiamſi coram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, ac Curiæ cauſarum dictæ Cameræ Generali Auditore, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore dictæ Urbis, illorumque Locatenentibus, Collateralibus, Judicibus, ac dictæ Urbis Cauſarum Appellationum Capitaneo, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & ejuſdem S.R.E. Cardinalibus, aliiſque Judicibus, ordinariis, ſeu delegatis, hucuſque motas & pendentes, de, & ſuper ſtatu, ac bonis tam dictæ Domus, quàm mulierum in illa degentium, necnon quibuſcumque locationibus, conditionibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, ac illarum diſcuſſionibus, necnon quorumcumque jurium & actionum ceſſionibus, aliiſque inter vivos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ executionibus, revocationibus, bonis, rebus, juribus & actionibus ad dictam domum, ſive ejus nomine Confraternitati, ejuſque Gubernatores, Adminiſtratores & Deputatos, Moniales, ac mulieres hujuſmodi, tam conjunctim quàm diviſim, ac tam activè quàm paſſivè ſpectantibus & pertinentibus, in quacumque inſtantia, quorum omnium & ſingulorum ſtatum & merita, necnon Judicum & colligantium nomina & cognomina, ac qualitates, cæteraque etiam de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habentes, in ſtatu & terminis in quibus nunc reperiuntur quatenus inſtructæ non ſint, harum ſerie ad nos advocantes, illaſque omnes & ſingulas, motas & pendentes, ac quas & quæ Domus & Confraternitas, & Gubernatores, Adminiſtratores & Deputati, necnon Moniales & Mulieres ibidem degentes, penitus & omnino contra eaſdem perſonas, Univerſitates, Collegia, Congregationes, Confraternitates, Monaſteria, & alia hujuſmodi pia loca, pro rebus, bonis, hæreditatibus, juribus, & actionibus hujuſmodi, dilectis filiis noſtris Marco Sitico S. Geor. in Velabro de Altaëmps, & Ptolomæo S. Agathæ Titulorum Comen. nuncupatis Cardinalibus Presb. ejuſdem Domus, ac Confraternitatis apud nos, Sedemque Apoſtolicam Protectoribus, unà cum illarũ emergentibus, dependentibus, incidẽtibus, annexis & connexis, ſummariè, ſimpliciter & de plano, ac ſola facti veritate inſpecta, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, per ſe ipſos, aut alios ab eis deputandos, in quacumque inſtantia, uſque ad finẽ audiendas, cognoſcẽdas, & fine debito terminãdas committimus, & mãdamus.

§. 3. Ipſoſque Marcum & Ptolomæum Cardinales, ad nunc & pro tempore exiſtentes Protectores Domus, & Confraternitatis prædictarum, in dictis cauſis motis & movendis, pendentibus, & in futurum movendis, in Judices ordinarios, cum facultate eaſdem cauſas in quacumque inſtantia uſque ad finem, per ſe ipſos vel alios eorum Auditores, cognoſcendi, decidendi & terminandi, facimus, conſtituimus & deputamus. *Judices deputandi.*

§. 4. Ac cum poteſtate citandi & inhibendi quos & quibus, ac quoties opus fuerit, in Curia & extra eam, etiam per Edictum publicum, conſtito etiam ſummariè de non tuto acceſſu, eiſdemque, ac quibuſvis aliis ejuſdem Urbis Judicibus ac perſonis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, etiam ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac pecuniariis inhibendi, & in eventum non paritionis contra inobedientes contumaces & rebelles, ad declarationem incurſus pœnarum & cenſurarum hujuſmodi, illarumque aggravationes, & reaggravationes, alias juxta morem & ſtylum Curiarum dictæ Urbis in ſimilibus ſervari ſolitum, & prout eis videbitur procedendi, ſententiaſque ſuas debitæ executioni demandandi, ſive demandari faciendi, auxiliumque brachii ſæcularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocandi, omniaque & ſingula alia in præmiſſis & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi. *Citandi & inhibendi in Curia, & extra.*

§. 5. Ac in omnibus & ſingulis cauſis prædictis, ad Domum, Confraternitatem, Moniales, & Mulieres hujuſmodi, ut præfertur ſpectantes, ſingulis diebus, & horis feriatis & non feriatis, præterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob neceſſitatem hominum indictarum & indicendarum, procedere. *Diebus etiam feriatis procedendi.*

§. 6. Ac quemcumque Notarium eis beneviſum in cauſis hujuſmodi deputare poſſint. *Notarium deputandi.*

§. 7. Quodque citationes, monitiones, & intimationes, quas in dictis cauſis fieri oportuerit, etiam per Curiæ Capitolinæ & quoſcumque alios Mandatarios fieri poſſint. Et quicumque Executores Urbis poſſint & debeant effectualiter executioni demandare omnes & ſingulas ſententias, decreta & mandata dictorum Marci, & Ptolomæi Cardinalium prædictorum, & pro tempore exiſtentium Protectorum, ſive ab eis Deputatorum; quæ non obſtante Regula Cancellariæ, ſub eorum parvis ſigillis expediri poſſint. *Mandatarii & executores omnibus eis ſerviant.*

*Alii Judices in his cauſis non procedãt.*

§.8. Et inſuper Domum, ac Confraternitatem prædictas, ejuſque Adminiſtratores, Gubern. & Deputatos, necnon Moniales & Mulieres hujuſmodi, in eadem Domo degẽtes, & inde egreſſas, nuptas, ſeu viduas, ex tunc deinceps occaſione præmiſſorum alibi, quam coram dictis Protectoribus conveniri, aut ad alios conveniendum conſtringi non poſſe, ac proceſſus, ſententias & decreta per alios, tam ordinarios, quam delegatos Judices in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos latas, & factas, cum inde ſecutis quibuſcumque nulla, irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti fore.

*Clauſula præſervativa.*

§.9. Præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, ſeu revocationibus ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, etiam per Nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, vel Sedem Apoſtolicam, aut ejus Legatos, etiam Cancellariæ Apoſtolicæ regulas pro tempore factas, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe & cenſeri debere, necnon per quaſcumque literas, etiam quaſvis clauſulas generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque & alia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione continentes, derogari poſſe, & ſi illis ullo unquam tempore ex aliqua etiam quantumvis neceſſaria & urgenti cauſa derogari contingat, niſi tenor earundem præſentium de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſertus, & hujuſmodi derogatio per trinas diſtinctas literas, eundem tenorem continentes, tribus ſimilibus diſtinctis vicibus Adminiſtratoribus, Gubernatoribus, Deputatis & Confratribus hujuſmodi omnibus & ſingulis legitimè inſinuata, & intimata fuerint, eorumque expreſſus ad id acceſſerit aſſenſus, derogationem hujuſmodi nemini ſuffragari, & nullius eſſe roboris, vel momenti.

*Decretum irritans.*

§.10. Sicque per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Auditores, & Cardinales prædictos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Clauſ. derog.*

§.11. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum & Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dilectis filiis populo Romano, necnon Judicibus, Curiis & Tribunalibus, eorumque perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem, etiam motu & ſcientia ſimilibus conceſſis, approbatis, & innovatis, etiam diſponentibus, quod cauſæ hujuſmodi ad forum, ſeu Curiam Capitolinam aſſumi debeant. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis mentio habenda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, ſeu ſi prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, Curias, & Tribunalia ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, & indultis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut totaliter non inſerta juriſdictiones dictorum Protectorum impediri valeant quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in præſentibus mentio ſpecialis.

*Fides adhibenda tranſumptis.*

§.12. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Protectorum, ſeu alterius eorum, ſeu Confraternitatis hujuſmodi munitis eandem prorſus fidem adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus exhibitis, vel oſtenſis.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Februarii 1578. Pont. noſtri anno 6.

*D.P.A. 12. Febr.*

## LII.

## Inſtitutio Collegii Anglici in Urbe, pro Scholaribus Nationis Anglicæ piè ibi educandis, & inſtruendis, cum annuorum redditum aſſignatione, Exemptionumque & Indultorum conceſſione, & S.R.E. Cardinalis Protectoris, & Judicis in cognoſcendis eorum cauſis juriſdictione.

*Multa de Regni Angliæ calamitate, & hæreſum labe, videri poſſunt ſupra in Pauli III. conſt.* 7. Ejus qui, *& Pii V. conſt.* 101. Regnans, *& infra Sixti V. conſt.* 39. Afflictæ.

*GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. 1579.*

*Proœmium.*

QUoniam Divinæ bonitati viſum eſt humilitatem noſtram turbulentiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, ad excelſum univerſalis Eccleſiæ culmen ſublevare, hæreditatiſque, quam pretioſo ſanguine ſuo quæſivit, adminiſtrationem curæ noſtræ commendare, ea noſtrum perpetua ſollicitudo exacuit animum ad piè meditandum, quo pacto & Dei miſericordiæ, à qua tantum accepimus, nos gratos exhibemus, & noſtram Eccleſiæ ſuæ operam, quantum divina benignitate adjuti poſſumus, non inutilem faciamus.

*Cauſa ... erecti ...*

§.1. Quare cum quotidie, non ſine gravi animi noſtri dolore, Sanctam Domini Noſtri Jesu Christi Sponſam diverſorum ejus hoſtium conſpiratione, & violento ex multis partibus incurſu oppugnari cernamus, antiquiſque hoſtibus Infidelibus, Turcis, Judæis novos quoque Hæreticos, & Schiſmaticos acceſſiſſe, qui omni impietate & ſcelere imbuti, ac veluti adverſarii noſtri furiis exagitati, in piæ Matris exitium feruntur, quod officii noſtri ratio à nobis expoſtulat ad hominum impetus, quo maximè opus eſſe videmus, vires nobis à Domino traditas opponimus, populoſque imbecillitati noſtræ à divina benignitate concreditos præſidiis contra hoſtium oppugnationes paratis communimus. Cumque nullum firmius præſidium, aut remedium certius inveniri poſſit, quam ut regionum ab hac peſte oppreſſarum juventus, cujus teneros animos facile eſt ad virtutem flectere, Catholica Religione imbuatur, ab initio uſque noſtri Pont. operam dedimus, ut diverſarum nationum Collegia, veluti Catholicæ Religionis & ſinceræ ad eam inſtitutionis ſeminaria, noſtris ſumptibus in Urbe erigerentur.

*Greg. I. ... xit Anglorum nationem ad fidem Catholicam.*

*Angli qui tunc Roman. obedient. Cath. ... in hær. poſtea ... pſi ſunt.*

§. 2. Quæ intereà dum ſedulò agimus, ad Angliæ Regnum magnis quondam opibus, & Catholicæ fidei Studio florentiſſimum, nunc verò à teterrima Hæreſis labe, quæ omnes fere ejus partes comprehendit, devaſtatum, pietatis oculos dirigentes, ejuſque calamitatem, ut ſæpè alias, miſerantes reperimus Anglorum nationem ad Christi fidem à Beato Gregorio Pontifice converſam, ex eo tempore ſingularem fidem, reverentiam, atque obedientiam contra Romanos Pontifices, Sanctamque Sedem Apoſtolicam præſtitiſſe, quæ etiam in tanta noſtrorum caligine, in aliquibus, inſignibus illis quidem & Illuſtribus viris refulſere, qui pro hujus Sedis dignitate, & Orthodoxæ fidei veritate vitas ſuas cum ſanguine ponere non dubitarunt, verſanturque quotidie ante oculos noſtros juvenes, ex illo miſerrimo Regno huc profugientes, qui divino ſpiritu ducti, patria, parentibus, & bonis relictis, ſeſe nobis ad Catholicæ Religionis, in qua nati ſunt, inſtitutionem ſuſcipiendam miſerabiliter offerunt, eo animo, ut ſalutem ſibi primum comparent, deinde verò, ut poſt adeptam divinarum rerum ſcientiam, in Angliam ad alios, qui à via veritatis declinarunt, erudiendos revertantur.

*Hic igitur Pont. ad ... extio ... Greg. I. Anglorum hæreſi ... tione Coll. Angli. in Urbe erig...*

§.3. Nos igitur Gregorii ejus nominis Primi pia in Anglos officia, ejuſque erga illos bonitatem imitari cupientes, ut quemadmodum ipſi conceſſionis, ſic & nobis ab errore revocationis beneficium accepiſſe in Domino lætentur, ac propenſam eorum erga Sedem prædictam

devotionem

devotionem adoleſcentium, item Catholicæ doctrinæ adipiſcendæ ſtudium amplectentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem, & ſidei Catholicæ incrementum, dilectæque nobis nationis Anglicanæ commodum & ſalutem, in ædibus hoſpitalis Anglorum de Urbe, unum Collegium Anglicanum nuncupandum perpetuò erigimus & inſtituimus, in quo non minus, quàm quinquaginta Scolaſtici, ex omni natione, & linguæ idiomate Regni Angliæ cum ſuo Rectore, & miniſtris neceſſariis alantur, qui inibi in Philoſophia, ac Theologia ſe exerceant, Græcis item, Hebraïciſque literis pro captu cujuſque operam dent, in eiſque tantum proficere ſtudeant, quantum ſatis eſſe videatur.

§.4. His porro omnes ii ſtudiis operam navabunt, ad quæ à Superioribus dirigentur, ſeque præterea in pietate, & devotione, Cantibus Eccleſiaſt. Cæremoniis, & ſacris officiis, ut melius ipſis Superioribus viſum fuerit exercebunt. Ad eorum autem omnium ſuſtentationem nos annuos redditus trium millium ſcutorum auri in auro ex Apoſt. Cam. ſeu Datariatus rationibus ſingulis menſibus pro rata, donec eis aliunde nobis, aut ſucceſſoribus noſtris de ſimili annuo redditu proſpectum fuerit, liberè, & integrè præſtandos conſtituimus.

§.5. Et præterea eis perpetuo concedimus, & aſſignamus pro eorum habitatione & uſu ædes prædictas, in quibus Capellani Angli habitabant, nunc verò dicti Scolaſtici juſſu noſtri habitant, cum duabus domibus dicto hoſpitali contiguis ad ſiniſtram partem verſus Eccleſiam S. Brigitæ Suetiorum, & quæcumque illis circumcedunt. Ac pro divini cultus exercitio Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis, & S. Thomæ Martyris Anglorum, necnō pro dote dicti Collegii, ac Rectoris, Scholaſticorum, & Miniſtrorum prædictorum ſuſtentatione, omnes, & quaſcumque alias domos, tabernas, ſive apothecas, ſtabula, hoſpitia, hortos, areas, proprietates, cenſus, fructus, cæteraque omnia bona mobilia, immobilia, & ſe moventia, necnon res, actiones, & jura dicti Hoſpitalis, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque exiſtentia, cujuſcumque qualitatis, ſpeciei, naturæ, pretii, quantitatis, ac etiam annui valoris exiſtentia, quæ omnia, eorumque ſituationes, nuncupationes, confinia, & latera, ac ſi nominatim, & in ſpecie deſcriberentur, præſentibus pro expreſſis haberi, & ædes, ac cætera, quæ ſignari poſſunt, ut à cæteris internoſcantur, quamprimum armis, & ſignis dicti Collegii forinſecus notari volumus, eaque omnia à dicto hoſpitali omnino ſeparamus, & ad ipſum Collegium transferimus, ita ut Protector, & Scholaſtici prædicti corporalem illorum omnium poſſeſſionem per ſe vel alium, ſeu alios propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, ac emolumenta omnia percipere, exigere, & levare, ac in ſuos dicti Collegii communes uſus & utilitatem convertere liberè & licitè valeant, Vic. Urbis aut cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita. Oeconomus vero, & alii Miniſtri, ac ſervientes dicti Collegii, ipſius Rectori ſubſint, & ad ejus præſcriptum & mandatum omnino obſequantur, nihilque contra illius voluntatem faciant, vel attentent, ipſeque Oeconomus Protectori dicti Collegii pro tempore exiſtenti, vel etiam ipſi Protectori, volenti & requirenti, aut ab eorum quolibet deputatis, bis in anno, vel quotieſcumque ei, vel eis viſum fuerit, rationem reddere teneantur. Cùm eo tamen, quod ſi aliquo tempore prædictum Collegium, ex quacumque cauſa diſſolvi contingat, ædes, Eccleſias, domus, cenſus, cæteraque omnia prædicta perinde prædicti hoſpitalis ſint, ac ſi erectio Collegii, & alia præſcripta nunquam emanaſſent, prout nos ex nunc in eum eventum hoſpitale ipſum quoad illa omnia in integrum reſtituimus.

§.6. Eo ipſo diſtrictius inhibentes Capellanis prædictis, necnon dicti hoſpitalis Gubernatoribus, & Adminiſtratoribus, cujuſcumque nominis, & dignitatis, ne deincens in ædibus, Eccleſia, domibus, apothecis, cenſibus, fructus, aliiſque rebus, juribus, & action. prædictis, directè vel indirectè, quovis quæſito colore ſeſe interponere, aut Collegium, Rectorem, Scholaſticos, & miniſtros præſentes & futuros moleſtare audeant, vel perturbare. Ac decernentes ex nunc irritum & inane quicquid contra præmiſſa, & etiam præſentibus contenta per eoſdem, aut quoſvis alios, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Collegium à juriſd. Ordinariorum, & quorumcumque ped. eximit.*

§.7. Præterea Collegium, ejuſque Rectorem, Scholaſticos, & miniſtros in perpetuum, ac prædicta, cæteraque omnia eorum bona, mobilia, & immobilia, cujuſcumque qualitatis & quantitatis, in dicta Urbe, & extra, & aliàs ubique locorum conſiſtentia, ſub noſtra, beatique Petri, & hujus Sedis protectione ſuſcipientes, ac nobis, & eidem Sedi protinus ſubjicientes, illa omnia univerſim, & ſingulatim ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentis Vicarii, Gubernatoris, Senatoris, Conſulum, Conſervatorum, & Reformatorum dictæ Urbis, cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditoris, necnon Rectoris Studii generalis, & aliorum quorumcumque Tribunalium, & Iudicum, & Officialium, necnon Ordinariorum locorum, Rectorum parochialium Eccleſiarum, & quorumcumque aliorum in dicta Urbe, vel alibi conſtitutorum.

*Et à ſolutione pedagiorū, & gabellar. m.*

§.8. Illoque, ac etiam in propriis eorum rebus, & bonis, cum eis contrahentes, à ſolutione, & exactione quorumcumque pedagii, gabellæ, bollettini, etiam ratione vini Ripæ, & Ripettæ, necnon grani, olei, pannorum cujuſcumque generis, & quarumcumque aliarum rerum, necnon decimarum, & cujuſvis tam Ordinarii quam extraordinarii oneris, ex quacumque cauſa impoſitorum, & imponendorum perpetuò eximimus, & prorſus liberamus.

*Indulta Studii Urbis concedit. Tu ea videas in conſtit. 9. Boniſ. VIII.*

§.9. Inſuper eiſdem Collegio, & Scholaſticis, Rectoribus, & Gubernatoribus, ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus Studium generale dictæ Urbis, & illius Rectores, Doctoreſque in eo exegerint, quomodocumque utuntur, potiuntur, & gaudent, aut uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter uti, potiri, & gaudere valeant, in omnibus & per omnia concedimus, illaque eis communicamus.

*Inhibitio contra omnes Officiale, ne Collegium, & ejus perſonas ſuper præmiſſis moleſtent.*

§.10. Præcipimuſque, & interdicimus Vicario, Gubernatori, Auditori, Senatori, Conſulibus, Conſervatoribus, Reformatoribus, Rectorique, Judicibus, Officialibus, & aliis prædictis, necnon S.R.E. Camerario, Præſidentibuſque & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, ac quibuſvis Camerariis ad exactionem vectigalium portoriorum, decimarum, & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis universè, & ſingulatim, ne quarumcumque facultatum, privilegiorum, & literarum eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſarum occaſione, vel prætextu, Collegium, Scholaſticos, Rectorem, Miniſtros, & Gubernatores prædictos, ſeu eorū aliquem, etiam ſuper uſu, & perceptione prædictorum, & aliis præmiſſis impediāt, vel moleſtent, nec impediri, vel moleſtari permittant.

*Facul. Superiorum Collegii, promovendi cum conſenſu Protectoris Scholares ad gradus, &c.*

§.11. Ad hæc, Superioribus dicti Collegii, cum conſenſu tamen Protectoris prædicti illos, quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint, in prædictis facultatibus artium, & Theologiæ Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratuſque & Magiſterii gradus, ſervata forma Concilii Viennenſis, & alias juxta Univerſitatis Studii ejuſdem Urbis conſuetudinem promovendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi, utque in facultatibus ſupradictis ſic promoti illas publicè & privatim, etiam in omnibus Univerſitatibus Studiorum generalium interpretari, & alios docere, ac de eis diſputare, gradui ſeu gradibus hujuſmodi convenientes actus exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in prædicta, ſeu aliis Univerſitatibus, & alibi juxta illius, & aliarum Univerſitatum hujuſmodi conſtitutiones, & mores ad gradus prædictos promoti de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, perinde ac ſi gradus prædictos in ipſa Univerſitate juxta ſtatuta, conſuetudines, & mores prædictos ſuſcepiſſent, concedendi licentiam tribuimus.

*Scholares, & alumni ejuſdem Collegii promoveri poſſint extra tempora, & abſque Ordinariorum lit. dimiſſoriis, & ſine titulo, & non obſtan. defectu natalium.*

§. 13. Poſtremò cum eoſdem Scholares hujus Collegii alumnos poſt longos ſtudiorum, vel cœptorum, vel conſummatorum labores, ſacerdotali Militiæ pro temporis, vel loci neceſſitate adſcribere conducat, ut miniſteriis, & perſonibus ſacris aſſueſcant dictæ Eccleſiæ Sanctiſſimæ Trinitatis officia præſtent, ſeu ut operarii mittantur, eiſdem Alumnis, ut de licentia Protectoris, ac dicti Collegii Rectoris conſenſu, & examine præcedente, etiam extra tempora à jure ſtatuta, interſtitiiſque temporum à Concil. Trid. præſtitutis non expectatis, & etiam abſque ſuorum Ordinariorum literis dimiſſorialibus, ac ſine aliquo beneficii, vel patrimonii titulo, & non obſtante quovis natalium defectu, ſuper quo cum talibus per eaſdem præſentes diſpenſamus, ad omnes, etiam ſacros & presbyteratus ordines promoveri, & poſtquam promoti fuerint, in illis etiam in altaris miniſteriis miniſtrare, ac etiam tam ipſi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ, etiam die Paſcharis, & Extremæ-unctionis Sacramenta à Confeſſario, aut alio ſacerdote ipſius Collegii, vel à Rectore illius conſtituendo, ſuſcipere liberè, & licitè valeant indulgemus.

*Protectoris deputatio, & facultates.*

§. 14. Ut vero ejuſdem Collegii conſervationi, bonoque regimini, tam iis, quàm ad alumnorum ipſorum inſtitutionem, & diſciplinam, quàm ad victum & veſtitum, aliaque hujuſmodi neceſſaria pertinent, opportunius conſulatur, utque promptum, paratumque ſit eis auxilium, venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Oſtienſem Cardinalem Moronum nuncupatum, ejuſdem Collegii Protectorem, & defenſorem conſtituimus & deputamus, cujus conſilio & opera, tam ſupradicta, quàm quæcumque alia ad Scholaſticos in eodem Collegio admittendos, & retinendos, & ab eo admittendos ſpectantia agantur, ſtatuantur, & ordinentur, dantes eidem, & pro tempore Protectori exiſtenti prædicti Collegii pro ſalubri illius conſervatione, & directione Scholaſticorum, bonorum & rerum, ac jurium temporalium & ſpiritualium ejuſdem plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem, Oeconomos, Advocatos, & Procuratores in eo deputandos, & amovendos, & alios eorum loco ſufficiendos, differentias, lites, & controverſias inter quaſcumque perſonas, tam alumnorum, quàm miniſtrantium clericorum, & laïcorum, non tamen Presbyterorum ipſius Societatis exortas ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine figura, aut ſtrepitu judicii, appellatione quacumque remota decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, ſtatutaque, ordinationes, ſacriſque Canonibus, & Conc. Trid. prædicto non contraria faciendi, & accedendi, eaque cum opus fuerit revocandi, immutandi, & corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ poſtquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuerint, perinde habeantur, & obſerventur, ac ſi auctoritate Apoſtolica approbata & confirmata eſſent, prout nos illa ab omnibus dicti Collegii alumnis, ita haberi, & inviolabiliter obſervari mandamus.

*Forma recipiendi alumnos Collegii.*

§. 15. Quod autem ad dictorum alumnorum admiſſionis modum, & formam deinceps habendam attinet, ſtatuimus, & ordinamus, eos qui admittendi erunt, prius ab examinatoribus per dictum Protectorem in Gallia, etiam Belgia, aut alibi, prout illi convenientius videbitur deſignatis & deſignandis, juxta formam ab ipſo Protectore præſcribendam examinare, & præhabito hujuſmodi examine, ſi conſtiterit ipſi Protectori prædictorum examinatorum ſignificatione ſibi verbo, vel ſcripto facienda, eos ingenio aptos, & moribus probatos, & tales, qui recipi debeant, tum illos admittant.

*Forma probationis fien. ab ipſis antequã admittantur, & forma juramenti præſtandi poſt admiſſionem Rectori Collegii.*

§. 16. Poſtquam verò in Collegio recepti fuerint, non ſtatim Collegii alumni cenſeantur, ſed per quatuor, & ſex menſes, plus vel minus, prout Superioribus, & Collegii moderatoribus viſum fuerit, eorum converſatio probetur, deinde ſi Collegio digni videbuntur, juramentum præſtetur ſe vitam Eccleſiaſticam perducturos, ſeque omni tempore ad juſſum Superiorum in patriam revertendum, & ad animas quantum in Domino potuerint adjuvandas paratos fore.

*Facultas abſolvendi ipſos alumnos à quibuſvis exceſſibus, etiam*

§. 17. Cæterum Rectori Presbytero dicti Collegii pro tempore exiſten. ut per ſe, vel Confeſſarium idoneum, quem duxerit eligendum, ſingulos alumnos prædictos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quavis occaſione, vel cauſa latis, quas ipſi pro tempore quomodolibet incurrerint, & à quibuſvis peccatis, exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, conſpirationis in perſonam, vel ſtatum Rom. Pont. falſitatis ſcripturarum, & literarum Apoſt. delationis armorum, vel aliorum prohibitorum ad partes infidelium, injectionis manuum violentarum in Prælatos dumtaxat exceptis, diſpenſare liberè, & licitè valeat, liberam tribuimus facultatem.

*reſervat. Bulla C. Domini hic.*

*Clauſ. præſerv.*

§. 18. Decernentes prædicta omnia perpetuo ſubſiſtere, ſicque in illis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judican. & interpretan. facultate & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſul. rogator.*

§. 19. Non obſtantibus noſtris de non tollendo jure quæſito, & de vero valore fructuum exprimendo, ac de commiſſione in hujuſmodi unionibus facienda, & vocandis quorum intereſt, necnon Lateran. Conc. noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque Apoſt. conſtitut. ac hoſpit. Urbis, & Cam. prædictorum juraměto, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. illis & eiſdem Senatori, Conſul. Reform. Cam. Univerſitatibus, ac eorum Collegiis, Rectoribus, & perſonis, aliiſque prædictis, necnon Pop. Rom. vectigalium Redemptoribus, & aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam iteratis vicibus, aut etiam in favorem hoſpitalium conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permãſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Indulgen. ... Rectoribus ministri... legii.*

§. 20. Ut vero temporalibus commodis ſpiritualia quoque munera conjungamus, quibus fidelium devotio eis munita creſcere magis, & augeri poſſit, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorũ auctoritate confiſi, omnibus Scholaſticis, Rectoribus, & Miniſtris, qui in hoc Collegio recepti fuerint, in ipſo ingreſſu, ac etiam quos in eodem Collegio decedere ab humanis contigerit, ſi pœnitentes & confeſſi verè ipſi fuerint, in mortis articulo pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem in perpetuum concedimus. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1579. 9. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno 7. *D. P. A. 7. 23. April.*

*Die 9. Ianuarii 1580. præſentes literæ Apoſtolicæ præſentatæ fuerunt in Cam. Apoſt. & ex decreto in eadem facto admiſſæ, & illius libris reſignatæ in lib. 4. ſignaturarum diverſ. Pont. penes me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium.* *Admiſſio, publ. in C. Apoſt.*

*Tydeus de Marchis Not.*

---

## De munere & electione Prælatorum Congreg. S. Bernardi in Italia Monachorum Ord. Ciſtercienſis Regularis obſervantiæ. LI

*Conſtitutionem iſtam quoad viros ad Prælaturas eligendos revocavit, & in cæteris approbavit Sixt. V. in conſt.* 10. Nuper.

Congregationem iſtam erexit Alex. VI. ut ſupra in ejus conſt. 7. *Plantatus*, ubi plenè notavi.

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei : Ad futuram rei memoriam.* *Edita A. 1578*

*Proœmium.*

Romanus Pontifex ex commiſſo ſibi deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio, circa felicem Statum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac piorum locorum omnium ex viſceribus charitatis intendens, ea per quæ Eccleſiæ, Monaſteria, & loca ipſa cum Dei honore in ſpiritualibus & temporalibus, ſalubribus proficiant incrementis, ac

ſublatis

ſublatis diſſenſionum,diſcordiarumque fomentis,& aliis contrariis quibuſlibet, in eis regularis obſervantia, divinuſque cultus inviolabiliter obſervetur, perſonæque religioſæ ſub ſuavi religionis jugo in pace, & quietis manſuetudine Altiſſimo vota reddere, & fructus in Dei Eccleſia proferre valeant ampliores, ac Chriſti fidelium animarum ſaluti conſulatur, ſtatuit & ordinat, & jam deſuper ſtatuta, & ordinata approbat,& confirmat, aliaque facit & diſponit, prout penſatis circumſtantiis univerſis id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*... Card. ... Prote- ... circa ... imem ... ali Gen. ... diandem ... rum.*

§.1. Sanè venerabilis frater noſter Joannes Epiſcopus Oſtien. Card. Moronus nuncupatus, nobis nuper expoſuit,quod licet olim ſalubri,ut tunc ſperabatur,conſilio, de Capitulis per Abbates,Prælatos & Conventus monaſteriorum Ciſtercien.Ordinis Cõgregationis S.Bernardi in Italia, Tuſciæ, & Lombardiæ Provinciarum inſimul unitarũ regularis obſervantiæ, ſtatuto ad id loco & tempore quotannis celebrandis, lata decreta etiam Apoſtolica auctoritate per fel. record. Alexandrum VI. & Julium II. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros confirmata fuerint, longè tamen aliter evenire, & cum ubique pauci vix reperiantur ad dignitates,& officia,ac illis ingruentia munera ritè obeunda ſufficientes & idonei, nihilominus pleroſque nullius meriti, & inhabiles Monachos, inter frequentes Capitulorum hujuſmodi celebrationes, & crebras inde provenientes dignitatum & officiorum ac munerum attributiones, & tranſlationes, illas hac opportunitate dumtaxat ſibi patefactas ambire, & ad illas adminiſtrandas non mediocri totius Univerſitatis & Congregationis hujuſmodi diſcrimine, & dedecore pervenire, immenſis præterea ſumptibus qui pro continenter commigrantium in hæc Capitula annua delectarum perſonarum viatico ſuppeditantur,rem familiarem monaſteriorum prædictorum exhauriri, multiplici hactenus documento compertum eſt; & ſicut ipſius Congregationis decreta & ſtatuta,quæ perpetuam illius, Univerſitatis utilitatem continent, immutata manere, & omni peræquè tempore obſervari, ſimiliter illa quæ aut uſus coarguit, aut ſtatus ipſius Ordinis inutilia fecit,vel oſtendit, pro rerum & temporum conditione meliorem accipere formam, & prout conducit illa accommodari convenit. Ac propterea dictus Joannes Epiſcopus, & Cardinalis,qui totius Ciſtercien. Ordinis Protector exiſtit, re maturè perſpecta,ac ex noviſſima monaſteriorum, & locorum ejuſdem Congregationis de mandato noſtro facta viſitatione, de illorum, & perſonarum in eis reſidentium ſtatu debitè informatus, tam Capitulorum hujuſmodi celebrationem differri, quàm de nonnullis aliis ipſius Congregationis ordinationibus convenienter, & ea utilitate communi ſtatui ſummoperè deſiderat. Quare idem Joannes Epiſcopus, & Cardinalis nobis humiliter ſupplicavit, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*... ificis juſ- ... Capitu- ... celebran- ... quolibet ... nio.*

§. 2. Nos igitur qui cunctarum,præſertim Religioſarum perſonarum pacem, quietem, ac ſalubrem directionem ſinceris exoptamus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut deinceps Capitulum prædictum ſingulo quoque triennio tantum, in loco ubi ſingulis annis celebrari antea conſueverat, celebrari.

*... atoreſque ... lis annis ... nandi.*

§.3. Et ne dilatio temporis hujuſmodi efficiat, quod aſſumpti ad novas dignitates, arbitrio ſuo, non ſervatis conſtitutionibus, res & negotia dictæ Congregationis, illiuſque monaſteriorum adminiſtrent, ſingulis annis loco Capituli annuatim celebrari antea ſoliti, Viſitatores deſtinari.

*... retos, ut ... eligendi.*

§.4. Ac quod ſocii Prælati Diſcreti nuncupati, unus videlicet, iſque ſacerdos pro quolibet monaſterio per ſortes ſine fraude,ac ſervatis ſolemnitatibus in novis deſuper conficiendis, & revocandis conſtitutionibus eligi, & ex conſuetudine per burſas monaſteriorum ad arbitrium Patrum Regiminis diſtribui. Ad fraudes autem in ſortibus ponendis; illiſque diſtribuendis contingentes evitandas, Superiores utriuſque Provinciæ prædictarum & anno in quo Capitulum celebrandum fuerit, omnes Monachos vocales in eodem Monaſterio in quo eligendi ſunt Diſcreti, infra totam Dominicam Septuageſimæ diſtribuere, dictaſque diſtributiones ad ſingula monaſteria ad hoc ut à Prælatis illorum monaſteriorum pro extrahendis poſtea in una ex tribus proximis feriis Paſchalis Sanctiſſimæ Reſurrectionis,ex eis Diſcretis,qui ſacerdotes vocales exiſtant,ad Capituli celebrationem mittendis imburſentur, mittere; ſin autem in aliquo monaſterio quatuor ſacerdotes vocales,ut ſupra reperti non fuerint, unus vel plures prout opus fuerit ad ſupplendum talem numerum ex alio viciniori monaſterio, in quo ultra quatuor extiterint aſſumi, & imburſatio in ipſo monaſterio, præſentibus & intervenientibus pro veritatis teſtimonio cæteris aliis in illo monaſterio commorantibus inter ſaltim quatuor ſacerdotes interveniant ex alio monaſterio vocandi, ſi in eo haberi non poterunt,fieri, ſicque electi Diſcreti ad Capitulum acceſſuri, literas teſtimoniales fidem facientes de legitima eorum electione, ab omnibus ſacerdotibus, ſeu ſaltem à quatuor eorum qui intervenerint electioni, omni invidia,& malevolentia ceſſantibus, ſub utriuſque vocis per ſexennium privatione omnino, niſi aliqua juſta de cauſa Patribus Capitularibus notificanda, & ab eis judicanda recuſarent, ſubſcribendas, & coram Prælato ſtatim ſecuta electione ſubſcriptas, aliter ſine literis hujuſmodi ad Capitulum non admittendi, ſecum deferre, & habere, ac comitia deinde Capitularia tertia Dominica poſt Paſcha Reſurrectionis hujuſmodi celebrari. Ad dictum autem Capitulum Viſitatores, & ſinguli Prælati Monaſteriorum ſeu locorum cum ſuo Diſcreto, ut præfertur, electo accedere.

§.5. Præſidens autem ætate non minor annis trigintaquinque, qui per decennium ſacerdotis officio functus fuerit, & non minus ſexennio in Prælaturis honorificè ſe geſſerit, qui etiam per Definitores Prælatus alicujus monaſterii Provinciæ in qua Regimen commoratur, videlicet pro Provincia Tuſciæ in partibus Florentiæ, & pro Provincia Lombardiæ in partibus Mediolani, auctoritatem tam in ſpiritualibus,quàm in temporalibus in omnibus monaſteriis dictæ Congregationis, & tam in Capitibus,quàm in membris habiturus,ſuper hujuſmodi Congregatione ſimiliter eligatur, eligi, & dictus Præſidens omnes Prælatos dictæ Congregationis pro emergentibus cauſis intra ſuum triennium convocare, & omnia utilia univerſæ Congregationi de conſenſu majoris partis,aſſiſtentibus etiam Viſitatoribus decernere debeat, ac in Regimine utriuſque Provinciæ quoties & ubicumque ipſe Præſidens interfuerit, ſi quid agẽdum erit,ipſe idem licet ex ea Provincia non exiſtat,nihilominus aſſiſtat, & vocẽ habeat,& tanquàm caput univerſæ Congregationis Monachos de loco ad locũ mutare, & ex Provincia ad Provinciã legitimis intervenientibus cauſis auctoritate etiã propria mittere poſſit,illoſque ſic mutatos, & mittendos Superiores locorum perinde recipere, ac ſi à Definitoribus factum foret, teneantur. Ipſique ſoli Præſidenti ad Romanam Curiam, etiam non habita à Regimine licentia, ſed tantum notificato prius ſuo receſſu,accedendi ſit auctoritas, & ſingulis annis cum Viſitatoribus ad viſitationem ſe conferre, etiam cauſas terminare, ac decidere, necnon congregatis omnibus Capitularibus æqualiter vocem & ſuffragium habentibus, ordinem conſuetum omnes officiales, & ſe ipſum abſolvendi ſervare debeat. *Præſidentem etiam totius Congr. caput conſtituendi.*

§.6. Et ſi prædictum Præſidentem intra ſuum triennium decedere contingat,alius Præſidens in illius locum cum ſimili poteſtate ad proximè futurum uſque Capitulum tunc duraturus per duodecim Patres Regiminis utriuſque Provinciæ inſimul congregatos, & de conſenſu illorum omnium, ſeu ſaltem octo ex illis eligi. *Eoque infra triennium decedente, al... ejus lo... uſque ad Capitulum ſuſcipiendi.*

§.7. Præterea duo Scrutatores,qui vota ſcripta in ſchedulis ſingulorum vocalium de Definitoribus eligendis aperiant, & ſuper illis ſcrutinium faciant, præſtito priùs coram omnibus juramento de veritate referenda, & ſervanda fidelitate pro qualibet Provincia juxta ſolitum ab omnibus Capitularibus eligi, qui caſu quo fefellerint ipſo facto excommunicationis ſententiam, à qua nonniſi in mortis articulo à Præſidente, vel ab eo cui ipſe Præſidens ſuam auctoritatem ſubdelegaverit, abſolvi poſſint in foro conſcientiæ, incurrant. Et ſi fraus manifeſta erit & probata,ſint etiam privati in perpetuum voce activa & paſſiva,& inhabiles ad quæcumque officia exercẽda, niſi ex diſpenſatione Apoſtolica,& de conſenſu Definitorum aliter fuerit decretũ. Ipſique Scrutatores utriuſque Provinciæ inſimul ſchedulas ipſas, ut legitimè adnotentur, *Scrutatores duos cum facultate hic enunciata deputandi.*

Definitores videre debeant; & ſi ipſi Scrutatores in aliquam fraudem invicem conſenſerint, eandem pœnam incurrant.

*Definitores ſeptem pro qualibet Provincia eligendi.*

§.8. Præterea ſeptem Definitores per ſchedulas pro qualibet Provincia, ac unoquoque vocali, ut moris eſt, ſigillatas prius ſigillo Præſidentis, & ſubſcriptas à duobus ſenioribus majoribus qui aſtiterint, ut recognoſcantur, in quibus ſchedulis nomina omnium vocalium habeantur, ex quibus nomina illorum qui in illo Capitulo Prælati acceſſerint ſignata ſint in margine paginæ ſigno Crucis, & ex ipſis ſignatis eligi, & reliqui in dictis ſchedulis ad minus quinque, & reliqui duo numerum ſeptenarium conficientes, pro Definitoribus cujuſque Provinciæ arbitrio, & ſecundum conſcientiam eligentium eligi, & ſi aliqua ex illis ſchedulis & Scrutatoribus reperta fuerit non habens ſeptem nomina relicta pro Definitoribus, & non fuerint in ea quinque ſignati dicto ſigno Crucis, ſchedula illa pro nulla habeatur, & ut invalida rejiciatur, ita etiam quod nullus in ſui favorem votum dare, aut ſe ipſum eligere poſſit.

*Qui Definitores Præſidentē Capituli ex ſe ipſis eligent.*

§.9. Utque electiones faciendæ à Definitoribus maturè & conſideratè, & non caſualiter fiant, in primis prædicti Definitores unum ex ipſis Præſidentem Capituli, qui tamen non ſit illius Provinciæ, in qua Capitulum tunc celebratur, ætatis & qualitatis in Præſidente triennali ſupradicto requiſitæ eligere, ut ſi contingat poſtea illum eligi in Præſidentem triennalem, nulla in electione occurrat alia inquiſitio.

*Et in primo Capit in qualibet Provincia tot approbēt Sacerdot. quot ſunt Prælaturæ, & alios quatuor.*

§.10. Et deinde in iſto primo Capitulo pro qualibet Provincia tot ſacerdotes, quot ſunt Prælaturæ in Provincia, & ultra alios ſacerdotes quatuor habiles ad Prælaturam exercendam approbare debeant, qui etiam ad Viſitatoris majoris officium ſimiliter approbati intelligantur, quodque ii tantum ad Prælaturam, & ad Viſitatoris majoris officium approbentur, qui officia minora digne gradatim ſaltem biennio in quolibet officio fideliter exercuerit; ſemel autem approbati ſemper habiles intelligantur.

*Deficienteque approbatorum numero, alii in futuris Capit. ſufficiantur.*

§.11. In futuris vero Capitulis numero approbatorum per obitum, aut ratione perpetrati per aliquem delicti privatione digni deficiente, & non aliter, alii in illorum locum approbentur. Ita quod ſemper numerus quatuor tantum extra Prælaturas à quolibet Capitulo habeatur.

*Prælato infra triennium decedente, vel privato, alius de numero approbatorum eligatur.*

§.12. Et ſi intra triennium aliquem Prælatorum decedere, vel à viſitatoribus, vel à Capitulo ob aliqua demerita privari contigerit, alius extra numerum approbatorum aſſumi minimè poſſit, aliterque facta irrita ſit & nulla, & à Capitulo non recipiatur electio, necnon talem Prælaturam acceptans ſe non probatum, nec in electione ſua fuiſſe ſervatam formam electionis ſupra traditam ſciens, ipſo jure utraque voce per decennium privatus cenſeatur, ſua electione hujuſmodi propterea nulla, & invalida remanente.

*Ex eiſdem Definitores, & Viſitatores eligantur.*

§.13. Ex illis autem approbatis, & prius publicatis Definitores Provinciarum Prælatos, & Viſitatores majores per ſchedulas, ut moris eſt, eligere.

*Præſidenſque à Definitoribus eligatur.*

§.14. Præſidens verò triennalis à Definitoribus utriuſque Provinciæ, ſeu ſaltem à decem ex ipſis per ſuffragia fabarum eligi, & nullus Prælatus eodem tempore & anno, præterquàm in iſto primo Capitulo approbari & eligi. Itemque præfati Definitores omnimodam auctoritatem habeant ſuper tota Congregatione.

*Definitores auctoritatem habent ſuper tota Congreg. durante eorum officio.*

§.15. Ita quod ab eorum ſententiis nemini appellare liceat, quinimmò eorum decretis & determinationibus quorum acta per Scribam deputatum in libro perpetuò ſervando à prædicto Præſidente pro tempore exiſtente adnotentur, omnes acquieſcere teneantur, ipſorum tamen officio ultra decem dies minimè, nec minus quinque duraturo.

*Taxam Præſidentia præfiniant.*

§.16. Ac iidem in iſto primo Capitulo taxam viatici pro Præſidente ordinare.

*Prælatos ad firmandas constitutiones deputent.*

§.17. Necnon duos ex qualibet Provincia Prælatos, qui infra ſex menſes conſtitutiones, & reformationes ipſius Cōgregationis, quæ neceſſariæ fuerint, ex antiquis & novis colligere, illaſque ad prædictum Joannem Epiſcopum, & Cardinalem Apoſtolica auctoritate poſtea confirmandas, vel rejiciendas mittere, & poſtquam confirmatæ fuerint, typis cum præſentibus literis excudi, & ab omnibus & ſingulis prædictæ Congregationis perſonis inviolabiliter obſervari, nec in poſterum quidquam deſuper, maximè in his quæ ſtatum publicum ipſius Congregationis concernnnt, immutari debeant, eligere.

§.18. In faciendis autem electionibus Capitularium, Scrutatorum, Definitorum, Viſitatorum, Prælatorum, & Præſidentis, quoniam difficillimum eſt, & quaſi impoſſibile foret votum aliquando non communicari, liceat unicuique pro exoneratione ſuæ conſcientiæ ante votum ſuum ferendum, aliquem magis inſtructum conſulere, & per modum informationis, & conſilii vocem ſuam, ſi ita videbitur, accommodare, abſque alicujus cenſuræ, aut pœnarum incurſu.

*Vota in ... gendis P... tis, alio ... modum ... ſilii com... nicare li...*

§.19. Quatuor autem Viſitatores, duo ex una Provincia, & duo ex altera eligi, ac majores profeſſione tantum ex ipſis Viſitatoribus vocem capitularem habere, qui majores quolibet, non autem illo quo Capitulum generale celebratum fuerit anno, de menſe Maii aſſumpto Præſidente, & pro Scriba Viſitatore minore illius Provinciæ cujus fuerit Præſidens, ſeſe ad viſitandum Monaſteria dictæ Congregationis cum eadem, quam habet Abbas Ciſtercii, & alii quatuor primi Abbates dicti Ordinis auctoritate conferre, ac illorum viſitatio ſingulis vicibus per totum menſem Junii abſolvi.

*Viſitat. ... tuor elig... tur, qu... majores ... feſſione ... tent, ut ...*

§.20. Acta autem Viſitationis, quæ facta fuerint in duobus annis præcedentibus, ſingula ad Capitulum generale celebrandum, ut etiam ipſi Viſitatores rationem illorum viſitationis reddere poſſint, deferri debeant.

*Acta ... tionis ad ... pit. refe... tur.*

§.21. Et ſi contigerit Prælatum aliquem privari ſuo officio, unus Vicarius tantum à Viſitatoribus uſquequò à Patribus regiminis illius Provinciæ alter ex probatis Prælatus in illius locum eligatur, eligi.

*Prælat... quo pri... Vicarius ... putetur ... quequò, ...*

§.22. Electiones autem minores, videlicet aliquorum officialium, Prælaturis exceptis, in capſa privationis hujuſmodi ab ipſis Viſitatoribus fieri.

*Electione... nores ... tuntur ... tat ...*

§.23. Moniales à Viſitatoribus illius Provinciæ cujus erunt, viſitari, & in illarum Monaſteriis confeſſores, prout opus fuerit, per triennium deputari, dictoque triennio elapſo in aliud triennium prorogari, ita tamen quod quādiu confeſſores extiterint, neque Prælaturam exercere, neque inter Patres regiminis adnumerari poſſint, eligi.

*Viſitat... ... Mo... liam, & ... putatio ... feſſorum.*

§.24. Prælati autem neque ab ipſis Viſitatoribus, neque à Definitoribus, niſi ob notoria demerita, & ſeu ob incurſum alicujus ex infraſcriptis erroribus, videlicet, in divinorū officiorum, & miſſarū celebratione notabili negligentia, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ, ita quod ejus culpâ horæ canonicæ, & alia divina officia non recitentur, ſemel ſaltē à Viſitatoribus deſuper admonitus neglectu, aut de hæreſis incurſu, vel ſuſpicione vehementi, necnon pro falſi teſtimonii, aut calumniæ, detractionis crimine convicto, aut judicum & Principum ſæculariū, vel non habentium juriſdictionem ſuper Congregationem, & Ordinem ad impediendum Ordinis obſervationes, & tuenda ſua crimina, imploratione, & refugio petito, vel cōtagione carnis, ordine juris prius ſervato verificata, aut enormiū ſuorum ſubditorū criminum notabili poſt præcedentem monitionem diſſimulatione, vel blaſphemiæ, & percuſſionis conſuetudine, vel bonorum Monaſterii notabili diſſipatione, & contemptu, ſeu libelli infamatorii editionē, vel ſcriptura, necnon mercaturarum propriarum exercitio, ac notabili abſentia, aut non reſidentia in Monaſterio cum commiſſo ſibi grege ſine Superiorum permiſſione, monitione etiam præcedente. Ex quibus omnibus caſibus privatus, amplius niſi à Capitulo, & tunc viſa ejus humiliatione approbari debeat, nec præter hos caſus privari, vel amoveri, niſi eum ad majorē dignitatē ob ſupervenientem alicujus mortem aſſumendi cauſa non poſſit.

*Hoc re... vit idem ... in ſua ... quam ... nihil al... continen... Prælati ... do poſſi... Viſitato... vel De... rious ...*

§.25. Ac non modo triennium eidem monaſterio integrum præeſſe, ſed ſi adminiſtratio ejus laudabilis in eo triennio reperta fuerit, & utilis ſuo monaſterio, à Capitulo in eodem monaſterio per aliud triennium confirmari poſſit, quod quidem inſtitutum initium à proximè futuro Capitulo, nulla adhibita temporis præteriti, neque Prælaturarum antea obtentarum conſideratione, ſumere.

*Et ultr... nium ... mari.*

§.26. Talis autem per ſexennium monaſterio præfectus,

*Et à ... tura ... vacat...*

tempore

tempore ſex annorum à prælatura illius monaſterii per triennium tantum vacare, & poſtea de novo eidem monaſterio præfici valeat.

§.27. Regimen verò utriuſque Provinciæ prædictarum de uno Capitulo ad aliud ſpectet, prout in noſtris reformatione, & diviſione per quam Capitulo dictæ Congregationis licentiam & facultatem conceſſimus, ut duo regimina ſingulis annis conſtituat, quorum unum Lombardiæ, alterum vero Tuſciæ provinciis præſit, & quorum quodlibet ſex Monachis conſtet, in hunc videlicet modum, ut quando Præſidens qui eligitur erit ex provincia Lombardiæ, tunc regimen ipſius provinciæ Lombardiæ conſiſtat ex dicto Præſidente, & duobus Viſitatoribus Lombardiæ, necnon tribus Abbatibus etiam Lombardis à Capitulo nominandis. Regimen verò Tuſciæ eo anno ſit penes Abbatem monaſterii Septimi dicti Ordinis, Florentinæ diœceſis, ac duos Viſitatores Tuſcos, necnon tres Abbates etiam Tuſcos à Capitulo pariter nominandos. Cum verò contigerit Præſidentem eligi unũ ex provincia Tuſciæ, tunc regimen illius provinciæ ſit penes ipſum Præſidentem, ac duos Viſitatores Tuſcos, necnon tres alios Abbates etiam Tuſcos à Capitulo, ut ſupra conſtituendos. Regimen verò provinciæ Lombardiæ eo anno habeat Abbas Clarevallen. Mediolan. & duo Viſitatores Lombardi, necnon tres alii Prælati etiam Lombardi à Capitulo, ut præfertur, eligendi. In quorum omniũ electione forma in eligendis dictæ Congregationis Prælatis obſervari ſolita omnino obſervetur, & Superiores electi ultra triennium non durent, & ſi contingeret unum ex Superioribus electis ſuo durante officio decedere, & alium in ejus locum ſubrogatum in proximo ſequenti Capitulo confirmari, ſeu de novo eligi, declaravimus tempus triennii ad obtinendas Prælaturas conceſſi, non à die ſubrogationis, ſed à die confirmationis, ſeu electionis in Capitulo generali factę incipere debere.

§.28. Et acta omnia dictorum Patrum regiminis fideliter à Scriba notata, ad Capitulum in libro deputato deferantur.

§.29. Et ſi contigerit aliquem Commendatarium monaſteriorum Ordinis prædicti, monaſterium ſibi commendatum reformare, & menſas peculiares & ſeparatas in bonis aſſignare per literas Apoſtolicas juxta conſuetudinem Congregationis, talia monaſteria ſub regulari obſervãntia eſſe per totam Italiam prædictæ Congregationis, & annexa provinciæ viciniori cenſeantur, prout in literis Alexandri, & Julii prædeceſſorum prædictorum deſuper confectis continetur.

§.30. Ac quod Prælati Ciſtelli & Boniſolatii ad Capilum cum Diſcreto accedere, ut moris eſt. Et quanquam ſint monaſteria ſubjecta Abbati dicti monaſterii Septimi nihilominus etiam ipſi Abbates cum juriſdictione ſolita & conſueta cæteris Abbatibus vocari, & illis per Definitores in primo celebrando Capitulo pro Monachorum in eis exiſtentium faciliori ſuſtentatione, & ne divinus cultus in eis negligatur bona aliqua ex d. monaſterio Septimi per ipſos Ciſtelli & Boniſolatii Prælatos adinſtar aliorum Prælatorum ejuſdem Congregationis regenda & gubernanda aſſignare debeant. Ac eiſdem monaſteriis Ciſtelli & Boniſolatii, idem pro tempore exiſtens Abbas dicti monaſterii Septimi in ſpiritualibus tantum præeſſe, & in Septimi hujuſmodi monaſterio reſidere teneatur.

§.31. Liceatque Priori nunc & pro tempore exiſtenti monaſterii Morimundi ejuſdem Congregat. cujus titulus Abbatialis per bonorum illius menſæ Abbatialis per piæ mem. Pium Papam IV. etiam prædeceſſ. noſtrum hoſpitali majori Mediolan. ſuppreſſo d. titulo Abbatiali applicatæ ſeparationem à menſa monachis aſſignata factam vacat, & in quo ſtudium exiſtit, ac in eo Novitii ab Abbate benedicendi ad profeſſionem admittuntur titulo Abbatis monachorum ſui monaſterii & ſuæ menſæ uti Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus.

§.32. Ad hæc literis piæ mem. Alexandri VI. & Leonis, ac Julii II. per quas inter alia voluerunt quod Monachus profeſſus unius monaſterii, intelligatur profeſſus aliorum monaſteriorum dictæ Congregationis, & profeſſus unius provinciæ non poſſit ad aliam provinciam niſi ob demerita, vel ex gratia tranſmitti. Et procuratores in Curia ad Capitulum tanquam Prælati accedere, ibique vocem activam & paſſivam, quatenus per Patres Definitores decretum ita foret, habere poſſint, ac privilegia & indulta in ſuo robore remanere, & omnibus monaſteriis communia eſſe, æqualitaſque in negotiis provinciarum adminiſtrandis ſervari debeat.

§. 33. Necnon recol. mem. Leonis X. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, per quas quod nullis dictæ Congregationis perſonis ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac inhabilitatis ad vocem activam & paſſivam, necnon ea quam fugitivi ex dicta Congregatione juxta illius inſtituta, & Sedis Apoſtolicæ ordinationem incurrunt pœnas ipſo facto ſi contravenirent, incurrentibus diſtrictè præcipiendo mandavit, ne de cætero quiſpiam eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, directè vel indirectè, quovis quæſito colore, quodvis ex his quæ circa dictæ Congregationis, & illius locorum regimen, & bene vivendi normam, ſive per dictam Sedem, ſive per generale Capitulum Congregationis ejuſdem providè eſſent diſpoſita, & diſponerentur, in poſterum impugnare quoquo modo præſumerent, & ſi quæ controverſiæ inter eos dum Capitulum generale hujuſmodi celebraretur, pro tempore ſuſcitarentur, per illius Capituli Definitores, ſi verò extra Capitulum orirentur, per Præſidem, & Viſitatores d. Congregationis, qui pro tempore forent, componi eas, & terminari liberè permitterent, & dictorum Definitorum ac Præſidentis, ac Viſitatorum decreta, & ordinationes deſuper facienda inviolabiliter obſervarent. *Conſtit. Leonis X. approbatur.*

§.34. Poſtremò ſanctæ mem. Pauli III. itidem prædeceſſoris noſtri, per quas ſtatuit, quod de cætero omnes & ſinguli Prælati & Superiores, ac etiam dictæ Congregationis Monachi cujuſcumque gradus exiſtentes, qui bona ſeu fructus monaſteriorum Congregationis hujuſmodi ſibi ſub quocumque prætextu ſine ipſius generalis Capituli expreſſa, vel omnium Definitorum hujuſmodi Congregationis licentia uſurpare præſumerent, ultra pœnas & cenſuras in tales per regularia inſtituta Ordinis & Congregationis hujuſmodi latas, regimine & adminiſtratione omnium Prælaturarum, & officiorum Ordinis & Congregationis prædictorum, ac voce activa & paſſiva eo ipſo privati, & ad illa, & alia, quæcumque Prælaturas & officia in poſterum habenda & exercenda perpetuò inhabiles cenſerentur. Quodque ipſi Prælati & Superiores eorum Monachis de victu & veſtitu, ac aliis neceſſariis juxta eadem inſtituta providere, ipſoſque Monachos & alios eorum ſubditos errantes corrigere, ac ſinguli eorum de geſtis & adminiſtratis per eos Viſitatoribus dictæ Congregationis, ſeu Deputatis ab eis rationem reddere tenerentur, necnon monaſteria Monialium, niſi illarum Confeſſores per ipſius Congregationis Definitores pro tempore exiſtentes deputati forent, ingredi, ac cum ipſis Monialibus converſari nequirent, ac electiones Prælatorum, & Superiorum eorundem, ritè & ſine ambitione ac corruptela celebrarentur, nec in hujuſmodi electionibus libertas quoquo modo directè vel indirectè impediretur, ſed unicuique animi ſui ſententiam exprimere liceret, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicimus. *Conſtit. Pauli III. innovatur.*

§.35. Poſtremò dictis Definitoribus creandi tres titulos Abbatiales ex unaquaque provincia pro illis diſtribuendis inter ſenes effectos & inhabiles ob maturam eorum ætatem nominandos quorundam locorum annexorum aliis monaſteriis majoribus dictæ Congregationis, & Abbates titulares hujuſmodi privilegiis aliorum Abbatum gaudeant, ſed vocem Capitularem non habeant, & locum ſuum teneant poſt Prælatum illius loci, in quo reſederint, & ſervitus, ac honor debitus illis exhibeatur, de quibus titulis Abbatialibus unus ſervetur, & detur illi, qui fuerit electus Viſitator major dictarum provinciarum, qui Viſitatoris, non tituli Abbatialis, ſed Viſitatoriatus cauſa & reſpectu ad Capitulum accedat ſicut antea, abſque tamen ſocio diſcreto, ſed tantum retineat hujuſmodi dignitatem majoris honoris cauſa, & ad conſervandum dicti Ordinis decus, licentiam & facultatem concedimus, ac impartimur. *Definitores poſſint in unaquaque provincia creare tres tit. Abbatiales.*

§.36. Decernentes quod cauſarum, ſeu quæſtionum & differentiarum, quæ non fuerint motæ in noviſſima Viſitatione, *Impoſitio perpetui ſilentii circa quæſtiones omnes non dependentes à futuro Capit.*

*Veſtes non deſignantur.*

§. 16. Quo verò ad veſtitum induantur prædicti Reformati vilioribus indumentis, & deſpecto colore, & poſſint ea repetiare ſecundum B. Franciſci regulam.

*Conſtit. Clem. VII. in cæteris approbatur.*

§. 17. Literas verò prædictas Clementis VII. quatenus præmiſſis non adverſentur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus.

*Clauſula præſervativa.*

§. 18. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo quod omnes intereſſe habentes, vel fratres de Obſervantia prædicti, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam ab eadem Sede Apoſtolica emanatis, & in poſterum emanandis comprehendi poſſe, ſed illas pro omnibus & ſingulis prædictorum Reformatorum cuſtodiis, cuſtodibus & fratribus Reformatis, præſentibus & futuris, ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri debere.

*Clauſula ſublata.*

§. 19. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari ac definiri debere, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Diſtrictius inhibentes generali & provincialibus miniſtris dictorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, & eorum Commiſſariis nunc & in perpetuum pro tempore exiſtentibus, & illorum generalibus, & provincialibus Capitulis, perſoniſque quibuſcumque in illis congregandis, ac omnibus & quibuſcumque quos præmiſſa concernunt, aut in poſterum quomodolibet concernent, & quibuſvis aliis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, ne ſub indignationis noſtræ, & excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo ſi contrafecerint incurrendæ pœnis, Reformatos prædictos, illorumque Cuſtodias, Cuſtodes, Diſcretos, Officiales, & Fratres, aut alios quoſcumque, quos præmiſſa quomodolibet concernunt, aut in poſterum concernent, quominus prædictis omnibus & ſingulis pacificè fruantur, ſeu prædicta omnia, & ſingula ſuum debitum ſortiantur effectum, impedire, retardare, aut perturbare audeant, vel præſumant.

*Executorum deputatio, & facultates.*

§. 20. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Epiſcopo Laudenſi, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Reformatorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis omnibus & ſingulis, juxta præſentium continentiam & tenorem, pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos deſuper per Miniſtrum generalem, alioſque prædictos quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet ac rebelles, & præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, omni appellatione poſtpoſita compeſcendo; necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogatoria.*

§. 21. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim fel. record. Leonis X. prædeceſſoris noſtri ſuper unione omnium Fratrum Minorum de Obſervantia, & nuncupatione eorundem, & aliis in dictis literis Clementis VII. contentis, & quæ eidem Clementi placuit non obſtare, necnon dicti Clementis VII. literis prædictis pro Reformatis, & Bonifacii VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad judicium ultra tres dietas non trahatur, Bulla aurea, Mari magno, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis quibuſcumque, dictique Ordinis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate etiam roboratis, etiam in forma Brevis, vel quibuſcumque verborum formis, ſolemnitatibus, clauſulis etiam inſolitis, & quantumcumque fortiſſimis, dicto Ordini, vel quibuſcumque Prælatis ejuſdem in contrarium conceſſis, approbatis, & innovatis, & in futurum concedendis, approbandis, & innovandis, etiamſi talia forent, quod pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales mentio habenda eſſet. Quibus omnibus, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbũ præſentibus insererentur, pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 22. Cæterum quia difficile foret præſentes literas noſtras, & literas Clementis VII. prædeceſſoris noſtri, dictis Reformatis, ut præfertur, conceſſas, ad ſingula quæque loca, ubi neceſſe fuerit deferri, volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis præſentium literarum, & tranſumptis dictarum literarum Clementis VII. etiam impreſſis, ſigillo alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, & manu Notarii publici ſubſcriptis, eadem fides, tam in judicio, quàm extra illud ubilibet adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Vide ... ſumpt...*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Junii 1579. Pontificatus noſtri anno 8. *D.P.A. 3. Jun.*

---

## Inſtitutio Archiconfraternitatis Pietatis carceratorum in Alma Urbe, ad eos viſitandos, conſolandos, & adjuvandos. Cum Indulgentiarum conceſſione. LV

*Alias indulgentias conceſſit hic idem Pontifex, ſed ejus Bullas prætermiſi, quia Paulus V. novam deſuper diſpoſitionem fecit mox publicandam, quam formatam vidi ſub die* 10. *Martii* 1608. *Et circa facultatem alias Confraternitates aggregandi, formam novam tradidit Clemens VIII. conſt.* 115. Quæcumque.

Eidem Archiconfraternitati nonnulla privilegia, quoad Carcerum Urbis viſitationem, & condemnatorum ad Triremes proviſionem, & unius carcerati ſingulis annis liberationem, conceſſit Sixtus V. in conſt. 97. *Ex debito.* Et poſtremò annuum ſubſidium ad liberandos pauperes pro debito civili carceratos, eidem commiſit die 30. Julii 1590. in altera ejus Conſtit. quam hic indicaſſe ſufficiat.

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita 157...*

*Proœm...*

Pii Patris Altiſſimi, qui antequam ineffabili pietatis, & charitatis ſuæ exuberantia, pro peccatorum noſtrorum expiatione, acerbiſſimum Crucis tormentum ſubiret, opera pietatis & charitatis hujuſmodi fidelibus ſuis inſtanter commendavit, vices licet immeriti, gerentes in terris, ad ea, per quæ opera ipſa ubique, præſertim in Alma Urbe noſtra, quæ cæteris illuſtre exemplar præſtare debet, ad pauperum carceris incommodis, ac miſeriis afflictorum ſubventionem, & ſpiritualem conſolationem valeant propagari, libenter intendimus, & ad id fideles quoſlibet ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus invitamus, ac alias deſuper officii noſtri partes interponimus, prout

rerum

rerum & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. 1. Sanè exhibita nobis nuper pro parte quamplurium piorum dictæ Urbis Chriſti fidelium petitio continebat, quod ipſi pia atque ſincera devotione ducti, ac de proximi ſui ſalute, juvamineque recogitantes, ac re ipſa comperientes, diverſos in dies in dicta Urbe varias ob cauſas carceratos, tempore eorum carcerationis, tanquam ab amicis, propriiſque conſanguineis derelictos, vel illis in eadem Urbe carentes, & præcipuè extraneos diverſarum Orbis Chriſtiani Nationum, quorum maxima in eadem Urbe, tam pro locis ſanctis dictæ Urbis viſitandis, quàm etiam variis negotiis apud nos, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, & aliis peragendis commorari ſolet, copia qui illis in ſuis neceſſitatibus tam ſpiritualibus quam temporalibus ſubveniant, eorumque cauſas, & liberationem procurent, in varios, miſerrimoſque incidere caſus. Unde, ut his caſibus, infortuniis, & calamitatibus in futurum remedium aliquod ſalubre adhiberi poſſit, præfati Chriſti fideles unam utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſub denominatione Pietatis Carceratorum Archiconfraternitatem in eadem Urbe, ac quodam ad id congruo & decenti loco, ſub noſtro & dictæ Sedis beneplacito inſtituendam propoſuerunt, cujus Confratrum pro tempore exiſtentium præcipuum ſit inſtitutum, pauperes in quovis Carcere dictæ Urbis, tam pro civili quàm pro criminali cauſis pro tempore detentos, quibuſcum colloqui permiſſum ſit, omni cum humanitate & charitate, ac ſpirituali conſolatione per ipſos ordinatim viſitare, & ad patientiam in ſuis adverſitatibus fortiter & animosè pro CHRISTO habendam, necnon confeſſionem ſacramentalem eorum peccatorum faciendam exhortari, & conſolari, eleemoſyniſque pauperibus ſubvenire, & qui ex eiſdem Confratribus ſacerdotes, & ad confeſſiones audiendas approbati fuerint, eorundem carceratorum confeſſiones audire, ipſiſque carceratis diverſos ſpirituales libros, in quibus legendis, & legere ignorantes alios legentes audiendis occupentur, elargiri; ac ut eiſdem carceratis Dominicis & aliis diebus Feſtivis de præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitis, ubi Dei conciones, & exhortationes fiant, & his præcipuè diebus ipſi carcerati ab illicitis ludis, blaſphemiis, aliiſque Chriſtiana pietate indignis abſtineant, ad Dei laudem, ipſorumque carceratorum ſpiritualem conſolationem procurare, pacemque & concordiam inter ipſos carceratos, & eorum inimicos inire & componere, aliaque pietatis opera circa eoſdem carceratos in dies occurrentia pro viribus exercere. Quare pro parte eorundem piorum Chriſti fidelium nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus præmiſſis annuere, ac alias deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui honeſtis petentium votis, per quæ opera pietatis & charitatis hujuſmodi in dies, noſtris potiſſimum temporibus, incrementum ſuſcipiant, & ad cæteras nationes hujuſmodi dilatentur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, pium, rectumque eorundem Chriſti fidelium animum & voluntatem tam laudabili propoſito, quantum cum Deo poſſumus, confovere & adjuvare volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in d. Urbe Archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum hujuſmodi ad munera prædicta & alia charitatis & miſericordiæ officia erga dictos carceratos exercenda, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, ſine alicujus præjudicio erigimus & inſtituimus, eamque Archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum denominari volumus. Ac illi ſic erectæ & inſtitutæ quæcumque bona mobilia & immobilia, legata, relicta, & alia jura eidem Archiconfraternitati, tam per illius Confratres pro tempore exiſtentes, quàm alias quaſcumque perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentes pro tempore quomodolibet elargienda, donanda, & relinquenda, auctoritate & tenore prædictis perpetuò applicamus & appropriamus.

§. 3. Necnon eiſdem confratribus pro tempore exiſtentibus quæcumque ſtatuta, & ordinationes felix regimen & proſperum ſtatum Archiconfraternitatis, ac pia opera hujuſmodi, circa eoſdem carceratos, ut præfertur, exercenda, concernentia (ſacris tamen canonibus, Decretiſque Concilii Tridentini minimè contraria, nec juriſdictionem, officium, & executionem Judicum aliorumve miniſtrorum dictæ Urbis, circa ipſos carceratos impedientia, & per dictæ Urbis Vicarium dicta auctoritate approbanda) condendi & faciendi, ac condita toties quoties opus fuerit corrigendi, mutandi, alterandi, & alia de novo faciendi.

*Carceres non ſecretos ingrediendi, & cum carceratis tractandi auctoritatem impartitur.*

§. 4. Necnon quemlibet dictæ Urbis carcerem, non tamen ejus loca, quæ Secreta dicuntur, niſi permiſſu Judicum, toties quoties eis & eorum cuilibet viſum fuerit ad effectum præmiſſum ingrediendi, & in eo ad tempus beneviſum præmiſſa opera exercendo commorandi, licentiam eiſdem auctoritate & tenore etiam perpetuo concedimus. Diſtrictiùs præcipientes, & mandantes cuivis d. Urbis carceris cuſtodi, & quibuſcumque aliis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, ut eiſdem confratribus, & ab eis conſtitutis quemvis dictæ Urbis, & illius Burgi carcerem, non tamen Secretũ, toties quoties fuerit requiſitus, ingredi permittat.

*Indulgentias Confratribus elargitur.*

*Quod hoc vide Bullam S.D.N. Pauli V. cit. in not.*

§. 5. Et inſuper cupientes, ut Chriſti fideles eo libentius dictam Archiconfraternitatem ingrediantur, & piis operibus hujuſmodi intendant, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ ſe uberius refectos eſſe cognoverint, de omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem pro tempore ingredientur, die eorum ingreſſus, ſi tunc verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac in cujuſlibet eorum mortis articulo, ſi etiam verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum nomen JESU ore, vel corde invocaverint, necnon eiſdem confratribus ſimiliter vere pœnitentibus, & confeſſis, qui prima quaque die Dominica menſis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum hujuſmodi ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem auctoritate & tenore prædictis miſericorditer in Domino concedimus. Præterea eiſdem confratribus, quoties ſe invicem aggregaverint, eleemoſynam elargiti fuerint, ipſos carceratos viſitaverint, & circa eos aliqua alia pia opera exercuerint, centum dies de eis injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, auctoritate, & tenore prædictis etiam miſericorditer in Domino relaxamus.

*Alias Confraternitates aggregand., & indulgentias communicandi auctoritatem tribuit. In viae reformationem Clem. VIII. cit. in rubr.*

§. 6. Poſtremò ipſis confratribus, ut quaſcumque alias ſimiles cõfraternitates, ubique locorum pro ſimilibus piis operibus exercendis, ſub eadem denominatione Pietatis carceratorũ erigendas, dictæ Archiconfraternitati, tanquã membra capiti aggregare, ac in eorum numerum, ſeu dependentiam recipere, illiſque & earum Confratribus, indulgentias, aliaque privilegia, & indulta eidẽ Archiconfraternitati per præſentes cõceſſa, prædicta communicare, eoſque de illis participes facere liberè & licitè valeãt, eiſdẽ auctoritate, & tenore pariter perpetuò indulgemus.

§. 7. Decernentes præſentes literas ſub quibuſcumque revocationibus, ſuſpenſionibus, & modificationibus ſimilium indulgentiarum, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Rom. Pontifices pro tempore exiſtentes factis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis pro tempore editis, etiam in favorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de eadem Urbe, ac Cruciatæ ſanctæ, nullo unquam tempore comprehendi, ſed ab illis omnino exceptas eſſe, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ac validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de novo, etiam ſub data per eoſdem Confratres eligenda concesſas fore & cenſeri, ac perpetuis futuris temporibus durare.

*Clauſula præſervativa.*

§. 8. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula ſublata.*

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis.*

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, voluntatis, applicationis, appropriationis, conceſſionis, præcepti, mandati,

mandati, relaxationis, indulti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D.P.A. 6. die 28. Junii.* Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1579. 4.Kal. Julii, Pont noſtri anno 8.

---

LVII. Uſus Altaris portatilis Religioſis Societatis Jesu reſtituitur, non obſtante Concilii Trident. diſpoſitione, ut in eo inter Miſſiones, quæ à Superioribus de ipſis fiunt, ubique in loco tuto Miſſam celebrare, & Euchariſtiam miniſtrare poſſint.

*Alia de hac Societate notavi ſup. ad conſt. 25. Pauli III.* Regimini.

*Edita An. D. 1579.* *GREGORIUS PAPA XIII.*
*Dilectis filiis Præpoſito generali, & Presbyteris Soc. JESU.*

*Reſtitutio de qua in rubr.* USum altaris viatici Societati veſtræ à fel. rec. Paulo Papa III. conceſſum, deinde à Concil. Trid. univerſè ſublatum, vobis eatenus reſtituimus, ut inter miſſiones, quæ à Superioribus fiunt, presbyteri veſtri, ſervata alias forma dictæ conceſſionis, Miſſæ ſacrificium licitè valeant celebrare ſuper hujuſmodi Altari ubique gentium, etiam in caſtris militum, modo loca, etſi communia & profana, tuta & honeſta ſint, & Generalis, aut per eum Provinciales Præpoſiti eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque poſſint ibi presbyteri ipſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus, ad illud ſumendum debitè præparatis.

*Contrariorum derogatio.* §.2. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Eadem porro fides ubique detur præſentium exemplis, eo quo ſolent alia in veſtra Societate tranſumpta modo, munitis, quæ daretur ipſis præſentibus, ſi exhiberentur, vel oſtenderentur.

*Dat. P.A. 8. die 1. Octobr.* Dat. Rom. apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Octobris 1579. Pont. noſtri anno 8.

---

LVIII. Reductio Monachorum Ordinis S. Baſilii in unam Cōgregationem, & ſub regimine unius Abbatis, cum privilegiorum, & gratiarum elargitione, pro dicti Ordinis reformatione.

*Hanc reductionem approbavit etiam Clem. VIII. inf. in conſt. 103.* Altiſſimi. *Et Abbatis auctoritatem etiam quoad Monachos reformatos conſiſtere voluit ipſe Clem. ibid. ubi alia indicabo.*

*Edita A. D. 1579.* *GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*S. Baſilius Magnus Monachorum Ordinem erexit.* BEnedictus Dominus Deus noſter, à quo Sancti ſui intelligentiæ ſpiritu repleti, tanquam imbres ſapientiæ ſuæ eloquia emiſerunt, eumque in oratione confeſſi ſunt. Quo gratiæ munere B. Baſilius cognomento Magnus, à divina benignitate locupletatus, omnis bonitatis, tantæque in ſe beneficientiæ auctori, quod recepit fertiliſſimi agri more, cum centeſimo reddidit incremento. Nam præter ea quæ effudit Theologicæ ſcientiæ, eloquentiæque flumina, quæque edidit continentiæ, abſtinentiæ, & ſuſceptorum pro Christo laborum tolerantiæ documenta, adoptatos ſibi novæ ſobolis fœtus, in cœnobiaque procul à communi vivendi ratione ſegregatos in compoſitum Ordinem redegit, & ſalutaribus præceptis inſtituit, ut perpetua futurorum temporum ſucceſſione verbo, & opere à ſe inſtructi, Deum confiterentur, Catholicæque Eccleſiæ ornamento eſſent, atque in dubiis rebus adjumento.

*Cujus Ordinis Monachi in ſanctitate* §.1. Qui vitæ ſanctitate, & doctrina inſignes toto terrarum Orbe, maximè verò in Aſia, Palæſtina, Thracia, Græcia, & Italia multis ſæculis floruerunt. Poſtea verò, (quod non ſine maximo animi noſtri mœrore recenſemus) temporum injuria, totiuſque Orientis à dira Turcarum Tyrannide oppreſſi calamitate, crebriſque ita hominum exigentibus culpis, exorientium ſchiſmatum diſſenſionibus, Ordo ille alibi penitus corruit, alibi ita fuit imminutus, ut diſciplina regulari laxata, charitas illa priſtina deferbuerit. Monachique alii aliò diſperſi ſine capite ſicuti oves ſine paſtore erraverunt, in aliquibus autem, ne veſtigium quidem Monaſtici remanſerit inſtituti, monaſteria everſa & bona fuerint diſſipata.

§.2. Cui incommodo, quod à nobis noſtri Apoſtolatus ratio expoſcit, providere, ipſumque Ordinem priſtinæ dignitati, regularique obſervantiæ, quantum Domino adjuvante poſſumus, reſtituere volentes, ut quamprimum in agro Domini uberes fructus majorum ſuorum, & præcipuè tanti Patris, & Magiſtri exemplo edere valeant, maximè expedire duximus à Monaſteriis, quæ in Italia, & in utriuſque Siciliæ Regnis conſiſtunt, quorum plagas propius inſpeximus, hujuſmodi Ordinis inſtaurationem inchoare, ipſaque Monaſteria in unam Congregationem juxta conſtitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædeceſſoris noſtri in Concilio generali editam, quæ incipit: In ſingulis, ac Concilii Tridentini decreta redigere. Et ut hæc faciliùs optatum conſequi poſſent effectum, primum Generale Capitulum dicti Ordinis celebrari mandavimus, in quo Abbas generalis, qui in ſingula prædicta & alia ejus Ordinis Monaſteria, Conventus, & regularia loca ubicumque ſub obedientia noſtra, & S.R.E. illa fuerint, illorumque perſonas abſoluta ſit auctoritate præditus. Ac præterea Viſitatores, Procurator generalis, & alii officiales, quorum electio in Capitulo generali facienda eſſet, in Monaſterio ſancti Philareti ejuſdem Ordinis, Melitenſis diœceſis, in feſto Pentecoſtes proximè præterito eligerentur, illo prius de more indicto per dilectum filium noſtrum Guillelmum tit. Sancti Laurentii in Paniſperna presbyterum Cardinalem Sirletum nuncupatum, dicti apud nos Ordinis, Sedemque Apoſtolicam Protectorem, dilecto filio Paulo Abbati Monaſterii Caſtri Villarii Ordinis S. Benedicti Caſſinenſis diœc. Congregationis Caſſinenſis, eidem Capitulo ejuſdem Guillelmi Cardinalis nomine præſidente, ac in ejus manibus, antequam ad electionis negotium procederetur, per Priores & alios Monachos Monaſteriorum dicti Ordinis Sancti Baſilii præſentes, vocemque in Capitulo generali habere debentes, profeſſione regulari, quæ per Monachos ejuſdem Ordinis S.Baſilii emitti debet, expreſſe emiſſa.

§.3. Et tandem cum pro electionibus, ut præfertur, celebrandis jam in unum conveniſſent, vocatis omnibus qui voluerunt, poterunt, & debuerunt electionibus hujuſmodi commodè intereſſe, die ad eligendum præſtituta, ut mos eſt, dilectum filium Nicolaum Antonium Abbatem Monaſterii S.Nicolai de Butramo, dicti Ordinis S.Baſilii Hieracenſis, in Abbatem generalem, ac duos Viſitatores, & unum Procuratorem generalem, alioſque Officiales per ſecreta ſuffragia elegerunt.

§.4. Nos autem reductionem eorundem Monaſteriorum, Priorum, & Monachorum in Congregationem & Capitulum, dictique Capituli indictionem & præſidentiam, ac electiones hujuſmodi ratas & gratas habentes, Motu proprio & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eaſdem tenore præſentium approbamus & confirmamus, omneſque tam juris quàm facti, ac omiſſarum ſolemnitatum etiam ſubſtantialium, vel ex Ordinis prædicti S.Baſilii ſtatutis requiſitarum defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

§.5. Et nihilominus prædictum Nicolaum Antonium Abbatem eidem Congregationi univerſæ in Abbatem generalem præficimus, curam illius univerſam & in ſpiritualibus & temporalibus pleniſſimè committendo, ita ut ipſe & Abbas generalis pro tempore electus, æquè ut alii aliorum Ordinum in Congregationes reductorum Abbates generales, & præſidentes, in ſuiſque Capitulis, Congregationibus & ordinationibus de jure, privilegio, & conſuetudine habent & exercent, habereque & exercere poſſunt, plenam & omnimodam ſuperioritatem, juriſdictionem & auctoritatem habeat & exerceat,

tam

tam in ea omnia quæ in Italia & Regnis prædictis ſunt, quàm etiam in S. Mariæ de Oviedo Genuenſis, & de Tardon Cordubēſis, ac Vallis del Galleguillos Hiſpalenſis diœceſis, ejuſdem Ordinis S. Baſilii provinciæ Hiſpaniæ, dudum à nobis in Regnis Hiſpaniarum inſtitutæ, & prorſus in alia quæcumque monaſteria, domos & loca in eadem provincia ſub regula S. Baſilii hactenus erecta, & in poſterum erigenda, eorumque Abbates, Conventus, Monachos & perſonas, quæ nos pridem cum Monachis ejuſdem Ordinis S. Baſilii in Italia exiſtentibus, & eorum Congregationis prædictæ ſub obedientia inde futuri Abbatis, ſeu Vicarii generalis ejuſdem Congregationis perpetuò conjunximus, eaque, necnon Viſitatorem ejuſdem provinciæ Hiſpaniæ Abbati, ſeu Vicario generali Congregationis hujuſmodi in Italia pro tempore eligendo ſubjecimus, & ab eo depēdere decrevimus inter alia, quemadmodum noſtris diverſis literis prioribus, videlicet Kal. Maii 2. poſterioribus verò 8. Kal. Julii, 6. Pont. noſtri anno dat. plenius continetur.

§. 6. Jubemus itaque univerſos & ſingulos ejuſdem Congregationis S. Baſilii Abbates, Priores, & Prælatos, necnon Monachos, & alias quaſcumque perſonas, ipſi Abbati generali, tanquam membra capiti, & eorum legitimo Superiori, in omnibus quæ ad officium Abbatis generalis pertinent, eorumque animæ ſalutem, regularisque obſervantiæ rationem concernunt, promptè & humiliter obedire.

§. 7. Et ut habitus qui exterius geritur, religioſis mentis affectibus pariter reſpondeat, ſtatuimus ut omnes Congregationis ejuſdem profeſſores eundem habitum à Novitiis diſtinctum ex panno nigri coloris, cum caputio, ſive cuculla Monachali omnino deferant, veluti ex antiquo ejuſdem Ordinis inſtituto priſci Patres, & Monachi geſtare ſolebant.

§. 8. Utque omnes ejuſdem Ordinis S. Baſilii Monachi & Religioſi, qui in dicto Ordine jam admiſſi ſunt, ad profeſſionem regularem ejuſdem Ordinis in manibus Abbatis, ſi ibi fuerit, vel Prioris monaſterii in quo repériuntur, expreſsè emittant. Deinceps verò nemo in dicto Ordine, illiuſque monaſteriis ad ejuſdem Ordinis habitum regularem, ſive tacitè, ſive expreſsè admittatur, niſi in ætate legitimè conſtitutus, anno demum integro in probatione juxta ejuſdem Concilii Tridentini decreta perſtiterit.

§. 9. Generale autem Capitulum, in quo de Ordinis prædicti reformatione, & regulari obſervantia agendum erit, tertio quoque anno celebretur.

§. 10. Eorundem, ſive Abbatis generalis, ſive Viſitatorum, ſive Procuratoris item generalis munera, ſive officia triennalia ſint, licebit tamen in eodem Capitulo generali, ubi manifeſtè cognitum fuerit expedire, eoſdem omnes, aut eorum aliquos ad aliud triennium in eodem, quod geſſerint officio, nec ultra confirmare, qui tandem ab eiſdem mulieribus abſoluti, ſaltem per aliud ſimile triennii ſpatium officio vacent.

§. 11. Cæterum ſi dicto Guillelmo Cardinali, & pro tempore dicti Ordinis Protectori videbitur opportunū, ac quouſque ille id expedire cenſuerit, conſilium, & auxilium alicujus Abbatis Congregationis Caſſinenſis, in hujuſmodi Capitulis celebrandis ex longa conſuetudine & experientia plenius inſtructi, ad ipſum Capitulum generale poterit adhiberi, qui ejuſdem Protectoris auctoritate etiam eidem Capitulo præſideat generali.

§. 12. In ſingulis verò Capitulis generalibus locus in quo proximè futurum Capitulum generale celebrandum ſit, deſignetur.

§. 13. Electiones autem per ſuffragia ſecreta fiant, prout Concilii Tridentini prædicti decretis eſt ſtatutum.

§. 14. Ad hæc, ut ipſi Monachi degentes in monaſteriis, in quibus menſa Conventualis non eſt ab Abbatiali ſeparata, quæque clericis ſæcularibus, & aliis cujuſcumque gradus & dignitatis, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, commeñdata ſunt, obſequiis Altiſſimi liberiùs vacare poſſint, menſam Conventualem à menſa Abbatiali diſtinguimus, & ab eiſdem monaſteriis, quouſque illa commendata fuerint, eam bonorum ſtabilium, proprietatum, juriumque partem, quæ tamen inter immobilia cenſeantur, perpetuò diſmembramus, atque dividimus, quæ ad alendum ſolitum Monachorum & miniſtrorum numerum, ac victum & veſtitum, aliaque ad eorum ſuſtentationem neceſſaria comparanda ſufficiant, eoſdemque Commendatarios ad aſſignandum totidem bona, proprietates, & jura prædicta intra tempus per eundem Guillelmum Gardinalem protectorem præfigendum omnino teneri volumus. Hæc autem bona ſtabilia, proprietates & jura ſic per nos diſmembrata, necnon omnia alia mobilia & immobilia, quæ ex piorum fidelium teſtamentis, legatis, largitionibus, aut aliàs quomodocumque ipſis Conventibus, & Monachis in poſterum donata, conceſſa, & relicta fuerint, pro quorum conſecutione Monachi Conventuum eorundem nomine etiam in judicio agere, & experiri, ac illò intervenire valeant, ſed & oblationes atque eleemoſynas in eorundem monaſteriorum Eccleſiis erogandas pro conſtituenda menſa Conventuali in ſingulis monaſteriis prædictis, ac pro augmento earundem menſarum Conventualium etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

§. 15. Nihilominus tamen Commendatariis incumbat, prout tenentur, in eiſdem monaſteriis quæ Conventum habent, monaſteriorum & Eccleſiarum eorundem reparationi, ac aliis ad divinum cultum neceſſariis providere, quorum monaſteriorum clauſtra & ædificia pro uſu Monachorum conſtructa, ac Monachos prædictos, quos in eis permanere contigerit, eorum liberi atque abſoluti juris eſſe decernimus. *Commendatarii monaſteria reparent, neceſſaria ad cultum divinum aſſignent.*

§. 16. Liceat porrò Abbatibus, Prioribus, cæteriſque dicti Ordinis Monachis & Religioſis corporalem poſſeſſionem bonorum ſic diſmembratorum & applicatorum, ac ut præfertur, aſſignandorum, cum primùm illa per Commendatarios aſſignata fuerint, & clauſtrorum ac ædificiorum monaſteriorum prædictorum Conventum habentium, per ſe vel alium ſeu alios, propria auctoritate, abſque alicujus Judicis miniſterio liberè apprehendere & apprehenſam retinere, ac eorundem bonorum, ſive proprietatum & jurium fructus in communes eorundem Monachorum & miniſtrorum uſus & utilitatem convertere, ipſorumque clauſtrorum & ædificiorum libero uſu pacificè frui & gaudere, quorumvis licentia ſuper his minimè requiſita. *Et Monachi poſſeſſionem capiant.*

§. 17. Ut autem prædicta monaſteria Ordinis S. Baſilii ſic in unam Congregationem redacta, eliminatis omnibus abuſibus, in via Domini quotidie magis proficiant, Conventus omnium monaſteriorum virorum Conventum habentium dicti Ordinis S. Baſilii, quæ tam in Italia & prædictis Regnis erecta ſunt, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque ſint, & per quoſcumque, etiam S.R.E. Cardinales, in titulum, commendam, vel adminiſtrationem, aut aliàs obtineantur, dignitatibus Abbatialibus eorundem ſemper ſalvis, ita ut de eis quotieſcumque vacabunt, per Romanum Pontificem & Sedem prædictam omni tempore diſponi liberè debeat, & ſine præjudicio jurium ejuſdem Sedis, quæ inviolata permanere volumus, ac etiam de Oviedo, & del Tardon, ac Vallis del Galleguillos prædictorum, necnon omnium & quorumcumque aliorum, quæ deinceps à Congregatione & Monachis prædictis, Deo adjuvante, erigentur, & conſtruentur in eiſdem Italia, & Regnis, ac Provincia Hiſpaniæ, ipſi Congregationi in perpetuum aggregamus. *Monaſteria omnia [illegible] uni Congreg. aggregata cenſentur, [illegible] remanentibus dignitatibus Abbatialibus, [illegible]*

§. 18. Ac Monaſteriis, Conventibus, Prioribus & Monachis prædictis, necnon Converſis & Oblatis, aliiſque etiam dictorum monaſteriorum S. Baſilii Religioſis & perſonis, ut de cætero omnibus & quibuſcumque privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus, gratiis, & indultis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, Congregationi prædictæ Caſſinenſi, illiuſque perſonis & locis per quoſcúque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam Sedem, in genere & in ſpecie conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac etiam per viam communicationis ad eandem Congregationem Caſſinenſem extenſis, quibus illi utuntur, potiuntur, & gaudent, & uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum (quæ tamen uſu recepta ſint, & ſacris Canonibus, ac dicti Conc. Trid. decretis, ipſiuſque Ord. S. Baſilii non adverſentur) *Hic ordo privilegiis Congreg. Caſſinenſis gaudeat.*

uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, concedimus & indulgemus.

*Exemptio à juriſdictione Ordinariorum & Commendatariorum, qui regulam S. Baſilii profeſſi non ſint.*

§. 19. Eandemque Congregationem S. Baſilii, illiuſque Conventus, Monachos & perſonas quaſcumque, ab omni Ordinariorum locorum, ac etiam eorum, qui monaſteria dicti Ordinis, etiam Archimandritatus appellata, in commendam vel alias quomodolibet obtinuerint, eandemque Ordinem S. Baſilii expreſsè profeſſi non fuerint, juriſdictione, auctoritate & poteſtate penitus eximimus, & liberamus, ac ſub noſtra & Beati Petri protectione immediatè ſuſcipimus. Ita tamen ut omnes ſub dicta exemptione comprehenſi, Abbatis generalis, Viſitatorum, Abbatum, Priorum, & aliorum officialium, tam in dicto generali Capitulo quàm extra illud canonicè electorum, & aliorum qui pro tempore eligentur, juriſdictioni, viſitationi, morumque correctioni, juxta eandem regulam S. Baſilii, ac ejus Ordinis inſtituta omnino, prout eorum incumbit muneri ſint ſubjecti.

*Abbati & Viſitat. viſitent & reforment Monachos & inobedientes corrigant, &c.*

§. 20. Inſuper Abbati generali & Viſitatoribus in Capitulo generali deputatis, ut monaſteria, prioratus, & alia loca, ac Abbates, Priores, Conventus, & perſonas Congreg. prædictæ, juxta dicti Concilii decreta, & regularia inſtituta prædicta viſitare, & tam in capite quàm in membris reformare, delinquentes, inobedientes, & rebelles corrigere, punire, & caſtigare, regularia dicti Ordinis S. Baſilii inſtituta in illis exactè cuſtodienda introducere, ac in dicto Capitulo generali pro tempore congregatis ejuſdem Congregationis Monachis, quæcumque ſtatuta & ordinationes ad ſalutare ipſius Congregationis regimen, & ad regularem obſervantiam pertinentia (licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, necnon regulæ S. Baſilii prædictis minimè contraria) ab ipſo tamen Gulielmo Cardinale & pro tempore exiſtente dictæ Congregationis Protectore antequam promulgentur examinanda & approbanda, condere valeant, licentiam tribuimus.

*Decretum irritans.*

§. 21. Decernentes ſupradicta omnia perpetuò inviolata fore, ſicque per quoſcumque Judices, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Card. in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata cuique aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Gulielmus Sirletus Card. Protector, deputatur executor hujus Conſt. cum facultatibus hic expreſſis.*

§. 22. Sed ne præſentium literarum effectus in longum protrahatur, Gulielmo Cardinali prædicto præcipimus, ut per ſe vel alium ſeu alios ipſas præſentes literas & quicquid in eis continetur, ab univerſis & ſingulis Ordinis & Congregationis S. Baſilii prædicti Abbatibus, Prioribus, & Monachis, aliiſque prædictis, & dictorum monaſteriorum & Archimandritatuum prædictorum Commendatariis, etiam ut præfertur qualificatis inviolatè faciat obſervari, & ad aſſignandum, & cum effectu tradendum pro Monachorum & miniſtrorum numero alendo, ac menſa Conventuali in his monaſteriis, quibus eorum Conventus exiſtunt, partem bonorum & proprietatum ac jurium, clauſtraque & ædificia prædicta liberè conſignandum intra duos menſes à die publicationis earundem literarum, hic de more conſtitutionum & literarum Apoſtolicarum faciendæ numerandos, etiam per privationem monaſteriorum & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum ab eis obtentorum, cæteraque omnia juris & facti remedia opportuna compellat. Nos enim illi & pro temporo exiſtenti Protectori, per ſe vel alium ſeu alios, contra Commendatarios omnes monaſteriorum & locorum Conventuum prædictorum ſic in Congregationem reductorum, qui congruam aſſignationem bonorum, proprietatum, ac jurium diſmembratorum prædictorum præſtituto tempore facere diſtulerint, recuſaverint, negaverint, vel etiam quovis modo impediverint, cæteroſque omnes ſua in præmiſſis quomodolibet intereſſe putantes, etiam per edictum locis publicis affigendum citandi & monendi, ac contra eos, & prorſus contra quoſcumque alios contradictores & rebelles, eiſque auxilium, conſilium & favorem, publicè vel occultè præſtantes, etiam ſummariè, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, ſed ſola facti veritate inſpecta, omni & quacumque appellatione remota, procedendi, & ad hunc, aliorumque præmiſſorum omnium executionem & effectum, tam eiſdem quàm etiam quibuſcumque Judicibus & perſonis, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam per ſimile edictum inhibendi, cenſuras & pœnas etiam ſæpius aggravandi, interdictum Eccleſiaſticū apponendi, auxiliumque brachii ſæcularis ubicumque opus fuerit invocandi, necnon partem proprietatum & poſſeſſionum menſarum Abbatialium prædictarum, quæ ad redditum annuum pro victu & aliis ad uſum ſoliti Monachorum & miniſtrorum numeri ſatis ſint, arbitrio ejuſdem Gulielmi Cardinalis, & pro tempore Protectoris, vel eorum qui ab eo deputabuntur, eligendorum, pro menſa Conventuali, etiam per ſubtractionem & alias prout ei viſum erit, perpetuo conſtruendi & aſſignandi, cæteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, etiamſi talia fuerint, quæ mandatum requirant magis ſpeciale quàm præſentibus eſt expreſſum, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem.

*Clauſula derogatoria*

§. 23. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris de unionibus committendis ad partes, ac valore fructuum exprimendo, necnon de non tollendo jure quæſito, ac generalis, & uniones perpetuas niſi in caſibus à jure præmiſſis fieri prohibentis noviſſimè celebrati Lateranenſium Conciliorum, ac piæ mem. Innocentii Quarti, quæ incipit, Volentes, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum de una, & in eodem Concilio Generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon monaſteriorum & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem monaſteriis, & Ordinibus, eorumque Superioribus & perſonis, etiam monaſteria & Archimandritatus ejuſdem Ordinis in Commendam obtinentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & eandem Sedem, etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi & ſtipulati contractus, ac aliàs ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere & ſpecie, etiam ab immemorabili tempore quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, ac etiam uſu receptis, ac quocumque tempore factis & promulgatis, & quibuſcumque aliis indulgentiis & literis Apoſtolicis, ſpecialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut omnino non inſerta, effectus earum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ omnia contra earundem præſentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari, contrariis quibuſcumque, aut ſi Commendatariis & perſonis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, & ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Hæc con[...] gat [...] menſes [...] publicatio[...]*

§. 24. Poſtremò volumus ut lapſis ſtatim duobus menſibus à publicatione prædicta, literæ prædictæ ita unumquemque ſupradictorum arctent, ac ſi ſingulatim intimatæ fuiſſent, earum quoque exempla etiam impreſſa, Notarii publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem ubique locorum, in judicio & extra illud faciant, quam ipſæmet præſentes facerent, exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

*Dat. [...] 2. Novem[...]*

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1579. 4. Kal. Novemb. Pont. noſtri anno 8.

*Publicatio*

*Anno à Nativitate Domini 1580. Indict. 8. die verò 8. menſis Ianuar. Pont. Sanct. D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 8. præſentes literæ Apoſt. affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Principis Apoſtolorum de Vrbe, & acie Campi Floræ, & Cancell. Apoſt. & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ per me Ioan. Freile S. D. N. Papæ Curſ.*

*Ioan. Andreas Panizza Mag. Curſ.*

De

## IX. De electione quolibet triennio in Capitulo generali fienda Prioris Generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Auguſtini, ejuſque bonorum temporalium adminiſtratione.

*Omnia hic diſpoſita approbat Sixt. V. inf. in ejus conſt.* 98. Ex varietate, *ubi videas quæ indicabo.*

*An. D. 1579.* *GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Dilectis filiis Priori Generali, Viſitatoribus, Abbatibus, Prepoſitis, Prioribus, Vicariis, Prælatis, Procuratoribus, ac Officialibus quibuſcumque, nunc & pro tempore exiſtentibus, quocumque titulo nuncupatis, necnon Canonicis, Novitiis, Converſis, Commiſſis, ac quibuſvis aliis perſonis in Congregatione Canonicorum regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Auguſt. degentibus, ſalutem & Apoſt. benedictionem.*

QUæ inter religioſorum cœtus diſſidia excitant, ea ne altius expullulent, ſunt à nobis radicitus extirpãda. Cum igitur fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Brevis literas, ſuper reformatione Congr. veſtræ S. Salvatoris Ordinis S. Auguſtini emanatas, ſub dat. 6. Decemb. 1571. Pont. verò ſui anno 6. juſtis & gravibus de cauſis inter alia ſtatuiſſet, ordinaſſet, & decreviſſet, ut de cætero Capitulum gen. ejuſdem Congr. in quo Prior Generalis, Viſitatores, cæterique Prælati, ac etiam Procurator gen. eligerentur quolibet triennio tantum, non autem ut antea, ſingulis annis celebraretur.

§. 1. Noſque per alias noſtras literas ſub dat. 23. Martii 1574. licet quoad rationem eligendi Priores, alioſque Prælatos Conventuales tantum prædictas literas, ita ratione & novo rerum eventu ſuadente, immutaverimus, ac modificati fuerimus, cæteris tamen omnibus in eiſdem literis contentis & ordinatis, ac præſertim triennali electioni hujuſmodi non ſolum non aliqua alia ex parte detrahere, aut ullatenus derogare velle profeſſi expreſsè fuerimus, ut ipſa quoque Conventualium Prælatorum officia ad triennium extendentes, ea omnia confirmaverimus atque approbaverimus, quemadmodum in dictis noſtris literis plenius continetur.

§. 2. Nihilominus quia nuper nobis eſt inſinuatum nonnullos veſtræ Congregat. hujuſcemodi ordinationi ac ſtatuto à prædeceſſore noſtro provida ac matura deliberatione invento, à nobis confirmato, & in veſtro generali Capit. acceptato, & jam in uſu recepto, non ſolùm acquieſcere nolle, ſed colore quodam de hujuſmodi literarum noſtrarũ validitate dubitandi, re autem vera temeritatis, & ambitionis ſtimulis agitatos de illa immutãda, infirmãda, vel etiam revocanda, verba facere auſos fuiſſe.

§. 3. Nos ad tollendum omne dubium, & hujuſmodi audaciam compeſcendam, & pacem tranquillitatemque in dicta Congregatione veſtra perpetuò confovendam, & retinendam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium hac noſtra declaratione, determinatione, ac definitione ſupradictam de triennali electione & adminiſtratione ordinationem, conſtitutionem, & decretum iterum & de novo, quatenus opus ſit, approbamus, confirmamus, eique perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ſuper eo ſpecialiter & expreſsè perpetuum ſilentium imponimus.

§. 4. Mandantes propterea vobis omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub privationis perpetuæ tam officiorum, dignitatum, & adminiſtrationum quarumcumque, quàm vocis activæ & paſſivæ, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris arbitrio noſtro moderandis & infligendis pœnis diſtrictè præcipientes & inhibentes, ne quis veſtrum publicè vel privatim, ſecretò vel palam, in Cap. generalibus, vel conventualibus, intra monaſteriorum ſepta vel extra, ac tandem uſque vel unquam de ſupradicto triennio corrigendo vel mutando amplius loqui, ſeu tractare præſumant.

§. 5. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

§. 6. Volumus autem ad hujus declarationis & prohibitionis noſtræ faciliorem notificationem, præſentium exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel etiam Prioris generalis pro tempore exiſtentis veſtræ Congregationis munitis eandem prorſus fidem adhiberi, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Decemb. 1579. Pont. noſtri anno octavo. *D. P. A. 8. die 16. Dec.*

## LX. Declaratio quorundam ſtatutorum privilegiorum Militiæ, & Religionis S. Joannis Hieroſolymitani, circa profeſſionem emittendam, habitumque ſuſcipiendum. Et confirmatio exemptionis à ſolutione decimarum, & aliorum onerum quorumcumque.

*Quoad primam partem videri poteſt conſt.* 9. *Pii IV.* Circumſpecta, *ſup. Et quoad ſecundam partem, attende conſt.* 77. *Pii V.* Etſi cuncta, *ubi etiam cætera de hac Militia indicavi.*

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita A. D. 1580.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* QUo magis ac firmius Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Ordini, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, & nobis acceptiſſimo, ac de Chriſtiano nomine, fideique Catholicæ defenſione optimè merito, illiuſque Magno Magiſtro, Præceptoribus, & Commendatariis hactenus per Sedem Apoſtolicam conceſſa privilegia præſerventur, quo eundem Ordinem complectimur, æquum eſt providere.

*Clem. VII ſtatuit beneficia & penſiones habentes habitũ ſuſcipere debere, & profeſſ. emittere infra ſex mẽſes, ut in Pii IV. conſt. 9.*

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Pius PP. IV. prædeceſſor noſter, dum favore ejuſdem Hoſpitalis & Religionis privilegia eidem antea conceſſa confirmavit atque approbavit, vel etiam ampliavit, animadvertens piæ mem. Clem. PP. VII. etiam prædeceſſ. noſtrum ſtatuiſſe, quod omnes & ſinguli Bajuliviarum, Prioratuum, Præceptoriarum, domorum & beneficiorum in vim collationum eis factarum poſſeſſores, ſæculares aut alterius Ordinis regulares, ſeu penſiones ſuper illorũ fructibus, redditibus, & provẽtibus hujuſmodi eatenus etiam per Sedem eandem reſervatas percipiẽtes, illas & illa infra ſex menſes à die intimationis dictarũ literarum in manibus Magiſtri & Conventus prædictorum, juxta formam ſtabilimentorũ dictæ Religionis dimittere & transferre, ſeu illarum caſſationi conſentire tenerentur, alioquin beneficia & penſiones hujuſmodi, niſi illa poſſidentes, & illas percipiẽtes infra dictum tempus habitũ ſuſciperent, & profeſſionẽ Regularẽ ipſius Religionis emitterent, lapſis mẽſibus ipſis vacarẽt, ac caſſæ & extinctæ eſſent, & eſſe cenſerentur eo ipſo.

*Paul. III. ſtatuit Capellanos provideri poſſe de Eccl. hujus Ord. ut habetur in d. conſt. Pii IV.*

§. 2. Ac deinde recol. mem. Paulum Papam III. etiam prædeceſſorem noſtrum, ut Magiſter, & ſinguli Priores, Bajulivi, Præceptores, Milites, & Fratres Hoſpitalis hujuſmodi pro eorum libito parochiales, ac etiam ſine cura Eccleſias, ſeu earum Vicarias, ſeu Capellanias perpetuas, aut Capellas vel Altaria, ſeu alia beneficia ſimplicia ad eorum collationem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem ratione Prioratuum, Bajuliviarum, Præceptoriarum, etiam Camerarum magiſtralium nuncupatarum, hoſpitalium, domorum, & aliorum beneficiorum dicti hoſpitalis per eos pro tempore obtẽtorum de jure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, aut privilegio, vel alias quomodolibet ſpectantia & pertinentiá, ab ipſis Bajuliviis, Præceptoriis, domibus, hoſpitalibus, & aliis beneficiis dependen. ſeu illis annexa, quæ dudum forſan Fratribus ſaltem Capellanis ejuſdem hoſpitalis, & ab eiſdem Magiſtro, Prioribus, Bajulivis, ac Præceptoribus, & aliis prædictis conferebantur, à longo tamẽ & forſan longiſſimo tempore citra, de cujus initio memoria hominum forſan non exiſtebat, per ipſos Magiſtrum, Priores, Bajulivos, Præceptores, Milites, & Fratres, per abuſum aut ex defectu hujuſmodi Capellanorum, vel aliarum perſonarum ejuſdem hoſpitalis ad id idonearum clericis, ſeu presbyteris ſæcularibus collata, aut conferri, & per ipſos presbyteros vel clericos ſæculares obtineri ſolita,

ſolita,etiam Fratribus hujuſmodi, præſertim Capellanis nuncupatis,qui ut aſſeritur,à presbyteris ſeu clericis,niſi quoad geſtationem Crucis vel habitus dicti hoſpitalis ad pectus, non differebant, immò privilegiis clericorum ſæcul[illegible], juxta forſan eorum privilegia & conſuetudines gaudere ſolebant, ſi ad id alias idonei & habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis providere, & diſponere, ipſique Fratres, quibus beneficia hujuſmodi conferri contigerit, illa ſi ſibi alias canonicè conferrentur, aut ipſi eligerentur, præſentarentur, vel alias aſſumerentur ad illa, & inſtituerentur in eis, recipere, & in titulum, etiam quoad viverent retinere, reſpectivè liberè & licitè valerent, ſtatuta & ordinationes extendiſſe & ampliaviſſe, eiſque deſuper indulſiſſe.

*Pius IV. ſtatuit clericos ſæculares non poſſe cedere benefic. niſi certo modo, de quo in ipſa Pii conſt. 9.*

§. 3. Idem Pius IV. conceſſiones & privilegia dictorum prædeceſſorum confirmans, ipſos Magiſtrum & Conventum, necnon priorem Eccleſiæ, alioſque Priores & Præceptores intra limites ſuarum juriſdictionum & adminiſtrationum veros ordinarios, juxta formam ſuorum ſtabilimentorum & privilegiorum exiſtere, & eſſe cenſeri decrevit, ac beneficia Eccleſiaſtica ad præſentationem ſeu collationem Bajulivorum, Priorum, & Præceptorum hoſpitalis hujuſmodi ſuffragari debere, ita quod presbyteri ſæculares illa tunc temporis in Commendam, ſeu alias quomodolibet obtinen. Commendæ hujuſmodi cedere, aut illa aliàs dimittere non poſſent, niſi de conſenſu eorum ad quos præſentatio ſeu collatio ſpectaret, & in favorem dicti hoſpitalis, ſeu perſonarum, quæ habitum per fratres Capellanos ejuſdem hoſpitalis deferri ſolitum ſuſciperent, & profeſſionem per eos emitti ſolitam emitterent, nec illa deinceps ipſi niſi infra ſex menſes à die intimationis habitum ipſius Religionis ſuſcepiſſent, & regularem profeſſionem infra alios ſex menſes emiſiſſent, poſſidere poſſent, & ſi ſecus fieret, aut ceſſionem ſeu reſignationem hujuſmodi, aut de d. Ordinis beneficiis, etiam in manibus ſuis in futurum fieri contigerit, hujuſmodi ceſſiones, reſignationes, & proviſiones nullius eſſent roboris vel momenti, niſi in illis expreſsè diceretur, & de conſenſu Magni Magiſtri, & de illis juxta formam privilegiorum dictæ Religionis provideretur.

*Paul. III. confirmavit quædam Statuta Relig. circa proviſiones beneficiorum.*

§. 4. Inter ſtatuta etiam ejuſdem Religionis per ſimilis mem. Paul. PP. III. ſimiliter prædeceſſorem noſtrum approbata & confirmata, ita cautum repetitur. Priores in ſuis Cameris, Prioratibus, Bajulivi, & Commendatarii in ſuis commendis habeant proviſionem, vel præſentationẽ Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura animarum vel ſine, à ſuis commendis dependentes niſi id privilegio vel conſuetudine ad alios pertineat. Item frater Claudius de la Sengle Magiſter ſtatuit, ut omnia beneficia Eccleſiaſtica ejuſdem Ordinis, quorum collatio aut præſentatio ad dictum Ordinem pertinet, nullis conferrentur, aut nulli ad ea præſentarentur, niſi eſſent Fratres ipſum Ordinem expreſsè profeſſi, & alias prout in ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris præfati literis, ac ſtatutis & ſtabilimentis, vel privilegiis dicti hoſpitalis plenius continetur. Quæ omnia cum diſpoſitione juris communis maximè congruunt, tum auctoritate ſacroſancti Conc. Trid. nituntur.

*Hinc quæſtiones aliquæ ortæ ſunt.*

§. 5. Verum cum, ſicut accepimus, clerici ſæculares poſſeſſores, cum cura & ſine cura beneficiorum eorundem ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionẽ, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Priorum, Bajulivorum, Commendatariorum & Poſſeſſorum aliorum dictæ Religionis bonorum, jure eorundem Prioratuũ, Bajulivatuũ, Commendarum, & aliorum bonorum ejuſdem Religionis habitum ſuſcipere, & profeſſionem regularem, prout in eadem Religione conſuevit, emittere negligant, ac recuſent, in ſtatutorum ejuſdem Religionis contemptum, ac juris communis diſpoſitioni, & Concilii præfati decretis, privilegiiſque ab hac ſancta Sede Apoſt. ut præmittitur, conceſſis contraveniendo, ac prætendant ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris noſtri mentis & intentionis non fuiſſe ad habitus ſuſceptionem, & profeſſionis emiſſionem eos teneri qui poſt ab eodem prædeceſſore obtentam privilegiorum confirmationem & ampliationem, de eiſdem ſive ſimilibus beneficiis conceſſiones fieri quomodocumque obtinuerunt, cum de illis qui tunc temporis in commendam ſeu alias obtinerent, eundem Pium IV. prædeceſſorem ſub iſto verbo ad præſens ſtatuiſſe dumtaxat prætend[illegible]r. Allegantes quod commendæ, proviſiones, ſive aliàs quomodocumque conceſſiones de ſimilibus beneficiis eiſdem factæ poſt datam ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris literarum, ſive mentio fiat, ſive reticeatur beneficia eſſe dictæ Religionis, ſunt loco abſolutionis, ac derogationis tacitæ, ſtatutorum & privilegiorum ejuſdem Ordinis, ita ut ad ſuſcipiendum illius habitum, ac profeſſionem emittendam minimè teneantur; cùm ſuſceptio habitus, & profeſſio ab eis emittenda ex ipſarum literarum ſerie expreſsè injunctæ fuiſſe non appareant, ex quibus eidem Ordini, illiuſque Magiſtro, Prioribus, Bajulivis, & Commendatariis maxima in dies exoriuntur incommoda, atque perturbationes, præſertim dum eorundem beneficiorum ſtatus ponitur in incerto.

*Hic m[…] Pont. in[…] do Conc. […] ſupradi[…] Pontif. [p…] confirm[…]*

§. 6. Quare Nos, ut par eſt, debito paſtoralis officii omnium Chriſti fidelium, præſertim verò ejuſdem Ord. præfatarum regularium perſonarum pro Jesu Christi nomine, ac Catholicæ fidei tuitione ad interitum uſque jugiter laborantium commodis & indemnitati, quantum in nobis eſt, proſpicere cupientes, ſimulque de communi ejuſdem Ord. ac Religionis bono vehementer ſolliciti, ne quid ei indebitè detrahatur, ſacrorum Canonum ac decretorum dicti Concilii, eorundemque ſtatutorum & privilegiorum auctoritati, & tenoribus innitentes, eademque privilegia, ſtatuta & ordinationes, ac dictorum prædeceſſorum noſtrorum literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illaque omnia approbantes & confirmantes, præſentiſque noſtri ſcripti patrocinio communientes, ac rata & grata habentes, ac quatenus opus ſit, innovantes, & de novo concedentes.

*Declara[…] proviſi[…] Sedem […] teneri i[…] ſuſcipi[…]*

§. 7. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate præſentium declaramus, nunquam intentionis prædeceſſorum noſtrorum, vel noſtræ fuiſſe, in proviſionibus, ſive commendis, aut quibuſvis aliis conceſſ[illegible]us beneficiorum Ordinis & Religionis hujuſmodi, ſive illa curata, ſive ſine cura ſint, per eoſdem prædeceſſores noſtros, vel per nos & eandem Sedem forſan etiam cum ſimplici derogatione privilegiorum & ſtabilimentorum religionis prædictæ, non tamen ſpeciali de non ſuſcipiendo habitum, & non emittendo profeſſionem mentione, ſeu per Magiſtrum, Conventum, Priores, Bajulivos, ac Commendatarios, vel alios quibuſcumque perſonis cujuſcumque ſtatus & dignitatis, factis & conceſſis, tacitè illos abſolvendi, quominus juxta ejuſdem Ordinis ſtatuta & privilegia infra tempus præfixum habitum ſuſcipere, & profeſſionem per Fratres ejuſdem Ordinis emitti ſolitam emittere debeant regularem, etiamſi hoc explicitè in eorundem prædeceſſorum, aut noſtris literis adjectum, vel injunctum his ad quorum favorem, hujuſmodi beneficia conceſſa extiterint, nequaquam fuerit.

*Et non [...] pientes [...] ſex men[ſes] pœnas [...] enuncia[tas] incurr[unt]*

§. 8. Ac quo noſtra hæc intentio ſingulis apertius innoteſcat, ſtatuimus ut omnes & ſinguli, qui vel per Sedem præfatam, vel per nos aut Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiam cum ſimplici derogatione privilegiorum, ſeu per Priores, Bajulivos, & Commendatarios fuerunt de beneficiis hujuſmodi proviſi, ſive hi, quibus eadem commendata, aut quomodolibet conceſſa extiterunt, etiamſi ſuper his in Curia vel extra aliqua lis pendeat, ad de eiſdem in poſterum perpetuis futuris temporibus providebuntur, aut demùm quibus eadem commendabuntur, vel concedentur, etiam per Sedem Apoſtolicam, ſi poſt ſex menſes à die quo id eis legitimè indictum atque denuntiatum fuerit, illicò numerandos, profeſſionem non emiſerint, & habitum non ſuſceperint Ordinis prædicti, abſque alia deſuper facienda declaratione & citatione, omni & quocumque jure in dictis beneficiis vel ad illa competente, careant eo ipſo, ipſique tanquam illiciti detẽtores & occupatores, & intruſi ab eiſdẽ amoveantur, deque illis tanquam de jure atque de facto vacantibus, Magiſtrum, ac Conventum, Priores, Bajulivos, Commendatarios, & alios ad quos ſpectat, liberè providere, ac illis juxta Magiſtri & Religionis præfatæ ſtabilimenta & conſuetudines exequi poſſe, eorundemque poſſeſſores ab eorundem beneficiorum poſſeſſione, vel potius detentione & occupatione amovendos eſſe, prout nos in dictum caſum & eventum amovemus, ac re-

gulis

gulis de annali & triennali poſſeſſore, & aliis privilegiis, remediiſque quibuſcumque, etiam in corpore juris clauſis, quibus diutini beneficiorum poſſeſſores utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere non poſſe, quavis etiam longiſſimi temporis præſcriptione minimè obſtante, verùm eoſdem pro amoris & expulſis habendos eſſe, & cenſeri, amotiſque & expulſis actionem ſpolii, nec unde vi, vel aliud quodvis remedium poſſeſſorium, ſive petitorium competere, ſeu deſuper propterea agere non valere.

*...ſcipientes ...m ſpolia ...ſequi poſ-...*

§. 9. Et quo faciliùs ſi qui ad præſens reperiuntur quomodolibet proviſi de beneficiis à Prioratibus, Bajulivatibus, & Commendis hujuſmodi dependentibus, ſeu ad illorum collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem ſpectantibus, etiamſi habitum dictæ Religionis non ſuſceperunt, ad habitus ipſius ſuſceptionem, & profeſſionis emiſſionem inducantur, eiſdem Prioribus, Bajulivis, & Commendatariis, licentiam & facultatem concedimus, ipſis condonandi & relaxandi eorum ſpolia, quæ ad dictos Priores, Bajulivos, & Commendatarios ſpectant, ita ut de illis diſponere poſſint, tam in vita quàm in mortis articulo, condonationemque, ac relaxationem hujuſmodi ejuſdem roboris ac momenti eſſe, ac ſi ab eadem Sede emanaſſent.

*...ſmas Pii ...xemptio- ...à deci- ...& aliis ...ibus. ...constit. ...Vindica- ...rubr.*

§. 10. Necnon fel. rec. Pii Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri literis inhærentes, illaſque approbantes & confirmantes, omnes & ſingulas perſonas in dicti Ordinis beneficiis quomodolibet exiſtentes, à ſeminarii clericorum in qualibet civitate, juxta dicti Concilii decreta erecti ſeu erigendi, ac decimarum, ſubſidii, & aliorum onerum contributione totaliter eximimus & liberamus, ac liberos & exemptos eſſe volumus. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dicti Ordinis apud nos dictamque Sedem Protectores, & alios S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*...utat exe- ...ris hujus ...*

§. 11. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hiſpaniarum, & Neapolitano noſtris & Sedis Apoſtolicæ pro tempore exiſtentibus Nuntiis, aut Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & quibuſcumque Conſervatoribus per eoſdem Magiſtrum, Bajulivos, Priores, & Commendatarios juxta formam privilegiorum Ordinis prædicti in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, electis & eligendis, per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magiſtri & Conventus, ſive Priorum, Bajulivorum, Præceptorum, & Commendatariorum præfatorum, & aliarum perſonarum, & poſſeſſorum præfatorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos præmiſſis omnibus & ſingulis, juxta præſentium continentiam & tenorem, pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, & præmiſſis non parentes per opportuna juris & facti remedia, ac demùm per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis ...gat.*

§. 12. Non obſtantibus commendis & proviſionibus, aliiſque diſpoſitionibus, vel conceſſionibus, quibuſcumque verborum formulis illa conceſſa fuerint, ac fel. record. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres aliquis auctoritate præſentium ad judicium trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenã & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto hujuſmodi mentionem.

*Clauſulas præſervativas appoſuit.*

§. 13. Decernentes præſentibus, & in eis contentis omnibus per quaſvis literarum conceſſiones, proviſiones, & alias quaſlibet diſpoſitiones aliter quam ut præmittitur, per nos, vel eandem Sedem factas, vel fortè quomodolibet faciendas, aut concedendas, etiam Motu proprio & ex certa ſcientia derogari non poſſe, nec derogatum cenſeri, cujuſcumque tenoris & formæ emanaverint, & cum quibuſcumque decretis & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & inſolitis, etiã ſi cauſas quaſcumque legitimas, & favorabiles continerent, quinimmò per præſentes illis omnibus expreſsè derogamus, earum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, præſentibus ſemper in ſuo robore permanſuris, niſi harum tenor de verbo ad verbum in illis eſſet inſertus, & Magiſtri & Conventus conſenſus accederet.

*Tranſumptis credi jubet.*

§. 14. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Martii 1580. Pont. noſtri anno 8. *D. P. ... die 23. Martii.*

---

## XLI.

Statutorum Almæ Urbis confirmatio, cum declaratione quod Statuta ordinatoria in Curia Capitolina obſerventur, deciſoria verò in omnibus Tribunalibus Vrbis, ejuſque diſtrictus, ubi non extent particularia ſtatuta, de eiſdem caſibus diſponentia.

*Scias autem in cauſis criminalibus, Senatorem hæc Statuta quoad proceſſum non ſervare, ſed juxta facultates Gubernatoris Vrbis procedere poſſe, ut conſuevit à Summis Pontificibus explicari in Brevi, quod pro Senatore expeditur in ejus electione. Et quoad Vniverſitates Artiũ ponitur hic reintegratio hujuſmet Pontificis quoad earũ juriſdictionem.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1581.*

*Exordium.*

URbem Romam, ex qua veluti à capite, juris civilis prudentia defluxit, atque inde in alias nationes longè lateque eſt diffuſa, legibus ſemper atque optimis abundare oportet inſtitutis, ut quæ tot donis, prærogativiſque excellit, ſeipſam in primis optimè regat, aliiſque deinde Urbibus, exemplo Reip. recta ratione adminiſtrandæ antecedat. Quod cum nobis, pro eo quo illam Principis Apoſtol. ejus ſucceſſorum, noſtrique & Chriſtianæ Religionis Sedem proſequimur, veræ dilectionis affectu, debitoque noſtræ ſervitutis officio maximè ſemper curæ fuerit, plurimum in Dño lętati ſumus, dilectos filios Populum Rom. juſtitiæ colendæ ſtudio ſollicitudini huic noſtræ reſpondiſſe. Illi enim, cum Urbis mores, conſuetudines & pleraque omnia negotia ita viderent eſſe confuſa, ut jus ſibi, cum ab antiquis, tum à junioribus traditũ, & denique ipſæmet canonicæ ſanctiones in controverſiis, quæ quotidie in judicium vocantur, dirimendis, aliiſque rebus explicandis, prout tẽpus moreſque poſtulant, non ita convenient, ne quid ab eis in conceſſa ſibi facultate deſiderari contingat, privatas leges, ſive ſtatuta præſentibus temporibus ac negotiis congruentia, ſibi condere, noſtris auctoritate & præſidiis freti, inſtituerunt.

*Pop. Rom. inſtituit reformare antiqua Urbis, & nova condere Statuta.*

§. 1. Id verò dum ſeriò agunt, noviterque in juris hujuſmodi compoſitionem, nobis annuentibus incumbunt, Statuta Urbis, quæ ſibi à majoribus ſuis relicta habeant, ſatis perplexa & confuſa invenerunt, in quorum libris, ob temporum vetuſtatem. Magiſtratuum fortaſſe negligentiam, multipliceſque ſuperiorum ætatum editas reformationes ſæpè, quæ adhuc vigebant, conſtitutiones, unà cum abrogatis & obſoletis, aliæque aliis contrariæ promiſcuè continebantur.

*Lucas Pætus à Popul. unà cum aliis deputatus, tres libros ... et ... exhibuit.*

§. 1. Cupientes itaque iidem Populus, ut jus proprium in certam formam, & quaſi non diſſentientium inter ſe Statutorum conſonantiam redigeretur, ad præſentiumque temporum mores & negotia accommodaretur,

provinciam hanc dilectio filio Lucæ Pæto utriuſque juris Doctori, nonnulliſque aliis Civibus Romanis demandandam curarent, eorum verò aliquibus vita functis, aliis diverſarum negotiorum occupatione diſtractis, idem Lucas Statuta prædicta in quinque libros prius diſtributa, ſupervacaneis amputatis, necnon invicem pugnantibus, & iis quæ vel deſuetudine antiquata, vel contraria lege abrogata erant ſublatis, additiſque nonnullis reformationibus, ad dilectorum filiorum Conſervatorum, Populique Romani Officialium regimen & directionem ſpectantibus, quæ nobis Populi ejuſdem nomine obtulerunt, in tres breves admodum libros, certo diſtinctoque ordine redegit, nobiſque ſuperioribus annis exhibuit.

*Pontif. autem deputavit Cardinalem S.Severinæ, & alios hic nominatos, ad illa examinandum, & corrigendum, prout emendarunt, & correxerunt.*

§. 3. Qui intelligentes multa in Populum Romanum prædictum commoda ex nova hujuſmodi Statutorum compilatione eſſe profectura, Dilecto filio noſtro Julio Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Inſula Presbytero Cardinali, Sanctæ Severinæ nuncupato mandavimus, ut convocatis dilectis filiis Conſervatoribus Cameræ Urbis, & Prioribus Capitum Regionum, qui pro tempore fuiſſent, necnon Hortenſio Frangipanio Urbis Cancellario, Antonio Vellio, Fabritio Lazaro, & qui ejuſdem Populi Romani Advocatus eſt, Horatio Burgheſio, & Vincentio Parentio Aulæ noſtræ Conſiſtorii, necnon Bernardino Biſcia, & Horatio de Arrigonibus in Romana Curia Advocatis, Stephano Creſcentio, Marcello Alberino Petro Paulo Fabio, Hieronymo Alterino, Auguſtino Palonio, Valerio de Valle, Proſpero Caſatello, & Ricardo Mazzatoſta, Romanis Civibus, à dicto Populo in ſuis Conſiliis ad hanc rem diverſis & ſucceſſivis temporibus, una cum prædicto Luca delectis, congregatis quoque dilectis filiis noſtris Alexandro tituli S.Mariæ in Aracœli Presbytero Cardinali Riario nuncupato, tunc Cameræ Apoſtolicæ generali Auditore, deinde magiſtro Hieronymo Matthæio, in ejuſdem Alexandri Cardinalis locum ad munus Auditoris ſuffecto, necnon venerabili fratre Hieronymo Epiſcopo Maceratenſi, locum unius ex officiis Clericatus Cameræ Apoſt. ex indulto Apoſtolico obtinente, ac dilectis item filiis, Magiſtris Alexandro Frumento, & Pyrrho Tharo, Notariis noſtris in utraque Signatura noſtra Referendariis, ac etiam Mario Gabrielio ejuſdem Aulæ noſtræ Conſiſtorii Advocato, à nobis ad hoc ſpecialiter deputatis, Statuta hujuſmodi, ac per dictum Lucam compilata diligenter excuterent, atque examinarent, & quæ eis viderentur ſupplerent, corrigerent, delerent, & emendarent. Qui frequentiſſimè per plures annos in unum congregati, eiſdemque Statutis diligenter viſis, & ſigillatim examinatis, matureque diſcuſſis, alia emendaverunt, alia explanaverunt, nonnulla addiderunt, nonnullaque etiam ſuſtulerunt. Denique Julius Antonius, & Alexander, Cardinales, ac Hieronymus Epiſcopus, necnon Marius Gabrielius, & Lucas Pætus prædicti, eorundem Statutorum relectione, & recognitione omni ſtudio & diligentia ab ipſis de mandato noſtro facta, poſtremam illis manum adhibuerunt.

*Antiqua igitur Statuta abrogat hic Pont.*

§. 4. Nos volentes, ea quæ tanto labore, & maturitate ad publicam utilitatem digeſta ſunt, inviolabiliter obſervari, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia & quæcumque antiqua Urbis Statuta, etiam reformata & innovata, ac quibuſvis approbationibus, & confirmationibus Apoſtolicis roborata, præſentium auctoritate abrogamus, tollimus, & penitus abolemus, neminemque ad illa deinceps obligari volumus.

*Novaque confirmat.*

§. 5. Noviſſimè verò compilata Statuta prædicta, etiam certis in eis expreſſis caſibus juramenti validitatem reſtringentia, ſicuti prædictis tribus libris digeſta ſunt, approbamus, & confirmamus.

*Obſervari et à præcipit in Curia Capitolina generaliter, & in aliis Curiis Urbis, & diſtrictus quoad deciſoria tantum.*

§. 6. Et ut approbatio hujuſmodi amplius innoteſcat, has præſentes, in principio omnium librorum eorundem voluminum, quæ vel manu ſcribentur, vel imprimentur, omnino deſcribi volentes, ſtatuimus & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut de cætero, poſt triginta dies à publicatione præſentium nulla alia Statuta, quam hæc nova ad futurarum cauſarum deciſionem, ac negotiorum expeditionem allegari poſſint, nec quiſquam alia allegans audiri debeat, ſed tantum ſecundum prædicta nova, à nobis confirmata, in Curia Capitolina, & apud eam in futuris omnibus cauſis in ipſa Curia Capitolina, videlicet etiam quoad cauſarum proceſſum, & quoad alia ubique in ipſa Urbe, illiuſque diſtrictu, ubi particularia Statuta de eiſdem cauſis, & earum caſibus diſponentia non habentur, quavis alia ſiniſtra, doloſa, vel captioſa interpretatione ſublata, in quacumque inſtantia, inviolatè, ac perpetuò obſerventur, ac juxta illa lites, & controverſiæ omnes in futurum judicari, decidi & definiri debeant.

*Derogationemque ſ[...] tutorum ſ[...] reſervavit.*

§. 7. Nec illis niſi per Signaturam noſtram, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. manu factam, nequeat derogari. Sitque irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſulæ [...] rogatoriæ.*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus, necnon privilegiis, & indultis Apoſt. ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis conceſſis, confirmatis, & innovatis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut omnino non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides [...] ſumptorum.*

§. 9. Volumus autem ut præſentium exemplis etiam impreſſis, Notarii publici manu, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis, ac etiam prædictis voluminibus deſcriptis, eandem prorſus fidem ubique in judicio, & extra illud adhiberi, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ eſſent, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1581. 8.Kal. Junii, Pont. noſtri anno 9.

*D. P. A[...] 25. Maii [...]*

### *Sequitur reintegratio juriſdictionis, & indultorum Univerſitatum Artium Urbis, præſervata ſuperioritate Gubernatoris, & aliorum Iudicum.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*E[...] 158[...]*

*Cauſa [...] conſti[...]*

ALmam Urbem noſtram, dilectoſque filios illius cives & incolas, eos præſertim quorum laboribus, & induſtria, bona & merces ad uſum quotidianum neceſſariæ, & utiles ad Urbem ipſam ex diverſis mundi partibus convehuntur & conſervantur, ac onera ipſi Urbi incumbentia cura & labore aſſiduo ſuſtinent, paterno affectu proſequentes, in ea libenter intendimus, per quæ privilegia & gratiæ illis à prædeceſſoribus noſtris, nobiſque ipſis conceſſæ, & conſuetudine confirmatæ, & approbatæ fuerunt, Apoſtolica auctoritate roborantur, & hæſitationes circa ea ſubortæ elucidantur, & de medio tolluntur.

*Plures [...] diverſi[...] bus [...] cogniti[...] cauſarum [...] Artis [...] quoſcum[...]*

§. 1. Cum itaque dilecti filii Mercatores, Merciarii, Aromatarii, & quamplurimi alii diverſi generis Artifices, quorum omnium, & ſingulorum artes, exercitia, denominationes, ac alia hic forſan latius, vel de neceſſitate exprimenda, ac ſpeciali nota digna, pro expreſſis, ac de verbo ad verbum pro inſertis haberi volumus, perinde ac ſi ſpecialiter ac ſeriatim exprimerentur, ad Urbem ipſam confluentes, illius neceſſitati, & utilitati, ac decori, & ornamento, Altiſſimo cooperante maximè proſpexerint. Et propterea fel. rec. Martinus V. Paulus III. Julius etiam III. Pius IV. & nonnulli alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, ac etiam Nos ipſi, conſiderantes Artes hujuſmodi, illarumque Artifices ipſi Urbi admodum neceſſarias, & utiles exiſtere, ſingulоſque ipſos Artifices ſine Rectoribus, & Ducibus, ac ſine certis Judicibus degentes, ipſi Urbi parum utiles, ſibique ipſis non admodum proficuos futuros, dum pro ſuorum creditorum conſecutione ad diverſa Tribunalia, & quod pejus eſt, ad Judices de artificio, & minus pretio ipſarum artium omnino inexpertos, & ignaros diſtracti, propria eorum negotia, & artes ipſas deſerere cogerentur, Artificibus ipſis Collegia habere, & Conſules, Officiales, ac Judices ex ipſorum corpore creare, & de mercibus & mercedibus, aliiſque rebus, cauſis, & negotiis

cujuſque

cujuſque artis, & ad artem quomodolibet reſpectivè ſpectantibus uſque ad certas in ſingulis literis & privilegiis hujuſmodi comprehenſas & expreſſas ſummas agnoſcere & judicare conceſſerunt, & indulſerunt.

§. 2. Ac inſuper ex antiqua conſuetudine, quæ vim legis habere dignoſcitur, ut etiam Collegia ſpecialibus privilegiis non munita cauſas eaſdem de rebus ad Artes ipſas ſpectantibus, etiam inter homines extra ipſa Collegia conſtitutos, cognoſcere & decidere conſueverint, inductum & obſervatum fuerit, eademque privilegia, indulta & conſuetudo uſu ipſo approbata, in ipſius Urbis, Artificumque prædictorum utilitatem non parvam cedere comperta ſunt. Quo factum eſt, ut Urbs ipſa civibus & incolis, omniſque generis artis excellentium virorum copia redundaverit, & redundet de præſenti.

§. 3. Cum autem elapſis menſibus antiqua Statuta ipſius Urbis de mandato noſtro reformata, & innovata, & inter cætera eorundem Statutorum lib. 3. cap. 12. ſtatutum & decretum fuerit, ut Conſules Artium hujuſmodi cauſas tantummodo inter ipſos homines de arte, & de rebus ſpectantibus ad artem ipſam cognoſcere & judicare poſſent, ea propter à nonnullis nimium ſcrupuloſis, privilegiis, indultis, & conſuetudine cujuſlibet artis Collegii, circa cognitionem & deciſionem cauſarum & negotiorum, quæ licet de rebus ad artes ipſas ſpectantibus, contra homines extra artes & Collegia degentes pro tempore oriuntur & agitantur, maxima ex parte derogatum & præjudicatum extitiſſe hæſitatum fuerit, & hæſitetur adhuc. Unde aliqua ex ipſis Collegiis penè diſſoluta & dilapſa reperiuntur, Conſulum juriſdictione penè, præter & contra mentem & intentionem noſtram ſublata. Quapropter dilecti filii Angelus Clavarius, Franciſcus Calvius & Curtius Sergardius Cameræ dictæ Urbis Conſervatores, necnon Baldaſar Cincius Prior Capitum regionum, nobis ex dubietate & hæſitatione hujuſmodi maximum ipſi Urbi, illiuſque incolis, & præcipuè juriſdictioni ipſius Curiæ Capitolii proveniſſe, ac in futurum provenire poſſe damnum & incommodum, non ſine animi noſtri diſplicentia ſuggeſſerunt.

§. 4. Malis igitur & incommodis hujuſmodi quanto citius occurrere, quantum cum Deo poſſumus ſatagentes, Motu proprio, non ad ipſorum Conſervatorum & Prioris, nec Conſulum aut Artificum prædictorum, ſeu alicujus eorum, vel pro eis, aut eorum aliquo nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera & deliberata voluntate, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hæſitationem & dubitationem prædictam de medio tollentes, intentionis & voluntatis noſtræ minimè fuiſſe non eſſe privilegiis, indultis, ſtatutis, & conſuetudinibus ſingularum artium, earumque Collegiorum, Conſulum & Judicum quorumcumque, circa cognitionem & deciſionem omnium & ſingularum cauſarum, de rebus & bonis ad artes ſingulas reſpectivè ſpectantibus, etiam inter, & contra homines, qui de ipſis Artificibus & Collegiis non ſunt, nec pro tempore erunt, vertentes, & quæ futuris perpetuis temporibus verti contigerit, in aliquo derogare, aut derogatum fuiſſe declaramus & atteſtamur, decernimus & definimus præſentium per tenorem.

§. 5. Et nihilominus pro potiori eorundem Corporum & Collegiorum omnium & ſingulorum, ipſorumque & cujuſlibet eorum privilegiorum, indultorum, ſtatutorum & conſuetudinum circa cognitionem, & deciſionem cauſarum ſimilium, denuò, quatenus opus ſit, privilegia, indulta, & conſuetudines Apoſtolica auctoritate eorundem tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes omnes & ſingulos Conſules, & alios quoſcumque officiales & Judices omnium & ſingularum artium & Collegiorum hujuſmodi, de negotiis & cauſis ad ſingulas quaſque Artes reſpectivè ſpectantibus, etiam inter & contra homines, qui de Corporibus & Collegiis Artium ipſarum pro tempore non ſint, cognoſcere & judicare potuiſſe & debuiſſe, poſſeque & debere, prout & quemadmodum ipſi omnes & ſinguli Conſules & Judices ſingularum Artium ante dictorum ſtatutorum publicationem & confirmationem per nos, ut præfertur, editam, & promulgatam, & juxta cujuſque ipſorum privilegia, indulta, & conſuetudines cognoſcere, decidere, & judicare poterant & conſueverant, de rebus tamen ad ſingulas artes ipſas reſpectivè ſpectantibus, cognoſcere & judicare in prima inſtantia, dummodo in articulis juris Conſultorem, ſeu Aſſeſſorem adhibeant; auctoritate & tenore præmiſſis concedimus & indulgemus.

§. 6. Declarantes à ſententiis, declarationibus & decretis Conſulum & Judicum prædictorum infra terminum octo dierum à die latæ ſententiæ, ſeu facti decreti, ad Conſervatores, & non alios quoſcumque Judices appellari & recurri poſſe & debere, & aliter, ſeu ab aliis factæ inhibitiones & ſignificationes prætextu appellationum & recurſuum nemini ſuffragari. *Appellatio ab eorum ſententiis permittitur, ut hic. Sed hoc modo infra eſt immutatum.*

§. 7. Præſenteſque literas de ſubreptionis & obreptionis vitio, mentiſque aut intentionis noſtræ defectu notari aut impugnari nullatenus poſſe, ſicque per quoſcumque Judices, etiam S. R. E. Cardinales judicari & definiri debere: irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſula præſervativa.*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis ſtatutis ipſius Urbis, ut præfertur, per nos editis, promulgatis & confirmatis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Cancellariæ noſtræ regulis, etiam de non tollendo jure quæſito, privilegiis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, per nos & prædeceſſores noſtros quibuſvis dictæ Urbis Judicibus & Tribunalibus quomodolibet conceſſis, & innovatis, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſ. derog.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die prima Maii 1581. Pont. noſtri anno 9. *D. P. A. 9. die 1. Maii.*

*Anno à Nativ. Dom. 1581. indict. 9. die verò 22. menſis Maii, tempore Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno ejus 9. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ in forma Brevium affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, Cancellariæ Apoſtolicæ, & Curiæ Capitolii valvis, cum dimiſſione copiæ illarum, ut moris eſt, per me Alamanum de Alemanis Sanct. D. N. Papæ Curſ.* *Publicatio in Urbe.*

*Die 23. ejuſdem menſis Maii 1581. Illuſtriſſimi D. Conſervatores Cameræ Almæ Urbis, exiſtentes in Camera nova eorum Palatii, dictum Breve admiſerunt, & mandaverunt regiſtrari mihi Scriptori infraſcripto, prout regiſtratum apparet libro rubeo, præſentibus, &c. dd. Iacobo de Orlandis, & Nicolao Piroto teſtibus, &c.* *Admiſſio apud Conſervatores.*

*Petrus Paulus Mutianus Scriptor Illuſtriſſimorum DD. Conſervatorum rogatus, &c.*

*Sequitur declaratio, quod conſtit. præinſerta non præjudicat facultatibus Gubernatoris Urbis Capitanei Appellationum, & aliorum Judicum.*

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita An. Dom. 1581.*

*Motu proprio, &c.*

§. 1. NE per præinſertas literas in forma Brevis noſtri aliquod præjudicium bono & pacifico regimini Almæ Urbis noſtræ, & illius Gubernatori, ac aliis Judicibus ordinariis ipſius Urbis inferatur, dicimus & declaramus intentionis noſtræ minimè fuiſſe, nec eſſe, quod per præinſertas literas in aliquo juriſdictionibus & facultatibus, ac ſuperintendentiæ ejuſdem moderni ac pro tempore exiſtentis ejuſdem Urbis noſtræ Gubernatoris, ac aliorum Judicum ordinariorum dictæ Urbis, circa cauſarum cognitiones in præinſertis literis expreſſas, perinde ac ſi præinſertæ literæ à nobis emanatæ non fuiſſent, minimè præjudicetur. Nec ullo unquam tempore eiſdem Gubernatori & Judicibus, ac eorum Locatenentibus, & eorum cuilibet præjudicatum eſſe intelligatur, prout præjudicare nolumus, ſed quod eorundem Gubernatoris, & Judicum, & Capitanei Appellationum juriſdictiones & facultates, quas per prius habebant, ſalvæ & illæſæ circa præmiſſa perpetuò maneant, & illis præinſertas eis non obſtare volumus, appellationeſque & provocationes omnes ad eos, cæteroſque Urbis, & Curiæ Ordinarios, & eorum Tribunalia, ſicut *Gubernatoris & Capitanei Appellationis Urbis.*

prius, videlicet ante dicta ſtatuta, ſine ullo impedimento deferantur.

*Decretum irritans.*

§. 2. Decernentes, &c. & ſic per quoſcumque etiam S.R.E. Cardinales, ac alios Judices, &c. judicari, &c. debere, ſublata, &c. irritum quoque, &c. ſcienter contigerit attentari, &c. ac ſolam præſentium ſignaturam in judicio, & extra ſufficere, & plenam fidem facere, regula contraria non obſtante.

*Papa ſubſcr. D.P.A.10. die 7. Julii.*

Fiat Motu proprio. V.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Non. Julii, anno 10.

---

LXII.

## Quod Fratres Prædicatores Ord. S. Dominici, ad inſtantiam cujuſcumque perſonæ extra ipſum Ordinem aliquam gratiam facere, aut pœnam remittere non poſſint, neque cōquiſitis favoribus, & ſuffragiis officia procurare.

*Quoad ſecundam partem Clem. VIII. declaravit hanc prohibitionem, & ampliavit, ut inf. in ejus conſt.7.* Religioſos. *Quo verò ad primam partem confirmavit, ut ibid. Alia autem de his fratribus, & eorum Ordine, plenè ſcripſi ſup. apud conſt.2. Honor.III.* Religioſam.

*Edita An. D. 1580.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

CUm nihil magis religioſorum ſtatum perturbet, quam favorum, & ſuffragiorum ſæcularium aucupatio, & conquiſitio, quibus Superiorum æqua mens, quæ pro meritis ſuorum unicuique ſubditorum tribui debet, pervertatur.

*Probibitio faciendi gratias aut remittendi pœnam ad inſtantiam perſonæ extra Ordinem.*

§. 1. Nos malum hoc ab Ordine Fratrum Prædicatorum, cujus proſperum regimen, & incrementum ad Eccleſiæ ſanctæ utilitatem ſinceris exoptamus affectibus, pro noſtra paſtorali ſollicitudine propellere ſummopere cupientes, dilectis filiis Magiſtro Generali, ac provincialibus, & reliquis ejuſdem Ordinis Prælatis nunc, & pro tempore exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam laïcarum, quàm Eccleſiaſticarum, extra ſupradictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, & Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant, ſeu præſumant.

*Et conquiſitis favoribus, & ſuffragiis officia procurandi.*

§. 2. Quinimò quoſcumque ejuſdem Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta ſuarum conſtitutionum hac via, & iis mediis per mendicatos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad alia, & ſimilia, & etiam majora in eodem Ordine conſequenda, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium inhabilitamus, ac inhabiles perpetuò fore, & eſſe, neque per quoſcumque, niſi per Sedem Apoſtolicam rehabilitari, aut cum ipſis deſuper diſpenſari poſſe.

*Sublata aliter judicandi poteſtate.*

§. 3. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid contra præmiſſa aliquibus conceſſum fuerit, aut ſuper iis à quoquam contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ad earundem præſentium effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§. 5. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam non impreſſis, manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo dicti Magiſtri generalis obſignatis eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Junii 1580. Pont. noſtri anno 9.

---

LX

## Contra non ſolventes in Feſto SS.Petri, & Pauli cenſus, canones, & alia jura Rev. Cameræ Apoſtolicæ debita.

*Contra non ſolventes hos cenſus primam ſanctionem edixit Innoc.VIII. ut ſuprà in ejus conſt.3.* Apoſtolicæ. *Et deinde latiorem conſtitutionem firmavit Paul. IV. ſup. in conſt.* 11. Incumbentia, *ubi etiam notavi.*

*GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

AD Romani Pontificis ſpectat officium boni patriſfamilias exemplo curare ſedulò ac providere, ne Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ dominia, proprietates, & jura depereant, neve contra jus faſque ab aliis occupentur, ac ſi qua ex eis vel temporum injuria, vel hominum malitia & cupiditate, vel aliquo alio caſu detineri, & uſurpari contingat, illorum recuperationi decenter inſtare, quo & ipſius Sedis, ac aliorum Chriſtianorum Principum, atque adeo univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitatibus & opportunitatibus valeat ſubvenire.

§. 1. Hoc ſanè conſilio, & animo complures Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, & in his piæ mem. Innocentius VIII. 6. Non. Maii, 8. Alexander VI. 15. Kal. Januarii, 6. & Paulus IV. 8. Kal. Novembris, 2. Pontificatuum ſuorum annis editis conſtitutionibus, & literis, adverſus omnes, & quoſcumque S.R.E. & Cameræ Apoſtolicæ feudatarios, vicarios, gubernatores, cenſuarios, emphyteutas, & alios Cameræ Apoſtolicæ debitores, eiſdem Sedi, & Cameræ debitas ſolutiones, certis die, & loco ſtatutis re ipſa non facientes, pactaque, & conventiones in eorum inveſtituris, & aliis conceſſionibus, necnon modos, & formas, aliaque omnia in eiſdem prædeceſſorum literis contenta non adimplentes, ſententias, cenſuras, & pœnas, tam Eccleſiaſticas quàm privationis, & caducitatis feudorum, vicariatuum, guberniorum, locationum, cenſuum, & aliorum bonorum, & jurium per eos à Sede & Camera prædictis quomodolibet obtentorum impoſuerunt.

§. 2. Quarum deinde conſtitutionum, & literarum vigore, ac etiam juxta antiquam, & laudabilem conſuetudinem, ſingulis annis in vigilia, & feſto BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli hactenus in Camera Apoſt. ſervatam coram ejuſdem S.R.E. Camerario, & Cam. prædictæ Præſidentibus, Clericis, & aliis Cameram prædictam facientibus, & repræſentantibus, pro recipiendis cenſibus, & aliis prædictis ibidem congregatis, ejuſdem Cameræ & Fiſci Procurator pro tempore exiſtens, acceptando priùs omnes, & quaſcumque dictarum conceſſionum, & inveſtiturarum caducitates, devolutiones, & privationes, necnon contractuum, & inſtrumentorum reſolutiones, extinctioneſque, & alias pœnas, legales, ſeu conventionales, ac aliter per eos incurſas, eoſdem non ſolventes, ſeu non adimplentes promiſſa, ac in dictis inveſtituris, & conceſſionibus contenta, ſeu aliàs per eos quomodolibet debita, ab eorum feudis, vicariatibus, guberniis, locationibus, adminiſtrationibus, cenſibus, & bonis, ac conceſſionibus, & inveſtituris cecidiſſe, & illis privatos fuiſſe, nec per quamcumque receptionem, in totum, ſeu in partem de eiſdem cenſibus poſtea, tam in eadem Camera, quàm extra eam, & tam per ipſum, quàm alios quoſcumque factam, juribus ejuſdem Cameræ præjudicari, ſed quod ſemper ad bonum computum, ac eoſdem ſic, ut præfertur, non ſolventes, & non adimplentes, moroſos declarari per Cameram prædictam ſingulis annis petiit, & inſtitit, ac moroſos, & contumaces, vel aliàs decerni, & declarari obtinuit.

§. 3. Itaque idem Paulus prædeceſſor proteſtationes, declarationes, ſententias, & decreta prædicta per eaſdem

dem ſuas literas confirmans, & approbans perpetuò ſtatuit, omnes occupatores, & detentores feudorum, & aliorum prædictorum ad illa eidem Cameræ relaxandum, & reſtituendum infra certum terminum, qui jampridem præteriit, quacumque præſcriptione, etiam centum annorum, & forſan ultra non obſtante, obligatos eſſe, cogique poſſe, & debere, & alias prout in conſtitutionibus & literis, necnon proteſtationibus, interpellationibus, declarationibus, ſententiis, & decretis prædictis latiùs continetur.

§.4. Poſtea verò tam Pauli prædeceſſoris quàm prædictarum, & aliarum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionum, & literarum hujuſmodi vigore feudatarii, & alii prædicti ad ejuſdem Cameræ, Fiſcique procuratoris inſtantiam ſolemniter ſingulis annis, in vigilia & feſtivitate prædictis, ut moris eſt, ad legitimè in eadem Camera comparendum, ac dictos cenſus, recognitiones, ſeu reſponſiones, aliaque per eos promiſſa, conventa, & quomodolibet debita cum effectu adimplendum, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis, tam in ejuſdem Pauli quàm dictorum, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum, literis contentis, necnon privationis, & caducitatis feudorum, vicariatuum, guberniorum, locationum, cenſuum, adminiſtrationum bonorum, jurium, & aliorum in eorum conceſſionibus quomodolibet contentorum ſæpè ſæpiuſque citati, & interpellati fuerunt.

§. 5. Qui tamen præmiſſis, ac etiam literis quotannis die cœnæ Domini legi ſolitis, quibus detinentes loca, & bona ejuſdem S. R. E. & illa non reſtituentes, cenſuris quoque, & pœnis Eccleſiaſticis innodantur, minimè attentis, non modo cenſus, & alia per eos, ut præfertur, debita ſolvere, & adimplere ceſſarunt, & ceſſant, ſed etiam loca & bona, ac alia prædicta temerè, atque indebitè, & de facto occupata detinuerunt, & detinent, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, ac etiam privationis, & amiſſionis dictorum feudorum, & aliorum, & aliàs in eiſdem literis contentas damnabiliter incurrendo. Cum autem de mandato noſtro, & ad inſtantiam dilecti filii Rodulphi Bonfioli dictæ Cameræ Commiſſarii, contra omnes, & ſingulos moroſos occupatores, & detentores hujuſmodi, non ſolùm generatim in vigilia, & feſto prædictis proximè præteritis, ſed poſtea nominatim contra multos ex eis in eadem Camera, & coram diverſis illius Præſidentibus, & Clericis legitimè, & cum proteſtatione ad devolutiones caducitateſque, & privationes, necnon ſententiarum, cenſurarum, & pœnarum prædictarum incurſus agi cœptum fuerit, & in dies agatur, & ſicut accepimus nonnulli eorum ad ſe in occupatione, detentione, & intruſione Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, locum, tenutarum, arcium, fortalitiorum, & aliorum bonorum, & jurium hujuſmodi, ſic ut præfertur, ac aliàs ad Sedem, & Cameram prædictas devolutorum confovendum, ſub prætextu quod tam Pauli prædicti quàm aliorum prædeceſſorum conſtitutiones, & literæ prædictæ non fuerint, nec ſint perpetuæ, ſed ad tempus, nec vim legis ſive conſtitutionis perpetuæ habuerint aut habeat, ſed feudatarios, vicarios, & alios prædictos tunc, ſcilicet tempore emanatarum earundem conſtitutionum ac literarum exiſtentes tantummodo comprehenderint, ac quod nunquam in uſu fuerint, ſeu eſſe deſierint, & quod ipſi de illis ſcientiam etiam ex defectu nullitatis & publicationis earundem, ſeu aliàs non habuerint, quodque ad conceſſiones & inveſtituras ex cauſa onerosa, etiam in vim contractus, ſeu aliàs quomodolibet factas, pro quibus certa annua ſolutio parvi pretii, nempe in cera vel alia minima re, non commodum ſeu utilitatẽ, ſed potius recognitionem ſuperioritatis, Sedis, & Cameræ hujuſmodi concernente fiat, ſeu fieri debeat, ſe non extenderint ſeu extendant, & quod in eorum conceſſionibus, ſeu inveſtituris prædictis conventiones & pacta aliqua expreſſa inita fuerint, per quæ cautum fuerit, & ſit quod ob non factam cenſuum, & aliorum prædictorum debito tempore ſolutionem, ſeu ob pacta non ſervata, vel niſi ſub certa qualitate, & niſi infra certum tempus, vel alias niſi in certis caſibus devolutionem ſeu caducitatem vel privationem, & prædictas aliaſque pœnas non incurrãt, vel ſaltem quod eis quamcumque moram ob præmiſſa vel aliàs quomodolibet incurſam, & tunc incurrendam purgare, ac ſeſe ab eiſdem devolutione, caducitate, privatione, vel incurſu, & aliis pœnis à dictis conſtitutionibus & literis, ac jure communi traditis, ex variis, & diverſis per eos allegatis prætextibus licuerit & liceat excuſari, & ſic iſtis, aliiſque ſubterfugiis, & cavillationibus, lites, & cauſas deſuper in eadem Camera, ut præfertur, motas ſeu movendas in longum protrahere, & quotidie nova impedimenta objicere conantur, in maximum Sedis & Cameræ prædictarum præjudicium, ac eorundem animarum periculum.

§.6. Nos cupientes, quantum cum Deo poſſumus, pro munere nobis ex alto commiſſo, Sedis & Cameræ prædictarum indemnitati providere, ac oppoſitionibus & aliis præmiſſis opportunum remedium adhibere, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, certaque ſcientia noſtra, etiam prædeceſſorum noſtrorum prædictorum veſtigiis inhærendo Innocentii, Alexandri, & Pauli, ac omnium aliorum Romanorum Pontificum conſtitutiones ſuper præmiſſis, & illorum occaſione vel cauſa quomodolibet editas, & emanatas, ac ſingulas, & deſuper confectas literas, ac in eis contenta quæcumque, necnon proteſtationes & interpellationes, ſententias, & decreta in vigilia & feſto prædictis, præſertim anno proximè præterito in eadem Camera factas, illarum ſingularum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, & decretis, tenore præſentium perpetuò confirmamus, approbamus, & quatenus opus eſt, innovamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque feudatariis, aliiſque prædictis inviolabiliter obſervari debere volumus, & mandamus.

*Ideo hic Pont. innovat, & cõfirmat prædeceſſorum conſtitutiones, & Fiſci proteſtationes & ſententias, ac decreta prædicta.*

§.7. Declarantes illa omnia perpetuò fuiſſe, eſſe, & fore, vimque, & robur perpetuum legum obtinuiſſe, & obtinere, & ſic omnes, & ſingulos, præteritos, præſentes, & futuros Feudatarios, Vicarios, Gubernatores, Adminiſtratores, & alios cenſuum, recognitionum, ac jurium debitores, etiam antiquos & antiquiſſimos, diu ante vel poſt dictas conſtitutiones, ſeu tempore illarum creatos, ſeu deputatos, ac futuris deinceps temporibus in perpetuum quomodolibet creandos, & deputandos, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel præeminentiæ, Eccleſiaſticæ vel laïcalis fuerint & ſint, etiamſi Cardinalatus honore, ſeu Regia, Ducali, vel alia etiam majori dignitate, & auctoritate præfulſerint, & præfulgeant, ſingulis dictis Innocentii, Alexandri, & Pauli prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus, & literis comprehenſos fuiſſe & eſſe. Illaſque ipſos omnes, & ſingulos affeciſſe, & afficere, & propterea ſingulas literas, clauſulas, & conditiones, ad alia præmiſſa, tanquam talia habenda, & cenſenda eſſe, itemque acceptationes, declarationes, proteſtationes, interpellationes per dictum Fiſci procuratorem, ut præfertur, factas, ac ſententias, & decreta per dictam Cameram ſingulis annis in vigilia, & feſto prædictis, ut præfertur, latas, & factas, ac in futurum ferendas, & faciendas, omnes, & ſingulos Feudatarios, Vicarios, Gubernatores, Cenſuarios, & alios prædictos, tam præteritos quàm præſentes & futuros, in ipſis generaliter & alias ſpecialiter, ac quomodolibet nominatos perinde affeciſſe, & afficere, ac ſi in contradictorio judicio cauſa cognita, & ſervatis de jure ſervandis, & facta, & lata fuiſſent & eſſent, ac tranſgreſſores & moroſos caducitatis, devolutionis, & privationis quorumcumque Feudorum, Vicariatuum, Guberniorum, & aliorum prædictorum eo ipſo, abſque aliqua judicis declaratione incurriſſe, & incurrere, dictoſque Camerarium, & Præſidentes, ac clericos, & alios ad quos ſpectat, ad realem incorporationem Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, locorum, bonorum, jurium, & aliorum prædictorum pro Sede, & Camera prædictis omnibus præmiſſis, necnon omni, & quacumque appellatione, reclamatione, ſeu recurſu penitus remotis, devenire debuiſſe & potuiſſe, ac teneri, & obligatos fuiſſe, & eſſe.

*Et declarat quoſcumque feudatarios, & alios comprehenſos fuiſſe in diſpoſitionibus dictarum conſtitutionũ ejus prædeceſſorum.*

*Et Cam. Apoſtol. ad realem locorum incorporationem potuiſſe devenire.*

§.8. Et nihilominus omne dubium removere volentes, de poteſtate, & ſcientia prædictis ſtatuimus, & ordinamus, ut omnes, & quicumque Feudatarii, Vicarii, Gubernatores, & alii prædicti ſuperiùs, & etiam in eiſ-

*Feudatarios, & alios teneri anno quolibet in Camera Apoſto-*

dem

*lica ubi ea adeſſe contigerit, in vigilia & feſtivitate SS. Petri & Pauli, debita jura Cameræ Apoſtolicæ ſolvere debere.*

dem prædeceſſorum literis comprehenſi, qui, vel quorum auctores, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, etiam quæcumque de gratioſa gratioſa,oneroſa, vel mixta, etiam in vim cujuſcumque contractus, Regna, Ducatus, Civitates, Caſtra, oppida, terras, arces,fortalitia, villas, agros,poſſeſſiones,cultas,& incultas, caſalia, lacus, ſylvas,proprietates,bona,& jura quæcumque,ac cujuſcumque generis, & conditionis fuerint & ſint,in verum,proprium vel improprium feudum Regale,Ducale, vel alias quomodolibet nobile & gentile,ſeu ignobile,antiquum, ſeu novum, vel in vicariatum, gubernium, cenſum vel emphyteuſim ad quamcumque agnationem & nominationem,& in perpetuum vel ad tempus,aut alias quomodocumque & qualitercumque à Sede & Camera prædictis,ſub conventione vel proviſione jurata vel non jurata,ac ſub præſtatione cenſus, canonis, penſionis,regaliũ, & aliarum quarumcumque reſponſionum & recognitionum,cujuſcumque qualitatis, & quantitatis, etiam parvi vel minimi valoris, ſuperioritatem, præeminentiam, recognitionem dominii, commodum pecuniarum, aut aliũ quemcumque effectum, & reſpectum denotantium receperint,& habuerint, ac habent de præſenti, & hujuſmodi cenſus,canones & reſponſiones,per ſeipſos,vel eorum legitimos procuratores, juxta formam dictarum literarum,in vigilia & feſtivitate prædictis ſingulis quibuſvis ſucceſſivis, non autem intermiſſis annis in ipſa Camera, ubicumque eam adeſſe contigerit, & non alibi, nec alio die, quibuſcumque conventionibus in contrarium quomodolibet factis, & uſu receptis, ac conſuetudinibus etiam immemorabilibus quomodolibet introductis, & aliis quibuſcumque conceſſionibus ipſis, vel eorum auctoribus factis non obſtantibus,non ſolverint,& integrè non ſatisfecerint, ac pacta, & conventiones, & ad quæ tam ex forma dictarum conceſſionum, quàm interpellationum,& requiſitionum,alias de jure, uſu,& conſuetudine tenentur,non adimpleverint,& adimpleviſſe ibidem docuerint & oſtenderint, eo ipſo abſque alia monitione, requiſitione,vel quavis alia judicis declaratione deſuper facienda, feudis, vicariatibus,guberniis,& aliis præfatis omnibus,& ſingulis privati,ipſaque feuda,vicariatus,gubernia,& alia ad Sedem, & Cameram prædictas devoluta,utileque dominium cum directo conſolidatum, etiam abſque illorum poſſeſſionis apprehenſione ad jus, proprietatem, dominium, & omnimodam poſſeſſionem ejuſdem Cameræ eo ipſo rediiſſe cenſeantur, & ſint, etiamſi feuda,vicariatus,gubernia,& alia hujuſmodi antiqua, & hæreditaria,formalia vel informalia, ac deſcendentibus, vel collateralibus, aut quibuſcumque aliis hominis vel legis providentia eis jus aliquod ad illa competierit,vel competat, ſeu aliàs acquiſitum foret, & eſſet, ac omni quantumvis lõgo tempore,& quacumque immemorabili præſcriptione,etiam centum annorum & non ultra, non obſt.ſine ſpolii,aut attentatorum,vel alio quocumque vitio illorum poſſeſſionem actualem apprehendi, & ad illorum realem incorporationem pro Sede,& Camera prædictis deveniri poſſit,& ſolutiones aliter, ac alibi, quam die, & loco præfatis deinceps faciendæ; & recipiendæ, nullæ,nulliuſque roboris & momenti ſint,& perinde habeantur, ac ſi factæ, & receptæ non fuiſſent, & quod mora etiam modici temporis non admittatur.

*Solutionesque ſemper intelligi factas ſine præjudicio juriũ Cameræ.*

§. 9. Quodque ſolutiones omnes quæ in eadem plena Camera, in vigilia ſeu feſtivitate prædictis factæ, & receptæ fuerint, & in futurum perpetuis futuris temporibus fient, ac recipientur, ſemper cum clauſula ſine præjudicio jurium ipſius Cameræ receptæ intelligantur, & ſint, etiam quod clauſula iſta in aliquibus ſpecialiter appoſita, in aliis verò omiſſa fuerit.

*Et poſt d. Feſtum recipi non poſſe.*

§. 10. Ac præterea quod ſolutiones, quæ ex aliquo legitimo impedimento in plena Camera; poſt vigiliam ſeu feſtivitatem prædictas oblatæ fuerint, etiam cum eadem clauſula, & citato eodem procuratore Fiſci, ſeu Cameræ Commiſſario, & non aliter, nec alio modo recipi debeant, aliàs eo ipſo nullæ, ac nullius efficaciæ, & effectus habeantur.

*Contentaq; in prædictis bullis obſervari.*

§. 11. Volentes omnia in dictis & aliis prædeceſſorum noſtrorum literis per nos, ut præmittitur, confirmatis, approbatis,& innovatis,contenta,& narrata præſentibus non contraria,perpetuis futuris temporibus à prædictis, & aliis quos præmiſſa, aut eorum aliquid quomodolibet concernunt, ſeu concernere poterunt quomodolibet in futurum omnino ſervari.

*Sic quod aliter judicari debeat.* (partly cut off)

§. 12. Ac decernentes ita per quoſcumque Judices ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,ac S.R.E. Cardinales in quavis cauſa,& inſtantia,ſublata eis quavis aliter judicãdi, & interpretandi facultate,& auctoritate,ubique judicari,& definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ab eiſdem,& quibuſcũque aliis ſciẽter vel ignoranter contigerit attẽtari.

*Quibuſcumque non obſtantibus.* (partly cut off)

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,necnon ſtatutis,& conſuetudinibus etiam immemorabilibus,juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac quacumque præſcriptione etiam immemorabili, contractibus quoque,inveſtituris,conceſſionibus,pactis & conventionibus,necnon privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Vicariis, Feudatariis, Gubernatoribus, & aliis prædictis omnibus per quoſcumque Roman. Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam ſub quibuſvis verborum formis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacibus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quomodocumque ac quotieſcumque conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac concedendis, confirmandis & innovandis, etiamſi in eis caveretur expreſsè, quod vicariatibus,feudis, guberniis,& conceſſionibus, adminiſtrationibus, ac aliis præfatis ob non ſolutionem vel pacta non ſervata, vel alia quacumque de cauſa, ſeu ut niſi infra certum tempus privari non poſſint, quibus omnibus ac ſtylo, uſu, & aliis præmiſſis, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi ad verbum, & forma in illis tradita obſervata insererentur,præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, de ſimili poteſtatis plenitudine ſpecialiter, & expreſsè derogamus, necnon omnibus aliis quæ iidem prædeceſſores noſtri in dictis eorum literis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sine præjudicio cauſarum pendentium.* (partly cut off)

§. 14. Quæ omnia nolumus cuiquam adverſus præmiſſa in aliquo ſuffragari, quoad cauſas tamen tunc in Camera prædicta pendentes nulli per præſentes intendimus præjudicium generari.

*Forma bullam publicandi, & legendi in Camera, …* (partly cut off)

§. 15. Sed ne quiſquam præſentium ignorantiam excuſare poſſit, jubemus illas per unum vel duos curſores valvis Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis,& Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ ac Cameræ prædictæ, & in acie Campi Floræ,ubi publicabuntur,de more appendi,eiſque detractis,ipſarũ exempla etiam impreſſa eis in locis relinqui, & præterea in ipſa Camera,dum die ſtatuto illius Præſidentes,& Miniſtri convenient,alta & intelligibili voce perlegi, & in libris ipſius Cameræ ad perpetuam rei memoriã deſcribi.

*Dies quo bulla ligare incipit.* (partly cut off)

§. 16. Volentes etiam ut illæ præſentes hic in Urbe ſtatim, extra verò eam ubicumque locorum prædictorum mediatè, vel immediatè ſubjectorum ditionis prædictæ poſt decem dies quam in dicta Camera lectæ,& publicatæ fuerint, quemcumque Feudatariorum, Vicariorum, Gubernatorum, Adminiſtratorum, & aliorum cenſuum recognitionum & jurium debitorum prædictorum perinde arctẽt atque afficiant,ac ſi eis ſingulis præſentibus, ac in propriis eorum perſonis, & locis intimatæ fuiſſent.

*Tranſumptorum fides.*

§. 17. Utque ipſarum præſentium exempla etiam impreſſa edantur, quæ Notarii publici manu, & Camerarii prædicti, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignata, eandẽ prorſus fidem ubique locorum in judiciis, & extra illa faciant, quam ipſæmet præſentes facerent, ſi exhiberentur vel oſtenderentur.

*Sanctio pœnalis.*

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, mandati, declarationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatum, decreti, derogationis, & juſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

præſumpſerit

præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S.Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1580. Kal. Junii, Pont. noſtri anno 9.

*Die decima Iunii 1580. præſentes literæ Apoſtolicæ præſentatæ fuerunt in Camera Apoſtolica, & ex decreto in eadem plena Camera facto admiſſæ, & in illius libris regiſtratæ, ſub lib. 4. ſignaturarum diverſorum Pont. penes me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium, & mandatum fuit illas ſervar.*

*Tydeus de Marchis.*

*Anno à Nativ. D. 1580. indict. 8. die verò 9. Iunii, Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N.D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 9. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cameræ & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem copiis impreſſis affixis. Necnon die 10. ejuſdem Reverendiſſimi Domini dictæ Cameræ Clerici præſidentis ad jura reddendum, & cauſas audiendum congregati erant, alta, clara, & intelligibili voce, pluribus perſonis curialibus aſſiſten. & audien. de Verbo ad verbum, & juxta earundem tenorem lectæ, & publicatæ fuerunt per nos Iulium Fontanam, & Petrum Aloyſium Gaytam Curſ. Apoſtolicos.*

*Petrus Guerra Mag. Curſ.*

---

LXIV. Approbatio Congregationis Fratrum & Monialium Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo in Regnis Hiſp. ſub denominatione Diſcalceatorum inſtitutæ, cum declaratione muneris Provincialis eorum Prioris, ac Superioritatis Prioris generalis totius Ordinis, gratiarumque ejuſdem Ordinis communicatione.

*Hanc Congregationem totaliter poſtea ſeparavit omni ſuperioritate Fratrum Mitigatorum Ordinis, Clemens VIII. inf. in ejus conſt.* 25. Paſtoralis. *Altera autem eorundem Diſcalceatorum Congregatio erecta eſt in Italia, cui Sixtus V. quædam indulta, circa celebrationem feſtorum, & recitationem officiorum conceſſit in ſua conſt.* 96. Eximium. *Et eam à Congregatione iſta Hiſpanica ſeparavit Clem. VIII. ut in ejus conſtit.* 71. In Apoſtolicæ. *Eique facultatem erigendi nova Monaſteria de ſola licentia Ordinarii, dedit Paul. V. in conſt.* 10. Ad Eccleſiæ. *Et Seminarium ad propagationem fidei poſtea inſtituit in Vrbe in conſt.* 50. Romani.

Utraque Congregatio profitetur d. Regulam declaratam & firmatam ab Innocentio IV. ſup. in ejus conſtit. 6. *Quæ honorem.* Cæteri autem Carmelitæ obſervant eandem Regulam Mitigatam ab Eugenio IV. & aliis, ut ſup. in ejus conſt. 3. *Romani*, ubi notatum fuit.

Hujus Ordinis Diſcalceatorum fundatrix extitit Thereſia Hiſpana, quam Sanctarum Virginum catalogo adſcripſit Greg. XV. conſt. 20. *Omnipotens*, inf. tom. 4.

*...An. D. 1580.*

*GREGORIVS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...rdium.* PIa conſideratione Romanum decet Pontificem, circa ſtatum Religioſorum ita attendere, ut ipſi Religioſi regulam, quam ab initio profeſſi ſunt, obſervare nitentes, ab omni moleſtia vindicentur.

*...c. IV. confirmavit Regulam mitigatam Ordinis Carmelitarum in conſt. ... in rub.*

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, & dilecti filii Religioſi Diſcalceati nuncupati Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes, quod cum alias fel. record. Innoc. Papa IV. prædeceſſor noſter ſupplicationibus Prioris & fratrum Eremitarum B. Mariæ de Monte Carmelo ea in parte inclinatus, declarationem & correctionem regulæ eorum Ordinis à bonæ mem. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ſibi traditæ, per bonæ etiam mem. Hugonem tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem, & Guillelmum Epiſcopum Anteradenſem de ejuſdem Innocentii Papæ mandato factam, & per eoſdem fratres firmiter obſervandam confirmaſſet.

*Eug. IV. regulam mitigavit in conſt. de qua hic in rub.*

§. 2. Ac poſtmodum piæ mem. Eugen. Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, per eum accepto quod in quibuſdam capitulis d. Regulæ inter alia cavebatur, quod fratres prædicti Ordinis ab eſu carnium ſe abſtinerent, niſi pro infirmitatis vel debilitatis remedio. Eiſdem etiam quod ſingulis diebus Dominicis dumtaxat exceptis, à feſto Exaltationis S. Crucis uſque ad feſtivitatem Reſurrectionis D. N. Jesu Christi jejunare tenerentur. Quodque ſinguli eorum manere deberent in cellis ſuis, die ac noctu in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes præcipiebatur, rigorem hujuſmodi mitigans, ac Regulam ipſam moderans, ſtatuiſſet, ordinaſſet, & conceſſiſſet, quod dicti Ordinis profeſſores, tunc & pro tempore exiſtentes, tribus ſingularum hebdomadarum, etiam quibus, ut præfertur, jejunare, juxta eandem Regulam eſſent adſtricti, præterquam in Adventu & in Quadrageſima, & aliis generalibus prohibitis diebus carnibus veſci, ac horis congruis in eorum Eccleſiis manere, & per clauſtra ac eorum ambitus deambulare liberè & licitè valerent. Decernens eoſdem fratres, & eorum ſingulos circa præmiſſa ad arctiorem obſervantiam, quam ſupra præmittitur, occaſione profeſſionis in dicto Ordine emiſſæ, vel in poſterum emittendæ minimè tenerentur. Et alias prout in eorundem Innocentii & Eugenii literis deſuper confectis plenius continetur.

*Sed poſtea de anno 1565. multi ex iis primitivam regulam Innoc. IV. obſervare cœperunt.*

§. 3. Demum de anno Domini 1565. ſeu alio veriori tempore nonnulli dicti Ordinis profeſſores, divina inſpirante gratia, primum dictæ regulæ inſtitutum imitari cupientes, poſtpoſitis quibuſcumque corporis commodis, dummodo Chriſtum lucrifacerent, cum licentia ſui Prioris generalis tunc in Hiſpaniarum partibus exiſtentis, ibi aliquot fratrum & Monialium Monaſteria, in quibus primitiva regula prædicta cum omni obſervantia & rigore retinerentur, ſub obedientia tamen Provincialis fundare & ædificare cœperunt. Quam quidem regulam & obſervantiam fundatores prædicti, ac etiam qui pro tempore admittebantur ex mitigatis, renuntiando mitigationi & relaxationi dicti Eugenii prædeceſſoris, tranſacto probationis anno, denuo, ac etiam alii de ſæculo venientes profitebantur, & ſucceſſivè benedicente Domino numerus Religioſorum primitivam Regulam hujuſmodi profitentium & obſervantium adeo hoc tempore excrevit, ut de præſenti viginti duæ domus fratrum & monialium hujuſmodi, in quibus ferè treceni fratres, & ducentæ moniales exiſtunt, devotum Altiſſimo famulatum exhibentes in prædictis Regnis Hiſpaniarum reperiantur.

*Immò etiam alia inſtit... [illegible] & Diſcalceati dicti ſunt.*

§. 4. Religioſi autem hujuſmodi ultra contenta in regula prædicta de licentia dicti Generalis, & cujuſdam Vicarii ab eodẽ Generali in Provincia Caſtellæ deputati, ac cum approbatione Viſitatorum Apoſtolicorum, qui fuerunt dictæ Religionis, quædam inſtituta ad carnis mortificationem, & populi ædificationem ab initio ſuæ inſtitutionis obſervare inceperunt, veluti Diſcalceatos incedere, unde Diſcalceatorum nomẽ ſortiti ſunt, indui ſacco, dormire ſuper tabulis, ad ſublevandam ſuam inopiã manibus propriis operari, multum in oratione ſe exercere, atque divinum officium ſine cantu, ſeu modulatione recitare.

*Ipſi tamẽ Diſcalceati, ab aliis profitentibus Regulam, ut ſupra Mitigatam ab Eugenio IV. diverſimodè moleſtabantur, ideo ſupplicarunt pro ſeparatione.*

§. 5. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſis Religioſis Diſcalceatis quamplures moleſtiæ & impedimenta, eorum pium inſtitutum turbantia per fratres mitigatam ab eodem Eugenio prædeceſſore regulã, ut præfertur, profitentes, mitigatos nuncupatos, ſuper præmiſſis illatæ fuerint. Ipſique Diſcalceati Prælatum ordinarium ex ſuis Diſcalceatis, ut par eſſet, non habebant, ſed ad præſens per dilectum filiũ Angelum de Salazar ex fratribus mitigatis Vicariũ generalẽ à Venerabili fratre Philippo Epiſcopo Placentino, in dictis Regnis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Nuntio, donec de idoneo ſuperiore ejuſdem profeſſionis Diſcalceatorum provideatur, deputatum regantur, ac ſummopere cupiant ad eorum quietem & tranquillitatem conſervandam, ac pro Religionis, & ſtrictæ

ſtrictæ eorum obſervantiæ, atque inſtituti progreſſu & augmento, ut de omnibus Monaſteriis, quæ in dictis Regnis nunc ſunt, & pro tempore erunt, vel erigentur, ipſorum Diſcalceatorum, tam virorum quàm mulierum dictam primitivam regulam profitentium, una Provincia fiat ſeparata à provinciis fratrum mitigatorum hujuſmodi, quæ ſubſit immediatè Priori generali dicti Ordinis, & gubernetur per Priorem provincialem, ex ipſiſmet fratribus Diſcalceatis in Capitulo dictæ Provinciæ canonicè eligendum, prout alii Priores Provinciales ejuſdem Ordinis in ſimilibus Capitulis provincialibus eliguntur, & deputantur. Propterea tam dicti Religioſi Diſcalceati, quàm dictus Philippus Rex, qui profectum Religioſorum hujuſmodi maximè exoptat, nobis humiliter ſupplicare fecerunt, ut honeſtis petitionibus hujuſmodi annuere, & aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic igitur Pont. dictos Diſcalceatos in Regnis Hiſpan. ab ipſis Mitigatis ſejungit. Immò Clemēs VIII. ſeparavit omnes Diſcalceatos, ut inf. in ejus conſtit. 15.* pastoralis.

§. 6. Nos igitur æquum, & rationi conſonum ducentes, ut qui arctioris regulæ obſervantiam ſectantur, Superioribus eorum, qui in laxiori degunt, non ſubjaceant, ſed quilibet ejuſdemmet profeſſionis Superiores habeant, & ab illis juxta eorum inſtituta regularia proſperè & feliciter gubernentur, prædictorum fratrum & Monialium Diſcalceatorum tranquillitati & indemnitati, eorumque inſtituti propagationi, & profectui conſulere cupientes, eoſdem fratres & moniales, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper viſitatione Apoſtolica & conſultatione Epiſcoporum, & Regularium Reformatione deputatorum, quibus hoc negotium examinandum mandavimus conſilio, inſtitutum hujuſmodi, quod juxta primitivam regulam prædictam dicti fratres Diſcalceati profitentur, laudantes & approbantes, dictos fratres & moniales primitivam Regulam hujuſmodi in Regnis Hiſpaniarum obſervantes, Diſcalceatos nuncupatos, eorumque domus, Conventus, Monaſteria & loca, nunc & pro tempore exiſtentia, à Provinciis fratrum & monialium ejuſdem Ordinis B. M. de Monte Carmelo per prædictum Eugen. prædeceſſorem mitigatam, nunc & pro tempore obſervantiū mitigatorum nuncupatorum, penitus & omninò in perpetuum Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſejungimus, ſeparamus, & diſmembramus, ipſoſque Diſcalceatos ab omni, & quacumque juriſdictione, viſitatione, correctione, & ſuperioritate Prioribus, Provincialibus, & aliis Prælatis & Superioribus mitigatis in ipſos Diſcalceatos competente perpetuò eximimus & liberamus.

*Monaſteriaque eorum in unam provinciam reducit regendam à Priore provinciali Diſcalceat. ſub obedientia Prioris generalis Ordinis. Immò Clem. VIII. in totum ſeparavit, ut ibid.*

§. 7. Necnon eorundem fratrum & monialium Diſcalceatorum prædictorum domus, monaſteria, & loca quæcumque hactenus erecta & inſtituta, ac in poſterum erigenda & inſtituenda, in unam provinciam, de per ſe Diſcalceatorum nuncupandam, per unum Priorem provincialem in Capitulo dictæ provinciæ ex eiſdem Diſcalceatis, ut præfertur, eligendum regendam, & gubernandam in perpetuum erigimus & inſtituimus. Ac dictam provinciam fratrum & monialium Diſcalceatorum, ſub obedientia & ſuperioritate Prioris generalis totius Ordinis prædicti, ſicut aliæ provinciæ ejuſdem Ordinis ei ſubſunt, & ſubjacent, perpetuò ſubeſſe, atque ſubjectam remanere, & ſubjacere volumus.

*Prioris provincialis Diſcalceat. munus deſcribit. Sed Clem. VIII. ampliavit, ut ibid.*

§. 8. Qui per ſe ipſum tantùm, vel per alium virum idoneum ex ipſis fratribus Diſcalceatis, & juxta eorum primitivam regulam, & inſtituta regularia ab ipſis fratribus Diſcalceatis obſervari ſolita, eos viſitare, reformare, corrigere, & punire poſſit, in monaſteriis tamen, domibus, & locis eorundem fratrum Diſcalceatorum, extra quam nullatenus ipſi fratres Diſcalceati, vel aliquis eorum ab eodem Priore generali, quovis prætextu vel occaſione amoveri, aſſignari, mutari, extrahi, aut transferri, aut ad alias provincias mitti, aut retineri poſſit, niſi aliter in eorum Capitulo Provinciali fuerit ordinatum. Ipſi verò dictæ provinciæ Diſcalceatorum fratres in præmiſſis perpetuò eidem Priori generali parere & obedire, & cùm ipſum ad eorum monaſteria, domos & loca divertere, aut pro viſitatione hujuſmodi, aut aliàs accedere contigerit, cum omni humilitate & reverentia benignè recipere & pertractare, prout decet, teneantur & debeant. Necnon Priori provinciali ejuſdem provinciæ fratrum Diſcalceatorum ipſos fratres & moniales Diſcalceatos, illorumque domos, monaſteria, & loca quæcumque regendi, gubernandi, viſitandi, reformandi, corrigendi, puniendi, & caſtigandi, ad Capitulum provinciale ſuis loco & tempore indicendi, convocandi, congregandi, & celebrandi, & quoſcumque officiales neceſſarios unà cum capitularibus eligendi, ac quæcumque ſtatuta & ordinationes bonum regimen dictæ provinciæ ad Dei ſervitium concernentia in eodem Capitulo concedendi, mutandi, alterandi, & in totum, ſi videbitur, abrogandi, & de novo edendi, dummodo ſacris Canonibus, & decretis ſacri generalis Concilii Tridentini, & conſtitutionibus Apoſtolicis, ac eorum primitivæ regulæ, & inſtituto prædictis non adverſentur. Et abuſus quoſcumque tollendi, & emendandi, Monaſteria item, domos & Conventus, tam virorum quàm mulierum ejuſdem provinciæ, in quibuſcumque locis, cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita, de conſenſu dicti eorum Capituli, & aliàs ſervata forma ejuſdem Concilii, conſtrui & ædificari faciendi, ipſique Priori provinciali, ut poſtquam electus fuerit, officium ſuum exercere, abſque alia confirmatione, quam tamē à priore totius Ordinis Generali mox petere teneatur, plenam & liberam facultatē concedimus, & impartimur.

*Privil. Ordinis commun.* [illegible]

§. 9. Et inſuper omnibus & ſingulis dictæ provinciæ perſonis utriuſque ſexus, nunc & pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, & indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, favoribus, & indultis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus fratres ſeu moniales, vel ſorores dicti Ordinis, de jure vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utūtur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis ejuſdem Concilii, conſtitutionibus Apoſtolicis, ac primitivæ regulæ, & inſtituto prædictis, & præſentibus literis non cōtrariis uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, indulgemus.

*Ad* [illegible]

§. 10. Ne autem inſtituta dictæ provinciæ relaxentur, fratribus & monialibus Diſcalceatis prædictis ſecundum dictam primitivam regulam profeſſis, ne ad ſuum fratrum Mitigatorum, vel alium Ordinem, præterquam Carthuſianorum, ſine apoſtaſiæ nota tranſire poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, perpetuò prohibemus.

*O* [illegible] *fis.*

§. 11. Inhibentes dicto Angelo de Salazar, & Priori generali, ac Provincialibus & Commiſſariis, aliiſque dictorum fratrum Mitigatorum Prælatis, Miniſtris & Officialibus, ne eoſdem fratres Diſcalceatos, ſeu moniales, & ſorores hujuſmodi ſuper præmiſſis quoquo modo moleſtare, perturbare, vexare, ſeu inquietare audeant, vel præſumant. Quod ſi ſecus fecerint, eos, & eorum ſingulos excommunicationis ſententia innodamus. Dicti verò fratres Diſcalceati nullo modo parere aut deferre teneantur. Salva tamen in reliquis obedientia dicti Prioris generalis totius Ordinis, cui eos perpetuo ſubjectos eſſe, & ſubjacere volumus, ut præfertur.

*D* [illegible] *Sedem* [illegible] *Protector.*

§. 12. Liceatque tam Priori provinciali dictæ provinciæ fratrum Diſcalceatorum, quàm aliis ejuſdem provinciæ fratribus, de licentia tamen ipſius Prioris provincialis, ad Sedem Apoſtolicam, & totius Ordinis Protectorem liberum habere recurſum.

*Facult. Mitig.* [illegible]

§. 13. Et ſi alicui, vel aliquibus ex dictis fratribus Mitigatis ſit conceſſa facultas viſitandi, aut gubernandi, ſeu puniendi dictos fratres, ſive moniales Diſcalceatos, etiam à nobis, aut noſtro & dictæ Sedis in partibus illis commoranti Nuntio, aut quocumque alio, facultatem hujuſmodi ex nunc caſſamus, revocamus, & annullamus.

§. 14. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo quod omnes intereſſe habentes forſan vocati non fuerint, notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam ab eadem Sede emanatis, & in poſterum emanandis

dis comprehendi poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri debere.

*…m ir-* §. 15. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari ac definiri debere. Necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*…atio, & …ant.* §. 16. Quocirca Venerabilibus fratribus Toletano & Hiſpalenſi Archiepiſcopis, & Epiſcopo Palentino, ac dilecto filio cauſarum Cur. Cam. Apoſt. generali Auditori, necnon univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, aut quoties pro parte fratrum Diſcalceatorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos præmiſſis omnibus & ſingulis, juxta præſentium continentiam & tenorem, pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per Priorem generalem, alioſque prædictos quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, & præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*…ſula de- …ea.* §. 17. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdē Mitigatis, vel quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides tranſumptorum.* §. 18. Cæterum quia difficile foret earundem præſentium literarum notitiam ad quaſcumque perſonas pervenire, & ubique illas præſentare, eadem auctoritate volumus & decernimus, quod tranſumptis earundem præſentium literarum, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis eadem fides ubique, tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An 9. die 22. Junii.* Dat. Romæ apud S. Petr. ſub annulo Piſcatoris, die 22. Junii 1580. Pont. noſtri anno 9.

---

LXV. Innovatio Conſtitutionum à Prædeceſſoribus editarum, contra homicidas, & alios capitaliter bannitos. Et majorum pœnarum inflictio in eorum receptatores, & auxiliantes, Communitateſque eos non perſequentes & capientes.



*Aliam contra eoſdem receptatores, & Communitates, & cæteros ſeveriorem edidit Conſt. 6. Sixtus V. Hic noſtri, ubi alia de materia indicabit.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. Do 1580.*

*Cauſa hujus conſtit.* TAnta, tamque horrenda quotidie ſuccreſcunt ſanguinariorum, & ſceleratorum hominum maleficia, ut nos, qui ſubditos noſtros charitatis potius vinculo, quam ſeveritate pœnarum in officio contineri ſemper optavimus, tandem neceſſe ſit ad ipſos procul à ſocietate humana ſubmovendos nova remedia adhibere, ac ſimul cogitare quomodo illos confovendi facultas tolli ab iis poſſit, ſine quorum auxilio impuriſſimi illi pleraque omnia delicta neque perficere, neque pœnas effugere poſſent.

*Innovatio Bullarū editarum contra Bannitos.* §. 1. Quæ fel. record. Pius Secundus, Paulus item Secundus, Sixtus Quartus, Julius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Pius Quartus, Pius Quintus, & diverſi alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ſuo quiſque tempore, prout neceſſitas tulit, bene & providenter reſpicientes, Conſtitutiones ſuas in exitiale hoc genus, pro temporis & criminum ratione ediderunt, quas nos cum ſuis cenſuris, & pœnis omnibus, ac ſi ad verbum inſererentur præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, ex certa ſcientia noſtra innovantes, ita ut illæ omnes præſentibus, & viciſſim præſentes illis univerſis & ſingulis ad omnes etiam omnium caſus & partes ſubſidio ſint.

*Subditi Papæ, aut in ejus Statu bona poſſidentes, Bannitos, vel extra in locis ſuis receptantes.* §. 2. Hoc edicto perpetuo de fratrum noſtrorum conſilio ſtatuimus, ut quicumque etiam Eccleſiaſtica, & quacumque dignitate præditus, ſive Dux, aut Comes, Marchio, Vicarius, Feudatarius, Gubernator, ſive alius cujuſvis conditionis, & ordinis, hujus ſtatus & ditionis noſtræ temporalis S.R.E. in eiſdem temporalibus mediatè vel immediatè ſubjectus, etiam dominia, juriſdictiones & loca extra ſtatum prædictum obtinens, ac etiam quæcumque extraneus bona in eodem ſtatu habens, homicidas, latrones, graſſatores, & alios quocumque crimine capitali bannitos, vel diffamatos, in ſuis quiſque dominiis, locis, ſeu domibus, tam in ipſo ſtatu, quam extra eum conſiſtentibus receptaverit, ſeu quod in hujuſmodi locis receptentur permiſerit quoquo modo.

*Faventeſque.* §. 3. Ac etiam quicumque, ne ii capiantur impediverit, captoſque eripuerit, vel occultaverit, poteſtatemve evadendi fecerit, nactuſve fuerit, ſive ad hoc homines, arma aliave miniſtraverit, ſeu alias auxilium, conſilium vel favorem, palam vel in occulto, aut quocumque modo præſtiterit.

*Juſtitiæque miniſtros in eis perquirendis impedientes.* §. 4. Præterea quicumque Judices, miniſtros, vel executores juſtitiæ, in perquiſitione, captura, ſeu abductione, ac omnino in libera eorum officii executione impediverit, verberaverit, inſecutus fuerit, concuſſerit, perterrefecerit, arma conclamaverit, alioſve concitaverit, ſeu mandaverit.

*Excommunicantur. Hanc excommunic. abſtulit Sixt. V. rub. cit.* §. 5. Cum præſentium auctoritate excommunicationis majoris ſententia innodamus, à qua ſolus Romanus Pontifex abſolvere poſſit, niſi in mortis articulo, & ſatisfactione debita præcedente.

*Criminiſque læſæ majeſtatis rei ſunt.* §. 6. Ac præterea ipſum læſæ majeſtatis reum, & S. R. E. rebellem pronuntiamus.

*Bonis omnibus privantur.* §. 7. Necnon Ducatu, Comitatu, Marchionatu, terris, oppidis, caſtris, dominiis, vicariatibus, guberniis, feudis, & aliis, quæ à Romana, & quibuſcumque aliis Eccleſiis obtinet, ac obtinebit in futurum, cæteriſque omnibus bonis, immobilibus, mobilibus, & ſe moventibus, rebus & juribus ſuis, necnon omni & quacumque etiam Eccleſiaſtica dignitate, gratia, exemptione, reali & perſonali, honore, privilegio, & beneficio, Eccleſiaſtico, & temporali privamus eo ipſo.

*Ad dignitates cum filiis inhabilitantur.* §. 8. Ac ipſum & ejus filios indignos decernimus ad illa, & alia in poſterum obtinenda, & ad quoſcumque actus legitimos exercendos, quibus etiam portæ nunquam pateant ullius dignitatis Eccleſiaſticæ, vel mundanæ.

*Vaſſalli liberentur.*

§.9. Sintque vaſſalli, cuſtodes, & populi à fidelitatis juramento, & quocumque alio jure abſoluti.

*Et ædificia deſtruantur, vel Cameræ applicentur. Dominia Cameræ prædictæ acquirantur.*

§.10. Omnia ejus ædificia dirijiciantur, aut aliis Cameræ Apoſtolicæ juribus adſcribantur.

§.11. Ducatus verò ac dominia, vicariatus, gubernia, feuda, cæteraque bona & jura prædicta, eorumque fructus, & emolumenta, aliis Fiſci noſtri juribus perpetuò applicamus. Et ita Cam. Apoſt. eo ipſo abſque declaratione ſuper incurſu pœnæ privationis hujuſmodi, aut citatione ejus, vel eorum, qui pœnam hujuſmodi incurrerint facienda, aut judicis ſententia, vel decreto, vel alia juris & facti ſolemnitate habenda, perpetuò applicata, appropriata, & incorporata, & ad noſtram, Romanique Pontificis pro tempore exiſtentis liberam diſpoſitionem pertinere volumus, ac ſi per lapſum temporis conceſſionis eorum, aut finitam lineam ad ipſam revertiſſent.

*Privilegia in recipiendis bannitis revocantur.*

§.12. Nec quiſquam exemptionis, vel vetuſti privilegii, de recipiendis, & non conſignandis hujuſmodi facinoroſis, & bannitis, aut alio quocumque prætextu juvari poſſit.

*Bona cõfiſcata ſub Conſt. 35. Pii V. non comprehendantur.*

§.13. Declarantes, Ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, aliaque prædicta, ſub conſtitutione dicti Pii V. prædeceſſoris ſuper hujuſmodi dominiis, & juriſdictionibus in feudum, aut alias non concedendis edita, minimè comprehendi.

*Communitates non capientes bannitos eiſdem pœnis ligantur.*

§.14. Communitates, necnon univerſitates omnium Civitatum, terrarum, & locorum ſtatus prædicti, cum primum de acceſſu, ſtatione, vel tranſitu bannitorum, & aliorum prædictorum notitiam habuerint, ſi ſtatim populos ſuos armatos pulſu campanarum, & aliis ſignis non convocaverint, illoſque non ceperint, & tutè cuſtodierint, vel ſi illos capere non potuerint, finitimas quaſque Communitates, & univerſitates, aut dominos non commonefecerint, vel ipſi, aut eorum aliqui illos receptaverint, vel toleraverint, vel cibis, commeatu, auxilio, conſilio, vel favore, aut quocumque alio modo etiam ut evadant, per ſe vel alios juverint, cenſuris & pœnis omnibus ſupradictis ſupponimus, eorumque etiam res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta Fiſco prædicto, modo & forma præmiſſis applicamus eo ipſo.

*Executorum deputatio, & facultates.*

§.15. Et nihilominus dilecto filio Camerario noſtro, cæteriſque omnibus ſingularum literarum prædictarum, executoribus, & præterea Gubernatori Urbis, ac cauſarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut quiſque pro ſe ad omnimodam illarum, & præſentium noſtrarum, ac cenſurarum & pœnarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, faciant illas omnes, & in eis contenta quæcumque ſemper & ubique per omnia loca prædicta, & ab omnibus ſub illis comprehenſis, juxta ſingularum literarum earundem continentiam & tenorem, inviolabiliter obſervari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 16. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus quæ ſingulis literis prædictis conceſſum eſt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma & effectus public.*

§. 17. Ut autem præſentes literæ omnibus ampliùs innoteſcant, & ne quiſquam illarum ignorationem excuſare poſſit, jubemus illas valvis Eccleſiæ S. Joan. Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac acie Campi Floræ, de more appendi, eiſque detractis, ipſarum exempla etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui: factaque hujuſmodi publicatione, volumus ipſas præſentes hic in Urbe publicatas die ſequenti, extra verò eam poſt decem dies, quoſcumque perinde arctare, atque afficere, & contrafacientes pœnas, & alia ſupradicta omnino incurrere, ac ſi eis ſingulis præſentibus in propriis eorum perſonis & locis intimatæ fuiſſent.

*Exemplorum fides.*

§. 18. Inſuper earundem præſentium exempla etiam impreſſa, Notarii publici manu, & Camerarii prædicti, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticæ conſtitutæ ſigillo obſignata, eandem prorſus fidem ubique locorum in judiciis, & extra illa facere, quæ ipſæmet præſentes facerent, ſi exhiberentur, vel oſtenderentur.

Nulli ergo omnino, &c.

*Dat. die An.6. ante 9. Julii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1580. 5. idus Julii, Pont. noſtri anno 9.

Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſc. ſubſcr. *Papa ſu*

*Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

*Cardinales ſubſcripſ*

Joan. Card. Moronus Epiſcopus Oſtien.
Ego Jac. Card. Sabell. Epiſc. Tuſc.
Ego Joan. Antonius Card. S. Gregorii Epiſc. Præneſtin.
Ego Aloyſius Card. Cornelius.
M. S. Card. de Altaëmps.
A. Card. Geſualdus.
Ego In. Card. de Aragon.
Ego Ptol. Cardinalis Comenſis.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Zachar. Card. Delphinus.
Joan. Fr. Card. Commendonus.
A. Card. Sfortia.
Flav. Card. Urſinus.
Gul. Sirr. Card.
Fr. Michaël B. Card. Alex.
Lud. Card. Madrucius.
Marcus Ant. Card. Maffæus.
N. Cardinalis de Pelleve.
Julius Ant. Sanctorius Card. Sanctæ Severinæ.
C. Card. Ramboüilletus.
F. Felix Card. de Montealto.
F. Vincentius Card. Juſtinianus.
Hieron. Card. Ruſticucius.
Joan. Hieron. Card. Albanus.
Ego Ph. Boncompagnus Card. S. Sixti.
Petrus Card. de Deza.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Ego Ant. Card. Carafa.
Ego Phil. Card. Vaſtavillanus.

*Publicatio*

*Anno à Nativitate D. 1580. indict. 8. die verò 17. menſis Iulii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno 9. retroſcripta litera Apoſt. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Joan. Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſt. de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earum exemplis impreſſis per nos Petrum Aloyſium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum Curſ. Apoſt.*

*Iulius Fontana Mag. Curſ.*

---

## Annullatio diſpoſitionum beneficialium, quæ contra Canonicas Sanctiones, Statuta, vel Apoſt. Privilegia fiunt perſonis prohibitis propter genus, aut hæreſim, & à fide apoſtaſiam. Cum declaratione, quod ad novam Rom. Pont. diſpoſitionem pertineant. LXVI

*Similem Conſt. num. 29. edidit Pius V. ut ſup.* Cùm ex Apoſt.

De aliis pœnis Hæreticorum vide ſuprà in Pauli IV. Conſt. 10. *Cum ex*, & cum ibi notatis.

*GREGORIUS EPISCOPUS,* *Edita A. 1580.*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa c. conſt.*

IN Eccleſiis, præſertim inſignibus, hoc magnopere curandum eſt, ut Sacerdotes & perſonæ ſalubribus etiam inſtitutis convenienter ordinentur, quod quantum in nobis enitimur, atque eos ab illis repellendos in primis cõtendimus, qui propter genus, aut hæreſim, & à fide apoſtaſiam, ſive proprio, ſive ſtirpis, ſive cognatorum vitio contaminari, per canonicas ſanctiones, aut ſtatuta ab hac Sede firmata, aut Apoſt. privilegia, prædictis Eccleſiis prohibentur. Sed nobis negotiorum magnitudine diſtentis, hujus generis nonnulli ad illarum Sacerdotia frequẽter obrepunt, inter quos quidem exiſtimationis ſuæ prodigi, etſi ſe ab illis expulſum iri ſciant, ſpe tamen inconcuſſa præſumunt, ſe inde vel permutatione, vel aliquo pacto beneficium, penſionem, aut quid aliud exacturos.

*Annullatio diſpoſit. benefic. pro per. hic enun. tis.*

§. 1. Nos malum hoc, quo d. Eccleſiæ ſæpiùs divexantur, penitus evellere volentes, præſentium auctoritate decernimus, omnes & quaſcumque Apoſt. necnon Legatorum d. Sedis, & aliorum omniũ ab ea facultatẽ diſponendi habentiũ, ac etiã ordinarias diſpoſitiones dignitatũ, præbendarum, beneficiorum, & officiorũ ejuſmodi Eccleſiarũ in quaſcum

quaſcumque perſonas ſic infectas,& per hujuſmodi ſanctiones,ſeu ſtatuta vel privilegia,ut præfertur inhabiles, vires & effectum non habere,perſonaſque hujuſmodi illarum prorſus uſu & commodo carere,beneficiaque ipſa ut priùs vacare, & quæ in illis tempore diſpoſitionis Apoſtolicæ prædictis perſonis, illi reſervata fuerint vel affecta, ſub eadem reſervatione vel affectione manere.

*...rvatio ...iarum ...colla- ...,& mo- ...impe- ...i.*

§.2.Et tam illa, quàm etiam omnia alia non reſervata neque affecta,de quibus ab ipſa Sede, ac Legatis & aliis facultatem haben.prædictis,in hujuſmodi perſonas quomodocumque diſpoſitum fuerit,ad novam Pont.diſpoſitionem dumtaxat pertinere,eaque ab aliis idoneis ab ipſa Sede dumtaxat liberè impetrari poſſe. Impetrationes tamen,ac etiam Motu proprio conceſſiones,niſi modus vacationis,necnon caſus ac decretum hujuſmodi,non conditionaliter,aut per æquipollēs,ſed definitè, nominatim, ac diſpoſitivè in illis exprimantur, omnino non valere. Ab Ordinariis verò ceſſantibus reſervationibus vel affectionibus Apoſt.pro tempore collata, devolutioni, juxta Lateran. ſtatuta Conc. ſubjacere, necnon irritum & inane quicquid ſecus per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Reſervationibus Apoſt. fructuum, penſionum, & aliarum rerum hujuſmodi beneficiorum in perſonas idoneas, etiam de hujuſmodi contaminatorum conſenſu factis, eiſdemque ab illis interim præſtitis vel ſolutis,nihilominus valituris. Nemo autem ignorationem prætexens valeat excuſari, cum prædictæ prohibitiones ſatis manifeſtæ ſint, & quiſque ante petitionem vel acceptationem beneficiorum hujuſmodi,num illorum capax ſit,debeat ſe probare. Nulli ergo, &c.

*...An. 9. ...Nov.* Dat. Rom. apud S.Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1580. idibus Novemb. Pont. noſtri anno 9.

---

## XVII. Juriſdictio Ordinariorum, in puniendis vicariis, familiaribus,colonis,& Miniſtris fratrum Militum hoſpitalis S Joan Hieroſolymitani,juxta diſpoſitionem Conc. Trid. ſeſſ.24. cap.11.

*Hæc juriſdictio à Pont. ſucceſſoribus ſemper præſervata fuit, ut videre eſt inf. in conſt. 5. Gregor. XIV.* Quanta, *& aliis conſt. ibi indicatis. Cætera de hac Militia notavi ſup. in conſt. 2. Anaſt. IV.* Chriſtianæ.

*...An. D. 1580.* *GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad futuram rei memoriam.*

Circumſpecta in omnibus actibus ſuis Rom. Pont. providentia interdum ea quæ certis etiam rationabilibus tunc ſuadentibus cauſis à Sede Apoſt.emanata reperiuntur,alia ſuperveniente ratione, qua præſertim populorum offenſioni occurritur, & Epiſcoporum juriſdictioni ritè conſulitur, reducere, ac ſuam declarationem interponere conſuevit, & aliàs deſuper diſponit, prout temporum, rerum, & perſonarum qualitate penſata,perſpicit in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque compertum ſit,quamplurimos clericos ſæculares,necnon laïcos gratiis & privilegiis,quibus Sedes Apoſt. dilectos filios Magiſtrum, Conventum, & Milites hoſpitalis S.Joan. Hieroſolym.de Repub. Chriſtiana optimè ſemper meritos,ac eorum Eccleſias & loca liberaliter proſecuta eſt, abutentes, unde ſibi religioſius vivendi legem imponere deberent,inde laxioris vitæ occaſionem arripere,dum varios,ſæpè etiam vanos exēptionis,libertatiſque titulos prætexunt, alii quidē quod pro Vicariis,Capellanis,miniſtris, & inſervientibus Eccleſiis d.hoſpitalis quomodolibet adſcripti ſint,alii verò quod coloni,procuratores & familiares ipſorum Militum exiſtant,quāvis in propriis domibus licenter degant,nihilominus ex prædictorum Militum privilegiis, illorumque confirmatione etiā poſt Conc.Trid.à fel.rec.Pio Papa V. prædeceſſore noſtro obtenta, prætendant ſe ab omni juriſdictione Ordinariorum exemptos eſſe,nec ab illis inquiri,viſitari, puniri, aut corrigi poſſe, eoque ipſo delictorū ſuorum ſibi immunitate promiſſa,gravē in populo offenſionem præbere, & in Epiſcoporum juriſdictione perturbationem in dies majorem excitare dignoſcantur.

*Reductio privilegiorū, & exemptionum Militiæ ad terminos Cōc. Trident. ut in rub.*

§.2. Idcirco nos huic malo, quod à prædicto Concilio multò ante præviſum fuerat,ſalubriter providere volentes, Motu proprio,nō ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam,ſed ex mera noſtra voluntate ac deliberatione,& certa ſcientia,deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula privilegia, exemptiones, gratias & indulta Magiſtro,Conventui,Militibus, & militiæ d.hoſpitalis per quoſcumque Rom.Pont.prædeceſſores noſtros,& Sedem prædictam in genere,vel in ſpecie quomodolibet conceſſa & confirmata, necnon d. Pii V. literas ſuper eorundem confirmatione emanatas ſub dat. Romæ apud S.Petr. ſub annulo Piſc. die 29. Nov.1568. Pont.ſui anno 3.ad prædicti Concilii decretorum terminos tenore præſentium reducimus,ac reducta eſſe, nihilque ex ipſis privilegiis,exēptionibus, gratiis & indultis, Ordinariis locorum detractum eſſe,quominus ipſorū Militum Vicarii,Capellani,Miniſtri,ſerviētes,adſcripti,coloni,procuratores,& familiares Militum hujuſmodi,quibus ea jam conceſſa ſunt,& in poſterū concedi cōtigerit ab ipſis Ordinariis tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, de eorum exceſſibus,criminibus,& delictis,etiā extra viſitationē, quando & quoties opus fuerit,inquiri,viſitari, puniri,& corrigi poſſint, ipſorumque Ordinariorum juriſdictioni plenè in prædictis ſubjecti exiſtant, (exceptis tamen iis,qui Eccleſiis,aliiſque locis dd.Militū actu ſerviunt, & intra eorum ſepta & domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt,quæ omnia debere ſimul concurrere intelligantur,ſive iis, qui legitimè & ſecundum regulam prædictæ Religionis profeſſionē fecerint, de qua loci Ordinario cōſtare debeat.)Et ita in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcūque Judices, ordinarios & delegatos,quavis auctoritate fungentes,etiā cauſarū Palatii Apoſt. Audit.ac S.R.E.Card. ſublata eis & eorū cuilibet quavis aliter judicādi & interpretādi facultate & auctoritate,in quavis cauſa,& iuſtātia judicari,& definiri debere.

*Clauſula præſervativa.*

§.3.Præſenteſque literas de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari vel impugnari non poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces eſſe, nec per Magiſtrum, Conventum, & Milites prædictos,quorumcumque privilegiorum,ſtatutorum, conſuetudinis & ſtyli prætextu ullatenus infringi, vel contra illas, & in eis contenta veniri non poſſe, neque debere; irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus & declaramus.

*Clauſula derogatoria.*

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac d.hoſpitalis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus,& naturis,necnon declarationibus, ſententiis, juramentis, concordiis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſt. Magiſtro & Conventui, ac Militibus prædictis,& eorum Vicariis, Capellanis, colonis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuſlibet, ipſorum Militum intuitu vel contemplatione, per quoſcumque Rom. Pont. & Sedem prædictam quomodolibet conceſſis,confirmatis,& innovatis. Quibus omnibus & ſingulis,etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa,& individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes,ad effectum præſentium dumtaxat ſpecialiter & expreſsè, motu ſimili derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Confirmatio d.conſt. Pii V.*

§.5.Eiſdem Pii Papæ V. literis memoratis, quoad alia, & in eo maximè quod voluit prædictorum militum privilegia,illorumque confirmationem non comprehendere neque Eccleſias neque perſonas, in his quæ ad curam animarum pertinent, ſed in his dicti Conc. Trid. decreta omnino ſervari debere, in ſuo robore permanentibus.

*Fides tranſumptorum.*

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides, tam in judicio quàm extra



Pp 2 adhibea

adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. An. 9. die 25. Nov.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Novemb. 1580. Pont. noſtri anno 9.

---

## LXVIII. Medici Hebræi, vel infideles, ad curandos Chriſtianos infirmos non admittantur. Et Medici omnes ſervent conſtit. Pii V. in monendis infirmis ad confeſſionem peccatorum.

*Hoc idem quoad Medicos Hebræos ſtatuit Paul. IV. ſupr. in ejus conſt. 3.* Cum nimis, *ubi alia de Hebr. adnotavi.*

*Edita A. D. 1581.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Paul. IV. prohibuit Medicos Judæos curare poſſe Chriſtianos. Pius V. approbavit.*

ALias piæ mem. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter, edita perpetua conſtitutione inter alia ſancivit, ne Medici Judæi etiam vocati, & rogati ad Chriſtianorum ægrotantium curam accedere, aut illi intereſſe poſſent.

§. 1. Quam conſtit. poſtea Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter per ſuas literas approbavit, innovavit, & confirmavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decrevit, ac voluit; & ſub interminatione divini judicii præcepit, & mandavit, omnia in eadem conſtit. contenta in poſterum firmiter obſervari, non ſolùm in terris, & dominiis S.R.E. ſubjectis, ſed etiam ubique locorum.

*Innoc. III. & Pius V. ſup. in conſt. 3 juſſerunt Medicos non poſſe ad infirmos non confeſſos accedere.*

§. 2. Quia tamen nobis non ſine magna animi noſtri moleſtia innotuit, ea minimè obſervari, ſed multos adhuc ex Chriſtianis hominibus eſſe, qui dum ſuos corporum languores illicitis mediis, & præcipuæ Judæorum ac aliorum infidelium opera ſanari cupiunt, veræ ſalutis animarum ſuarum, & corporum ſimul immemores fiũt, & quod valde dolendum eſt, in damnationis æternæ maximum ſæpè diſcrimen incidunt, Medicis Judæis, & infidelibus hujuſmodi ad ipſorum curationem vocatis, & adhibitis: unde fit, ut & Judæis, ac aliis infidelibus magna detur delinquendi occaſio, & ſimul ſalutare præceptum negligatur, ab Innoc. Papa III. ſimiliter prædeceſſore noſtro in Conc. generali quondam emiſſum, & deinde à prædicto Pio V. innovatum, quod omnes Medici cum ad infirmos in lecto jacentes vocati eſſent, ipſos ante omnia monerent, ut idoneo confeſſori omnia peccata ſua juxta ritum S.R.E. confiterentur, neque tertio die ulterius viſitarent niſi longius tempus infirmo confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientia onerabatur, conceſſiſſet, & eis per fidem confeſſoris in ſcriptis factam conſtaret, quod infirmi peccata ſua confeſſi fuiſſent.

*Pont. iſte approbat, & innovat dictas conſt. Pauli IV. & Pii V.*

§. 3. Idcirco nos tam Judæos, qui adverſus mandata hujuſmodi Apoſt. committere audeant, quàm Chriſtianos qui illos ad ſe accerſunt, vel medendi licentiam concedunt, & viam ad delinquendum eiſdem aperiunt, coërcere volentes, ſupradictas prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac inviolabiliter obſervari mandamus, atque hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione, eiſdem conſtitutionibus, & præceptis, pro firmiori illorum obſervatione addentes, univerſis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus diſtrictè inhibemus, & interdicimus, ne poſthac Judæos, vel alios infideles ad ipſorum Chriſtianorum ægrotantium, & infirmorum curam vocent ſeu admittant, aut vocari, admittive faciant, concedant, vel permittant.

*Publicetur hæc conſt. ſingulis annis initio Quadrageſ.*

§. 4. Mandantes propterea omnibus & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, necnon dilectis filiis aliis locorum Ordinariis, & quibuſvis Parochis, aliiſve animarum curam habentibus & exercen. ſub indignationis noſtræ, ac aliis arbitrio noſtro infligendis pœnis, ut præſentes noſtras literas in ſuis Eccleſiis, quæ in illis civitatibus vel diœceſibus conſtitutę ſunt, in quibus Hebræi, vel alii infideles moram trahunt, quamprimum ad eos perlatæ fuerint, & deinde ſingulis annis initio quadrageſimalis jejunii publicent, aut publicari faciant.

*Pœna contravenientium.*

§. 5. Et quod ſi quis poſt earum publicationem etiam quomodolibet exemptus, ac cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtens adverſus illa facere auſus fuerit, Sacramenta ei Eccleſiaſt. nullatenus miniſtrentur, nec etiam à regularibus exemptis, & ſic decedens, Eccleſiaſtica careat ſepultura, quæ quidem omnia parochi ægrotantibus ſignificare apto tempore non omittant, præſertim cum Judæum, vel infidelem medicum ab eis admiſſum eſſe cognoverint, & alias ipſi locorum Ordinarii contra hujus mandati tranſgreſſores debita animadverſione procedant, Judæoſque ipſos nihilominus juxta Pauli & Pii Pont. prædictorum literas contra illos editas pro earum tranſgreſſione puniant.

*Clauſ.*

§. 6. Non obſtant. conſtit. & ordinat. Apoſt. ac omnibus illis, quæ idem Paulus & Pius in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. quibuſvis perſonis etiam regularibus, privilegiatis & exemptis, eorumvę Ordinibus & congregationibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea nuncupata, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque. Seu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides tranſumptis.*

§. 7. Et quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus & declaramus, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubicumque adhibeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 9. die 30. Martii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Martii 1581. Pont. noſtri anno 9.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. 1581. indict. 9. die verò 5. menſis Aprilis, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno 9. retroſcripta literæ Apoſt. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Cancell. Apoſt. & in acie Campi Flora, per me Petrum Aloyſium Gaytam, ejuſdem S. D. N. Papa Curſ.*

*Petrus Stoch Mag. Curſ.*

---

## LXIX. De auctoritate Archiconfraternitatis B. Mariæ Virginis Confalonis de Urbe, quoſcumque Chriſti fideles S. R. E. ditioni ſubjectos, piorum eleemoſynis perquiſitis, ab infidelium captivitate liberandi. Duoſque carceratos, in feſto ejuſdem B. Mariæ, & in ejus honorem, anno quolibet liberandi.

*Alia de hac ſodalitate, dixi ſupra ad hujus Pont. conſt. 38.* Paſtoris.

*Edita A. D. 1581. & 1582.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Chriſtianorum apud infideles Captivorum mala Pont. deplorat.*

CHriſtianæ nobiſcum Religionis conſortes gravi captivitatis & ſervitutis jugo à Chriſtiani nominis hoſtibus oppreſſos, duriſque operibus quotidie vexatos immenſa S. Matris Eccleſiæ clementia piè miſeratur, eorumque afflictiones, fuſis ad miſericordiarum Patrem & totius conſolationis Deum devotis precibus adjuvare, atque in aliorum Chriſtianorum memoriam, in myſticis maximè, & ad purificandas fideliũ mentes ſanctius inſtitutis diebus, revocare non intermittit. Quod clemens piæ matris officium nos quoque admonet, ut miſerorum Captivorum ærumnis ſuccurramus, fratrumque charitatem ad idem, quantum in nobis eſt, excitemus, ne langueſcente paulatim extremis malis cõflictatæ carnis infirmitate,

&

& hoſte diabolo, ſe infirmis & verbi Dei prædicatione, ſacrificiorum & ſacramentorum ſolatio deſtitutis eorum mentibus inſinuante, deſperationi ſuccumbentes, ad ſuſceptæ in baptiſmo fidei deſertionem inducantur, tandemque cum nulla, ſi quam habebant, ſubſidii ſpes appareat, ad æternam redemptarum pretioſo Domini noſtri Jesu Christi ſanguine animarum perditionem miſerè perducantur.

*...orum ...demptionis qui ſunt ...in Eccleſia.*

§.1. Quare ne hujuſmodi, quæ toto animo horreſcimus, accidant, neve in qua re ſacris rebus, & pretioſis vaſis non parcitur, in qua à Deo acriter interrogamur, cur tot captivi in captivitatem ducti ſunt, nec redempti, negligentes diutius fuiſſe, aut quicquam pretioſius, quam animas ipſas habuiſſe arguamur, quando noſtra & Sedis Apoſtol. auctoritate redimendorum Captivorum opus in alia jamdiu loca eſt diffuſum, illud quoque in alma Urbe noſtra conſtituere decrevimus, ad quod etiam ingemiſcentium captivorum matrum, aliorumque propinquorum lamentis & lacrymis quotidie urgemur, eorum maximè qui noſtræ & dictæ Sedis temporali ditioni ſubjecti, ut ipſi tutelam primum, & in mari noſtro Tyrrheno & Adriatico ſecuritatem ſic poſt vincula, liberationem quoque à nobis jure ſuo expoſcere videntur. Quibus omnibus valde ad hoc opus ſollicitati, cum adjumenta nobis ad illud requireremus, in dilectos filios Cuſtodes & Cõfratres Archiconfraternitatis Glorioſiſſ. Virginis Mariæ Confalonis nuncupatæ de dicta Urbe, quos huic operi præficeremus, mentem noſtram intendimus, de quorum inſigni Chriſtianæ pietatis affectu confiſi, qui nobis cum ob præſtitam in Eccleſiarum Archiconfraternitati prædictæ unitarum divino cultu & conſervando & augendo, inopibuſque dotandis, & locandis puellis, necnon pauperibus, aliiſque variis caſibus afflictis multos annos in Urbe operam, tum etiam dilecti filii noſtri Julii Antonii S. Bartholomæi in Inſula presbyt. Card. S. Severinæ nuncupati, teſtimonio nóbis ſatis innoteſcit.

*...hiconfra...tatem ...falonis ...ntat.*

§.2. Motu igitur proprio, & ex certa ſcientia, necnon matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, onus hoc univerſum, quod magnum eſſe intelligimus, curæ & ſollicitudini Archiconfraternitatis prædictæ in perpetuum imponimus, ad hoc ut ipſa Archiconfraternitas, illiuſque Cuſtodes & Confratres pro tempore exiſtentes, quoſcumque Chriſti fideles dictæ Urbis, ac Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum noſtræ & dictæ Sedis temporali ditioni mediatè & immediatè ſubjectorum, ubicumque captos conquirant, ex infidelium ſervitute redimant, eaque de cauſa omni loco dictæ ditioni noſtræ, ut præfertur, ſubjecto, eleemoſynas & oblata quæcumque quærant & accipiant, Collectores probos & ad charitatis officium exercendum propenſos, ac alias ad id ab Ordinariis locorum approbatos, quotquot neceſſarii fuerint, ſervata forma Concil. Trident. conſtituant, qui eleemoſynas, oblationes, legata & quæcumque alia ſubſidia, tam in dicta Urbe, quàm in quibuſvis Provinciis, Civitatibus, oppidis, caſtris & locis ipſi ditioni, ut ſupra ſubjectis, pro hujúſmodi redemptione, & cauſis ad eam pertinentibus perquirant, pecuniaſque inde congerendas penes publicum mercatorem fide & facultatibus idoneum deponant, donec illæ in redemptionem captivorum hujuſmodi arbitrio ipſorum Cuſtodum & Confratrum erogentur, ita tamen ut de aliis ipſius Archiconfraternitatis redditibus ad alios pios uſus, juxta illius laudabilia inſtituta deſtinatis, nihil omnino detrahatur.

*...rtatur Cõ...fratres, ut Re...demptionis ...am ſuſci...ant.*

§.3. Itaque Cuſtodes & Confratres prædictos, necnon omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles per redemptionis noſtræ Sacramentum omni cordis affectu obteſtamur, ut ejus membris laborantibus & oppreſſis compati non negligant, qui pro omnibus pati ipſe dignatus eſt, Cuſtodes ſiquidem & Confratres, ut cum noſtræ benedictionis gratia redemptionis captivorum cauſam prompto animo ſuſcipiant, ſeque ad ſalutem animarum in infidelium poteſtate periclitantium ferventer exerceant, ac tam ipſi quàm alii Chriſti fideles naſcenti huic operi ſemper & ubique faveant, piiſque largitionibus proſequantur, centuplum in æternis cœli tabernaculis fœliciter recepturi.

*...Ordinarii & alii ſuam Confraternitati...*

§.4. Inſuper univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon Rectoribus parochialium, & aliarum Eccleſiarum, eorumque Vicariis, ac cæteris ordinis Eccleſiaſtici perſonis ſæcularibus, & etiam Mendicantium regularibus in quacumque dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis ditionis prædictæ injungimus, ut quotieſcũque pro parte Cuſtodum & Confratrum prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, laudabile hoc opus per ſe vel alium ſeu alios, etiã adhibitis verbi Dei Concionatoribus in ſuis quiſque Eccleſiis, plateis, & locis, & ubicumque opus erit, omnibus Chriſti fidelibus publicent atque denuntient, ipſoſque ad illud omni ſtudio & charitate ad eleemoſynas, oblationes, & legata prædicta certatim conferendo, omni ſtudio & charitate accedant, ut miſeris & afflictis captivis, quorũ animarum periculum imminet, copoſiùs ſuccurratur.

*Facultas Societatis condendi ſtatuta, &c.*

§.5. Cæterum ut pium hoc opus ſalubribus inſtitutis directum, felicia in dies ſuſcipiat incrementa, Cuſtodibus & Confratribus prædictis licentiam tribuimus, ut ad fauſtum & incolumem ſtatum ipſius operis ritè atque ordine conſtituendum, quæcumque ſtatuta, ordinationes, & decreta licita & honeſta, ſacriſque canonibus, Conciliique Tridentini decretis non contraria, & à noſtro in Urbe in ſpiritualibus Vicario approbanda condere, ac condita, quotieſcumque opus erit, mutare & corrigere, & etiam omnino vel in parte abrogare, aliaque ut præfertur approbanda de novo edere, ac cætera gerere, exequi, exercere quæ in præmiſſis neceſſaria fuerint quomodocumque & opportuna.

*Clauſula præſervativa, & Decretum irritans.*

§.6. Decernentes præſentes, ac omnia in eis contenta perpetuò inviolata conſiſtere. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid contra illas per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deputatio.*

§.7. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Hoſtien. & Bononien. ac Peruſin. Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, ut ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cuſtodum ac Confratrum præfatorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ipſas literas, & in eis contenta quæcumque, ab omnibus ſemper & ubique firmiter obſervari, ac Cuſtodes, Confratres, Collectores prædictos, cæteroſque omnes, quos literæ ipſæ concernunt, illis pacificè frui & gaudere, non permittẽtes quemquam ipſorum deſuper quomodolibet moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam ſæpius aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogatoria.*

§.8. Non obſtant. fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, Conciliis quoque univerſalibus, etiam facultatum quæſtuandi revocatoriis, necnon prohibitionibus deſuper factis, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, piorum locorum, Collegiorum, & aliarum Confraternitatum, necnon Sanctiſſ. Trinitatis Redemptionis captivorum & B. Mariæ de Mercede, aliorumque Ordinum quorumcumque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumque Principum inſtantiam, aut etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet

conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, & ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, expreſſam, & ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptorum fides.* §.9. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel dictæ Archiconfraternitatis munitis, manuque ejuſdem Archiconfraternitatis, vel alterius Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides ubique in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

*D.P.A.11. die 28. Maii.* Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1582. 5. Kal. Jun. Pont. noſtri anno 11.

*Sequitur Indultum liberandi carceratos, de quo in rubr.*

*Edita An. D. 1583.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Jul. III. anno 3. ſui Pont. indultum dedit liberandi unũ carceratum.* §.10. Cum alias fel. record. Julius Papa III. prædeceſſor noſter dilectis filiis Cuſtodibus & Confratribus Archiconfraternitatis Confalonis de Urbe, ut ad laudem & honorem B. Mariæ ſemper Virginis in ejus Aſſumptionis feſto unum carceribus detentum, etiamſi talis ultimo ſupplicio plectendus veniret, ad illorum electionem annis ſingulis extrahere, & liberare valerent, indulſerit.

*Pius IV. anno [illegible] ſui Pont. illud confirmavit.* §.11. Et deinde piæ mem. Pius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, ut hujuſmodi indultum majorem obtineret roboris firmitatem, illud, ac in eo contenta quæcumque approbaverit, & confirmaverit, ac perpetuæ firmitatis robur adjecerit, necnon quatenus opus eſſet Cuſtodibus & Confratribus prædictis ea omnia de novo conceſſerit, prout in ſupplicationibus motu proprio eorundem prædeceſſorum ſignatis, quorum ſolam ſignaturam ipſi Julius & Pius prædeceſſores ſufficerè reſpectivè voluerunt, pleniùs continetur.

*Sed has Bullas conſultò prætermiſi.*

*Hi Pont. dedit auctoritatem redimendi captivos, ut in præmiſſa conſtit.* §.12. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Cuſtodum & Confratrum prædictorum petitio continebat, licet ipſi in poſſeſſione excarcerandi, & liberandi hujuſmodi abinde circa fuerint & ſint, ac eleemoſynam, quam liberandus hujuſmodi ipſi Archiconfraternitati offerre & dare vellet, in ejuſdem Archiconfraternitatis uſus convertere poſſint, tamen quia nuper nos per quaſdam noſtras ſub plumbo expeditas literas onus univerſum, quod magnum eſſe intelleximus, redimendi captivos curæ & ſollicitudini dictæ Archiconfraternitatis in perpetuum motu proprio impoſuimus, &c. ut ſup.

*Modò hic idẽ Pont. pro hujus operis ſubventione.* §.13. Volentes ipſi Cuſtodes & Confratres, totoque cordis affectu exoptantes, onus hujuſmodi eis per nos impoſitum, quod libenter acceptarunt, juxta noſtram voluntatem & dictas literas exequi, & totali executioni nunc & in omnibus redimendi dictos captivos occurrentibus neceſſitatibus demandare, ſed cum ad id faciendum quamplurimorum Chriſti fidelium eleemoſynæ ſint neceſſariæ, & ipſi ſperent, ex nunc in carceribus dictæ Urbis detentis, & pro tempore detinendis aliquam eleemoſynam habere, & illam in redimendos captivos præfatos convertere parati ſint, in eis non ſolùm unum, ſed duos carceratos, & pro quocumque crimine, (præterquam læſæ Majeſtatis, & aſſaſſinii, ac propinati veneni, necnon falſificationis literarum, ſupplicationum, commiſſionum, & aliarum gratiarum Apoſtolicarum, vel monetæ) in dictis carceribus exiſtentes, & ad triremes, ac etiam ultimo ſupplicio condemnatos liberandi quolibet anno in perpetuum eis, ac dictæ eorum Archiconfraternitati licentia & auctoritas per nos concedantur.

§.14. Nos Cuſtodes & Confratres hujuſmodi, in præmiſſis tam ſanctis & laudabilibus operibus confovere, ac eos, & ipſam Archiconfraternitatem amplioribus favoribus & gratiis proſequi volentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præmiſſa in dictis ſupplicationibus motu proprio contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque noſtrum, & dictæ Sedis firmitatis perpetuæ robur adjicimus, ac ea omnia, & ſingula, ad hoc ut ipſi Cuſtodes, & Confratres quolibet anno perpetuis futuris temporibus non ſolùm unum, ſed duos carceratos, & pro quocumque crimine, & delicto quantumcumque gravi & enormi, (ſupradictis exceptis) in dictis carceribus detentos, & detinendos, & ad triremes, & etiam ultimo ſupplicio condemnatos, & condemnandos, in vigilia dicti feſti excarcerare, liberare, & abſolvere liberè & licitè valeant, qui eo ipſo abſoluti ſint, & eſſe cenſeantur à quibuſvis aliis criminibus (præterquam prædictis exceptis,) auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuò harum ſerie extendimus, & ampliamus, ac eis, & dicti Archiconfraternitati ſimiliter perpetuò concedimus, plenamque & liberam ſemper licentiam & facultatem impartimur. *Indul[...] berandi carcera[...] cepta [...] aliqua [...] moſyna[...] cedit.*

§.15. Mandantes dilectis filiis dictæ Urbis Gubernatori, Senatori, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Vicario, aliiſque Judicibus, & Carcerum Cuſtodibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac eorum cuilibet, quatenus viſis præſentibus, omni mora & dilatione & excuſatione poſtpoſitis, eiſdem præſentibus pareant, & obediant, ac illas obſervent, & obſervari faciant realiter & cum effectu. *Officiales illud ſervent.*

§.16. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores noſtri in eiſdem motu proprio, & ſupplicationibus motu proprio, voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Quib[...] quæ non [...] ſtantibus.*

*Dat. P. A[...] die 26. J[...]* Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 26. Julii 1583. Pont. noſtri anno 12.

---

De Judæorum, aut Infidelium flagitiis, in quæ hæreticæ pravitatis Inquiſitores animadvertere poſſunt. LX[...]

*Ad hoc facit conſt.* 1. *Nicol. IV. ſup.* Turbato. *Et de materia Judæorum notavi ſup. in Pauli IV. conſt.* 3. Cum nimis.

Inquiſitorum verò generalium auctoritatem vide infrà in Sixti V. conſt. 74. *Immenſa*, in prima Congreg. cum ibi indicatis.

*Edita A[...] 1581.*

*GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Judæi qui [...] eorum conv[...] ſione in [...] mio S.R.E. [...] cipiuntur [...] dent in Re[...] gionem Chri[...] ſtianam mu[...] ta nefaria [...] committunt.* Antiqua Judæorum improbitas, quas divinæ bonitati ſemper reſtiterunt, tanto execratior conſiſtit filiis, quanto ipſi ad cumulandam patrum ſuorum menſuram in Dei filio repudiando, ejuſque in mortem nefariè conſpirando, gravius deliquerunt, qui propterea ſuis effecti majoribus nequiores, propriis ſedibus expulſi, atque in omnes diſperſi orbis terrarum regiones, ſervitutique perpetuæ mancipati, non majorem in cujuſquam ditione clementiam, quàm in Chriſtianorum Provinciis, maximè verò in Apoſtolicæ pietatis gremio invenerunt, quæ pro eorum converſione laborans, eos miſericorditer excepit, atque in cohabitatione unà cum filiis ſuis ſuſtinuit, ad veritatiſque lumen allicere pio ſemper ſtudio conata eſt, rebuſque ad vitam neceſſariis juvit, injuriis & contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiæ ſuæ privilegiis circummunivit; illi verò nullis beneficiis manſuefacti, nihilque de ſuo priſtino ſcelere remittentes, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum

in

in cœlo triumphantem adhuc in ſynagogis ſuis, & ubique perſequuntur. Chriſti quoque membris infenſiſſimi non deſinunt in Religionem Chriſtianam horrenda facinora quotidie magis audere.

§.1. Quibus nos, ne pietatis noſtræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipiis Chriſti, Chriſtianorumve nomini impunè illudatur, obviare volentes, Statuimus, ac etiam declaramus, Inquiſitores hæreticæ pravitatis libere procedere poſſe in omnibus cauſis, & caſibus, qui ſequuntur.

§.2. Si quis Judæus, aut infidelis, in iis quæ circa fidem cum illis nobis ſunt communia, veluti Deum unum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium, viſibilium & inviſibilium, & ſimilia, non eſſe aſſeruerit, prædicaverit, vel privatim alicui inſinuaverit.

§.3. Si dæmones invocaverit, conſuluerit ve, aut eorum reſponſa acceperit, ad illoſve ſacrificia, aut preces ob divinationem, aliamve cauſam direxerit, aut quid eis immolaverit, vel thuris, alteriuſve rei fumigationes obtulerit, aut alia quævis impietatis obſequia præſtiterit.

§. 4. Si Chriſtianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quovis modo nefaria hujuſmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentaverit.

§. 5. Si Salvatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum purum hominem, vel etiam peccatorem fuiſſe, Matremve Dei non eſſe Virginem, & alias hujuſmodi, blaſphemias quæ per ſe hæreticæ dici ſolent, in Chriſtianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

§.6. Si cujuſvis eorum opera, auxilio, conſilio, vel favore aliquis Chriſtianus à fide deſciverit, quamque ſemel ſuſceperat abnegaverit, vel ad Judæorum ſeu aliorum infidelium ritus, cæremonias, ſuperſtitutiones, vel impias ſectas tranſierit, vel redierit, ſeu in hæreſim aliquam inciderit, aut qui, ut Chriſti fidem abneget, ſeu in hæreſim incidat, opem, conſilium, auxilium, vel favorem quomodocumque præſtiterit.

§.7. Si quis Catechumenum vel quemcumque ex Judæis, aut infidelibus Deo inſpirante ad fidem Chriſtianam venire volentem, poſt declaratam nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo ejus voluntatem, à fide, vel fidei inſtructione, aut à ſacri baptiſmi ſuſceptione retrahere, avertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lavacro abluatur, quovis modo impediverit.

§.8. Si quis apoſtatas, hæreticoſve ſcienter domi ſuæ acceptaverit, aluerit, commeatu juverit, ſeu quovis modo eis cibaria ubicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miſerit, aut de loco ad locum deduxerit, ſeu aſſociaverit, vel deducendos ſeu aſſociandos curaverit, aut ſumptus miniſtraverit, duces, comiteſve illis adjunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inveſtigari queant, fecerit. Quique dictos apoſtatas, aut hæreticos ſcienter aliquo modo receptaverit, occultaverit, defenderit, aut eis opem, conſilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præſtiterit.

§.9. Si libros hæreticos, ve Thalmudicos, aut alios Judaïcos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, cuſtodierit, vel divulgaverit, vel in quæcumque loca detulerit, aut ad eam rem operam ſuam accommodaverit.

§.10. Si Chriſtianos deriſerit, redemptioniſque noſtræ hoſtiam ſalutarem in ara crucis immolatam, Chriſtum Dominum ludibrio & deſpectui habens, quandocumque, maximè verò in ſacro Paraſceves die agnum, ſive ovem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamve conſpuerit, ſeu quodcumque contra ipſam fecerit.

§.11. Si nutrices Chriſtianas contra ſacrorum Canonum ſtatuta, diverſorumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, lac, uno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coëgerit.

*Conſtitut. Innocent. IV. conſt. 2. Ab Inquiſitoribus coërcean.*

§. 12. In quibus caſibus univerſis & ſingulis omnes prædictæ pravitatis Inquiſitores omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum univerſi orbis Chriſtiani Judices in ſuis quemque locis perpetuò delegamus, ut ſuper his contra Judæos, atque infideles quoſcumque, ſimul vel ſeparatim, prout in cauſis fidei juxta ſacrorum canonum formam, necnon officii Inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo vel aliquibus horum flagitiorum exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut conſuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & alias de eis exempla edant, quæ ſceleratos illos deterreant ab hujuſmodi flagitiis in poſterum admittendis.

*Præceptum publicandi hanc conſt.*

§.13. Nos enim venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Prælatis, ac etiam aliis prædictis Inquiſitoribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus & mandamus, ut præſentes noſtras literàs in Civitatibus, & locis cuique ſubjectis publicare, & juxta illarum tenorem procedere, ipſaſque debitæ executioni mandare procurent.

*Decretum irritans.*

§.14. Decernentes irritum, & inane quidquid ſecus per quoſcumque, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§.15. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus, & tolerantiis, prædictis Judæis, & aliis infidelibus, Maranis, & Apoſtatis, tam in Dominiis, Terris, & locis noſtris, & Sedi Apoſtolicæ mediatè vel immediatè ſubjectis, quam alibi ubicumque Regnorum, Provinciarum, & Dominiorum, gentium, & locorum commorantibus, vel in ea ex quibuſvis Regnis & partibus, tam fidelium quàm infidelium confluentibus, eorumque Judicibus, Advocatis, & defenſoribus, quacumque auctoritate, poteſtate, & dignitate fungantur, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumvis aliorum Principum, tam per fel. rec. Paulum III. decimo Kal. Martii, & Julium etiam III. Non. Decembris, tertio anno ſui cujuſque Pontificatus, quàm etiam quoſcumque alios anteriores & poſteriores Romanos Pontifices, ac nos, & Sedem Apoſtolicam, ejuſque Legatos, ac etiam Cameram Apoſtolicam, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & aliàs quomodocumque hactenus conceſſis, confirmatis, & innovatis, atque in poſterum concedendis, confirmandis, & innovandis, quæ omnia, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi ad verbum inſererentur præſentibus pro plenè expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſsè revocamus, abrogamus, & omnino abolemus, cæteraque contraria quæcumque.

*Iuſſio publ. & exemplis credendi.*

§.16. Volumus autem præſentes in locis Urbis conſuetis de more publicari, & earum exemplis impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem ubique, tam in judicio, quam extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

*D. P. An. 10. 1. Iunii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1581. Kal. Junii, Pont. noſtri anno 10.

*Publicatio*

*Anno à Nativitate Domini 1581. Indict. 9. die verò 10. menſis Iunii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 10. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Ioan. Lateran. Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Camp. Fl*

*Flora, ac etiam ad valvas ſepti Hebræorum, per nos Petrum Aloyſium Gaytum, & Nicolaum Taglientum Apoſtolicos Curſores.*

*Ant. Ludovicus Mag. Curſ.*

LXXI. Furnarii Urbis, pro pretio Panis, in cauſis diſcuſſionum cæteris aliis creditoribus præferantur. Et omnes Judices Urbis, in eorum litibus, manu regia procedere poſſint.

*Hæ privilegia confirmantur & extendantur à Sixt. V. inf. in ſua conſt.* 36. Cœleſtis, *ubi notabo. Et quoad prælationem in diſcuſſione ſeu concurſu creditorum, vide ſup. conſtit.* 15. *Pii V.* Sanctiſſimus, *& quæ tibi illic indicavi.*

*Edita A. D. 1581.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Cauſa conſt.*

CUm ſicut accepimus, dilecti filii Piſtores Almæ Urbis noſtræ, utplurimum panem & furfur in eorum apothecis pro tempore exiſtentia, diverſis perſonis dictæ Urbis incolis ad credentiam, ut vocant, dare ſoliti ſint, & pro illorum pecuniis inde recuperandis, tam ab ipſis perſonis quam etiam defunctarum perſonarum hujuſmodi hæredibus lites ſuſcipere, & judicia movere, non ſine maximis eorum impenſis & laboribus cogantur, ac etiam ſæpè contingat, ut ipſis perſonis decoctis, ſive defunctis, eorum bonorum & hæreditatum diſcuſſione facta, bona, ſeu hæreditates ipſæ ad omnia eorum debita ſatisfacien. minimè ſufficiant, ipſique piſtores, quamvis eorum panes inter res cibarias ferè pæcipuum, & magis neceſſarium locum obtineant, & juxta conſtitutionem fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri ſuper ordine in ſatisfactione creditorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & aliorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſervando editam, in priori cauſa connumerari videantur, tamen ſæpè tanquam vigore dictæ conſtitutionis in prima cauſa hujuſmodi minimè comprehendi, ſed ut poſteriores eorundem bonorum, ſeu hæreditatum creditores eorum creditis fruſtrati remaneant, in maximum eorum qui granum à Camera Apoſtolica per eos pro tempore acceptum, via executiva, & manu regia ſolvere coguntur, damnum & præjudicium. Unde quamplures ex ipſis Piſtoribus eorum creditis ſic fruſtrati, & aliena fide decepti, & deterioris conditionis effecti, eorum Piſtoris artem deſerere, ac etiam aliquando ab eadem Urbe, ne pro debitis ſuis exſolvendis in carcerem detrudantur, & in eo marceſcant, recedere coguntur.

*Furnarii Urbis in cauſis diſcuſſionum cæteris etiam creditoribus præferri debent.*

§. 1. Nos igitur pro noſtri paſtoralis officii debito in præmiſſis opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, modernis, & pro tempore exiſtentibus dictæ Urbis Piſtoribus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, in omnibus & ſingulis bonorum, & hæreditatum quarumvis perſonarum, etiam cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtentium, coram quibuſvis Judicibus dictæ Urbis, tam ordinariis quàm delegatis & ſubdelegatis, pro tempore faciendis diſcuſſionibus, etſi earundem perſonarum potiores, & priores creditores non fuerint, in priori & potiori loco, ſive gradu, primaque cauſa in eadem conſtitutione contenta, nempe pro pane tantum haberi, & teneri debeant, cæteriſque aliis perſonis ratione tantum pecuniarum eis occaſione panis debitarum in ſimilibus cauſis diſcuſſionis præferri poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & indulgemus.

*Omneſque Judices Urbis in eorum cauſis manu Regia procedere poſſunt.*

§. 2. Et inſuper pro minori eorundem Piſtorum diſpendio, in omnibus & ſingulis eorum cauſis, litibus, controverſiis, & differentiis, occaſione panis hujuſmodi de cætero movendis, illarum omnium Judices quoſcumque dictæ Urbis, prout etiam in literis piæ mem. Julii Papæ III. etiam prædeceſſoris noſtri, confirmationis ſtatutorum, ac ampliationis juriſdictionum & privilegiorum ejuſdem artis, quas, quatenus opus ſit, innovamus & confirmamus, cum facultate illas omnes & ſingulas ſummariè, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, manuque Regia, ac ſola facti veritate inſpecta, & prout exactione pecuniarum pretii grani eiſdem Piſtoribus ab officialibus ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ pro tempore dati, contra eoſdem Piſtores procedi ſolet, audiendi, cognoſcendi, decidendi, fineque debito terminandi, necnon citandi, & in forma inhibendi, omnibuſque aliis facultatibus neceſſariis & opportunis, ſimiliter perpetuò conſtituimus, & deputamus.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Urbis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis dictæ Urbis judicibus, ordinariis & extraordinariis, ac delegatis, & quibuſvis aliis perſonis, & locis, etiam piis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis mentio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſ... rogato...*

§. 4. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes literæ oſtenſæ forent. *Fides ... ſumptio...*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Novembris 1581. Pont. noſtri anno 10. *D. P. A... die 13. N...*

Hortatio ad Chriſti fideles, ad ſubveniendum pauperibus Collegii Anglicani Rhemis, & cæteris Anglis pro Fide Catholica diſperſis. LXX...

*Hic idem Pontifex jam in Urbe inſtituit Collegium pro Catholicis Anglis, ac introitus, & redditus annuos perpetuos aſſignavit, & privilegia conceſſit, ut ſup. in ejus conſt.* 53. Quoniam. *Et ſimilem adhortationem fecit etiam Sixt. V. ut inf. in ejus conſt.* 39. Afflictæ.

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.* *Edita A... 1581.*

OMnipotens Deus, qui immenſæ miſericordiæ ſuæ effectus ſine ullo adjutore explere poteſt, plerumque miſerorum laboribus per homines ſubvenit, omniumque Dominus ſervis pietatis officia præſtantibus ampliora præmia pollicetur. Quæ tanta cœleſtis Patris benignitas infirmitatis noſtræ ſtudia maximè accendere debet ad benè de calamitoſis merendum, ut & nos de tali dignatione, quam poſſumus ei gratiam referamus, & oppreſſorum ſubleventur anguſtiæ, eorum præſertim qui propter Chriſtum tribulationes patiuntur. *Exordium.*

§. 1. Cum igitur ad Collegium Anglicanum, quod Rhemis eſt, ex Anglia, & aliis finitimis regionibus hæreticorum furore ejecti, & veluti à ſævientis tempeſtatis turbine naufragii, à diriſque teterrimæ mortis erepti cruciatibus, ad propiorem, & tutiorem quaſi portum quotidie plures, (aliis per Galliæ, atque Italiæ, & alias Chriſtiani orbis partes diſperſis,) ſe recipiant. Cumque creſcente, ob graſſantem in dies magis peſtem, exulum numero vitæ præſidium, quod Collegio prædicto à nobis comparatum eſt, quodque ei pro Anglorum prædictorum neceſſitatibus quotidie ſuppeditamus, minimè *Collegii An... glicani eve... ſio.*

ſatis

ſatis ſit ad tantam multitudinem ſuſtentandam: noſque, quibus multis, & diverſis hujuſmodi piis locis ſubveniendum eſt, & ad quos pauperes undique confugiunt, integros illi ſumptus (ut expediret, & certè eſſet in optatis) ſubminiſtrare nequeamus, intimo tangimur dolore cordis, nationemque illam, tanta quondam pietate inſignem, Sedi Apoſtolicæ gratiſſimam, ex prima pietatis tranquillitate in tam turbulentam ſeditionem incidiſſe, cruentæque impiorum ſævitiæ eſſe objectam vehementer excruciamur. Quam quanto fortius in fidei fundamento, & Dei gratia nitentes perferunt, militiamque Chriſti, cui ſe obligarunt, tot periculis propoſitis præſentiori tolerant animo, tanto magis paternum & miſericordem noſtræ in ſe provocant ſollicitudinis affectum.

*[…]tio ad […] fideles […] ſubven[…]um.* §.2. Quare Deum in primis humiliter precati, ut illis ad calamitates tot & tantas perferendas, atque etiam ſuperandas auxilio eſſe dignetur, omnes Chriſti fideles, quantum poſſumus, in Domino hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei obſecramus, ut promiſſam à Domino noſtro Jesu Christo miſericordibus benedictionem, quæ ipſa eſt miſericordia, memoria repetentes, afflictorumque Anglorum miſerias ſibi ante oculos ponentes, miniſtri Dei in pietatis opere effecti, eos, vel deputatos ab eiſdem, præſentes literas, vel earum authentica exempla oſtenſuros largis, ut quiſque poterit, hac ſæviente perſequutione adjuvent eleemoſynis, Chriſtumque in afflictis, & rerum omnium inopia confectis pro Chriſto fratribus ſuſpiciant. Mandantes univerſis & ſingulis Eccleſiarum Prælatis, eorumque Vicariis, necnon Rectoribus, & verbi Dei Prædicatoribus, cæteriſque omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ut ea in ſuis quiſque locis & Eccleſiis, etiam in ipſis concionibus, populo promulgari (fraude & lucro ceſſantibus) faciant, & permittant, unamque vel plures probatæ fidei perſonas, non tamen quæſtores, pro quærendis, recipiendis, & ipſis Anglis, ſeu Deputatis integrè conſignandis eleemoſynis hujuſmodi ſtatuant.

*[…]hortatio […] Principes.* §.3. Quin etiam chariſſimos in Chriſto filios Imperatorem, cæteroſque orbis Chriſtiani Reges, & Principes rogamus, ut pro ſua in Deum pietate, & propenſa in pauperes egenos, præſertim pro fide Catholica laborantes, benignitate, facultate illis à Deo miſeris ſubveniendi elargita, pietatis ſtudia exerceant, eorumque in quibus tanta adjuvante Domino, elucet Chriſtianæ Religionis perſeverantia, tantum viget veræ pietatis exemplum, egeſtatem ſublevent, & quibuſcumque potuerint favoribus proſequantur. Sciturі quicumque illis miſericordiam fecerint, ſeſe à Redemptore noſtro Jesu Christo, cujus certa ſunt promiſſa, retributionis premium in æterna Cœleſtis regni beatitudine percepturos.

*[…]e tran[…]ptorum.* §.4. Quia verò præſentes ad omnia loca, quibus illis opus eſſet, deferri nequeunt, decernimus ut illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*[…]P.A.10. […]11. Janu.* Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1582. 12. Kal. Februarii, Pont. noſtri anno 10.

---

## [L]XXIII. Quomodo permittatur Ordini Fratrum S. Antonii Vienn. pro eorum Hoſpitalibus eleemoſynas colligere.

*Conſonat Concilium Trid. ſeſſ. 21. capit. 9. & conſt. Pii IV. num.* 100. Ex debito, *ſup. Et iſta conſtitutio confirmata fuit à Clemente VIII. die* 15. *Octobris ſui Pontificatus anno ſexto, quam uti ſimpliciter confirmatoriam prætermiſi, unà cum hujus Gregor. conſtit. edita die* 19. *Auguſti, Pont. ſui anno* 6. *quia hac plenior eſt, illamque ſuperfluam reddit.*

Cætera de hoc Ordine dixi ſup. in conſt. Bonif. VIII. *In diſpoſitione.*

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita A. D. 1582.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.* ROmani Pontificis providentia circumſpecta, dum de ſingulis Monaſteriis & aliis Regularibus locis cogitare impellitur, ad illa vel in primis mentis ſuæ aciem dirigit, quæ ex eorum inſtituto languidorum, & aliarum miſerabilium perſonarum hoſpitalitati obnoxia congruo ſubventionis auxilio indigere dignoſcuntur.

*Concil. Trid. quæſtus prohibuit, ſed nõ eleemoſynas colligi vetuit in cap. 9. ſeſſ. 21.* §.1. Sanè licet Sacrum Concilium Tridentinum propter pravos eleemoſynarum quæſtorum abuſus, eorum nomen atque uſum penitus aboleverit, neque ipſos ad officium hujuſmodi exercendum ullo modo admitti voluerit, attamen noluit ut eleemoſynarum hoſpitalibus in quibus hoſpitalitas actu exercetur, ad eorum ſuſtentationem à devotis Chriſti fidelibus erogari ſolitarum perquiſitio atque collectio ab honeſtis perſonis honeſtoque modo facta prohiberetur.

*Hic ipſe Pont. declarat licere Ord. S. A[…] […] eleemoſynas certo modo colligere.* §.2. Quocirca ne hoc prætextu Monaſterium ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinens S. Antonii de S. Antonio Ordinis S. Auguſtini, Viennenſis diœc. illiuſque hoſpitalia & domus per orbem Chriſtianum longè lateque diſperſa, ad quæ (ſicut dilecti filii Abbates & Conventus dicti Monaſterii nobis nuper exponi fecerunt) miſerabiles illæ perſonæ horrendo ſacri ignis cruciatu correptæ, recurſum habere, ibique recipi atque curari & ſuſtentari ſolent, & in quibus hoſpitalitas ſervatur, piis Chriſti fidelium eleemoſynis ſine quibus hoſpitalitas hujuſmodi exerceri, & alia onera illis incumbentia ſupportari nequeunt, deſtituta remaneant, paterna charitate providere, eorumque indemnitati conſulere volentes, ipſorum Abbatis & Conventus ſupplicationibus in hac parte inclinati, eiſdem Abbati & Conventui, necnon dilectis filiis Præceptoribus, Adminiſtratoribus, & aliis Religioſis Hoſpitalium dicti Monaſterii in quibus hoſpitalitas actu exercetur, ut petita & obtenta in primis ab Ordinariis locorum annis ſingulis in ſcriptis licentia, quam ipſi Ordinarii omnino gratis dare debeant, eleemoſynas, & quæcumque alia charitatis ſubſidia per perſonas honeſtæ vitæ ad id ab ipſo Abbate, ſeu aliis dictæ Religionis ſuperioribus pro tempore deputatas, pro uſu ejus hoſpitalis S. Antonii, in quo hoſpitalitas actu exercetur, ſimulque exiſtit intra fines illius Civitatis, vel diœc. in qua eleemoſynæ perquirantur, aut ejuſmodi eſt in quo curari ſoleant pauperes omnes eo morbo laborantes, qui ex tota illa diœc. abducantur perquirere & colligere, illaque recipere & levare liberè & licitè valeant, dummodo hujuſmodi eleemoſynæ convertantur dumtaxat in uſus pauperum infirmorum & miniſtrorum deſervientium hoſpitalibus quæ in illa diœc. ſunt, aut in quibus curari ſolent pauperes illius diœc. in qua eleemoſynæ colliguntur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus, ipſoſque per dictos Ordinarios ſeu eorum Vicarios in ſpiritualibus Generales aut Officiales, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cruciatæ Sanctæ, ac Neapolitan. & aliarum Redemptionis captivorum ſocietatum deputatos, vel quoſcumque alios nullatenus perturbari, impediri vel inquietari, minuſque ſub nomine Religionis S. Antonii hujuſmodi ab aliis quàm perſonis, ut præfertur deputatis eleemoſynas ipſas perquiri & colligi, vel ejuſdem religionis inſignia circumferri quocumque prætextu poſſe.

*Ordinariiſque publicationem & executionem hujus bullæ committit.* §.3. Et nihilominus univerſis & ſingulis Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus atque Officialibus, necnon Abbatibus, Prioribus & aliis Eccleſiarum Prælatis, in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi omnes & ſinguli, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis & Conventus, necnon Præceptorum, Adminiſtratorum, Religioſorum & perſonarum ut præfertur deputatarum hujuſ-

modi

modi, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſquè in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritatē noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, aut ſpectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter obſervari, ipſoſque Abbatem, Conventum, Præceptores, Adminiſtratores, religioſos, & perſonas, ut præfertur, deputatas illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel aliquem ipſorum deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri. Contradictores quoſlibet ac rebelles per pœnas etiam pecuniarias eorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac denique per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, ac in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis in Provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Eleemoſynas colligendi formam præſcribit.*

§.5. Volumus autem quod perſonæ ut præfertur deputatæ, quæſtorum nomen nullo modo gerant, ſed ſimpliciter eleemoſynarum collectores nuncupentur, & propter hanc operam eleemoſynarum hujuſmodi participes non ſint, atque hoc munere citra ullum dolum, & cum omni modeſtia fungantur, quodque ad ſtabula pro benedictionibus ſuper animalia faciendis accedere, eaque ſigillare, & aliqua ſigilla, & præter præſentes, ſeu earum tranſumpta, alia privilegia, necnon inſtrumenta quædam quæſtorum inſignia, reliquias, chartas, imagines, acus, & alia his ſimilia ad excitandas perſonas circumferre, indulgentias publicare, aut per ſe, vel alium prædicare, fideles ad eleemoſynas ſibi erogandas minis, aut imprecationibus inducere, aut tanquam debitas, vel ſolitas, ſeu aliqua arte, etiam prætextu dicendi orationem S. Antonii extorquere, vel ſuper locis ullam quovis nomine contentionem, etiam in utilitatem Monaſterii, Præceptoriarum, Hoſpitalium, & domorum hujuſmodi facere nullo modo præſumant, ſed ſimpliciter, piè & modeſtè unica dumtaxat campanella pulſata (cujus uſus ſoli religioni prædictæ à Sede Apoſtolica conceſſus fuiſſe perhibetur) eleemoſynas pro ſubventione Hoſpitalium, & domorum hujuſmodi petendo, accipiant tantum quod ſibi offeretur.

*Eam non obſervantes puniri jubet.*

§.6. Cæterùm prædicti Ordinarii diligenter animadvertant ut hæc omnia præcisè obſerventur, atque non ſolùm ad delationem aliorum, ſed ex ſuo mero officio inquirant, ſi qua fraus præſertim adverſus leges eis præſcriptas hujuſmodi committatur ab ipſis Collectoribus, quos ſi verè reos compererint pro modo culpæ arbitrio puniant, eoſque ſtatim à collectione amoveant, atque alios, qui boni & idonei ſint, ab eiſdem Superioribus ſuffici curent. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca in quibus de illis fides facienda erit tranſmittere.

*Tranſumptis credi mandat.*

§.7. Volumus & ſimiliter dicta auctoritate decernimus, quod earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis ea prorſus ubique, etiam in judicio fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 10. die 1. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Februarii 1582. Pont. noſtri anno 10.

## Kalendarii nuper reſtituti pro Feſtivitatibus S. R. E. ſuo tempore celebrandis, diviniſque itidem officis recitandis approbatio, & veteris Kalendarii abolitio. LXX[illegible]

*Addenda ſunt Kalendario alia feſtivitates à ſucceſſoribus Pontificibus adſcripta, qua infra ſuo loco ponentur, & in indice materiarum requires.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita [illegible] 158[illegible]*

*Exordium.*

INter graviſſimas paſtoralis officii noſtri curas ea poſtrema non eſt, ut quæ à ſacro Tridentino Concilio Sedi Apoſtolicæ reſervata ſunt, illa ad finem optatum, Deo adjutore perducantur.

*Conc. Trid. miſit [illegible] ram [illegible] di Breviarium [illegible] 45 Pro[illegible]*

§.1. Sane ejuſdem Concilii Patres, cum ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adjungerent, tempore tamen excluſi, rem totam ex ipſius Concilii decreto ad auctoritatem & judicium Romani Pontificis retulerunt.

*Duo [illegible] ex [illegible] quædam [illegible]*

§.2. Duo autem Breviario præcipuè continentur, quorum unum, preces laudeſque divinas feſtis profeſtiſque diebus perſolvendas complectitur, alterum pertinet ad annuos Paſchæ, feſtorumque ex eo pendentium recurſus, Solis & Lunæ motu metiendos.

*Primum [illegible] tus eſt [illegible]*

§.3. Atque illud quidem fel. rec. Pius V. prædeceſſor noſter abſolvendum curavit, atque edidit.

*Secundum non [illegible] que m[illegible]*

§.4. Hoc verò, quod nimirum exigit legitimam Kalendarii reſtitutionem, jamdiu à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & ſæpiùs tentatum eſt, verùm abſolvi, & ad exitum perduci ad hoc uſque tempus non potuit, quod rationes emendandi Kalendarii, quæ à cæleſtium motuum peritis proponebantur, propter magnas, & ferè inextricabiles difficultates, quas hujuſmodi emendatio ſemper habuit, neque perennes erant, neque antiquos ritus Eccleſiaſticos incolumes (quod in primis hac in re curandum erat) ſervabant.

*H[illegible] Pon[illegible] [illegible] lendarii.*

§.5. Dum itaque nos quoque credita nobis, licet indignis, à Deo diſpenſatione freti, in hac cogitatione curaque verſaremur, allatus eſt nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio artium & medicinæ Doctore, quem quondam Aloyſius ejus germanus frater conſcripſerat, in quo per novum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipſius Aurei numeri normam directum, atque ad quamcumque anni Solaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Kalendario collapſa ſunt, conſtanti ratione, & ſæculis omnibus duratura, ſic reſtitui poſſe oſtendit, ut Kalendarium ipſum nulli unquam mutationi in poſterum expoſitum eſſe videatur. Novam hanc reſtituendi Kalendarii rationem exiguo volumine comprehenſam ad Chriſtianos Principes, celebrioreſque univerſitates paucos ante annos miſimus, ut res quæ omnium communis eſt, communi etiam omnium conſilio perficeretur. Illi cum, quæ maximè optabamus, concordes reſpondiſſent, eorum nos omnium conſenſione adducti, viros ad Kalendarii emendationem adhibuimus in Alma Urbe harum rerum peritiſſimos, quos longè ante ex primariis Chriſtiani orbis nationibus delegeramus. Ii cum multum temporis, & diligentiæ ad eam lucubrationem adhibuiſſent, & Cyclos tam veterem, quàm recentiorem undique conquiſitos, ac diligentiſſimè perpenſos inter ſe contuliſſent, ſuo, & Doctorum hominum, qui de ea re ſcripſerunt judicio, hunc præ cæteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nonnulla etiam adjecerunt, quæ ex accurata circumſpectione viſa ſunt ad Kalendarii perfectionem maximè pertinere.

*Cognovi[illegible] tria hi[illegible] preſſa [illegible] ſaria [illegible]*

§.6. Conſiderantes igitur nos, ad rectam Paſchalis feſti celebrationem, juxta ſanctorum Patrum, ac veterum Romanorum Pontificum, præſertim Pii & Victoris primorum, necnon magni illius œcumenici Concil. Nic. & aliorum ſanctiones, tria neceſſaria conjungenda, & ſtatuenda eſſe: Primum certam Verni æquinoctii ſedem: Deinde rectam poſitionem XIV. Lunæ primi menſis, quæ vel in ipſum æquinoctii diem incidit, vel ei proximè

ſuccedit

ſuccedit. Poſtremò primum quemque diem Dominicum, qui eandem XIV. Lunam ſequitur, curavimus non ſolùm æquinoctium Vernum in priſtinam ſedem, à qua jam à Concilio Nicæno X. circiter diebus receſſit, reſtituendum, & XIV. Paſchalem ſuo in loco, à quo quatuor & eo amplius dies hoc tempore diſtat, reponendam, ſed eam quoque tradendam rationem, qua cavetur, ut in poſterum æquinoctium, & XIV. Luna à propriis ſedibus nunquam dimoveantur.

*igitur ... pmit ... equi- ... in ſo- ... ad diē ... rtii.*

§. 7. Quo igitur vernum æquinoctum, quod à patribus Concilii Nicæni ad XII. Kal. Aprilis fuit conſtitutum, ad eandem ſedem reſtituatur, præcipimus, & mandamus, ut de menſe Octobri, anni 1582. 10. dies incluſivè à III. Nonarum uſque ad pridie Idus eximantur, & dies qui feſtum S. Franciſci IV. Nonas celebrari ſolitam ſequitur, dicatur Idus Octobris, atque in eo celebretur feſtum SS. Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii Martyrum, cum commemoratione S. Marci Papæ & Confeſſoris, & SS. Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apulei Martyr. XVII. verò Kal. Novembris, qui dies proximè ſequitur, celebretur feſtum S. Calliſti Papæ & Martyris. Deinde XVI. Kal. Novemb. fiat officium & Miſſa, de Dominica XVIII. poſt Pentecoſten, mutata litera Dominicali G. in C. XV. denique Kal. Nov. dies feſtus agatur S. Lucæ Evangeliſtæ, à quo reliqui deinceps agantur feſti dies, prout ſunt in Kalendario deſcripti.

*... ſub- ... nis die- ... ionem ... ti.*

§. 8. Ne verò ex hac noſtra X. dierum ſubtractione alicui quod ad annuas vel menſtruas præſtationes pertinet, præjudicium fiat, partes judicum erunt in controverſiis, quæ ſuper hoc exortæ fuerint, dictæ ſubtractionis rationem habere, addendo alios X. dies in fine cujuſlibet præſtationis.

*... inde ... ilium ... , ordi- ... ſer- ... m pro-*

§. 9. Deinde ne in poſterum à 12. Kal. April. æquinoctium recedat, ſtatuimus Biſſextum 4. quoque anno (uti mos eſt) continuari debere, præterquam in 100. annis, qui quamvis Biſſextiles antea ſemper fuerint, qualem etiam eſſe volumus annum 1600. poſt eum tamen, qui deinceps conſequentur centeſimi, non omnes Biſſextiles ſint, ſed in quadringentis quibuſque annis primi quinque 300. ſine Biſſexto tranſigantur, quartus verò quiſque 100. Biſſextilis ſit, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Biſſextiles non ſint. Anno verò 2000. more conſueto dies Biſſextus intercaletur, Februario dies 29. continente, idemque ordo intermittendi, intercalandique Biſſextum.

*... mque ... rum ... uit in ... co au- ... umeri.*

§. 10. Quo item XIV. Paſchalis rectè inveniatur, itemque dies Lunæ juxta antiquum Eccleſiæ morem ex Martyrologio ſingulis diebus ediſcendi fideli populo verè proponantur, ſtatuimus ut amoto aureo numero de Kalendario, in ejus locum ſubſtituatur Cyclus Epactarum, qui ad certam (uti diximus) aurei numeri normam directus efficit, ut novilunium, & XIV. Paſchalis vera loca ſemper retineant. Idque manifeſtè apparet ex noſtri explicatione Kalendarii. In quo deſcriptæ ſunt etiam tabulæ Paſchales ſecundum priſcum Eccleſiæ ritum, quo certius & facilius ſacroſanctum Paſcha inveniri poſſit.

*... Cyclum ... m anti- ... m ad no- ... & quā- ... que inter- ... ui ratio- ... accom- ... tum.*

§. 11. Poſtremò quoniam partim ob decem dies de menſe Octobris anni 1582. qui correctionis annus rectè dici debet exemptus, partim ob ternos etiam dies quolibet quadringentorum annorum ſpatio minimè intercalandos interrumpatur, neceſſe eſt Cyclus literarum Dominicalium 28. annorum ad hanc uſque diem uſitatus in Eccleſia Romana, volumus in ejus locum ſubſtitui eundem Cyclum 16. annorum ab eodem Lilio tum ad dictam intercalandi Biſſexti in centeſimis annis rationem, tum ad quamcumque anni ſolaris magnitudinem accommodatum, ex quo litera Dominicalis beneficio Cycli ſolaris æquè facile ac prius, ut in proprio canone explicatur, reperiri poſſit in perpetuum.

*... lendarium ... reſtitutum ... robat.*

§. 12. Nos igitur ut quod proprium Pont. Max. eſſe ſolet exequamur, Kalendarium immenſa Dei erga Eccleſiam ſuam benignitate jam correctum, atque abſolutum hoc noſtro decreto probamus, & Romæ unà cum Martyrologio imprimi, impreſſumque divulgari juſſimus.

*... dque im- ... mi probi- ... ſine li- ... tia Pont.*

§. 13. Ut verò utrumque ubique terrarum incorruptum, ac mendis, & erroribus purgatum ſervetur, omnibus in noſtro & S. R. E. dominio mediatè vel immediatè ſubjecto commorantibus impreſſoribus ſub amiſſionis librorum, ac centum ducatorum auri Cam. Apoſt. ipſo facto applicandorum, aliis verò in quacumque orbis parte, conſiſtentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ arbitrii noſtri pœnis, ne ſine noſtra licentia Kalendar. aut Martyrologium, ſimul vel ſeparatim imprimere, vel proponere, aut recipere ullo modo audeant vel præſumant, prohibemus.

*Hæc prohibitio fuit poſtea revocata.*

§. 14. Tollimus autem, & abolemus omnino vetus Kalendarium, volumuſque, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & cæteri Eccleſiarum Præſides, novum Kalend. (ad quod etiam accommodata eſt ratio Martyrologii) pro divinis officiis recitandis, & feſtis celebrandis in ſuas quiſque Eccleſias, monaſteria, Conventus, Ordines, militias, & diœceſes introducant, & eo ſolo utantur, tam ipſi quàm cæteri omnes presbyteri & Clerici, ſæculares, & regulares utriuſque ſexus, necnon milites, & omnes Chriſti fideles, cujus uſus incipiet poſt decem illos dies ex menſe Oct. anni 1582. exemptos. Iis verò, qui adeo longinquas incolunt regiones, ut ante præſcriptum à nobis tempus harum literarū notitiam habere non poſſint, liceat, eodem tamen Octob. menſe inſequentis anni 1589. vel alterius, cum primum ſcilicet ad eos hæ noſtræ literæ pervenerint, modo à nobis paulò ante tradito ejuſmodi mutationem facere, ut copioſius in noſtro Kal. anni correctionis explicabitur.

*Eodem quoque omnes uti præcipit poſt dies 10. Octob. 1582. & reſpectivè 1583. Ad quod vide declarationem, quæ hic ſequitur.*

§. 15. Pro data autem nobis à Domino auctoritate hortamur, & rogamus chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ropulphum Romanorum Regem Illuſtrem in Imperatatorem electum, cæteroſque Reges, Principes, ac Reſpublicas, iiſdemque mandamus ut quo ſtudio illi à nobis contenderunt, ut hoc tam præclarum opus perficeremus, eodem, immò etiam majore, ad conſervandam in celebrandis feſtivitatibus inter Chriſtianas nationes concordiam, noſtrum hoc Kalendarium & ipſi ſuſcipiant, & à cunctis ſibi ſubjectis populis religioſè ſuſcipiendum, inviolateque obſervandum curent.

*Hortaturque Imperatorem, & Principes ut Kalendarium ſic emendatum recipiant, & ſervari faciant.*

§. 16. Verum quia difficile foret præſentes literas ad univerſa Chriſtiani orbis loca deferri, illas ad Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſt. valvas, & in acie Campi Floræ publicari & affigi, & earundem literarum exemplis, etiam impreſſis, & voluminibus Kalendarii, & Martyrologii inſertis & præpoſitis, ſive manu tabellionis publici ſubſcriptis, necnon ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus indubitatam fidem ubique gentium, & locorum haberi præcipimus, quæ originalibus literis exhibitis omnino haberetur.

*Forma publ. hanc conſt.*

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præceptorum, mandatorum, ſtatutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, ſublationis, abolitionis, hortationis, & rogationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*Sanctio pœnalis.*

Dat. Tuſculi, anno Incarnat. Dom. 1582. ſexto Kal. Martii, Pont. noſtri anno 10.

*D. P. A. 10 die 28. Febr.*

*Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti 1582. Indict. 10. die verò Iovis 3. menſis Martii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno ejus 10. retroſcripta litera Apoſt. publicata, & affixa fuerunt in valvis Baſilica Principis Apoſt. de Vrbe, & Canceil. Apoſt. acin acie Campi Flore, ut moris eſt, per me Scipionem de Octavianis Apoſtolicum Curſorem.*

*Publicatio.*

*Franciſcus Barbon Mag. Curſ.*

*Sequitur Declaratio ſuper obſervatione Kalendarii nuper editi, pro illis, qui de menſe Octobris 1582. illud ſervare non cœperunt.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1582.*

CUpientes pro Paſtoralis officii nobis divinitus injuncti ſollicitudine Kalendarium nuper, cura & juſſu noſtro correctum, atque editum, ubique locorum ab omnibus, qui illud propter diverſa impedimenta, ſtatuto

*Cauſa hujus declarationis.*

ſtatutò die menſis Octobris proximè præteriti, obſervare non cœperunt, quamprimum in uſum recipi, & prout maximè expediens eſt, diligenter & exactè ſervari. Idcirco ne ſubſequens menſis Octobris, quod quidem nimis longum eſſet, expectetur: volentes vigilantiæ noſtræ providentia opportuna remedia hiſce difficultatibus celeriter adhibere.

*Declaratio ſuper obſervatione Kal. pro iis, qui menſe Octob. 1582. obſervare non cœperunt.*

§. 1. Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura ſanctione ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, ut quicumque in quibuſvis Regnis, Provinciis, Civitatibus, & locis conſtituti, Kalendarium emendatum prædictum hactenus nondum obſervare cœperunt, illud modo & formula infraſcripta, ſemotis cunctis excuſationibus, & impedimentis, omnino ſervent, videlicet cum perventum fuerit ad diem 10. Februarii anni 1583. in quem cadit Dominica Quinquageſimæ ſecundum antiquum Kalendar. tranſitus ſtatim fiat ad diem 21. ejuſdem menſis Februarii, omiſſis decem diebus inter diem decimum, & diem 21. Febr. hujuſmodi interpoſitis, quæ erit Feria ſecunda poſt Dominic. Quinquageſimæ (mutata litera Dominicali F. in B.) in qua dicatur officiũ, & miſſa de S. Valentino presbytero & Martyre, cum commemoratione SS. Fauſtini & Jovitæ Martyrum, & S. Simeonis Epiſcopi & martyris, & feria 3. de Cathedra, proxima autem feria 4. erit dies Cinerum, atque hoc pacto nulla ampliùs erit diſcrepantia in Feſtorum, tam mobilium quàm fixorum celèbratione.

*Tranſumptorum fides.*

§. 2. Verùm quia difficile foret præſentes literas ad univerſa Chriſtiani orbis loca deferri, volumus quod illarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus indubitata fides ubivis gentium & locorum habeatur, quæ originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. Pi A. 11. die 7. Novemb.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Novemb. 1582. Pont. noſtri anno 11.

---

## LXXV. Qui Presbyteri Religionis Societatis Jeſu literas Sacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ aperire poſſint.

*Plura de hac Societate notavi ſup. ad Conſt. 25. Pauli III.* Regimini.

*Edita An. D. 1582.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Dilecto filio Claudio Aquavivæ Præpoſito Generali Soc. Jeſu.*

*Cauſa hujus conceſſionis.*

EXponi nobis nuper feciſti, quod alias quondam Alexander Frumentus, tunc officii Sacræ Pœnitentiariæ Regens, dilectis filiis presbyteris Societatis Jeſu, cui præeſſe dignoſceris, etiamſi nullo Magiſterii in Sacra Theologia, & Doctoratus in Jure canonico, gradibus inſigniti eſſent, aliàs tamen idoneis, & approbatis ipſius Societatis confeſſariis, ut quaſcumque obſignatas, etiam Magiſtris in Theologia, vel Jure Canonico Doctoribus directas in foro conſcientiæ ejuſdem Sacræ Pœnitentiariæ literas aperire, & abſolutionis beneficium juxta illarum diſpoſitionem impendere poſſent & valerent, verbotenus conceſſit, eaque facultate ipſi presbyteri hactenus uſi ſunt. Cum itaque ipſiùs Societatis Religioſi ad hujuſmodi gradus, niſi pro neceſſitate ſcholarum ſuarum promoveri non ſoleant, pœnitentes etiam ad ipſos presbyteros cum ſuis literis abſolutionis in dies recurrant, & importunè obſecrent, opportunè etiam eos juvari convenit.

*Cõceſſio quod aliqui presbyteri Societatis aperiant literas Sacræ Pœnitentiariæ.*

§. 1. Nos idcirco tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, presbyteris Societatis hujuſmodi per te, vel tibi ſubordinatos illius ſuperiores de tua licentia deſignandis & ab Ordinariis locorum approbatis, vel approbandis, etiamſi Magiſterii vel Doctoratus, aut aliis gradibus inſigniti non ſint, literas hujuſmodi aperiendi, confeſſionibuſque fidelium ad ipſos recurrentium auditis, & impoſita ſalutari in illis expreſſa, vel de jure infligenda pœnitentia, abſolvendi, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi verbo vel ſcriptis commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum injunctiones excipiendi, & exequendi, licentiam & facultatem tenore præſentium concedimus & impartimur.

§. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo tuo, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Aprilis 1582. Pont. noſtri anno 10.

---

## LXXVI. De auctoritate Præpoſiti Generalis Clericorum Regularium Societatis Jeſu, circa contractus cenſuum, alienationumque, & aliorum.

*Cætera de hac Societate, notata habes ad Conſt. 25. Pauli III.* Regimini, *ſup.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

APoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas, in quavis Religionum, præſertim earum, quæ gregi Dominico invigilant, ac prædicationibus & lectionibus, cum humanis, tum ſacris inſiſtunt, commodis & utilitatibus conſequendis, providentiæ ſuæ auctoritatem interponit, & quanto poteſt favore proſequitur.

§. 1. Sanè dilectus filius Everardus Mercurianus Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu nobis nuper exponi fecit, quod cum literis, tam per fel. rec. Pauli Tertii, quam piæ mem. Julii etiam Tertii Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, in favorem dictæ Societatis emanatis, & per dictorum Pontificum ſucceſſores, & Nos reſpectivè confirmatis, ac ejuſdem Societatis conſtitutionibus, omnimoda Collegiorum illius, ac etiam temporalium bonorum ad ipſa Collegia ſpectantium gubernatio, ad pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem, vel ipſam Societatem, ita tamen quod in ipſius Præpoſiti, aut profeſſæ Societatis, vel alios, quàm ipſorum Collegiorum uſus bona hujuſmodi expendi, aut diſtrahi non poſſint, ſed in ſtudentium utilitatem ſic converti, ut illi dictis bonis abuti non valeant, ſpectare & pertinere dignoſcatur. Indeque fiat ut Collegia ipſa capitulariter nullo modo congregentur, ſed omnis facultas celebrandi contractus, prout per eaſdem conſtitutiones, ac etiam primam ipſius Societatis generaliter habitam Congregationem ſtabilitum & declaratum fuit, penes eundem Præpoſitum pro tempore exiſtentem reſideat.

§. 2. Cumque etiam dicta Societas, quæ Ordo Mendicans exiſtit, aliorum Ordinum Mendicantium ſuper contractibus ineundis, à Sede Apoſtolica conceſſis privilegiis gaudeat.

§. 3. Noſque eiſdem Everardo Præpoſito, Societati, ut intervenientibus illis dumtaxat, qui more Societatis prædictæ, & ſecundum ejus conſtitutiones & ſtatuta, regimen & adminiſtrationem domorum & Collegiorum juvare & promovere ſolent, ſervato in ejuſmodi Congregationibus peculiari ac proprio dictæ Societatis procedendi modo, privilegiis illis utendi, necnon contractus ineundi licentiam & facultatem conceſſerimus, prout in ſingulis literis Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur.

§. 4. Tamen quia nec modus ille quis ſit, nec omnes per quos Præpoſitus Generalis facultatem hujuſmodi alioqui exercere poteſt, in dictis noſtris literis ſatis expreſſi fuere, ac etiam quia eidem Societati privilegiis & literis Apoſtolicis hujuſmodi, tum quod variis literis, & munimentis conceſſa ſunt, uti, & illa ac ſingulos contractus ineundos afferre diſpendioſum, moleſtumque exiſtit, tum quod in nonnullis regionibus emphyteuſes ad tres vitas concedi ſolent, nec particulares homines illas ad brevius tempus accipere facilè adducuntur.

Et

Et propterea, ac etiam ex eo quod nonnunquam pro Collegiorum ipſorum, necnon domorum probationis, vel aliorum locorum ejuſdem Societatis neceſſitate, bona hujuſmodi locare, alienare, permutare, vel in emphyteuſim, ſeu livellum dare expedit, ac quandoque contingit, ut conditio ſemel oblata, ſi prætermittatur, non parvam afferat jacturam, pro parte dicti Everardi Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſa omnia plenius declarare, & alias in eiſdem opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

...ultatem ...di, & ...odis ...endi ...poſito ...it.

§. 5. Nos igitur qui operarios in vinea Domini præſertim pondus diei & æſtus ſuſtinentes, ſyncero proſequimur affectu, noſtrarum, ac eorumdem prædeceſſorum noſtrorum literarum, necnon Societatis prædictæ conſtitutionum, aliorumque præmiſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, & eundem Præpoſitum, ac dictæ Societatis ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eiſdem Societati, ac Generali Præpoſito moderno, & pro tempore exiſtenti, ut ex nunc de cætero, perpetuis futuris temporibus, informatione de contractibus ineundis per literas vel alias prout ipſe Generalis ſtatuerit, à ſubordinatis localibus Præpoſitis, vel Rectoribus aut præfectis, ſeu eorum Vicegerentibus, vel à Provincialibus ſeu Viſitatoribus, aut Commiſſariis, vel ab aliis ſibi bene viſis, auditis juxta eorum inſtitutum Conſultoribus, accepta, quæcumque Domorum, tum profeſſarum, tum probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejuſdem Societatis ubilibet conſiſtentium, bona ſtabilia & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia, necnon & pretioſa mobilia, cujuſcumque qualitatis, & quantitatis ac valoris, & in quocumque loco poſita, pro pretio, & ſub pactis, conditionibus, modis, & formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen Domorum, & Collegiorum hujuſmodi utilitatem, per ſe vel alium ſeu alios vendere, alienare, permutare, ac etiam in emphyteuſim ſeu livellum ad tres generationes vel nominationes tantum, ſeu aliud longum tempus, pro affictu ſibi bene viſo concedere, abſque alia à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus, pro tempore exiſtentibus, aut Sede prædicta, vel illius de latere Legatis, ſeu Nuntiis, aut etiam locorum Ordinariis petenda vel obtinenda licentia, ſeu confirmatione, liberè & licitè poſſit & valeat, concedimus & indulgemus. Ita tamen quod ſi ex ejuſdem Generalis Præpoſiti facultate, pro rerum exigentia, opus ſit, in Europæ videlicet Provinciis, ante datam eidem Præpoſito informationem, contractus alienationum fieri, dominium nihilominus, & poſſeſſio bonorum quorumvis, ſuper quibus contractus hujuſmodi initi fuerint, penes domos, Collegia, ac loca prædicta, donec ipſe Generalis rem confirmaverit, aut ſuum conſenſum deſuper præſtiterit, remaneat ac remanere intelligatur. In Indiis verò & aliis extra Europam regionibus, contractuum hujuſmodi confirmatio ipſis Provincialibus, aut Viceprovincialibus, Viſitatoribus ſeu Commiſſariis, ſibi per eos informatione accepta, committi poſſit ab ipſo Generali Præpoſito. Alias, & in eventum in quem ordo ſuprà ſcriptus non fuerit obſervatus, venditio, alienatio, permutatio, locatio, & conceſſio, ac contractus, necnon inde ſequuta quæcumque nulla, & invalida, nulliuſque roboris ac momenti exiſtant. Ac ita in præmiſſis ſic perpetuò declaramus, & decernimus.

...ntractus ...ſervatis ...expreſſis ...m, & in...des appro...

§. 6. Et nihilominus ex nunc prout ex tunc, & è contra poſtquam venditiones, alienationes, permutationes, locationes, conceſſiones ac contractus pro tempore, ut præmittitur facti, & per dictum Præpoſitum Generalem approbati, & ratificati fuerint, ſeu conſenſus ejuſdem Præpoſiti Generalis intervenerit, eaſdem venditiones, alienationes, permutationes, locationes, conceſſiones, & contractus, & inde ſequuta quæcumque, necnon inſtrumenta, & ſcripturas deſuper pro tempore confectas Apoſtolica auctoritate approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus, omneſque & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint quomodolibet in eiſdem, ſupplemus, decernentes ea omnia, abſque alio deſuper ordinaria vel Apoſtolica, aut alia auctoritate, ſeu de Sedis Apoſtolicæ commiſſione faciendo examine, ac præſentes, & in eis cōtenta, validas & efficaces, validaque & efficacia perpetuo fore, necnon ab omnibus obſervari debere, ipſoſque contrahentes ad contractuum & ſtipulatarũ conventionum obſervationem omnino teneri, ac ſuper præmiſſis & inde ſequutis quibuſcumque per quoſcumque quavis auctoritate quomodolibet moleſtari vel impediri non poſſe. Necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis, eorum in ſpiritualibus Vicariis, aut Officialibus generalibus, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis, ad quos id quomodolibet ſpectat, & in futurum ſpectabit, per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe, vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis Præpoſiti vel aliarum perſonarum ejuſdem Societatis, aut alicujus eorum, ſuper his fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ab omnibus quos illa concernunt integre & inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos aut eorum aliquem deſuper contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Executores deputat.*

§. 8. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Octavi de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & piæ memoriæ Symmachi ac Pauli II. prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, vel alienatis recuperandis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, ac totis eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Contrariis derogat.*

§. 9. Volumus autem, quod earundem præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam ipſius Præpoſiti Societatis munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Tranſumptis credi mandat.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Decemb. 1577. Pontificatus noſtri anno 5.

*Sequitur ampliatio d. auctoritatis alienandi.*

*Edita An. D. 1582.*

GREGORIVS EPISCOPVS,

*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

EX debito Paſtoralis officii ad ea libenter intendimus, per quæ religioſorum locorum, ac perſonarum in eis degentium utilitates, & commoda valeant procurari.

*Authoritas Præpoſiti in celebrandis contractibus refertur.*

§.2. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis Societ. Jesu petitio continebat. Quod poſtquam alias per diverſas literas Apoſtolicas diverſorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & dictæ Societatis Conſtitutiones, & decreta, illius Præpoſito Generali pro tempore exiſtenti, vel ipſi Societati omnimodam Collegiorum, & Domorum probationum, bonorumque ad illa ſpectantium gubernatio, abſque alia perſonarum in eis degentium capitulari congregatione facienda, etiam cum facultate quoſvis contractus emptionum, venditionum, aliarumque venditionum, alienationum, necnon obligationum, ceſſionum quarumlibet rerum temporalium, mobilium, & immobilium, etiam in beneficialibus, ac ſpiritualibus, aliiſque quibuſcumque etiam præjudicialibus, necnon Inſtrumenta quæcumque tam per ſe, quàm per alios celebrandi, ac inſuper Mendicantium, necnon per noſtras literas aliorum Ordinum, & piorum locorum privilegiis omnibus utendi, & alias ſub certis modo, & forma inibi expreſſis, conceſſa fuiſſet.

*Dubia deſuper orta iisdem recenſentur.*

§.2. Denique cum uſus privilegiorum hujuſmodi dictæ Societati parum prodeſſet, eo quòd contrahentes renuerent, neque adducerentur ad contrahendum ſolo privilegio communicationis, eſſetque frequentiſſimum, & maximè neceſſarium ipſi Societati in his ſuis quaſi primordiis, pro Collegiorum & domorũ illius fundationibus, & ampliationibus domos, agros, & bona alia commutare, & vẽdere, ac ſuper his cẽſus imponere, his aliiſque de cauſis.

*Continentia Bullæ hic præinſertæ refertur.*

§.3. Nos eidem Societati, illiuſque Præpoſito Generali pro tempore exiſtenti, quod informatione de contractibus ineundis, per literas vel alias, prout ipſe Præpoſitus generalis ſtatueret, à ſubordinatis Localibus Præpoſitis, vel Rectoribus, aut Præfectis, ſeu eorum vicegerẽtibus, vel à Provincialibus, ſeu Viſitatoribus, aut Commiſſariis, vel ab aliis ſibi beneviſis, auditis juxta eorum inſtitutum Conſultoribus, accepta quæcumque Domorum, tum profeſſarum, tum probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejuſdem Societatis ubilibet conſiſtentium bona ſtabilia, necnon etiam pretioſa mobilia, cujuſcumque qualitatis, & quantitatis, ac valoris, & in quovis loco poſita, pro pretio, & ſub pactis, conditionibus, modis, & formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen Domorum, & Collegiorum hujuſmodi utilitatem, per ſe, vel alium, ſeu alios vendere, alienare, permutare, in emphyteuſim, ſeu livellum ad tres generationes, vel nominationes tantum pro affictu ſibi beneviſo dare licitè valere, etiam abſque alia Sedis Apoſt. vel locorum Ordinariorum licentia, ſeu confirmatione deſuper obtinenda, ita quod venditiones, alienationes, permutationes, locationes, conceſſiones, contractus, inſtrumenta, & inde ſequuta quæcumque, poſtquam ab ipſo Præpoſito Generali ratificata fuiſſent, ſeu illius conſenſus interfuiſſet, eo ipſo Apoſt. auctoritate, nullo alio deſuper habendo examine, vel commiſſione, approbata, & confirmata eſſent, indulſit, prout in ſingulis literis Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur.

*Alia dubia ſunt poſtea exorta.*

§.4. Cum autem ſicut eadem ſubjungebat petitio, quæ de novo emergunt, novo indigeant auxilio, ipſique contrahentes præſertim in Curia varias quotidie requirant cautelas, ſine quibus exiſtimant ſibi non fore ſatis cautum, inter quas ea potiſſima eſt, quod in indulto hujuſmodi non fuerit expreſſum, quod etiam cenſus redimibiles ſuper eiſdem bonis poſſent vendi, quæ tamen ſpecies eſt, eaque minima, venditionis, & idcirco ab aliquot jam annis frequens fuit, ut cenſus redimibiles alias juxta formam privilegii hujuſmodi venderentur, & imponerentur. Quare pro parte dicti Claudii nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi, dictæque Societati in præmiſſis conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Datur d. Præp. amplior facultas.*

§.5. Nos igitur eundem Claudium, & ſingulares ipſius Societatis perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac prædictarum literarum, & conſtitutionum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Claudio, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali dictæ Societatis, vel ipſi Societati, dum ea ſcilicet erit generaliter congregata, ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, per ſe vel per alios, ut informatione, ſicut præmittitur, vel ſi utrilibet viſum erit, extrajudicialiter ac ſummariè & ſimpliciter accepta, vel etiam ea omnino omiſſa, bona Domorum, Collegiorum, & locorum hujuſmodi ſtabilia, & etiam mobilia pretioſa, præſentia, & futura, pro illorum utilitate, ſeu neceſſitate, quibuſcumque perſonis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, cujuſcumque gradus, ordinis & dignitatis exiſtentibus, etiam Collegiis, Communitatibus, & Univerſitatibus, ad eam rationem quæ faciliùs inveniri poterit, & pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteuſim, ſeu livellum, ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis, ſeu inveſtituræ receptione, ac repræſentata pecunia, ſine tamen ſoliti illorum redditus diminutione, necnon generaliter, & ſpecialiter obligare, & hypothecare, ſuper illis cenſus quoſcumque redimibiles imponere, & vendere, necnon de bonis eiſdem compromittere, & quomodolibet ſuper illis tranſigere, illiſque ſimpliciter, vel liti deſuper habitæ, & actioni, etiam in non poſſeſſorem cedere, & reum citare, utilitatemque venditionum, & aliorum hujuſmodi, vel etiam neceſſitatem, aut aliam cauſam, propter quam fiunt, ſimpliciter, & abſque figura judicii cognoſcere, judicare, definire, & penitus terminare liberè, & licitè valeat, & alias juxta dictarum literarum tenorem, harum ſerie, Apoſtolica auctoritate cõcedimus, Et ad hoc, ſi opus ſit, licentias, & facultates omnes prædictas extendimus, & ampliamus. Ipſoſque contrahẽtes, habita ſola Præpoſiti Generalis, vel congregatæ Societatis per literas patentes more ipſius Societatis, vel aliàs confirmatione, aut conſenſu, ſolo contractu ſecuros exiſtere, nec ad venditionum, commutationum, & aliarum hujuſmodi alienationum utilitatis, ſeu neceſſitatis, aut in æquivalentia, vel meliora bona pretii converſionis, vel aliam demonſtrationem teneri. Necnon contractus quoſcumque ſuper his hactenus initos perpetuò valere, parteſque ipſas ad illorum obſervationem omnino obligari, & tam ipſos hactenus initos contractus, quàm in futurum ineundos, quibus ipſius Generalis Præpoſiti, nunc, & pro tempore exiſtentis, vel etiam congregatæ Societatis conſenſus ſeu cõfirmatio acceſſerit, alia Sedis Apoſtolicæ confirmatione, & approbatione non indigere.

*Clauſ. ſublata.*

§.6. Sicque per quoſcumque Judices, ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

*Dantur executores.*

§.7. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris, Toletan. & Treveren. ac Rigen. Archiepiſcopis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe, vel alium ſeu alios eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Claudii, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis, aut Societatis hujuſmodi, vel alicujus eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos vel aliquem eorum deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles

per

per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*…atio …iorum.* §.8. Non obſtantibus fel.rec. Symmachi, & Pauli, aliorumque Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, ſed alienatis recuperandis, aliiſque Apoſt. conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. quibuſvis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, etiam Motu proprio, & Conſiſtorialiter, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine cōceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mētio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permāſuris, ac dictis literis, ſi in aliquo obſtēt, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cōtrariis quibuſcūque.

*…tran- …rum.* §.9. Cæterùm quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca, ubi neceſſarium fuerit, deferre, volumus quod illarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam ipſius Societatis Præpoſiti Generalis munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

*…A.11. …Aug.* Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1582. Nonis Auguſti, Pont. noſtri anno 11.

---

XVII. Quod perſonæ Soc JESU, à quocumque Antiſtite etiam extra tempora, de licentia ſuorum Prælatorum ad ſacros Ordines promoveri, & ad quoſcumque alios regulares Ordines trāſire poſſint, habita licentia Præpoſiti generalis.

*Quamplura de hac Societate indicavi ſuprà in conſt. 25. Pauli III. qui illam primò approbavit, & in alia ejuſdem conſt. 48.*

*…a A. D. …1582.* GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad futuram rei memoriam.*

*…ordium.* PIum, & utile Societatis JESU inſtitutum non patitur certa quædam ab iis, qui ſub ejus vexillo, & diſciplina ſalutari militant, obiri quæ in ſacris ineundis generaliter præſcribuntur.

*…lus III. …uſſit ſociis …, ut cum …ſi li- …à quo- …Antiſti- …moverē- …ad Sacr.* §.1. Quocirca cum dictæ Societatis, ac diſciplinæ alumni nulli Eccleſiæ, nullive loco certo mancipati ſint, ut ibi permaneant, ſed veluti viatores omni tempore parati, expectanteſque diem, & horā qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit uſus, emittantur, ubi quiſque pro captu ſuo, & juxta datam ſibi à Domino ſapientiam ſeſe in vinea Domini excolenda exerceat, ejuſque rei cauſa fel. rec. Paulus Papa III. Præpoſito ejuſdem Societatis conceſſerit, ut idoneos, & comprobatos ab ipſa Societate quibuſcumque mallet Catholicis Antiſtitibus, gratiam, & communionem Sedis Apoſt. habentibus, præſentare poſſit, qui illos ſic præſentatos, abſque ulla promiſſione, vel obligatione, ad Ordines hujuſmodi promoverent.

*…nnulli ta- …Ordinarii …ervantiam …ncil. Trid. …ſ. 23. cap. 8. …uirebant.* §.2. Nonnulli tamen Antiſtites poſt Conc. Trid. decreta, eos ſic præſentatos, prius in cujuſque, tam in minorum, quàm ſacrorum Ordinum hujuſmodi præſcripto munere exercitatos, temporumque determinatorum poſt ſuſceptos præſcriptum finem, antequam ad ſuperiores ordines aſcendant, omnino expectandum, eoſque in eorundem ordinum functionibus, chorique officiis plenè inſtructos, & denique ſuper eorundem vita, moribus, ætate, & natalibus, ad parochi inquiſitionem, aut alias teſtimonium, & certa alia requiſita habenda eſſe contendunt, quamvis ad eoſdem ordines ſuſcipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur.

§.3. Nos his incommodis, quantum in nobis eſt, occurrere volentes, omnibus Epiſcopis, & aliis Antiſtitibus, præſentibus, & futuris, in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, ne ab hujuſmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam prædictorum requirant, vel exigant, ſed ipſos etiā abſque ulla functione in ordinibus ipſis, interſtitiorumque ad illos ſuſcipiendos obſervatione, aut inquiſitione de cantus officiis, & cæremoniis Eccleſiaſticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure ſtatuta, tribuſque Dominicis, vel aliis feſtis diebus etiam continuis ad ſacros, etiam Presbyteratus ordines promoveant, ac ſi illi omnibus requiſitis prædití eſſent. Nos enim illis ordines omnes prædictos ſic ſuſcipiendi, ac prædictis Antiſtitibus eos ipſis conferendi facultatem tribuimus. *Hic ideo PNt. d facultatem reintegrat, & ampliat.*

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copiosè participant, participareque [illegible]terunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Cæterùm quia difficile eſſet præſentes quocumque illis opus erit, deferre. *Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.5. Volumus ut earundem præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam dicti Præpoſiti munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptorum fides.*

Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Septembris 1582. Pontificatus noſtri anno 11. *D. P. A. 11. die 21. Sept.*

*Sequitur facultas tranſeundi ad alios ordines Regulares.*

GREGORIUS PAPA XIII. *Edita A. D. 1582.*

*Ad futuram rei memoriam.*

CUm alias fel. rec. Paulus Papa III. Societati JESU inter alia conceſſerit, ut eorum nemo, ſive profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor ex dicta Societate egrediens, ad alium quàm [illegible] Carthuſienſium Ordinem, niſi de expreſſa Romani Pontificis, vel præpoſiti Generalis dictæ Societatis licentia ſe conferret. *Paul. III. juſſit egredientes à Societate ſolum ad Carthuſien. tranſire poſſe, ut ſupr. in ejus conſtit. cit. in …*

§.1. Itemque Pius Papa IV. voluerit, ne quis prædictorum ab eadem Societate prætextu cujuſvis indulti, vel quæſito colore melioris vitæ, vel ſtrictioris obſervantiæ, etiam ad Mendicantium, vel Ciſterclenſium, ſeu S. Benedicti, aut aliorum Monachorum Ordinem (Carthuſienſi excepto) tranſire poſſit, dubitari contingit: An Præpoſitus pro tempore exiſtens valeat etiam Profeſſos, ex cauſis id exigentibus ab ipſa Societate emittere, aut eis ſic emiſſis liberum ſit de ejus licentia, ſe ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem transferre. *Pius IV. cujus conſt. non poſui, idem vetuit.*

§.2. Nos, re perpenſa, atque diligenter examinata, Societatis ipſius puritati, atque incremento, emiſſorumque pro tempore ſaluti conſulere volentes: ſtatuimus, ut deinceps in perpetuum liceat dicto Præpoſito, quos judicaverit ab ipſa Societate emittere, eoſque de ipſius Præpoſiti licentia, non tantum ad Carthuſienſium, ſed ad quemvis alium Mendicantium, paris, laxioris aut arctioris obſervantiæ Ordinem, per ipſum Præpoſitum illis præſcribendum, de conſenſu tamen Superiorum loci illius, quò deſtinabuntur, demigrare, in eiſque profeſſionem per loci illius Monachos, alioſque ejuſdem emitti ſolitam, emittere, habitumque ſuſcipere, & conſueta uti eorum diſciplina. Ipſis inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne quid contra præſentium tenorem quomodolibet audeant attentare. *Hic modo Poſtea ad omnem ordinem tranſire poſſe declarat, licentia habita à Præpoſito.*

§.3. Non obſtantibus omnibus iis, quæ dicti Pontifices voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis etiam qui ſua privilegia cum prædicta Societate copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus. *Quibuſcumque non obſtantibus.*

*Fides tranſumptorum.* §.4. Cæterum quia difficile foret præſentes quócumque illis opus erit deferre, volumus, ut præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam dicti Præpoſiti munitis, eadem prorſus fides, in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P. A.11. die 22. Septemb.* Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Septembris 1582. Pont. noſtri anno 11.

## LXXVIII. Concilii Tridentini prohibitio de Duellis, extenditur ad duella privatim commiſſa.

*Hanc extenſionem confirmavit, & ampliavit Clem. VIII. infra in ejus conſt.* 11. Illius, *ubi alia hujus materiæ indicabo.*

*Edita An. D. 1582.* *GREGORIVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Conc. Trid. in ſeſſ. 25. c. 10. prohibuit duella.* AD tollendum deteſtabilem Duellorum uſum, Concilium Tridentinum excommunicationem, & alias graviſſimas pœnas in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter in pugnantes, necnon patrinos, conſulentes, ſuadentes, & ſpectatores, ſalubriter quidem decrevit: ſed creſcente hominum malitia facinoroſi non deſunt, qui quod publicè prohibitum eſt, privatim exequi non dubitent, dum ſe pœnas prædictas hoc modo eludere poſſe arbitrantur.

*Hic Pont. prohibitionem ampliat.* §.1. Nos ad hæc coërcenda pleniùs evidentiuſque providendum eſſe rati, conſideranteſque, Duellum privatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium eſſe, quàm quod publicè perpetratur, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, omnes illos, qui ex condicto ſtatuto tempore, & in loco convento monomachiam commiſerint, etiamſi nulli Patrini, ſociive ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæve provocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præceſſerint, cenſuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propoſitis teneri, perinde ac ſi publico, & conſueto abuſu ſingulare certamen iniviſſent. Volentes etiam locorum Dominos, ſi certamen ex condicto hujuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios quovis modo ſeſe præbentes, eiſdem cenſuris, & pœnis ſubjacere, etiamſi illi qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit, quo minus illa committatur.

*Contrariis derogat.* §.2. Non obſtantibus privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Alia conſtit. firma remaneant.* §.3. Conſtitutionibus tamen, & aliis ſanctionibus Apoſtolicis hac de re diſponentibus in ſuo robore duraturis.

*D.P. An. 11. die 5. Dec.* Dat. Rom. apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1582. Non. Decemb. Pont. noſtri anno 11.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate Domini* 1582. *Indict.* 10. *die verò Veneris menſis Decemb. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno* 10. *retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Eccleſiæ S. Ioan. Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Petrum Aloyſium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum Apoſtolicos Curſ.*

*Petrus Delbequez Mag. Curſ.*

## LXXIX. Erectio Eccleſiæ Epiſcopalis Civitatis Bononiæ, in Provincia Lombardiæ, in Eccleſiam Archiepiſcopalem.

*Hanc erectionem approbavit, ſed limites, & Eccleſias ſubjectas immutavit Clem. VIII. in conſt.* 166. Romanus.

Similem erectionem de Eccleſia Senenſi ſtatuit Pius II. in conſtit. 3. *Triumphans.* Et de Eccleſia Firmana Sixt. V. in conſt. 95. *Vniverſi.*

*GREGORIVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœm.* UNiverſi Orbis Eccleſiis, eo diſponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet imparibus præſidentes, in omnes agri dominici partes oculos noſtræ mentis, vigilis more paſtoris intendimus, inſpicientes, quid Eccleſiarum ipſarum, præſertim Cathedralium inſignium, ſtatui & decori maximè conveniat: atque hoc quidem tantò liberalius, promptiuſque curandum cenſemus, quantò magis civitatum celebritas, ac civium, & populorum ſuorum vota id expoſcunt, ac divino fulti præſidio, illius qui cuncta ex ſua benignitate ad fidelis populi ſui ſalutem diſponit, ad ea quæ ad dignitatem, & ſtatum Eccleſiarum hujuſmodi augendum pertinent, officii noſtri partes libenter convertimus, prout cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque Eccleſia Bononienſis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, cui dilectus filius noſter Gabriel Tit. S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Paleottus nuncupatus, ex diſpoſitione Apoſtolica præeſt, & quæ in primis S. Petronii Epiſcopi, & Protectoris Bononiæ interceſſionibus, & meritis, omni quidem tempore divinæ pietatis abundantia magnis multiſque ornamentis exculta, non modò diœceſis magnitudine ſatis in omnem partem patens, ſed cleri, populique pietate, dignitate, & amplitudine florens, Epiſcoporum quoque ordine ſuccedentium, quos item multos ab initio ferè naſcentis Religionis, ſævientibus adhuc infidelium perſecutionibus, fidei defenſores, & in Sanctorum conſortio adſcriptos habet, numero affluens, ſacrarum præterea reliquiarum copia abundans, religioſiſſimis quoque templis, Baſilicis, Monaſteriis, locis piis, & aliis quæ ad omnem ejuſdem cleri, populique Bononienſis laudem inſignia ſunt, pietatis Chriſtianæ monimētis ornata, valde per ſe ipſa elucet.

§.2. Cumque Civitas ipſa jam inde uſque à Theodoſio Imper. ampliſſimis illuſtrata privilegiis, & à diverſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad Regum congreſſus, Imperatoris coronationem, Concilii Oecumenici tranſlationem, aliaſque maximas res gerendas delecta, ejuſdemque Apoſtolicæ Sedis primogenita, & ſtudiorum mater ab omnibus meritò nuncupata, nobiliſſimo Gymnaſio, Doctorumque & Scholarium ex omnibus orbis Chriſtiani partibus illuc convenientium frequentia, clariſſimo Quadragintavirûm Senatu, & Magiſtratibus decorata, aliorum item illuſtrium virorum, apud quos & veræ Religionis cultus, & ſumma in Rom. Pont. ipſamque Sedem obſervantia, & ſtudium ſemper enituit, copia quidem inſignis: quippe quæ in omnibus ſchiſmatibus partes veri Pontificis perpetuò ſuſtinuerit, & viros dignitatibus Eccleſiaſticis claros, Epiſcopos, Cardinales, Pontificeſque de Eccleſia Dei optimè meritos ſæpenumero tulerit: ædificiorum item magnificentia, opibus, fertilitate, populi magnitudine, egregia erga exteros hoſpitalitate, ac præcipua erga omnes benevolentia, & charitate, omnique alia virtute illuſtris & ſit, & habeatur.

§.3. Nos aliorum Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum, qui eodem honore patriam ſuam condecorarūt, morem exemplumque ſecuti, & ejuſdem etiam Cardinalis Epiſcopique Bononienſis, cujus non ignota eſt cura, & ſollicitudo in gloria Dei ſaluteque animarum procuranda pro ſtudio adducti, & patriæ ipſius noſtræ Bononienſis, quam unicè in Chriſto diligimus, ſingularibus erga hanc Sedem meritis commoti, paternoque deſiderio, & ea ſpe qua tenemur id fore, ut patria ipſa Bononien. hoc ſingulari beneficio noſtro excitata, ſeſe in dies ad benè agendum magis magiſque conformet, accenſi, necnon Eccleſiæ ipſius, quam totis in Chriſto viſceribus complectimur, meritis permoti, ad illam meritis honoribus augendā & promovendā adducti, piis quoque ſupplicationibus dilectorum filiorū ejuſdem Civitatis Quadragintavirûm, aliorumque Magiſtratuum excitati, poſt habitam cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Card. maturam deliberationem, de illorum conſilio, atque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad laudem, gloriam, & honorem Omnipot. Dei, ac B. Mariæ ſemper virginis, & SS. Apoſt. Petri & Pauli, ejuſdemque S. Petronii Epiſcopi, & Patroni Bononien.

Bononienſis, necnon ad univerſalis Eccleſiæ exaltationem, Eccleſiam ipſam Bononienſem in Metropolitanam Eccleſiam, & Sedem Epiſcopalem Bononienſem in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopaliſque, & Metropolitani Præſidis Sedem, & provinciæ caput pro illius Archiepiſcopo pro tempore exiſtente, qui pallii, & crucis uſum aliorum Archiepiſcoporum more habeat, omnibuſque aliis inſignibus Archiepiſcopalibus, necnon privilegiis, honoribus, & prærogativis aliis Archiepiſcopis debitis, & conceſſis gaudeat, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus, ac nomine, titulo, & honore Archiepiſcopali, & Metropolitano decoramus.

§. 4. Necnon Placentin. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Cervien. & Cremen. Eccleſias, earumque omnium & ſingularũ Civitates, & Diœceſes, cum omnibus, & ſingulis earum Territoriis, & terminis, ac dilectos filios Clerum, & Populum univerſum cum ſuis Collegiatis, Parochialibus, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis utriuſque ſexus, cæteriſque beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, ſæcularibus, & quorumvis ordinũ regularibus, necnon hoſpitalibus, domibus, collegiis, & locis religioſis quibuſcumque ab ejuſdem Sedis Apoſt. immediata, ſive alterius cujuſcũque etiam Metropolitani ſubjectione, etiam perpetuò dividimus, & ſeparamus, illaſque & earum Diœceſes, ac Civitates, poſthac in provincia Bononienſi eſſe, & conſiſtere, neque in alia Provincia cenſendas, & numerandas eſſe decernimus, & declaramus, & quatenus alteri Provinciæ Archiepiſcopovè etiam Mediolanenſi, & Ravennatenſi, tam antiquo jure, conſuetudine, privilegio, vel alterius Metropolis erectione, ſive inſtitutione, quàm jure electionis ex Sac. Cóc. Trid. decreto factæ, vel alia quavis ratione, & cauſa antea adjũctæ ſubjectæque, in toto, aut in parte eſſent vel cenſerẽtur, ſive in illius poſſeſſione, vel quaſi ſe eſſe prætenderent, ab omni illius, ſive alterius Provinciæ, vel Archiepiſcopi, etiã Mediolanenſis, & Ravennatẽſis, aut illorum Capitulorũ jure Metropolitico, correctione, viſitatione, ſubjectione, & omni quacũquę alia juriſdictione, obedientia, & ſuperioritate, ſi qua forſan quavis occaſione illis cõpeteret, ſive competat, ſimiliter perpetuò eximimus, & liberamus.

§. 5. Necnon dictæ Bononienſi Eccleſiæ prædictas Placen. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Cervien. & Cremen. Civitates, & Diœceſes pro ſua Metropolitana Provincia, ac Placen. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Cervien. & Cremen. Eccleſias præfatas, modernoſque, & pro tempore exiſtentes illarum ſingularum Præſules pro ſuis & pro tempore exiſtẽtis Archiepiſcopi Bononienſis ſuffraganeis, qui, necnon earum ſingularum Capitula etiam quocumque privilegio ſuffulta, tanquam membra capiti eidem Archiepiſcopo Bononiẽſi jure Metropolitico ſubſint, ſibique obedientiam, & reverentiam tanquam proprio Metropolitano prorſus exhibeant, pariter perpetuò ſubjicimus, eidẽque Archiepiſcopo Bononienſi prędictos ſuos ſuffraganeos conſecrandi, ad provinciales Synodos evocandi, ac cum eis etiam Eccleſiaſtica negotia terminandi, eorum Eccleſias diſponendi, ad cauſas quarumcumque appellationum, ſive querelas alias juxta ſacrorum Canonũ ſtatuta cognoſcendi, omniaque alia & ſingula, quæ de jure vel cõſuetudine, aut aliàs quomodolibet ad Archiepiſcopos, & Archiepiſcopale munus ſpectare, & pertinere ſolent, & debent, gerendi, & exercendi plenam, & omnimodam concedimus facultatem. Provinciæ quoque Bononienſi Clerum, & Populum univerſum pro eorundem Eccleſiæ, & Archiepiſcopi Bononienſis provincialibus ſimiliter perpetuò concedimus, & aſſignamus.

§. 6. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obſtantibus regula noſtra de jure quæſito non tollendo, ac quibuſvis aliis cõſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Placentin. Parmen. Mutinen. Regien. Cervien. Imolen. & Cremen. ac Ravennaten. & Mediolanen. Eccleſiarum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, illarumque Præſulibus, & adminiſtratoribus, ac Capitulis, & perſonis, ſub quibuſcũque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiã Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de ſimili Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & conſiſtorialiter, & de ſimili conſilio, ac aliàs quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ, nihil penitus omiſſo, exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie, de conſilio, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, derogationis, diviſionis, ſeparationis, declarationis, exemptionis, liberationis, ſubjectionis, conceſſionis, aſſignationis, decretorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1582. 4. Idus Decemb. Pont. noſtri anno 11. *Dat. P. A. 11. die 10. Dec.*

---

## Abbatiſſæ & aliæ Præfectæ Monaſteriorum Monialium in Italia ad triennium tantummodò eligantur. LXXX.

*Quoad modum eligendi, habes Concil. Trident. in ſeſſ. 27. cap. 7.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1583.*

EXpoſcit debitum Paſtoralis officii, quod diſponente Domino gerimus, ut ad ea ſollicitè intendamus, per quæ Monaſteria, & alia Religioſa loca, præſertim Deo dicatarum Sanctimonialium, ſecundùm regularis diſciplinæ normam regantur, & gubernentur. *Exordium.*

§. 1. Perpendentes igitur varia, & multiplicia damna, quibus plerumque afficiuntur Monaſteria Monialium, quæ per Abbatiſſas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, è contra verò Abbatiſſas, & alias Præfectas triennales, ſcientes ſe lapſo triennio ſuæ adminiſtrationis rationem eſſe reddituras, ac ſperantes de benè geſtis laudem promereri, pœnam verò ſi malè geſſerint, metuentes, majori ſtudio, ac diligentia regimen & adminiſtrationem Monaſteriorum ſibi commiſſorum gerere. *Cauſa hujus conſt.*

§. 2. His & aliis rationabilibus cauſis adducti, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, in omnibus, & ſingulis Monaſteriis Monialium S. Benedicti Ciſtercien. Carthuſien. & aliorum quorumcumque Ordinum in univerſa Italia, & præſertim in utriuſque Siciliæ Regnis conſiſtentibus, quæ nunc per Abbatiſſas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, & gubernantur, cum primũ Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ hujuſmodi regimini, & adminiſtrationi ipſorum Monaſteriorum ceſſerint, etiam apud Sedem Apoſtolicam, vel deceſſerint, eorum Abbatiſſatus, ſeu Præfecturas vacare contigerit, Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ non ampliùs perpetuæ, ſeu ad vitam, quarum nomen, ac titulum ex nunc, prout ex tunc, Apoſtolica auctoritate ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò extinguimus, & abolemus, ſed triennalis tantum à Conventu uniuſcujuſque Monaſterii, & aliàs juxta decreta Sac. Conc. Trid. & regularia ſuorum Ordinum inſtituta eligantur, & præficiantur, quæ poſtmodùm elapſo triennio, ſuis officiis perfunctæ, præeſſe deſinant, omnique prorſus careant auctoritate, ac à regimine, & adminiſtratione Monaſterii per triennium à die finitæ adminiſtrationis inchoandum abſtineant, quo elapſo, ſervata eadem forma Conc. Trid. iterum & pluries eligi poſſint. *Abbatiſſa Monialiũ ad trienniũ tantummodo eligantur, juxta ſuorum Ordinum inſtituta & Conc. Trid.*

*Prohibitio aliter eligendi.*

§.3. Diſtrictiùs inhibentes omnibus, & ſingulis dictorum Monaſteriorum Conventibus, Superioribus, & perſonis, ne aliquam Abbatiſſam, aut aliam Præfectam perpetuam, ſeu ad vitam, ſeu triennalem tantum eligere, & præficere ullo modo audeant, vel præſumant.

*Decretum irritans.*

§.4. Quod ſi ſecus à quoquam quavis auctoritate fuerit attentatum, electionem, & præfectionem hujuſmodi, ac omnia, & ſingula, quæ inde ſequentur, irrita, nulla, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti fore. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & definiri debere decernimus.

*Clauſ. derog.*

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Monaſteriorum, & Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Monaſteriis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores, ac ſi ad verbum insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§.6. Cæterum quia difficile foret præſentes noſtras ad ſingula quæque loca, ubi neceſſarium fuerit, deferre, volumus quod illarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 11. die 1. Ianuar.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Januarii 1583. Pont. noſtri anno 11.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1583. Indict. 11. die verò 4. menſis Ianuarii, Pontificatus S. N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno 11. retroſcripta literæ affixæ & publicatæ fuerunt in Acie Campi Floræ, dimiſſa earum copia auſcultata, & collationata cum dictis literis in valvis ejuſdem aciei affixa per me Ioannem Freile, Curſ. S.D.N. Papæ.*

*Petrus Delbequez Mag. Curſ.*

---

## LXXXI. Excommunicatio & anathematizatio quorumcumque hæreticorum, necnon aliorum omnium, qui contentis in hac Bulla Cœnæ Domini contraveniunt.

*Alias habes ejuſmodi Bullas; quas tibi indicabo in conſt. 63. Pauli V.* Paſtoralis, *apud quam poſui notas, quæ etiam huic Bullæ congruæ videntur.*

*Edita A. D. 1583.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Excommunicantur infraſcripti.*

Conſueverunt Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ad retinendam puritatem Religionis Chriſtianæ, & ipſius unitatem, quæ in conjunctione membrorum ad unum caput, Chriſtum videlicet, ejuſque Vicarium principaliter conſiſtit, & Sanctam fidelium Societatem ab offenſione ſervandam, arma juſtitiæ per miniſterium Apoſtolatus in præſenti celebritate exercere.

*Hæretici, eorumque fautores, & libros prohibitos legentes, & ab obedientia Rom. Pontif. recedentes.*

§.1. Nos igitur vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, auctoritate quoque BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra quoſcumque Uſſitas, Vicleffitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, ac omnes, & ſingulos Hæreticos, quocumque nomine nuncupentur, & cujuſcumque ſectæ exiſtant, & eorum credentes, ipſorumque receptatores, & fautores, & generaliter quoſlibet defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut tenentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnon ſchiſmaticos, & eos qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

*Appell. Papa ...*

§.2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint, & interdicimus Univerſitates, Collegia, & Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, ſententiis, ſeu mandatis noſtris, ac Rom. Pont. pro tempore exiſtentium, ad univerſale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.

*Piratæ ... liantes.*

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos præcipuè qui mare noſtrum, à Monte argentario uſque ad Terracinam diſcurrentes, eos, qui in illo navigant deprædantur, mutilant, interficiunt, rebuſve, & bonis ſuis ſpoliant, omneſque receptatores eorundem, & eis auxilium ſcienter dantes, vel favorem.

*Naufr... bona ... rapientes, ab aliis ... accipientes.*

§.4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque navibus tempeſtate in tranſverſum, ut dici ſolet, jactatis, naufragium paſſis, aut etiam ſubmerſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eis delapſa, & in mari, vel littore inventa cujuſcumque generis bona, tam in noſtri Tyrrheni, & Adriatici, quam in quibuſcumque aliis cujuſcumque maris regionibus, & litoribus rapuerint, aut ſcienter ipſi ſibi acceperint, aut ab aliis rapta, ſeu accepta ſcienter receperint, ita ut nec etiam ob quodcumque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

*Pedagia ... ſtate ... nentes.*

§.5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes qui in terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas ad id poteſtatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi, vel augeri prohibita exigunt.

*Falſ... literas ... vel falſ... bricantes.*

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, & in forma Brevis, ac ſupplicationum, gratiam vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarium, ſeu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontif. ſignatarum, aut ſub nomine ejuſdem Romani Pontif. ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum, ſignantes ſupplicationes eaſdem, ac etiam falſo fabricantes literas Apoſtolicas, & in forma brevis, ac ſupplicationes hujuſmodi. Extendentes conſtitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ III. quæ incipit. Ad falſariorum, cum omnibus pœnis in ea contentis, ad eoſdem fabricantes, & etiam ad falſificantes, ſeu mutantes ſupplicationes per nos, ſeu de mandato noſtro ſignatas, & data, ſine noſtra, aut Datarii noſtri licentia.

*Arma ... quibus C... ſtiani ... gnantur ... infidelibus ... ferentes, ... concernentia ſtatum ... pub. Chr... na eiſdem nunciantes.*

§.7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quam ex quacumque alia materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Chriſti nominis inimicis. Necnon illos qui per ſe, vel alium, ſeu alios de rebus Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & conceſſionibus quibuſcumque Principibus, & Dominis, ſive privatis perſonis, per nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, quæ illis nolumus in aliquo ſuffragari.

*Victualia ... alia ad ... bem defe... tium per... batores, ... que fautores.*

§.8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſive invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiã eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, impediunt, ſeu perturbant, vel pro eis aliquid exigunt, aut ſolvere faciunt, ſeu hæc facientes defendunt

per

per ſe vel alium ſeu alios, cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, ac etiamſi Pontificali vel Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes ex propoſito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem cauſa devotionis, ſeu peregrinationis, & prorſus omnes alios ad Sedem Apoſtolicam accedentes, vel apud eam morantes aut recedentes ab ipſa, & illis dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui non habentes in eadem Curia juriſdictionem ordinariam vel delegatam, ejus prætextu capiunt, ſpoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardinales ac Patriarchas, Archiepiſcop. Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos ſeu Nuntios, aut eoſdem ejicientes à ſuis diœceſibus, territoriis, Terris, ſeu Dominiis, eaque mãdantes vel rata habentes, ſeu præſtantes eis auxilium, conſilium vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui per ſe vel alium ſeu alios, quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas vel ſæculares ad dictam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, illaſque in eadem Curia proſequentes aut procurantes, negotiorumque geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes ipſorum, ſeu etiam Auditores vel Judices, ſuper dictis cauſis vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum vel negotiorum hujuſmodi verberant, mutilant, occidunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe vel alium ſeu alios, directè vel indirectè, prædicta exequi vel procurare, aut in eis conſilium, auxilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

§. 13. Ac etiam omnes, tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares, cujuſcumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem à gravamine vel futura executione literarum Apoſtolicarum, & in forma brevis, tam gratiam quam juſtitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum executorialium, & aliorum decretorum, à nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias ſæculares, & laïcam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci procuratore, appellationes hujuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt. Quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, conſenſu vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii ſuper hujuſmodi literarum, & proceſſuum executione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes, ſeu earum agentes, Notarios, executores, & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur, per ſe vel alium ſeu alios, publicè vel occultè, ſeu capi, carcerari, detineri, percuti, vulnerari, miniſque agitari faciunt. Quive alias quibuſcumque perſonis, in genere vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorũ negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eos apud ſe, aut Notarios ſeu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Conſiliarios, ordinarios, & extraordinarios quorumcumque Regum, & Principum, ac Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, & Parlamentorum, necnon procuratores generales eorundem, vel aliorum Principum ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, quocumque nomine nuncupentur, alioſque Judices, tam ordinarios quam delegatos, necnon Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Commendatarios, Vicarios, & officiales, qui per ſe vel alium ſeu alios auctoritate propria, & de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illarumve curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, Conventus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Judices interponunt, quique partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel conſentiendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum vel alias compellunt, vel executionem literarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium proceſſuum ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt. vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur.

§. 15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, & Collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, audientiam, Cancellariam, Conſilium vel parlamentum, præter juris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt vel procurant, directè vel indirectè, quovis quæſito colore. Necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta, in genere vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu literarum Apoſtolicarum uſu non receptarum, ſeu revocatarum, vel cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet, directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè præjudicatur.

*Trahentes ad ſæcularia Tribunalia præter juris diſpoſitionẽ perſonas Eccl. et Eccleſiaſt. et libertatem lædentes.*

§. 16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, ſecundum quod Canones, & ſacræ conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt. Ac etiam eos qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam delegatorum quorumcumque ſententias & decreta, aut aliàs fori Eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias & alias curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinariis aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. Eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, patrocinium, & favorem in eiſdem.

*Impedientes juriſdictionẽ Judicum Eccleſiaſticorũ, eorumque fautores.*

§. 17. Quive juriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus, ad nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione vel cauſa, ſine Rom. Pont. vel eorum ad quos jure pertinent, expreſſa licentia ſequeſtrant.

*Uſurpãtes Sedis Apoſt. & quarumcumque Eccleſiarum juriſd. & fructus, vel eos ſequeſtrantes.*

§. 18. Quive collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorũ bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita,

*Impõnẽtes decimas & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, aut Eccleſiis, & eorum fructibus abſque licentia Pontificis.*

Qq 4 etiam

etiam à ſpontè dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alium ſeu alios, directè vel indirectè prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem, aut votum ſeu ſuffragium, palam vel occultè præſtare non verētur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones Reſpublicæ, & alii Potentatus quicumque, etiam, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris quoquo modo præſidentes, aut quavis, etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateran. noviſſimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum cenſuris & pœnis in eis contentis.

*Judices ſæculares ſe interponentes in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas.*

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, Senatores, Præſidentes, Auditores, & alios Judices quocumque nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, Scribas, ac executores, & ſubexecutores, & alios quoquo modo ſe interponentes in cauſis capitalibus ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas banniendo, capiendo, proceſſando, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcumque privilegiorum à Sede Apoſtolica ex quibuſvis cauſis, ac ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, in genere, & ſpecie conceſſorum, quibuſcumque Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuſpublicis, Monachis, Civitatibus, & aliis quibuſcumque potentatibus, quocumque nomine cenſeantur, quæ nolumus illis in aliquo ſuffragari, illa omnia ex nunc in irritum revocando.

*Occupantes Terras, & loca S. R. E. aut in illis juriſdictioné uſurpātes, eorumque fautores.*

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui per ſe vel alium ſeu alios, directè vel indirectè, ſub quocumque titulo vel colore, de facto occupant vel detinent, vel hoſtiliter deſtruunt vel invadunt, occupare, detinere, vel deſtruere, aut invadere hoſtiliter præſumpſerint, in totum vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Ducatum, Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Civitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubjecta, quive ſupremam juriſdictionem in illis, nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem, de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt. Necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

*Raptores bonorum Cam. Apoſt. tempore infirmitatis Pontificis, aut vacationis Sedis Apoſtol.*

§. 21. Necnon omnes, & ſingulos ſupellectilium, librorum, ſcripturarum, & bonorum Cameræ, & Palatii Apoſtolici, ex eodem Palatio, infirmitatis Rom. Pont. ac Sedis Apoſtolicæ vacationis tempore ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoſcumque alios ad quorum manus bona prædicta quocumque titulo, & ex quavis cauſa ſcienter pervenerint.

*Hæc conſtitutio durat uſque ad publicationem alterius ſimilis conſt.*

§. 22. Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia & quæcumque his literis contenta, quouſque alii hujuſmodi proceſſus à nobis aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

*Reſervatio abſolutionis.*

§. 23. Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, & Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confratribus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, necnon laïcis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque ſcriptura, in genere & in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

*Abs[illegible] alio[illegible] bus [illegible] varii[illegible] muni[illegible]*

§. 24. Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

*Ab[illegible] Pōtif[illegible] compr[illegible]*

§. 25. Declarantes ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum verò à propoſito ulterius ſimilia non committendi deſtiterint, ac quoad eos, qui contra libertatem, ut præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis ſeu Capitularibus locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari. Quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios, tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocumque tempore continuata, in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcumque juribus Sedis Apoſtolicæ, ac S.R.E. undecumque, & quomodocumque quæſitis vel quærendis nullatenus præjudicari poſſe, ſeu debere.

*Clau[illegible]*

§. 26. Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus, & aliis cujuſcumque Ordinis, ſtatus, vel conditionis dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus ſeu locis, à prædicta Sede ex quavis cauſa, etiam per viam contractus aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuſlibet obſervantiis, ſcriptis vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc, earum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma [illegible] candi [illegible] conſt. [illegible]*

§. 27. Ut verò præſentes noſtri proceſſus ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas ſeu membranas proceſſus ipſos continentes valvis Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi faciemus, quæ proceſſus ipſos quaſi ſonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut ii quos proceſſus hujuſmodi contingunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

*Ordinar[illegible] corum [illegible] quot[illegible] conſt[illegible] in [illegible] eclesi[illegible] ti po[illegible] blicari.*

§. 28. Inſuper, ut proceſſus ipſi, ac præſentes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eo fiant notoria, quo in pleriſque civitatibus & locis fuerint publicata, univerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & locorum Ordinariis, Prælatis, & Rectoribus ubilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiā pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter

niter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

§.29. Cæterum hortamur eoſdem univerſos, & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque locorum Ordinarios, & Eccleſiarum Prælatos, necnon Rectores, cæteroſque curam exercentes, ac presbyteros ſæculares, & quorumvis Ordinum regulares ad audiendum confeſſiones quavis auctoritate deputatos, ut tranſumptum harum literarum penes ſe habere, legere, & diligenter examinare procurent.

§. 30. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem, in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

§.31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, innodationis, mandati, hortationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1583. pridie Nonas Aprilis, Pont. noſtri anno 11.

## XXII. Quod Præceptoriæ Militiæ, & Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani vacent per promotionem ad Epiſcopatum.

*De hac Militia latè notavi ſuprà ad conſt. 2. Anaſt IV.* Chriſtianæ.

*A.D. 1583.* *GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

Controverſia inter Venerabilem fratrem noſtrum Thomam Epiſcopum Melevitan. & dilectum filium Michaëlem Palentin. proximè ſuſcitata, occaſione Præceptoriæ de Maſden, Prioratus Catalauniæ, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, de qua pridem vacante per ſuſceptionem muneris conſecrationis ejuſdem Epiſcopi, dicto Michaëli canonicè proviſum fuerat, ipſe verò Epiſcopus illam non ut beneficium vacationi obnoxium, ſed ut prædium poſſidere poſſe contendebat.

§.1. Nos cauſam hujuſmodi cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, omni, & quacumque appellatione remota, qui voto Auditorum cauſarum Palatii Apoſtolici de mandato noſtro adhibito, proviſionem prædictam canonicam declaravit, perpetuum Epiſcopo ſilentium imponendo, ac prætenſam ejus appellationem rejiciendo.

§.2. Quare nos attendentes, Epiſcopum dictam præceptoriam, ſive beneficium, ſive quodvis aliud, cum ſua Eccleſia ſine diſpenſatione Apoſtolica retinere non poſſe, ideoque juſtæ Michaëlis poſtulationi aſſentientes, prædictam declarationem, & quicquid ab ipſo Auditore in hac re decretum eſt, præſentium tenore approbamus & confirmamus, provocatione, vel proteſtatione ex parte Epiſcopi interjecta non obſtante. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S.Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1583. tertio Kal. Maii, Pont. noſtri anno 11.

## XXIII. De electione, numero, & qualitatibus Magiſtrorum ſacræ Theologiæ, de cætero in Provinciis Italiæ eligendorum ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

*Alia de hoc Ordine ſcripſi apud Alexand. IV. conſt. 6. Licet, ſup.*

Quoad promovendos hujus Ordinis fratres ad Doctoratus, & Magiſteria in ſacra Theologia in Provincia Hiſpaniarum, & Indiarum, attende conſtitut. S.D.N. Urbani VIII. 40. *Romanus*, infra tom. 4. ubi alias Conſtit. de hoc Ordine tractantes indicatas reperies.

*GREGORIUS PAPA XIII.* *Edita A. D. 1583.*
*Dilectis filiis Priori generali, & fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Provinciarum Italiæ.*

Dominicum gregem ſollicitudini noſtræ commiſſum, internis oculis perſpicacius introſpicientes, Religioſorum, & eorum, qui mundanis abjectis illecebris, Altiſſimo in humilitatis ſpiritu famulantur, præcipuam curam gerere, & ea, quæ profeſſioni illorum adverſari, ſeu quomodolibet illorum quietem, & felicem ſtatum perturbare poſſe videntur, de medio tollere, quantum ex alto nobis conceditur, ſatagentes, mentis noſtræ aciem ad ordinem veſtrum ab ipſo Sancto Aurelio Auguſtino inſtitutum præcipua cura convertimus. *Exordium.*

§.1. Cumque inter vos ſumma cum totius agri Dominici fertilitate, quamplurimi ſacris literis operam navantes, ad Lectoris, Baccalaurei, & poſtremò Magiſtri, ſeu Doctoris in ſacra Theologia gradum promoveri, & promoti certis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, & ſuperioritatibus, juxta Ordinis & regulæ veſtræ ſtatutorum, & inſtitutionum formam, & continentiam frui, & gaudere conſueverint. Et propterea multi propriis potius quam communibus commodis ſervientes, ſeipſos publicis officiis, oneribus, & laboribus ſubtrahere ſatagentes, ad Magiſterii, ſeu Magiſtri, ſive Doctoris gradum properanter anhelant, illum modis omnibus ambientes, adeo ut niſi malo hujuſmodi celeriter occurratur, brevi tempore dubitandum ſit, ne plures Magiſtri, quam diſcipuli in veſtro Ordine, præſertim in Provinciis Italiæ, reperiantur: & cum omnes privilegio magiſterii, ſeu magiſtri, vel doctoris ſuffulti fuerint, nemo qui neceſſaria ſingulorum monaſteriorum, ſeu domorum veſtrarum munia exercere velit, reliquus futurus ſit. Unde factum eſt, ut fratres Eremitæ Ordinis veſtri Provinciarum extra Italiam conſtitutarum, Magiſtros ſeu Doctores, niſi magna cum cautela, & parvo numero à certis annis citra non admiſerint, nec admittant de præſenti. *Cauſa hujus conſt.*

§.2. Nos igitur malis hujuſmodi occurrere, & communi utilitati veſtrûm omnium conſulere, & ut poſthac nonniſi idonei, & in numero decenti ad magiſterium, ſive Magiſtri aut Doctoris gradum promoveantur, providere volentes, Prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim felicis recordationis Bonif. Papæ VIII. qui alias per ſuas literas ſub Dat. Rom. apud S.Petr. quinto Kal. Maii, Pont. ſui Anno decimotertio, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtros hujuſmodi creandi modum & normam præſcripſit, inhærentes. Motu proprio, non ad veſtram, ſeu alicujus veſtrûm ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra certa ſcientia, & ſpontanea voluntate, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, decernimus, ordinamus, volumus, mandamus, vetamus, & prohibemus, ne poſthac Prior Generalis Ordinis veſtri pro tempore exiſtens, neque etiam ipſum Capitulum generale capitulariter congregatum, aut quodcumque Capitulum, ſive Congregatio Provincialis, cujuſcumque Provinciæ intra Italiam conſtitutæ, ſive alii quicumque, quacumque Eccleſiaſtica, ſive mundana præfulgeant dignitate, & poteſtate, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, prætextu cujuſcumque conſuetudinis, etiam immemorabilis, ſive privilegii aut indulti Apoſtolici ex quacumque cauſa quomodolibet pro tempore, etiam Motu proprio per quoſcumque Prædeceſſores noſtros, aut nos forſan conceſſi, & innovati, quoſcumque, quantumcumque idoneos, & habiles ad magiſterium, ſive Magiſtri, aut in ſacra Theologia Doctoris gradum & dignitatem quomodolibet efferre aut promovere, ſeu efferri, & promoveri permittere poſſit aut valeat, audeat ſeu præſumat, niſi ſingulis ſex annis in ſingulis Capitulis Generalibus, coram Definitoribus, & in ipſo Definitorio, & non ultra duos ex ſingulis Italiæ Provinciis, ſeu Congregationibus, ac aliàs modis, formis, locis, temporibus, & à perſonis infraſcriptis examinandos, & *Præſcriptio numeri, qualitatum Magiſtrorum in Theologia eligendorum. Ac tempus promovendi & locus.*

appro

approbandos, videlicet ut in Capitulis Provincialibus à vobis & ſingulis veſtris Italiæ Provinciis ſeu Congregationibus, ſtatutis temporibus celebrari ſolitis, ex vobis ipſis, & ex ſingulis quibuſque reſpectivè Provinciis ſeu Congregationibus, ſi fieri poſſit, ſin autem ex vicinioribus, viri Magiſtri ſacra Theologia, moribus, & doctrina idonei duo, qui ad magiſterii gradum, & modo, forma infraſcriptis promovendos examinare, & in eorum, & cujuſlibet eorum vitam, & mores inquirere, illorumque concurſus audire, ut de eo ſive eis rectè judicare poſſint, & valeant, eligantur, jurentque Electi ipſi, ſe ſolo Religionis zelo, omni humano affectu poſtpoſito, illos ſeſe electuros, quos vita, moribus, & doctrina idoneos, ſeu idoneiores ex ſuæ cujuſque conſcientiæ judicio judicabunt.

*Experimentum & examen eorundem.*

§. 3. Omnes verò, & ſinguli de ſingulis quibuſcumque Italiæ Provinciis, ſeu Congregationibus reſpectivè, qui ſe ad Magiſtri, ſeu Magiſterii vel doctoratus hujuſmodi gradum, & dignitatem aſcendere poſſe confident, ex ipſis quibuſque reſpectivè Provinciis ſeu Congregationibus, ſi aderunt, ſin autem etiam ex aliis, dummodo promovendi ipſi ad aliquod monaſterium illius Provinciæ, in qua promovendi fuerint, transferantur, & ab eo in filios legitimè ſuſcipiantur, ſumma cum diligentia, & maturitate ab Electis hujuſmodi examinentur, & in eorum omnium, & ſingulorum ſcientia, & doctrina periculum fiat, & experientia, & centum formatis ſchedulis diſtinctiones, & punctos ex quatuor Magiſtri ſententiarum libris, vigintiquinque ſcilicet ex libro quolibet excerptos continentibus, illiſque in unam conjectis, ſingulæ ſorte extrahantur, quæ ſingulis promovendi incontinenti aſſignentur, & ſuper ſchedulis ipſis, ſive cunctis ſibi aſſignatis, qui ſorte obvenerint, ſinguli promovendi vigintiquatuor horarum ſpatio in præſentia duorum, ſicut præmittitur, Electorum, & aliorum Doctorum virorum ac Patrum vocalium ipſius Capituli Provincialis, lectionem, ut vocant, ſcholaſticam legere, & ex ea concluſiones ſuo arbitrio diſputandas proponere, & contra ipſos omnes & ſingulos, ſicut præfertur, electi ſeu aliàs præſentes, ſaltem Magiſtri arguere & contradicere teneantur. Et inſuper inter promovendos ipſos fiat concurſus, ut qui eorum alio ſeu aliis magis idoneus repertus fuerit, aliis poſthabitis præferatur. Examinibus verò, & concurſibus ſingulis in ſuis quibuſque Provincialibus Capitulis modo, & forma præmiſſis perfectis, omnes & ſinguli, qui examinibus, & concurſibus ipſis, ſicut præfertur, electi præfuerint, prævio eorum, & cujuſlibet ipſorum juramento, ſinguli pro ſuis conſcientiis ſolum Deum, & Religionis Chriſtianæ profectum præ oculis habentes, omni, & quocumque alio affectu poſtpoſito, quos idoneos, ſeu magis idoneos reputaverint, in ſchedula eorum, & cujuſlibet eorum propria manu ſcripta, ſeu ſubſcripta adnotare, & Priori Generali in generali Capitulo quolibet ſexennio celebrari ſolito coram Definitoribus, ſeu majori illorum parte, & in ipſo definitorio, & non alibi, ſub pœna excommunicationis præſentare curabunt.

*Facultas Prioris Generalis eos promovendi.*

§. 4. Ex ipſis antea modo, & forma præmiſſis, & ſingulis Provinciis, ſeu Congregationibus electis examinatis, & pro idoneis, ſeu magis idoneis approbatis, & receptis Prior generalis pro tempore exiſtens, in loco ipſo definitorii, & non alibi, & coram ipſis Definitoribus, ſeu majori illorum parte, duos & non plures ſingulis ſex annis, & in Generali Capitulo ex ſingulis Italiæ Provinciis ſeu Congregationibus eligere, illoſque in ſacra Theologia Magiſtros, ſive Doctores creare, & facere, auctoritate noſtra poſſit, & valeat, ſicque per ipſum Priorem Generalem aſſumpti, & promoti, in ipſa ſacra Theologia Magiſtri verè, & realiter ubique, tam tota Italia quàm extra in quacumque Provincia vel Congregatione cenſeantur, & exiſtant. Omnibuſque & ſingulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, præeminentiis, & ſuperioritatibus, tam à jure communi quàm ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis veſtri in ſacra Theologia Magiſtris, & Doctoribus conceſſis, & indultis, & quibus alii quicumque in ſacra Theologia Magiſtri, ſeu Doctores in publicis quibuſcumque Gymnaſiis, aut Univerſitatibus ad magiſterii, ſeu Magiſtri vel Doctoris gradum promoti, & aſſumpti uti, frui, potiri, & gaudere ſoliti ſunt, & conſueverunt, utunturque, potiuntur, & gaudeant, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, utantur, fruanturque, potiantur, & gaudeant liberè, & licitè, ac pacificè, & quietè. Nos enim tibi dilecto filio Priori generali moderno, & pro tempore exiſtenti, modo & forma præmiſſis in Provincialibus Capitulis electos, & pro tempore eligendos, etiam abſque alicujus loci Ordinarii, ſive Collegii, aut Univerſitatis, ſive Studii, aut Gymnaſii generalis, ſive illius Rectoris, aut cujuſcumque Adminiſtratoris quocumque nomine nuncupati, & quacumque Eccleſiaſtica, ſeu mundana auctoritate, & poteſtate fungentis, etiam S.R.E. Cardinalis licentia, ad magiſterii, ſive Magiſtri, ſeu Doctoris, in ſacra Theologia hujuſmodi gradum, præeminentiam, dignitatem, auctoritatem, & facultatem promovere, illiſque omnibus, & ſingulis Magiſtri ſeu Doctoris in ſacra Theologia inſignia, auctoritates, facultates, & poteſtates ſingulis Magiſtris, & Doctoribus in ipſa ſacra Theologia per nos, aut quoſcumque locorum Ordinarios, ſive Univerſitates, Collegia, Studia, Gymnaſia, illorumve Rectores, ſive Adminiſtratores quoſcumque, aut alias quaſcumque perſonas, quacumque auctoritate, & poteſtate ſuffultas, & S.R.E. Cardinales, & de latere noſtro Legatos, vel etiam quæcumque loca concedi ſolita, ipſis, ſicut præfertur, electis, examinatis, & approbatis, quos ex ſingulis Provinciis, modo, & forma præmiſſis, prævia de more poſſeſſione fidei elegeris, & Magiſtros ſeu Doctores aſſumpſeris, dare, indulgere, concedere, & attribuere, etiamſi Capitulum Generale hujuſmodi in Alma Urbe noſtra, aut alibi, ubi nos, & curiam noſtram Romanam tunc temporis commorari contigerit, aut in aliis quibuſcumque Civitatibus, in quibus Gymnaſia, & Studia generalia vigere dignoſcuntur, aut in futurum quomodolibet erigentur, fieri, & celebrari contigerit, plenariè concedimus, & indulgemus præſentium per tenorem.

*Re... privil... buſ um... conceſſ.*

§. 5. Decernentes & diſtrictè præcipiendo mandantes ne quiſquam veſtrûm qui poſthac cujuſcumque privilegii, etiam à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, etiam Motu proprio conceſſi, aut aliàs quomodolibet impetrati prætextu, ad cujuſcumque Doctoratus, aut Magiſterii gradus, etiam à quibuſcumque locorum Ordinariis, etiam S.R.E. Cardinalibus, aut de latere Legatis, ſive in quibuſcumque Gymnaſiis, aut Univerſitatibus in poſterum promoti fuerint, Magiſtri, aut in ſacra Theologia Doctoris titulum, nomen, inſignia, aut præeminentiam, ſeu privilegia, & exemptiones quaſcumque uſurpet, aut uſurpare, ſive alias, aut aliter quàm modo, & forma præmiſſis, conceſſis uti quomodolibet publicè vel occultè audeat, ſeu præſumat ſub pœna privationis cæterorum graduum, & inhabilitatis ad Magiſterium, etiamſi aliquibus per nos aut ſucceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam, ut in ſacra Theologia verè, & realiter Magiſtri ſeu Doctores ſint, & exiſtant, & omnibus gratiis, privilegiis, exemptionibus, & indultis, quibus cæteri Magiſtri & Doctores potiri, & gaudere conſueverint, potiantur, & gaudeant, quomodolibet conceſſum extiterit. Interdicentes etiam, prout earundem præſentium tenore interdicimus omnibus, & ſingulis Italiæ Provinciis prædictis, & quibuſcumque Congregationibus veſtris, ne quenquam ad magiſterium, ſive doctoratum approbare aut proponere aliter, alibi, aut alias, quàm præſcriptis modis, formis, perſonis, & locis, ac temporibus, poſſint aut valeant quovis quæſito colore vel ingenio.

*Executor... deputatio*

§. 6. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Jacobo Epiſcopo Portuenſi, moderno ac pro tempore exiſtenti Ordinis veſtri Protectori, necnon Mediolanenſi Archiepiſcopo, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra, aut alicujus veſtrûm fuerint requiſiti, ſeu eorum alter fuerit requiſitus, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præ-

ſidio

ſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia, & ſingula, ab omnibus, & ſingulis, quos tangunt, ſeu tangere poterunt quomodolibet in futurum, inviolabiliter obſervari. Contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas per eos ſeu eorum alterū inflictas, & comminatas ſæpius aggravando, & reaggravando, etiam invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 7. Non obſtantibus felicis recordationis Gregorii Decimi, & Bonifacii Octavi prædeceſſorum noſtrorum de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad judicium ultra tres dietas non trahatur, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, & indultis, etiam Maremagnum appellatis, ex quacumque, etiam oneroſa, & neceſſariò exprimenda cauſa, tam vobis, & Ordini veſtro, quam ſingulis veſtris Provinciis, Congregationibus, & domibus, ſeu Monaſteriis, aut Particularibus perſonis, quàm etiam quibuſcumque locorum Ordinariis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut de latere Legatis, vel etiam Gymnaſiis, & Studiis, ſeu Univerſitatibus quibuſcumque, etiam magiſtros ipſos in ſacra Theologia creandi, & promovendi modum, formam & normam præſcribend. etiam cum quibuſvis etiam inſolitis, & efficacioribus, ac derogatoriatum derogatoriis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio conceſſis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

An. 12. Junii. Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Junii 1583. Pont. noſtri anno 12.

---

## XXIV. Declaratio præcedentiæ inter Ordines Mendicantium, & inter Confraternitates Laïcorum, in Proceſſionibus.

*Adverte quod Pius V. generaliter dedit Præcedentiam Fratribus Prædicatoribus Ordinis S. Dominici ante alios Mendicantes, ut ſup. in ejus conſt.* 71. Divina. *Et Clem. VIII. eiſdem eam conceſſit ante omnes Regulares, exceptis Canonicis, & Clericis ſæcularibus, ac antiquis Ordinibus Monachorum inf. in ſua conſt.* 13. Inter cætera.

An. D. 1583. *GREGORIUS PAPA XIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

EXpoſcit paſtoralis officii munus, cui diſponente Domino præſidemus, ut ad ea ſollicitè intendamus, per quæ diſcordiarum & litium, ac controverſiarum quarumlibet, præſertim inter perſonas eccleſiaſticas materia tollatur.

§. 1. Sanè nobis nuper innotuit, quod in multis civitatibus, & diœceſibus diverſarum mundi partium nonnullæ lites, cauſæ & controverſiæ inter fratres Mendicantes, aliæ etiam ſimiles lites, & controverſiæ inter confratres Confraternitatū Chriſti fidelium, ſuper præcedentia vel jure præcedendi ortæ jam ſint, & oriri facilè poſſint.

§. 2. Nos conſiderantes lites, cauſas, & controverſias hujuſmodi in Eccleſia, præſertim inter religioſas perſonas, quæ relictis mundi vanitatibus famulatum, & votum ſuum in humilitatis ſpiritu Domino, & Deo noſtro, qui ſe pro nobis uſque adeo humiliavit ut formam ſervi acciperet, exhibere, & perſolvere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ eſt humilitas, labem infundere, populoque ſcandalum generare, ac propterea illas omni ratione ſubmovendas, publicæque religionis tranquillitati, ac miniſtrorum Eccleſiaſticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimùm conſulendum eſſe rati, ac ſupremam huic negotio manum apponere volentes, necnon cauſas, lites, ſeu controverſias hujuſmodi ubilibet, & coram quibuſvis Judicibus motas, & in quibuſvis inſtantiis indeciſas pendentes ab eiſdem Judicibus harum ſerie ad nos advocantes, illaſque penitus extinguentes, eiſdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponentes.

§. 3. De nobis attributæ poteſtatis plenitudine volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia hujuſmodi contendentibus, aut confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites & cauſæ præmiſſorum occaſione ortæ jam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ ac juris præcedendi ſunt, ii (quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis, ceſſantibus, & poſtpoſitis) in proceſſionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debeant. Quando verò non probentur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ hujuſmodi, inter fratres quidem Mendicantes, ii qui antiquiores in loco controverſiæ, inter Confratres verò inter ſe litigantes, ii qui prius ſaccis uſi ſunt, in proceſſionibus tam publicis quam privatis præcedere debeant, ita ut ſi contigerit nova Monaſteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria, aut domus priùs erecta, & inſtituta ſint, ille Ordo, qui prius Monaſterium ſeu domum in loco habuerit, præcedat.

§. 4. Prætetea quia inter prædictos Ordines plerumque alia in proceſſionibus, & alia in Conciliis generalibus, & aliis actibus publicis, ſive privatis, ratio circa modum præcedendi ſervatur, nolumus per præſentes prærogativis dictorum Ordinum, quoad præcedentias hujuſmodi quæ propriis Ordinibus, præterquam in proceſſionibus prædictis debentur, aut fratribus Capuccinis nuncupatis, qui in proceſſionibus publicis ſub Conventualium S. Franciſci, aut Minorum de Obſervantia Fratrum nuncupatorum Cruce, ut ſolent, incedere poſſint, aliquod præjudicium generari.

§. 5. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſciẽter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. *Clauſula ſublata.*

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinũ, Congregationum, domorum, ac Confraternitatum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſula derogatoria.*

§. 7. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Julii 1583. Pontificatus noſtri anno 12.

*Anno à Nativitate Domini 1583. Indict. 12. die verò Dominico 17 menſis Junii, Pontificatus verò Sanct. in Chriſto Patris,*

*Patris, & D.N. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 12. retroſcriptæ literæ Apoſt. in forma Brevis expedita, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Petrum Gueram, & Melchiorem Ricciam ejuſdem S. D. N. Papæ Curſ.*

*Ioan. Baptiſta Bagni Mag. Curſ.*

---

## LXXXV. Forma publicandi reſignationes beneficiorum Eccleſiaſticorum, in Curia, & extra.

*Quæ autem reſignationes ab Epiſcopis admitti poſſint, definivit Pius V. ſuprà in ejus conſt.* 58. Quanta. *Formamque deſuper literas Apoſtolicas expediendi præfinivit in conſt.* 32. Cogit.

De conſenſus autem reſignationum receptione, & extenſione, & aliis, vide Clemen. VIII. conſtitut. 17. *Sanctiſſimus*, ubi notavi.

*Edita An. D. 1584.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa conſt.*

HUmano vix judicio ita bene quicquam, & providenter ſanciri poteſt, quin uſus ſæpè aperiat, doceatque, id quod ſalubre fore credebatur, minus experiendo prodeſſe, quod in illis conſtitutionibus, quas ad prohibendas ſimulatas, occultaſve beneficiorum Eccleſiaſticorum reſignationes diverſi Romani Pontifices multifariam ediderunt, & fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter noviſſimè promulgavit, cognoſcimus accidiſſe.

*Omnes reſignationes, & jurium conceſſiones publicari debent intra ſex mẽſes, ſi beneficia ſint citra mõtes, ſi verò ultra, intra novem.*

§. 1. Nos hoc malum, prout occaſio neceſſitaſque poſtulat coërcere volentes, ſtatuimus ut poſthac omnes, & quæcumque reſignationes, etiam cauſa permutationis, ac commendarum, & etiam literis Apoſt. non confectis, & poſſeſſione non habita, necnon litis, & jurium quorumcumque conceſſiones, ac retroceſſiones, quæ deinceps de quibuſcũque beneficiis Eccleſiaſticis, in noſtris, ſeu Rom. Pontif. pro tempore exiſtentis manibus, ac etiam coram Notario publico, & teſtibus fient, & à nobis, vel illo, ſeu noſtro, vel illius mandato admittentur, & ſuper eis proviſiones, & quæcumque aliæ diſpoſitiones, ſive temporales, ſive perpetuæ, aut ad hoc mandata Apoſtolica ſub quacumque forma, & quibuſcumque etiam S.R.E. Card. ac piis locis quocumque privilegio ſuffultis facta publicari debeant cum literis Apoſt. deſuper confectis, intra ſex menſes, ſi beneficiũ citra montes fuerit, ultra verò intra novem à data conceſſionis gratiæ, non autẽ à die præſtiti ſuper ea conſenſus numerandos, etiamſi poſtea conceſſio gratiæ hujuſmodi ex quavis cauſa, diverſiſque ſubſequẽtibus datis, ac quotieſcũque, & quovis modo reformata, & valida reddita fuerit, pluresque, & quotquot in alium, vel alios ceſſiones, ac etiam in ipſummet primum reſignantẽ, vel credentẽ retroceſſiones, termino prædicto nondum elapſo interceſſerint, ita ut unicus dumtaxat terminus omnibus his ſucceſſivis ceſſionibus, ac retroceſſionibus decurrat, ut qui poſtremus gratiam habuerit, publicationem hujuſmodi facere, cæteraque omnia hic præſcripta intra eundem terminum præſtare teneatur.

*Forma publicandi reſignationes, & ceſſiones.*

§. 2. Ipſa autem publicatio in Cathedrali, & in beneficii Eccleſia, vel Eccleſiis, ſi in pluribus illud ſit, fiat ubique dum frequens populus ad Miſſarum ſolemnia convenerit, palam omnibus literæ Apoſtolicæ prædictæ, earumve tranſumptum authenticum exhibeatur, claraque & intelligibili voce reſignatio, ſeu ceſſio hujuſmodi, ac beneficii qualitas, & invocatio, nominaque & cognomina reſignantis, ſeu cedentis, ac illius in cujus favorem gratia hujuſmodi facta eſt, pronuntientur, ita ut hæc omnia poſſint ad notitiam omnium ibi exiſtentium veriſimiliter pervenire, ſcriptoque de his omnibus exemplo collato, valvis dictarum Eccleſiarum affixum relinquatur. Si verò Eccleſia beneficii ruralis ſit, aut populo, conventuque careat, eo caſu in Parochiali, intra cujus Parochiæ limites beneficium ipſum conſiſtit, & in Cathedrali Eccleſia, vel ſi locus bello, ſeu peſte, aliiſve manifeſtis periculis ſubjaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali Eccleſia, vel ſi aditus ad illas, aut utramvis minimè ſit ſecurus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori periculorum immuni publicatio hujuſmodi peragatur.

§. 3. Is quoque in quem diſponi, vel mandari de beneficio etiam litigioſo, vel accedente non poſſeſſo, ſub quacumque forma contigerit poſſeſſionem beneficii intra dictum tempus vigore literarum Apoſtolicarum deſuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, & ſi propter litem, aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, ſaltem literas Apoſtolicas cum earum publicatione, ſi tunc facta erit, Judici ſeu executori illarum vel aliis ad quos pertinet, per ſe vel procuratorem ſuum legitimum, intra idem tempus præſentare, & apud illum vel illos pro ipſarum literarum executione inſtare, & poſſeſſionem hujuſmodi inſtanter petere teneatur.

§. 4. Cæterùm modus, & forma hic tradita ſemper, & ubique debeat obſervari, nec alia vel æquipollens ullo modo admitti in omnibus hujuſmodi reſignationibus, ceſſionibus, & retroceſſionibus, de quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, tam virorum quam mulierum dignitatibus, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, ſæcularibus & quorumvis Ordinum, etiam militiarum regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jure patronatus laïcorum illuſtrium, & alias quomodocumque exiſtentibus, ſive pacificis, ſive in petitorio, ſive in poſſeſſorio litigioſis, etiam de quibus in Conſiſtorio noſtro diſponi conſuevit, ſeu debet, quæ poſthac ex quacumque cauſa fient, & per nos ac prædictos ſucceſſores, extra tamen dictum Conſiſtorium, adminiſtrationis, poſſeſſionis fructuum etiam omnium, ac rerum, & jurium quorumcumque. Ad prædictorum tamen obſervationem eum, in quem juris fit ceſſio beneficii, quod tempore ceſſionis hujuſmodi, & ante illam vigore literarum Apoſtolicarum, ut ſuprà, ſi ad id tenebatur, publicatarum realiter poſſidebat, nolumus obligari.

§. 5. Quod ſi quicquam prædictorum omnium omiſſum fuerit, dictis terminis, ut cuique præſcripti ſunt elapſis, omnes diſpoſitiones & gratiæ reſignatorum, & ceſſorum beneficiorum, aut jurium hujuſmodi, cum omnibus inde ſecutis, ſive de pacificis, ſive de litigioſis, ſint irritæ, & inanes, nullaque alia gratia ſuper hujuſmodi beneficio, ſive jure ceſſo, iis quibus conceſſa fuerit ſuffragetur, ſed ipſi tales inhabiles, & incapaces ſint ad hujuſmodi beneficia ſic reſignata, & ceſſa quandocumque obtinenda, illaque ſive jura ab ipſa ſtatim prima reſignatione ſeu ceſſione, etiamſi illæ alias nullæ, & invalidæ eſſent, vacaviſſe & vacare cenſeantur eo ipſo, nec reſignantibus, ſeu cedentibus, ſi poſtea in ſua poſſeſſione remanent, conſtitutiones de annali, & triennali poſſeſſore, nec præſumptæ, aut tacitæ retroceſſiones, etiam propter diuturnam continuatæ poſſeſſionis hujuſmodi tolerantiam, nec omnino aliud jus vel beneficium ullo tempore ſuffragetur, ſed ipſa beneficia, ſive jura ſic à principio vacantia, à Sede Apoſtolica prædicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi. Illorum verò impetrationes, vel etiam Motu proprio conceſſiones, quibuſcumque derogationibus ſuffultæ nunquam ſub clauſulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, ſed ſpecialiter, & expreſsè ob non ſervatam præſentis conſtitutionis formam, ac cum declaratione nominum, & cognominum reſignãtis ſeu cedentis, & gratiam habentis diſpoſitivè, & non conditionaliter fieri omnino debeant, & quicumque ſic impetrans, aut gratiam, etiam Motu ſimili habens, præfinitum cuique caſui tempus prædictum à data conceſſionis gratiæ ſibi factæ hujuſmodi, ea omnia quæ cadens à jure prædicto debebat, præſtare teneatur, & ſi pluribus gratiam hujuſmodi fieri contigerit, is præ omnibus obtineat, qui primus publicationem ſuæ impetrationis fecerit, & poſſeſſionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requiſita prædicta adimpleverit, quamvis in data ſit poſtremus, & poſſeſſio ab alio in publicando negligentiore prius apprehenſa fuerit vel petita. Reſervationibus omnibus nominis, adminiſtrationis fructuum etiam omnium, ac penſionum, & aliarum rerum quarumcumque, necnon facultatibus, indultis, & aliis conceſſionibus, tam ipſis reſignantibus, ſeu cedentibus, qui tamen poſſeſſionem ab initio re ipſa dimiſerint, quàm aliis, ex hujuſmodi reſignationibus, ceſſionibus à Sede Apoſtolica factis nihilominus validis, plenumque effectum ſortituris.

§. 6. Sed

§.6. Sed ne in beneficiis ſuper poſſeſſione, vel proprietate litigioſis litis proſecutio turbari valeat, vel differri in cauſis hujuſmodi, contra cedentem ad ulteriora, etiam ad ſententiam definitivam, & rem judicatam, ac illius executionem, quouſque ille qui gratiam ex reſignatione, ſeu ceſſione, aut ex omiſſa forma publicationis hujuſmodi obtinuit, ad cauſam, per ſe, vel procuratorem legitimum acceſſerit, litemque hujuſmodi ſuſceperit, eodem modo, & ordine procedi poſſit, quo potuiſſet legitimè ſi ceſſio hujuſmodi facta non fuiſſet, ac quicquid interim ſic procedendo decretum, & expeditum fuerit, ſive cum cedente, ſive contra eum, etiam poſtquam ipſe, vel quivis alius incumbentia ſibi ſecundùm prædicta præſtiterit, non ſolùm circa fructus, ſed etiam circa poſſeſſionem, & ipſum jus, quod ceſſum eſt, valeat omnino, & vim obtineat, illumque ipſum, cui gratia facta eſt, non minus afficiat, quàm ſi ipſo legitimè citato contra eum decretum, & expeditum fuiſſet, nec ipſe adverſus hæc, prætextu non acceptatæ gratiæ, vel etiam illius ignoratæ, aut citationis, vel intimationis executioni contra ipſum minimè demandatæ, aliave ratione valeat excuſari. Poſſit tamen ipſe, etiamſi in lite, & cauſa hujuſmodi ſubrogatus non ſit, quandocumque ad illius proſecutionem, & terminationem venire, & à Judice coram quo cauſam ipſam etiã ex delegatione pendere contigerit, in illis ipſis ſtatu, & terminis, in quibus tunc eam eſſe reperetit, etiam abſque reſcripto ſpeciali admitti.

§. 7. De beneficiis autem quæ deinceps in manibus ordinariorum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta, & facultates ad hoc ab Apoſtolica Sede habentium, ac Legatorum etiam de latere, & delegatorum etiã ſpecialium ejuſdem Sedis extra Romanam curiam reſignari, etiam ex cauſa permutationis contigerit, ipſi intra menſem negotium univerſum admiſſionis, vel rejectionis reſignationis hujuſmodi, & ſi per eos facienda erit, proviſionis reſignati beneficii, juxta Apoſtolicas, & alias canonicas ſanctiones omninò abſolvant. Et qui ſic proviſus fuerit, intra tres menſes à die ſibi factæ proviſionis illam publicet, & poſſeſſionem beneficii capiat modo, & forma ſupradictis, alioquin illis elapſis nulla ſit ejus proviſio, & beneficium vacare cenſeatur eo ipſo.

§.8. Ordinariique, & alii prædicti qui hæc, uti eis præſcribuntur, non perfecerint, eo caſu poteſtate diſponendi de ipſis beneficiis ſint ea vice privati, eorumque diſpoſitio eo ipſo ad Sedem Apoſtolicam devoluta exiſtat, aut aliis idoneis ab ipſa Sede dumtaxat modo, & forma prædictis concedantur. Decernentes ſic per quoſcumque judicari debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.9. Non obſtantibus prædicti Pii V. & aliis omnibus aliorum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus de publicandis reſignationibus hujuſmodi hactenus editis, & reformatis, quas omnes omnino abrogamus. Ita tamen quod in publicandis illis reſignationibus, & ceſſionibus, quæ in manibus noſtris hucuſque factæ, & à nobis admiſſæ ſunt, & tempus ad eas publicandas, juxta dicti Pii prædeceſſoris conſtitutionem nondum effluxit, conſtitutio ipſa, quoad eas dumtaxat, integrè obſervetur. Necnon reſignantium, ſive cedentium voluntatibus, conditionibus, proteſtationibus, & clauſulis, in ipſiſmet reſignationibus, & ceſſionibus, ſeu procuratorum conſtitutionibus, & mandatis, ac alias etiam ad præſervationem ſuorum jurium, & ſignificationem quod non aliter, nec alio modo reſignant, ſeu cedunt, appoſitis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione expreſſis, necnon indultis, privilegiis, & gratiis Apoſtolicis, etiam prædictis Cardinalibus, ac eorum & noſtris familiaribus continuis commenſalibus, necnon literarum Apoſtolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæteriſque Romanæ Curiæ officialibus, & ex quibuſvis cauſis quomodocumque conceſſis, & confirmatis, quæ omnia etiam tollimus, & annullamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.10. Ut autem præſentes amplius innoteſcant, volumus ut earum exemplis etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique, in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Mandamuſque illas in librum quinternum appellatum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ad perpetuam rei memoriam de more referri.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1584. Nonis Januarii, Pont. noſtri anno 12. *D. P. A. 12. die 5. Januarii.*

*Anno à Nativitate Domini 1584. Indict. 12. die verò 19. menſis Ianuarii, Pontificatus Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 12. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis, ſeu portis Eccleſiarum S. Ioan. Lateran. Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon in valvis Cancel. Apoſt. ac in acie Campi Floræ, per nos Ioan. Freile, & Nicolaum Taglietum Curſ.* *Publicatio*

*Claudius Mongeat Mag. Curſ.*

---

LXXXVI.

Major ſacri Eremi Camaldulenſis poteſt, quando ſibi expedire videtur, conferre Eremitis ſibi in Eremo ſubjectis quatuor ordines minores. Et Cardinales Epiſcopi ad d. Eremum accedentes poſſunt, etiam extra tempora, & non ſervatis interſtitiis, ſacros ordines eiſdem conferre, ſi ipſi Majori idonei videntur.

*Cuncta quæ concernunt Ordinem Camaldulenſem indicavi ſup. in Alex. II. conſt. 1.* Nulli.

*GREGORIVS PAPA XIII.* *Edita A. D. 1584.*

*Dilectis filiis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

CUm interna quies Fratrum Eremitarum Eremi Camaldulenſis, ad quam conſequendam ipſi Fratres Eremitæ deſerti loca petierũnt, non parum ſoleat perturbari, quando ad ordines ſacros ſuſcipiendos foras exeunt. *Cauſa hujus indulti.*

§.1. Nos huic incommodo providere volentes, Tibi ut quando expedire videbitur, quatuor minores, necnon S. R. E. Cardinalibus qui ad dictum Eremum pro tempore acceſſerint, ſi Epiſcopi fuerint, ut omnes ſacros, etiam presbyteratus ordines, etiam extra tempora à jure ſtatuta, & non ſervatis interſtitiis, Fratribus Eremitis prædictis, dummodo ad id judicio tuo idonei exiſtant, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, conferre, ipſiſque fratribus Eremitis illos recipere liberè, & licitè valeatis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facultatem concedimus. *Indultum, de quo in rubr.*

§.2. Non obſtantibus Synodalis, Provincialis, & Generalis Conciliorum, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſula derogatoria.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Januarii 1584. Pont. noſtri anno 12. *D. P. An. 12. die 7. Ianu.*

---

LXXXVII.

Inſtitutio Feſtivitatis S. Annæ matris B. Mariæ Virginis, pro die 26. menſis Julii, duplicis officio celebrandæ.

Hoc feſtum de præcepto ubique obſervari juſſit Gregor. XV. in conſt. 24. *Honor laudis*, inf. tom. 4. ubi vide notata de S. Joachimo ſponſo S. Annæ, & de S. Joſeph ſponſo Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus iſta mater extitit.

*GREGORIVS EPISCOPVS,* *Edita An. D. 1584.*

*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SAncta Mater Eccleſia, quæ ſalutaribus eos ſemper inſtruit documentis, annuas fidei filiis venerandas proponit Sanctorum celebritates, qui in terris non ſolùm exempla ad ſalutem reliquerunt, ſed in cœlo beati fidelium patrocinium ſuſcipere, eorumque orationes, & vota ſuis precibus adjuvare non ceſſant. Quam nobis opem apud miſericordem Deum credimus Beatam Annam aſſiduò impendere, quæ tanta in humanum genus præſtitit beneficia, ex ea enim nata eſt Beata Maria ſemper Virgo, *B. Anna beneficia [illegible]*

digna à Deo effecta, quæ nobis JESUM CHRISTUM pareret Salvatorem. Et licèt ejus nomini ſanctis obſequiis honorando humana par eſſe non queat infirmitas, ne tamen quod poteſt omittatur.

*Hic ideo Pont. S. Annæ feſtum celebrari jubet.*

§. 1. Nos ad ejus merita pro captu decoranda, univerſamque Eccleſiam jucundiſſima illius recordatione lætificandam, necnon antiquam in illa devotionem, quam uſque ab exordio naſcentis Eccleſiæ, inſignia quoque templa, & religioſa loca in ejus honorem toto Orbe conſtructa teſtantur, in Chriſtianorum cordibus excitandam præcipimus, ut perpetuis futuris temporibus, beatæ Annæ dies feſtus ſeptimo Kal. Auguſti per totius Orbis Eccleſias duplici Officio, de Sancta videlicet, nec Virgine nec Martyre, quod eſt in communi, quotannis recolatur, dieſque prædictus imprimendis Romanis, & aliarum Eccleſiarum *Kalendariis addatur*, & duplex ei adſcribatur. Sicubi verò feſtus beatæ Annæ dies ſupradictus ex fidelium devotione ſeu conſuetudine, præcepto aut indulto Apoſtolico majore aliqua celebrari conſuevit obſervantia, ea omnino ibidem retineatur.

*Et hanc inſtitutionem publicari ubique & obſervari, præcipit.*

§. 2. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Eccleſiarum Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut faciant præſentes literas in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus, & diœceſibus ſolemniter publicari, & ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis, tam ſæcularibus quàm quorumvis Ordinum regularibus inviolatè obſervari, etiamſi in recentibus Breviarii, & Miſſalis reformationibus prædicta ſolemnitas fuerit prætermiſſa.

*Fidemque tranſumptis adhiberi mandat.*

§. 3. Volumus autem ut præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 12. die 1. Maii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1584. 5. Kal. Maii, Pont. noſtri anno 12.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini* 1584. *indict.* 12. *die verò Mercurii* 9. *menſis Maii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno* 12. *retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Ioan. Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Alexandrum Parabiacum, & Nicolaum Tagliettum Apoſtolicos Curſ.*

*Franciſcus Baron Mag. Curſ.*

---

LXXXVIII. Declaratio & extenſio conſtitutionis Pauli III. de privilegio Mercatorum Ripæ Urbis, quod eorum libri concordantes cum libris Proxenetarum plenè probent, & executionem paratam habeant ſicut obligationes Camerales, contra quaſcumque perſonas, & etiam mulieres conjugatas.

*Edita A. D. 1584.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Paul. III. decrevit libros mercatorum Ripæ probare, & executionem habere paratam uti obligationes Camerales, ut in ejus conſt. 45.*

CUm alias fel. rec. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter quadam ſua perpetuò valitura conſtitutione, etiam per rec. mem. Pium IV. & Pium V. Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros confirmata, inter alia ſtatuerit, & ordinaverit, quod ad probandum credita dilectorum filiorum Mercatorum Ripæ Almæ Urbis noſtræ, ſufficerent libri eorundem Mercatorum, cum libris dilectorum filiorum Proxenetarum concordantes, qui haberent eandem executionem, ac ſi eſſent obligationes in forma Cameræ Apoſtolicæ, contra omnes perſonas, etiam S.R.E. Cardinalium, cum decreto etiam irritanti, ac ſublata quavis aliter judicandi facultate, & alias prout in dicta conſtitutione plenius continetur.

*Hic modo Pont. dubium tollit an constitutio procedere*

§. 1. Cumque tractu temporis plures difficultates ortæ fuerint, an dicta conſtitutio etiam contra mulieres in eiſdem libris deſcriptas, tam cum earum viris, quàm viduas locum habeat, unde datur anſa debitoribus alterandi, & ſic ſolutiones effugiendi, vel in longum protrahendi, in grave ipſorum mercatorum damnum, & præjudicium. Nos pro paſtoralis officii noſtri debito omnes hujuſmodi litium, & controverſiarum occaſiones & ambages de medio tollere, omnemque in poſterum ſuper præmiſſis hæſitandi vel dubitandi materiam ſuccidere, aliaſque ſuper præmiſſis opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas, ac quaſcumque lites, & cauſas, ſeu controverſias, tam judiciales, quàm extrajudiciales, inter prædictos Mercatores dictæ Ripæ, & quemcumque, vel quoſcumque ipſorum ex una, & quaſcumque mulieres, & conjugatas, ac etiam abſque, vel cum earum viris agentes, ac etiam eoſdem viros, necnon etiam viduas, & quaſcumque alias perſonas ex altera partibus, ſuper præmiſſis hactenus quomodolibet ortas, ac etiam coram quibuſcumque judicibus, & tribunalibus, ordinariis, & extraordinariis, delegatis & ſubdelegatis, ac aliàs quomodolibet, & ubilibet indeciſas pendentes, in ſtatu & terminis in quibus reperiuntur, illarum ſtatum, ſeu ſtatus & merita, nominaque & cognomina, gradus, & qualitates judicum, & collitigantium, juraque & titulos illorum præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ad nos harum ſerie avocamus, illaſque ſic avocatas perpetuò extinguimus, caſſamus & abolemus. Dictamque conſtitutionem ipſius Pauli prædeceſſoris, etiam contra quaſcumque mulieres, tam liberas, quàm conjugatas, & etiam tam per ſe, quàm cum earum viris, aut abſque illis in dictis libris debitrices deſcriptas, etiam viduas, & quaſcumque alias perſonas, etiam perinde, ac ſi ita expreſsè in eadem conſtitutione cautum, ſpecificatum, & dictum fuiſſet, omninò comprehendi, & locum habere, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus, ſicque tam in præteritis, quàm in præſentibus & futuris perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

§. 2. Ac ita per prædictos, & quoſcumque alios Judices & Commiſſarios, etiam noſtri Sacri Palatii cauſarum Auditores, & S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Ac etiam ipſis partibus collitigantibus, & quibuſvis aliis perſonis perpetuum in, & ſuper præmiſſis ſilentium imponimus, necnon tam illis, quàm ipſis Judicibus, Commiſſariis, Auditoribus, Cardinalibus, & Legatis ne contra præſentium tenorem quicquam facere, & attentare audeant, diſtrictiùs, & expreſsè inhibemus.

§. 3. Non obſtantibus quibuſvis litis pendentiis, & aliis præmiſſis, ac aliorum prædeceſſorum, & noſtra de non tollendo jure quæſito, ſi opus ſit, necnon etiam quadam ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris de ſimilibus vel diſſimilibus gratiis in Camera Apoſt. intra tres menſes præſentandis, & regiſtrandis, ſi opus ſit, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon etiam Almæ Urbis, & Curiæ Romanæ, ac etiam ipſius Ripæ, & quorumcumque aliorum tribunalium, etiam Cameræ Apoſtolicæ, necnon Gubernatoris, ac Vicarii & Auditoris dictæ Cameræ, ac etiam Senatoris, & Curiæ Capitolii, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam illis & illorum, ac prædictis, necnon quibuſvis aliis Judicibus, & perſonis, in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & etiam conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio habenda eſſet, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis aliis quæ Paulus III. ac Pius IV. & Pius V. prædeceſſores prædicti, in conſtitutionibus, & illius confirmationibus hujuſmodi voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Maii 1584. Pont. noſtri anno 12.

*Die 25. Novemb. 1584. præſentes ſupradictæ literæ Apoſtolicæ in plena Camera Apoſtolica præſentatæ, & die 3. Decembris ſubſequentis per eandem Cameram, referente Reverendiſſ. D. Ludovico de Torres dictæ Cameræ Decano, & Iudice, ex ejuſdem Cameræ decreto, dicta die 26. Novembris facto ſpecialiter deputato, citato Magnifico D. Antonio Benfiolo dictæ Cameræ generali Commiſſario, vigore ſpecialis Chirographi manu ſua Sanctitatis ſignati, & eidem Cameræ tranſmiſſi, & admiſſi, & ſucceſſivè in ejuſdem Cameræ libris, ſcilicet lib. 5. Signaturarum, prælibati Sanctiſſ. D. N. penes me infraſcriptum ejuſdem Cameræ Notarium, regiſtratæ fuerunt. Tydeus de Marchis Notarius.*

---

XIX. Approbatio tertia, inſtituti & conſtitutionum Religionis Clericorum Regularium Societatis Jeſu, cum aliquorum dubiorum totali remotione, & privilegiorum confirmatione.

*Similem ob alias excitatas difficultates ſanctionem edidit Gregor. XIV. ut inf. in ejus conſtit.* 10. Eccleſiæ, *& aliam Paulus V. quam adhuc habere non potui. Et cætera de hac Religione inſpice ſup. in conſtitut. 23. Pauli III.* Regimini, *ubi notavi.*

*GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

ASCendente Domino, & Salvatore noſtro in naviculam, ecce motus magnus factus eſt in mari, ipſe autem à diſcipulis rogatus ventis imperavit, & facta eſt tranquillitas, quam nos in Petri navicula collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino aſſiduis precibus poſtulantes, noſtram interea operam, & laborem in frangendis procelloſis fluctibus impendere non deſiſtimus, cumque tanti laboris ſocios, & validos remiges divina nobis providentia præparaverit, eorum opera in ſuperandis ſævientis pelagi tempeſtatibus nos maximè ſublevat, qui pro communi fluctuantium animarum ſalute propria commoda nihil pendunt, ſeque ad omnia diſcrimina exponunt.

§. 1. In quo cum aliarum Religionum ſtudia, tum Societatis Jeſu aſſiduus pro Chriſto labor, necnon uſque ad finem perſeverantia promptam ſe oſtendit; cumque prolem catholicæ Religioni valde proficuam, & ad omnia pericula pro univerſali Eccleſia ſubeunda paratam procreaverit, aliam atque aliam à prima non degenerem, præſtante gratia Dei quotidie ſubſtitui, ut nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altius provecti, ſemper præſto ſint, quos in rebus arduis ſuſcipiendis fructuoſos operarios aſciſcamus; eos autem ut firmiorem nobis opem ad prædicta navare poſſint, ab omni non modò injuria, ſed etiam calumnia ſtudemus intactos conſervare. Quod ut à nobis efficiatur, ipſius inſtituta tanquam fundamenta ejus præſidii, quod catholicæ Religioni impendunt, immota atque inconcuſſa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus Apoſtolica auctoritate tueri.

§. 2. Quorum fel. rec. Paulus III. & Julius etiam III. conſtitutiones, & laudabile dictæ Societatis inſtitutum confirmarunt.

§. 3. Pauluſque idem eam ipſam ab omni quorumcumque Ordinariorum juriſdictione exemit.

§. 4. Quo inſtituto per Paulum IV. examinato, & à Synodo Tridentina commendato, Pius V. idem prædeceſſor noſter Societatem ipſam Ordinem eſſe mendicantem declaravit.

§. 5. Quæ omnia non immeritò ab eis ſunt conceſſa ob egregias virtutes, & dona Societati antedictæ divinitus elargita, cujus præcipuus finis catholicæ eſt Religionis defenſio, ac propagatio, animarumque in chriſtiana vita, & doctrina profectus, gratiæ quoque ejus vocationis eſt proprium diverſa Orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, ſeu Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis directione peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi ſalvandarum ſua opera animarum copioſior proventus ad Dei gloriam ſperetur. Ad quem finem Spiritus ſanctus, bon. mem. Ignatii Loyolæ Societatis ipſius Inſtitutoris, ejuſque ſociorum excitator; media quoque prædicationum, ac cujuſcumque miniſterii verbi Dei, doctrinæque Chriſtianæ, & ſpiritualium exercitiorum, aliorum item charitatis operum, & ſacramentorum adminiſtrationis, ac præcipuè Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, horumque frequentioris uſus accommodavit. Ad quæ ſufficienter & pro dignitate præſtanda, difficultates ſuperandas, periculaque adeunda, quibus dictæ Societatis Religioſi in hujuſmodi diſcurſionibus, & miniſteriis exponuntur, neceſſe eſt, ut ipſi talia obituri, magno virtutis & devotionis præſidio muniantur, quod illis gratia in primis Omnipotentis Dei, ſimulque educatio ipſa, longa item in Societate probatio, necnon regularum, & conſtitutionum obſervantia præſtare noſcuntur.

§. 6. Quibus conſtitutionibus, ut tantæ ponant rudimenta virtutis ad quam aluntur, ſtatutum eſt, ut Novitii in Societate biennio probentur, quo expleto ſi ipſi perſeverare voluerint, & Societati fuerit ab eis ſatisfactum, quoniam Societas ipſa non ſolis Novitiis & profeſſis, ut reliqui regulares Ordines, conſtat, tria ſubſtantialia vota ſimplicia, niſi quis interdum ad profeſſionem, vel gradum coadjutorum formatorum admittendus videretur, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ in eadem Societate ex Apoſtolico indulto, ac juxta vovendi formulam in eiſdem conſtitutionibus expreſſam emittunt, ac ſecundum illas promittunt ſe eandem Societatem ingreſſuros, hoc eſt ulteriorem aliquem illius gradum, prout Præpoſito videbitur Generali. *Novitii biennio probentur, & deinde ad vota ſubſtantialia ſimplicia admittantur.*

§. 7. Quibus votis emiſſis Novitii eſſe deſinunt, & in Societatis corpus, qui literis operam dederint, vel daturi ſunt, ut Scholares approbati, alii verò ut coadjutores temporales nondum formati cooptantur, ac quantum eſt ex parte ipſorum perpetuò, ex parte verò Societatis, juxta Apoſtolica indulta, & inſtitutiones prædictas, tandiu obligati ſunt, quandiu Præpoſitus Generalis eos in Societate retinendos eſſe cenſuerit. Quod ad Societatis conſervationem maximè eſt neceſſarium, idque ab illius exordio proviſum, & pòſt experimento comprobatum eſt, idque initio ingreſſus illis explicitè manifeſtatur, atque ipſi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis, ſi quos dimittere oporteat, multo eſt commodior, ut liberi potiùs quam votis obligati dimittantur, aliiſque juſtis, & rationabilibus de cauſis. *Poſtea veluti Scholares, vel uti coadjutores corporales cooptantur.*

§. 8. Coadjutores temporales non formati, qui non ad ſtudia literarum, ſed ad domeſtica munia curanda deſtinantur, poſt aliquot annos, quibus Generali Præpoſito, & Societati ſatisfecerint, per tria item Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota, licet publica, & in manibus Superioris emiſſa, non tamen ſolemnia, ſed tum ex conſtitutionum præſcripto, tum ex voventis, & admittentis intentione ſimplicia exiſtunt, in adjutorum temporalium formatorum gradum admittuntur. *Coadjutores iſti alia vota poſtea emittunt.*

§. 9. Scholares verò ſtudiis in Societate abſolutis, antequam profeſſi, vel adjutores ſpirituales formati fiant, non ſolùm tertium adhuc ulterioris probationis annum in devotionis, & humilitatis exercitiis impendunt, ut ſi quis fortaſſe in re harum virtutum fervor per literarum occupationem intepuerit, per earundem virtutum frequentiorem excitationem, ardentioremque divini auxilii invocationem recaleſcat, ſed etiam in verbi Dei, ſacrarum, & ſcholaſticarum lectionum, Pœnitentiæque & Euchariſtiæ ſacramentorum Societatis miniſteriis tandiu probantur, quandi Præpoſito Generali videtur, nec antequam ipſi Præpoſito ſint planè perſpecti, eique in omnibus ſatisfecerint, ad hujuſmodi gradus promoveantur. *Scholares prædicti alio probationis anno retinentur.*

§. 10. Qui enim ad profeſſionem quatuor votorum admittendi ſunt, eos juxta conſtitutiones eaſdem, & Apoſtolica decreta, & indulta, viros omninò humiles ac prudentes in Chriſto, & in vitæ puritate, ac literis conſpicuos, diuturniſque ac diligentiſſimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, & in miniſteriis hujuſmodi priùs diu multumque verſatos vocatio hæc requirit, utpote *Ex iis, qui deinde ad profeſſionem quatuor votorum admittendi ſint.*

quos ardua maneant miniſteria. Quo fit ut non omnes ad eandem profeſſionem idonei eſſe, nec tales ſine longa exercitatione atque experimento fieri, aut etiam cognoſci poſſint. Quapropter Societatis corpus in ſua membra, & gradus idem Ignatius divino inſtinctu ita duxit diſponendum, ut præter eos, quos Præpoſitus Generalis ad profeſſionem quatuor votorum idoneos eſſe cenſuerit, & nonnullos, quos interdum ad profeſſionem trium admittere poteſt, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita, & doctrina in Societate diu probata eſſet, ac Præpoſito Generali perſpecta, & de ipſius licentia in coadjutorum ſpiritualium formatorum gradum, per tria illa vota ſimiliter publica, ſed ſimplicia in ſuperioris manibus emiſſa admitterentur.

*Admiſſi autem ſunt incapaces hæreditariæ ſucceſ.*

§. 11. Quibus emiſſis tam hi qui ſpirituales, quam qui temporales coadjutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, ſuntque omnis hæreditariæ ſucceſſionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta conſtitutiones eaſdem habere poſſunt. Nec propter emiſſa hujuſmodi vota publica, aut per morte ab inteſtato in illorum, ſicuti nec in profeſſorum bonis domus ulla, aut Eccleſia, vel Collegium dictæ Societatis ſuccedere poteſt.

*Et voti obedientia erga Papam ſpecialiter emittant.*

§. 12. Qui verò quatuor votorum profeſſi futuri ſunt, ii tribus illis ſolemnibus ſubſtantialibus votis quartum ſimiliter ſolemne addunt, ſpecialis Summo Pontifici obedientiæ circa miſſiones præſtandæ, ob certiorem Spiritus ſancti in miſſionibus ipſis directionem ac majorem ipſorum mittendorum Sedi Apoſtolicæ obedientiam, majoremque devotionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem.

*Aliaque ſimplicia vota.*

§. 13. Poſt emiſſam verò profeſſionem, ſive quatuor ſive trium votorum, profeſſi ad Paupertatis, quæ regularis inſtituti murus eſt & propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occaſionem excludendam nonnulla alia ſimplicia vota emittunt, quibus promittunt ſe nunquam quacumque ratione acturos vel conſenſuros, ut quæ in conſtitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata ſunt immutentur, niſi quando ex juſta rerum exigentium cauſa paupertas magis reſtringenda videretur, neque prætenſuros, ne indirectè quidem, ut aliquam ad prælationem vel dignitatem, intra vel extra Societatem eligantur, nec extra Societatem in ſui electionem quantum in eis fuerit, conſenſuros, niſi coacti obedientia ejus qui id ipſis poſſit ſub pœna peccati præcipere. Item Societati, vel ejus Præpoſito manifeſtaturos, ſi quem ſciant aliquid hujuſmodi moliri.

*Diſcedentes poſtea ſine licentia apoſtata cenſentur.*

§. 14. Porrò non ſolum profeſſi, & coadjutores formati, ſed ex aliis, quicũque abſoluto probationis biennio prædicta tria ſubſtantialia vota etiam ſimplicia emiſerint, ſi abſque expreſſa licentia à Societate diſcedant, etiamſi prætextu melioris frugis, & tranſitus ad alium quemcumque Ordinem (Carthuſienſium dumtaxat excepto) id faciant, apoſtaſiæ, & excommunicationis ex Apoſtolicæ Sedis decreto pœnas incurrunt, à quibus nonniſi à Summo Põtifice, vel à Generali Præpoſito abſolvi poſſunt. Iniquè enim cum Societate ipſa ageretur ſi viris multo labore ad ardua miniſteria eruditis, cum religionis Catholicæ, & hujus Sedis detrimento privaretur, præſertim cum Soc. conſtitutiones, & privilegia quæ ſupradicta continent, in ſeparata, antequam ad Novitiorum convictum admittantur, habitatione eis maturiùs conſideranda tradantur.

*Omnes poſt novitiatum in communi vivunt.*

§. 15. Biennio Novitiatus completo, & emiſſis votis ſimplicibus, una eſt omnibus omnino vivendi, & obediendi ratio, debent enim omnes in omnibus obedire, & in communi vivere, non ſecus alii, atque ipſi profeſſi, & Coadjutores formati, idque in domibus quidem probationum, & Collegii ex redditibus, in domibus verò profeſſorum, quæ nullos omnino redditus habere poſſunt, ex eleemoſynis tantum.

*Paupertatem ſervant, licet non profeſſi dominium bonorum retineant.*

§. 16. Et licet qui ad gradus profeſſorum, & coadjutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum ſuorum jus atque dominium, tum alias ob juſtas cauſas, tum etiam ut majorem Societas habeat libertatem, illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi, ad tempus Generalis Præpoſiti judicio præſcribendum valeant retinere, ut in pauperes tandem ſeu alios pios uſus pro ipſorum devotione diſtribuant, juxta Evangelicum conſilium ad promiſſionem, quam initio Novitiatus faciunt, interim tamen, quantum ad illorum uſum religioſam paupertatem ſervant, nec ulla re tanquam propria, & ſine Superioris facultate uti poſſunt.

*Vere reli... ſunt, & o... nis privil... gaudent.*

§. 17. Et quamvis ii omnes, qui poſt biennium Novitiatus dicta tria vota ſimplicia, ut præfertur, emiſerint, ac in corpus Societatis cooptati, illiuſque meritorum, & privilegiorum, non ſecus atque ipſi profeſſi participes effecti, quique quantum in eis eſt, & profeſſionem emittere parati, ſi ipſe Præpoſitus Generalis id prædictæ Societatis inſtituto congruere judicaverit, & in perpetuum Dei ſervitio votis ſimplicibus conſecrati, ac ſua ſorte, prout laudabile Societatis inſtitutum exigit, contenti, verè, & propriè religioſi exiſtant, & ſi à Societate deficiant, excommunicationis, & aliis apoſtatarũ pœnis ſint ſubjecti.

*Et quis ... per nonn... dubia ſ... excitata.*

§. 18. Tamen cum non ita pridem intellexiſſemus nonnullorum animos, qui pii alioqui, & utiles operarii exiſtebant, ſollicitari interdũ, & affligi, quaſi non eſſent religioſi, eo quod non eſſent profeſſi, nec etiam deeſſe qui Religionis prætextu, transfigurante ſe in angelum lucis Satana, non ſolùm ea occaſione inquieti exiſterent, ſed etiam aliorum pacem, & vocationem diſturbare, eoſque in fraudem, & defectionem deducere conarentur, unde fructuoſa hæc religio graviſſima potuiſſet accipere detrimenta. Idcirco cum divina providentia pro temporum neceſſitate varia & ſalutaria Ordinum inſtituta in Eccleſia ſua produxerit, noviſque ſubinde in ea naſcentibus morbis, nova remedia, noviſque emergentibus hoſtium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit, & cuique illorum, juxta cujuſlibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quaſdam notas, propria inſignia, ac opportuna ad finem quem intendit, media ſuggeſſerit, & nunc maximè (ut feliciſſimi toto Orbe ſucceſſus teſtantur) mirificos in agro Dominico fructus prædictæ Societatis Jeſu inſtitutio proferat, quæ Societas (quemadmodum & alia naſcentium regularium Ordinum exordia) à ſpiritu contradictionis impugnatur, cumque ipſi Ordines Romanorum Pontificum propterea conſtitutionibus circummuniri conſueverint, cujus rei Sanctorum Dominici, & Franciſci præclariſſimi Ordines exempla abundè ſuppeditarunt, ita nos, licet alias inſtitutum prædictum, privilegia, & conſtitutiones ipſius Societatis confirmaverimus, & declaraverimus, Motu proprio ſtatuentes, eos qui biennio Novitiatus peracto, tria vota, tametſi ſimplicia emiſerunt, eſſe verè, & propriè Religioſos, cum præcepto, ne quis hæc in dubium revocare audeat, ac cum irritante, & aliis decretis, prout in noſtris ſuper hoc confectis literis pleniùs continetur. Quia tamen non defuit temeraria quorundam audacia, qui poſt declarationem, decretum, præceptum, & interdictum noſtrum hujuſmodi, non ſolùm multa ex prædictis, & fortaſſe alia ad Societatis inſtitutum, ac vivendi formam ſpectantia, labefactare, ſed & ipſa Apoſtolica decreta ac præcepta, publicè, & ex cathedra, auſu temerario impugnare, mentemque noſtram perverſe interpretari non erubeſcunt, diſputantes, & prædicta in dubium revocantes, omniaque ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis ac ſtatutis metientes, Societatis inſtitutum, peculiares conſtitutiones, ac vim votorum ſimplicium illius à Sede Apoſtolica in eadem Societatis Religione probata admiſſorum penitus ignorantes, ac nonnulla jure antiquo, quæ poſt illud ſucceſſu temporum hujus Sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegiis ſancita, & roborata eſſe dignoſcuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur, quin etiam nos ſupradicta Motu ſimili, & ex certa ſcientia, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernentes, ac præcipientes privato ſenſu loquutos fuiſſe, ac tanquam privatos doctores errare potuiſſe, immò verè, & de facto ob falſam ſupradictorum informationem erraſſe, ideoque præceptum noſtrum nullam ad obligandum vim habere. Neminem præterea eorum, qui ſolemnem profeſſionem in dicta Societate non emiſerunt, de illius corpore religioſos eſſe poſſe, ſed eos merè ſæculares, ac Ordinariorum juriſdictioni ſubditos exiſtere, nec Societatem ipſam, aut illius ſuperiores, immò necnon jus in eos ullum ex vi

votorum

votorum hujuſmodi, habere vel acquirere, aut ſuperioribus ipſis conferre poſſe, non conſiderantes voti ſolemnitatem ſola Eccleſiæ conſtitutione inventam eſſe, triaque hujuſmodi Societatis vota tametſi ſimplicia, ut ſubſtantialia Religionis vota, ab hac Sede fuiſſe admiſſa, illaque emittentes, in ſtatu Religionis verè conſtitui, quippe qui per ea ipſa ſe Societati dedicant, atque actu tradunt, ſeque divino ſervitio in ea mancipant. In quibus votis nullus præter Romanum Pontificem poteſt manum apponere, aliiſque atque aliis modis Societatem ipſam impetunt univerſali Eccleſiæ perutilem, quæ diverſis functionibus, & perſonarum gradibus diſtributa, à Romanis Pontificibus presbyterorum, à Tridentina Synodo clericorum Religio appellata, habitu, nomine, pleriſque perſonarum gradibus, votorumque differentiis ab aliis regularibus Ordinibus diſtinguitur. Quibus etiam adjungunt licere iiſdem non profeſſis, etiam invitis dictæ Societatis Superioribus, ad quoſvis alios regulares Ordines ſe transferre. Tranſgreſſoreſque horum votorum, ac inobedientes, aut etiam uxorem ducentes, nullam ipſi Societati injuriam facere, immò poſſe Epiſcopos cum eis diſpenſare, ut invitis etiam ſuperioribus eiſdem uxorem ducāt. Quibus, cum gloſſatores & obtrectatores hujuſmodi ſua falſa doctrina favere pergunt, horum votorum naturam & pœnarum vim vel non intelligentes, vel eludere conantes, eò ſunt progreſſi, ut etiam vi facultatum quæ literis indulgentiarum Cruciatæ ſanctæ nuncupatarū continentur, omnes transfugas, & ab ipſa Societate deficientes non profeſſos, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis latæ ſententiæ pœna à quocumque confeſſario abſolvi poſſe, nullamque ipſi Societati ſuis operariis privatæ injuriam fieri, aut præjudicium generari exiſtiment, ſed & votorum ſubſtantialium Religionis prædictæ, ac decretorum contra eoſdem apoſtatas Sedis hujus auctoritate editorum vim, quantum in eis eſt, enervare contēdat. Inſuper aſſerunt, non poſſe vota in ſæculo emiſſa in tria hæc ſubſtantialia Societatis commutari (cum tamen hæc vota ſint ſtatus, ut præfertur religioſi aliàs utilis, & perfecti, ut illa in hæc poſſint, hæc verò in aliorum Ordinum etiam ſolemnia vota commutari, ſit ab hac Sede juſtis de cauſis interdictum.) Nec etiam deſunt aliæ quæ in animarum ſuarum præjudicium, Societatis perturbationem, & ſcandalum plurimorum comminiſcantur.

*...bic Pont. ...ò obſtan- ...d. inſti- ...m, pri- ...gia & cō- ...unes ap- ...t.*

§. 19. Nos univerſalis Eccleſiæ utilitati, quam ex inviolato & inconcuſſo dictæ Societatis inſtituto, & religioſæ ſobolis educatione ſancimus, & majorem in dies ſperamus, proſpicientes, & præterea ejuſdem Societatis indemnitati, paci, quieti, & incremento conſulere volentes, Motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine laudabile ipſius ſocietatis inſtitutum, & quæ illud concernunt, præmiſſa omnia, & ſingula, prædictaque illius, ac quæcumque alia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædictis prædeceſſoribus noſtris & à nobis etiam per communicationem conceſſa, conſtitutiones quoque, ac ſtatuta, & decreta qualiacumque, ac ſi ad verbum præſentibus insererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes Juris, & facti defectus ſi qui intervenerint in prædictis Conſtitutionibus, & ſtatutis.

*Itaque tria ...a etiam ...plicia, ve- ...amen ſub- ...tialia eſſe ...larat.*

§. 20. Ad hæc dictam Societatem firmo Sedis hujus præſidio communire volentes, hac noſtra perpetua conſtitutione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſtatuimus atque decernimus tria vota hujuſmodi, etſi ſimplicia, ex hujus Sedis inſtitutione ac noſtra etiam declaratione, & confirmatione, eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in religione approbata per Sedem eandem admiſſa fuiſſe, & eſſe, ac per nos admitti, nec illis à quoquam, præter nos, & Sedem hujuſmodi diſpēſari, nec ea ullo alio modo quam per legitimam dimiſſionem à Societate ceſſare poſſe.

*...que emit- ...tes veros ...religioſos ...rnit.*

§. 21. Et non modo eos, qui in coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium ſive temporalium gradus, & miniſteria, ut præfertur, admittuntur, ſed & Scholares ipſos, ac ſupradictos alios omnes, & quoſcumque, qui in ipſam Societatem admiſſi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia prædicta, tametſi ſimplicia emiſerint aut emittent in futurum, verè & propriè religioſos fuiſſe, & eſſe, ac fore, & ubique ſemper, & ab omnibus cenſeri & nominari debere, non ſecus atque ipſos tum Societatis tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Profeſſos, ſuiſque Præpoſitis in omnibus, & per omnia obedire, & huic Sedi immediatè ſubjectos, & à quorumvis Ordinariorum & delegatorum, ſeu aliorum judicum juriſdictione omninò exemptos, prout nos etiam vigore præſentium eximimus.

*Diſcedentes ideo à d. ri- leg. Apoſtatas declarat.*

§. 22. Denique ut omnium Societatis privilegiorum juxta Generalis Præpoſiti diſpoſitionem ſint participes, ita quoque excommunicationis majoris latæ ſententiæ, & aliis apoſtatarum pœnis, ſi qui à Societate deficiant, ſubjacere, ac tanquam veros apoſtatas puniri poſſe, nec à quoquam, niſi per nos & Sedem prædictam, aut Generalem Præpoſitum ab eiſdem pœnis abſolvi, nec ante hujuſmodi abſolutionem, & à Societate dimiſſionem matrimonium contrahere, quinimmò eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujuſmodi nullos, & irritos eſſe, pro ut irritos facimus & annullamus.

*Et ſupradicta dubia reprobat.*

§. 23. Et ut contradicentium audacia coërceatur, præmiſſas omnes, & quaſvis alias illis ſimiles aſſertiones contra dictæ Societatis inſtitutum, vel quomodolibet in illius præjudicium pronuntiatas, aut ſcriptas, falſas omnino, & temerarias eſſe, & cenſeri debere.

*Impugnari d. inſtitutum prohibet.*

§. 24. Præcipimus igitur in virtute S. Obedientiæ ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, necnon inhabilitatis ad quævis officia, & beneficia, ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, quarum abſolutionem nobis, & ſucceſſoribus noſtris reſervamus, ne quis cujuſcumque ſtatus, gradus, & præminentiæ exiſtat, dictæ Societatis inſtitutum, Conſtitutiones, vel etiam præſentes, aut quemvis earum vel ſupradictorum omnium articulum, vel aliud quid ſupradicta concernens, quovis diſputandi vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat, diſtrictiùs inhibentes, ne quis, ſive extra, ſive intra dictam Societatem, niſi de illius Generalis aut inferiorum Præpoſitorum licentia, notationes, declarationes, gloſſas, vel ſcholia ulla ſuper præmiſſis facere, vel ea, niſi quantum verba ipſa ſonant, interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum quicquam injicere, vel in controverſiam aut dubium revocare audeat quoquo modo, nec gloſſas, aut interpretationes, ſive impreſſas, ſeu ſcriptas, ad id pertinentes legere, docere, aliiſque tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat.

*Dubiorum declarationem Præpoſito reſervat.*

§. 25. Si quid verò dubii de eiſdem oriri contigerit, ad Sedem prædictā vel ad Generalem Præpoſitum dictæ Societatis, aut ad eos quibus id ipſe commiſerit, referatur.

*Et ita ubique judicari mandat.*

§. 26. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcumque Judices & Commiſſarios etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Card. in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Obſervationem hujus bullæ præcipit.*

§. 27. Mandantes univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Eccleſiarum & locorum etiam regularium Prælatis per univerſum orbem conſtitutis, ut præſentes literas in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus, diœceſibus, & juriſdictionibus ab omnibus inviolatè obſervari, quin etiam Præpoſitum ac perſonas Societatis hujuſmodi defendant, eoſque præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui faciant, & gaudere, non permittentes ipſos per quoſcumque quomodolibet moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§. 28. Non obſtantibus recol. mem. Bonif. Papæ VIII. quæ incipit, Quod votum, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac etiam aliorum Ordinum juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſcumque hujuſmodi Ordinibus,

Univerſitatibus, locis vel perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo, & forma in illis expreſſis derogari poſſit, pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorũque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultũ, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Communicationem harum gratiarum aliis denegat.*

§. 29. Præſentis autem Conſtitutionis, & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui ſua privilegia cum ipſa Societate copiosè participant, participaréque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

*Tranſumptis credi mãdat.*

§. 30. Ceterùm volumus, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem omnino fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ literis ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

*D. P. An. 12. die 25. Maii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1584. 8. Kal. Junii, Pont. noſtri anno 12.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1584. Indict. 12. die verò Luna 14. menſis Iunii, Pont. Sanctiſſ. in Christo Patris, & D.N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno 13. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Vrbe, & S. Ioan. Lateranen ſis, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Freile, & Nicolaum Taglicttum S. D. N. Papæ Curſ.*

---

## X C. De electione Præpoſiti generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de obſervantia, celebrationeque Capituli generalis, & retentione regularis obſervantiæ.

*Ad hæc vide conſt. 21. Clem. VIII.* Quæ ad, *ubi habes etiam Ordinis reformationem.*

*Edita An. D. 1584.*

*GREGORIVS PAPA XIII.*

*Dilectis filiis Præpoſito Generali, & Conſultoribus Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Obſervantia, Salutem, & Apoſt. benedict.*

*Exordium.*

EA quæ ad proſperos Religionis veſtræ ſucceſſus ordinata fuerunt, nonnunquam pro eorum varietate, & temporum ratione expedit immutare.

*Hic Pont. multa conſtituit quæ habentur in conſtit. 17. quæ emendatione indigere digneſcit.*

§. 1. Alias ſiquidem, rebus veſtræ Congregationis emendatione indigentibus, pleraque ad preces veſtras decrevimus, & præſertim de tempore celebrationis Capituli veſtri generalis, deque modo electionis Præpoſiti generalis, Conſultorum, Viſitatorum, Definitorum, necnon Priorum, Vicariorum, & aliorum ad munia dictæ Congregationis deſumendorum, eorumque qualitatibus, muneribus, & officiis, aliiſque regimen & ſalubrem directionem ejuſdem Congregationis concernentibus, ut diverſis aliis noſtris literis pleniùs continetur; ſed ut probavit eventus, eorum nonnullis, ſive mutandis, ſive corrigendis nova eſt opera adjungenda.

*Capitulum idco generale*

§. 2. Quare illis omnibus, quæ, & quatenus præſentibus obſunt, ſubductis, & reſciſſis, cæteris verò in ſuo robore permanentibus, auctoritate præſentium ſtatuimus & ordinamus, ut poſthac in perpetuum Capitulum veſtrum generale tertio quoque anno celebretur, interim verò ſingulis annis Præpoſitus generalis, & conſultores qui tempore erunt, pro novorum, ſi eis expedire videbitur, Vicariorum & Oeconomorum dictæ Congregationis electione congregentur.

*quolibe… nio cele… jubet.*

*Præpoſi… neralis… decedent… amoto, … eligatur … hic.*

§. 3. Etſi contingat eundem Præpoſitum intra hoc triennium decedere, vel officio amoveri, Conſultores Congregationis hujuſmodi ſuos Priores illico ad ſe avocent, qui intra vigeſimum diem ad locum celebrationis futuræ electionis novi Præpoſiti generalis præſto adſint.

§. 4. Interim verò Conſultor profeſſione antiquiſſimus, vices auctoritatemque Præpoſiti generalis in omnibus gerat.

*Priores … Procurat… electioni … poſiti & … finitorum … terſint.*

§. 5. Ipſi autem Priores cum Procuratoribus ſingulorum Monaſteriorum, & aliorum regularium locorum dictæ Congregationis, juxta antiquas illius conſtitutiones, ad Capitulum generale accedent, ut electioni Præpoſiti generalis ac Definitorum hujuſmodi interſint.

*Ad hoc … bullam C… VII. num… Illi autem … Prioribus … gantur.*

§. 6. Præpoſitus verò, & Definitores hujuſmodi de Priorum eorum corporum eligantur.

*Iudex … ut in bu… Clemen. … nunc cit. … Prioratu … quo vac… Præpoſitu… Conſultor… alium ex … cariis ſu… tuant.*

§. 7. Cæterùm conſtitutionibus prædictis inhærendo, ſi contingat aliquem dictorum Priorum intra triennium quo Capitulum ipſum generale celebrandum erit decedere, vel à Prioratu ſuo regulariter amoveri, eo caſu Præpoſitus generalis, & Conſultores prædicti ſtatim aliquem ex Vicariis Monaſteriorum, aut aliorum regularium locorum Congregationis hujuſmodi, in locum defuncti vel amoti ſubſtituant, ne hoc negotium ad ſubſequens Capitulum generale deferant.

*Imò etiam … non Vic… ut in eod… Præpoſitu… rante tri… nio, & … Prioratum … quem ob… bat retine… eſt etiã P… Sancti A… de Vrbe … triennium … care deb… ſex anno… dicto offi…*

§. 8. Ad hæc, Præpoſitus ipſe generalis ſic electus, quem obtinebat Prioratum non amittat, ſed etiam Præpoſitus triennalis hujuſmodi illũ cum hoc retineat. Trienioque ipſo peracto, ipſe Prior ſui Prioratus, ut antea remaneat, & nihilominus ipſe dicto durante triennio ſui Præpoſitatus etiam Prior Monaſterii S. Alexii de Urbe ejuſdem Congregationis, non autem alterius ſit.

§. 9. Perfuncto verò Præpoſituræ triennali hujuſmodi officio, nullus ad ſequens triennium, aut aliud tempus Præpoſitus generalis confirmetur, nec quiſquam ante ſex completos annos à fine hujus officii rurſus in Præpoſitum generalem eligatur.

*Ambitus … hibetur. Latior … bitio eſt … in Bulla C… ment. VIII … num. 21.*

§. 10. Nulli præterea Monachorum Congregationis hujuſmodi, cujuſcumque dignitatis vel conditionis, liceat literas etiam commendatitias, ſeu favorem, auxilium vel gratiam, aut quicquam aliud à Principibus ſæcularibus, Dominis, vel Nuntiis, per ſe aut interpoſitas perſonas, ex quavis cauſa, aut quovis prætextu quærere vel impetrare, quod in detrimentum, præjudicium, vel derogationem dictæ Congregationis, aut illius perſonarum, ſeu conſtitutionum, ordinationum, vel ſtatutorum directè vel indirectè cedat, qui ſecus fecerit, per annum in carcere conſtrictus pœnitentiam agat, ſitque præterea ad dignitates & officia dictæ Congregationis perpetuò inhabilis.

*Pecunia C… gregation… alicui Mo… ſterio non … placetur.*

§. 11. Præpoſitus inſuper generalis & Conſultores pro tempore exiſtentes prædicti, per ſe vel alium ſeu alios nullam pecuniarum ſummam ad Congregationem ipſam ſpectantem, alicui Monaſterio vel regulari loco pro ejus fabrica, ſine noſtra, aut Protectoris veſtri licentia erogent, qui contrafecerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, ſintque ſuis dignitatibus & officiis eo ipſo privati, ac pariter inhabiles ad futura.

*Capitulum … generale ub… celebrand…*

§. 12. Poſtremò Capitulum ipſum generale, ſeu Congregatio alias quàm Romæ aut Bononiæ, ſeu Mediolani, vel in Monaſterio Hoſpitalis nullo modo celebretur.

*Regularis ob… ſervantia … quibus locis … retinenda.*

§. 13. Regulæ verò obſervantia ſaltem in Hoſpitalis prædicti, necnon Caſtellatii & S. Hieronymi Mantuani ac Sancti Sigiſmundi Cremonen. & S. Savini Placentin. ac S. Barbatiani Bononien. Monaſteriis, numeruſque ſaltim centum ſexaginta Monachorum inter Sacerdotes & Clericos, ultra Converſos & ſervientes, perpetuo conſervetur. Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Hujus conſti… tutionis obſer… vantia præ… pitur.*

§. 14. Quocirca vobis & pro tempore exiſtentibus Præpoſito

Præpoſito generali ac Conſultoribus, necnon univerſis & ſingulis Prioribus, Monachis & perſonis dictæ Congregationis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut præſentes literas humiliter ſuſcipiatis, & quæcumque in eis continentur, alia ſuper à nobis non expectata juſſione, aut mentis noſtræ declaratione, inviolatè cuſtodiatis.

§.15. Tibi verò Præpoſite, ut ipſas præſentes in omnibus dictæ Congregationis Monaſteriis & locis ſolemniter publicare, & ut illis omnino ab omnibus pareatur efficere procures. Contradictores quoſlibet & rebelles, eiſque auxilium vel favorẽ, publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæſito colore præſtantes, tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque juris & facti remedia opportuna appellatione poſtpoſita compeſcendo, cenſuraſque & pœnas ipſas etiam ſæpius aggravando, invocató etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.16. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii VIII. prædeceſſoris hujuſmodi de una, & in Concilio generalis edita de duabus dietis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus: necnon Congregationis, ac Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus & perſonis, quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque, efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, & etiam pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Congregationi, Prioribus & Monachis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

P.A.13. Maii. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Maii 1584. Pont. noſtri anno 13.

---

## XCI. Inſtitutio Collegii ad ſcholares nationis Maronitarum piè & Catholicè, bonis artibus, Chriſtianiſque moribus, & doctrina inſtruendos in Urbe. Et deputatio Cardinalis pro ejus regimine, annuorumque reddituum aſſignatio pro eorundem ſuſtentatione.

*Majores poſtea redditus aſſignavit Sixt. V. die 2. Auguſti anno 1585. & die 7. Februarii 1586. ut in ejus Bullis, quas hic indicare ſatis eſſe putavi.*

A.D. 1584. *GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

HUmana ſic ferunt quandoque conſilia, ut quæ vel provida deliberatione ab initio conſtituuntur, operæ pretium ſit ſpe melioris futuræ frugis poſtea immutare.

§.1. Nuper enim ut Nationi Maronitarum, qui in Libani montibus degentes, à multis ſæculis ſub S. R. E. obedientia & devotione fidem Catholicam inter tot circumſtantes Infidelium, & Schiſmaticorum ſectas retinent, ac certis annorum ſpatiis ad Apoſtolorum limina viſitanda, Sedemque Apoſtolicam amplectendam, & recognoſcendam aliquos deſtinare ſoliti ſunt, de peculiari loco ad uſum Hoſpitalitatis erga ejuſdem Nationis indigenas ad Urbem confluentes exercendæ, noſtra ope proviſum eſſet, ipſiuſque Nationis erga Sedem ipſam devotio continuum ſuſciperet incrementum, nec tanto labore conſervata fidei ſemina areſcerent, per quaſdam unionem, annexionem & incorporationem olim de parochiali Eccleſia S. Joannis de Ficocia Regionis Trivii de Urbe, parochiali Eccleſiæ S. Andreæ ejuſdem Regionis Apoſtolica auctoritate factas perpetuò diſſolvimus, & apud ipſam Eccleſiam S. Joannis, nomine, denominatione, & eſſentia parochialis Eccleſiæ in ea etiam perpetuo ſuppreſſis & extinctis, ac cura animarum illius parochianorum unà cum eiſdem parochianis, juribuſque parochialibus ad dictam Eccleſiam S. Andreæ tranſlatis, unum Hoſpitale in quo pauperes peregrini dictæ Nationis recipi & confoveri deberent, ſimiliter perpetuo ereximus & inſtituimus, illique ſic erecto & inſtituto eandem Eccleſiam S. Joannis ſine cura effectam cum ſuis domibus, ædificiiis, hortis, membris, & pertinentiis illi contiguis, eorumque ſitu & ambitu pariter perpetuò conceſſimus.

*dem Catholicam retinendam & augendam.*

§.2. Per alias verò noſtras literas eidem Hoſpitali, ut onera ei incumbentia commodius perferri poſſent, penſionem annuam certis modo & forma tunc expreſſis liberam, immunem & exemptam, ac ad quindecim annos tunc proximos dumtaxat duraturam ducentorum ducatorum monetæ illarum partium, ſuper menſæ Epiſcopalis S. Agathæ fructibus, redditibus & proventibus, ac Rectori, vel Adminiſtratori pro tempore exiſtenti dicti Hoſpitalis, ſeu illius Procuratori legitimo, durantibus dictis quindecim annis tantum, per venerabilem fratrem noſtrum Fælicianum Epiſcopum Sanctæ Agathæ, & ſucceſſores ſuos Eccleſiæ S. Agathæ Præſules, ſeu Adminiſtratores pro tempore exiſtentes, etſi ipſis mille ducati annuatim ex fructibus, redditibus & proventibus prædiſtis non remanerent, annis ſingulis in certis loco & terminis, ab ſub ſententiis, cenſuris & pœnis, etiam tunc expreſſis, integreque ſolvendum reſervavimus, conſtituimus & aſſignavimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur.

*Deinde annuos redditus, domumque &c. aſſignavit.*

§.3. Nunc vero erectionis Hoſpitalis hujuſmodi negotio maturius perpenſo, etſi illud inſigne pietatis opus, dictæque Nationi gratum & commodum ſit, meliora tamen æmulando chariſmata majorem DEI laudem, utilioremque eidem Nationi operam fore cenſemus, ſi loco dicti Hoſpitalis, quod in ſuis primordiis adhuc recens eſt, unum Collegium pro recipiendis & inſtituendis illius Nationis pueris ad bonas literas capeſſendas aptis, erigeretur & inſtitueretur. Cum enim in partibus illis, ſub gravi Turcarum jugo & tyrannide conſtitutis, vix facultas detur bonarum literarum ſtudia excolendi, & exinde multos à fide catholica averſos æternis tenebris detineri, ſimpliceſque & rudes à ſuſceptæ veritatis cultu abduci facilè contingat, futurum omnino ſperamus ut ſucceſſu temporis ipſius Collegii alumni, pietatis & veræ Religionis odore, à Montis Sion cypreſſis & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola caput eſt aliarum, documentis largius imbuti, illum in cedros Libani Nationemque ſuam refundant, ac collabentem & perturbatam in ſuis Regionibus fidem DEI Beneficio ſuſtineant, atque reſarciant, & ita prædictum corporale opus, quod paucis in hac Urbe tantum profuturum erat, in magis ſpiritualem ad totius Nationis utilitatem & ſalutem convertatur.

*Hic modò Pontifex d. Hoſpitale ſuppreſſit, ad magis ſpiritualem d. Nationis utilitatem.*

§.4. Quocirca motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in dicto Hoſpitali nomen, denominationem & eſſentiam Hoſpitalis, ac quodcumque onus hoſpitalitatis ibidem exercendæ, ſalvis tamen & illæſis remanentibus diſſolutione, conceſſione, penſione & aliis ſupradictis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, perpetuò ſupprimimus & extinguimus, illudque in Collegium Maronitarum nuncupandum, ad alendam, boniſque moribus ornandam, ac vera pietate ſanaque doctrina, & reliquis Chriſtiano homine dignis virtutibus inſtruendam ipſius Nationis juventutem, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo

*Collegium Maronitarum erexit, ad d. Nationis juventutem bonis moribus, ſanaque doctrina inſtruendam.*

 erigimus,

erigimus, & inſtituimus. Ipſumque Collegium ſic erectum & inſtitutum in locum dicti Hoſpitalis, quoad Eccleſiam S. Joannis, ac illius domos, ædificia, hortos, membra, & pertinentias, eorumque ſitum & ambitum, necnon penſionem ducentorum ducatorum hujuſmodi, ejuſdemque penſionis terminos decurſos & non ſolutos, ſi qui ſint, in omnibus & per omnia perinde, ac ſi pro ipſo Collegio, non autem Hoſpitali ſpecialiter & expreſsè, ab initio emanaſſent, illique conceſſa & reſervata fuiſſent, ſubrogamus.

*Eique dictas domos & redditus aſſignat & Miſſam & alia divina officia arabico vel chaldaïco idiomate celebrandi licentiam concedit. Majores poſtea redditus dedit Sixt. V. ut dixi hic in rub.*

§. 5. Et nihilominus eidem Collegio Eccleſiam S. Joannis, cum domibus, ædificiis, hortis, membris & pertinentiis, eorumque ſitu & ambitu hujuſmodi, ita quod liceat Protectori ſeu Rectori dicti Collegii, pro tempore exiſtenti illorum omnium corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios nomine ejuſdem Collegii propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, fructuſque, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcumque inde provenientia, in Collegii & Eccleſiæ S. Joannis hujuſmodi uſus & utilitatem, ac neceſſitates convertere. Necnon eidem Eccleſiæ S. Joannis per unum, vel plures, etiam dictæ Nationis Sacerdotes ſæculares vel regulares, ad nutum pro tempore exiſtentis Protectoris Collegii hujuſmodi ponendos & amovendos deſerviri, Miſſaſque & alia divina officia etiam Arabico, vel Chaldaïco idiomate celebrari facere, cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita, eiſdem Apoſtolica auctoritate & tenore ſimiliter perpetuo concedimus. Penſionemque annuam ducentorum ducatorum hujuſmodi ſuper prædictæ menſæ fructibus, redditibus & proventibus eidem Collegio, ſeu illius pro tempore exiſtenti Protectori, vel Rectori, aut ejus Procuratori, vel Oeconomo ad id ab ipſo Protectore ſeu Rectore ſpeciale mandatum habenti, durantibus dictis quindecim annis dumtaxat, per Felicianum Epiſcopum, & ſucceſſores prædictis annis ſingulis, in loco & terminis, ac ſub ſententiis, cenſuris & pœnis, necnon cum omnibus & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, decretis, & clauſulis, ac alias modo & forma, quibus dicto Hoſpitali reſervata erat, & ſolvi debebat, integrè perſolvendam, Apoſtolica auctoritate & tenore ſimilibus reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus.

*Exemptionem à juriſdictione quorumcumque Ordinariorum & Judicum.*

§. 6. Inſuper Collegium prædictum, illiuſque Rectorem, Oeconomos, Magiſtros, Præceptores atque Scholares pro tempore in eo exiſtentes, eorumque domeſticos, officiales, & Miniſtros, necnon ipſius Collegii bona mobilia & immobilia, præſentia & futura, cujuſcumque qualitatis & quantitatis exiſtentia, ac tam in dicta Urbe, quàm extra eam & alias ubicumque locorum conſiſtentia, ab omni juriſdictione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium Vicarii, Senatoris, Conſervatorum, & Reformatorum dictæ Urbis, necnon Rectoris Studii generalis ejuſdem Urbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque Judicum & Officialium quorumcumque in ipſa Urbe, vel alias ubilibet cõſtitutorum.

*Gabellarumque & quorumcumque pedagiorum ſolutione elargitur.*

§. 7. Necnon idem Collegium in propriis ejus bonis & rebus, ac dicti Collegii ratione, Scholares perſonaſque in eo degentes, ac alios cum ipſo contrahentes, ab omnibus & ſingulis portarum, Molendinorum, Farinæ, trium pro centenario, ac quatuor Juliorum pro quolibet vegete vini ſolvi ſolitorum, aliiſque datiis, pedagiis, vectigalibus, angariis, ac terræ mariſque gabellis, Dohanis, Bulletinis, & quibuſcumque aliis oneribus ordinariis & extraordinariis, hactenus quomodolibet impoſitis, & in poſterum quandocumque quavis occaſione vel cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda imponendis, etiam adinſtar exemptionis dilectorum filiorum Clericorum Cameræ Apoſtolicæ, etiam ratione Ripæ, Ripettæ, Dohanæ Terræ, etiam Graſciæ nuncupatæ, Urbis prædictæ, necnon carnium, vini, granorum, pannorum, lini, lanæ, ſerici, librorum, chartarum, & quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum & veſtitum neceſſariarum, ex toto noſtro Statu Eccleſiaſtico, & quibuſcumque aliis locis extra dictum ſtatum conſiſtentibus ad dictum Collegium, tam per terram quàm per mare, aquam dulcem, & aliàs quomodolibet conducendorum, & etiam jam ad Urbem ipſam conductorum, & in ea exiſtentium, ac pro eodem Collegio in magna ſeu parva quantitate, tam in Barchis, quam in Magazinis, & aliàs ubilibet emendorum, Apoſtolica auctoritate, & tenore prædictis eximimus & liberamus, ac ſub Beati Petri, & dictæ Sedis, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque & eidem Sedi immediatè ſubjicimus.

*Indul... Privile... Studii ... ralis ... Urbis ... lium C... giorum ... be inſt... rum, ... Collegi... cedit.*

§. 8. Ipſi quoque Collegio, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magiſtris, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris & perſonis, ut quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis & indultis, quibus ſtudium generale dictæ Urbis, necnon alia Germanicæ, Anglicæ & Græcæ Nationum Collegia, in ipſa Urbe à nobis inſtituta, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magiſtri, Oeconomi, Officiales, Miniſtri & perſonæ quovis modo utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poſſunt, & poterunt quomolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter & pariformiter in omnibus, & per omnia uti, potiri, & gaudere valeant, eiſdem Apoſtolica auctoritate & tenore pariter perpetuò concedimus & indulgemus.

*Hæc u... deat ... in V. St... & in v... legum, ... onerſum... mis eſſ... indicam... Offi... Curiæ ... na & ... prohib... præmiſſ... legum ... turbent.*

§. 9. Diſtrictiùs inhibentes Vicario, Senatori, Conſervatoribus, & Reformatoribus Urbis, ac Rectori Studii, aliiſque Judicibus & Officialibus hujuſmodi, necnon pro tempore exiſtenti S.R.E. Camerario, Præſidentibus, ac prædictis Clericis, ac quibuſcumque Commiſſariis ad exactionem decimarum, & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis, ne quarumvis literarum, eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſarum prætextu, Collegium Maronitarum, illiuſque Rectorem, Scholares, Præceptores, Magiſtros, Oeconomos, Officiales, & Miniſtros prædictos, ſeu eorum aliquem in præmiſſis quovis modo moleſtent, aut moleſtari permittant.

*Card... ejus Pro... rem, & ... natorum ... putat.*

§. 10. Ut autem ipſius Collegii Maronitici conſervationi, bonoque regimini tam in his quæ ad inſtructionem & diſciplinam, quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaque hujuſmodi neceſſaria pertinent, opportunè conſulatur, dilectum filium noſtrum Antonium tit. S. Euſebii Presbyterum Cardinalem Caraffam nuncupatum, ejuſdem Collegii Maronitici Protectorem & defenſorem, cujus conſilio & ope omnia ſupradicta, & alia quæcumque ad eoſdem in ipſum Collegium Maronitarum admittendos retinendoſque Scholares ſpectantia, ac aliàs quomodolibet neceſſaria agantur, ſtatuantur, & ordinentur, conſtituimus & deputamus. Necnon Antonio Cardinali & pro tempore exiſtenti Protectori prædicto pro ejuſdem Collegii Maronitici, illiuſque perſonarum, bonorum, rerum & jurium, tam ſpiritualium quam temporalium ſalubri directione & conſervatione, Rectores, Præceptores, Magiſtros, Oeconomos, Advocatos, Procuratores, cæteroſque Miniſtros & Officiales in eo deputandi & amovendi, & loco amovendorum alios ſufficiendi, necnon ſtatuta, ordinationes, & decreta quæcumque, licita tamen & honeſta, ac Sacris Canonibus & decretis Concilii Tridentini non contraria, faciendi & edendi, ac illa quoties pro eorum & temporum qualitate, ſeu alias expediens videbitur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, & etiam alia ex integro condendi, quæ poſtquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita fuerint, eo ipſo dicta Apoſtolica auctoritate confirmata & approbata ſint & eſſe cenſeantur, ac ab omnibus ad quos pro tempore ſpectabit, etiam ſub pœnis in contravenientes ſtatuendis obſervari debeant, plenam liberamque facultatem tribuimus.

*Clauſ... præſerv... vas hu... appo...*

§. 11. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula, ac præſentes literas, nullo unquam tempore, ſive pro eo quod cauſæ propter quas hæc omnia facta ſunt, coram dicto Vicario, vel quocumque alio examinatæ, verificatæ & approbatæ, ac quicumque intereſſe habentes ad id vocati fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſive alias ex quibuſcumque cauſis, de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in jus vel controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci poſſe, nec quemquam ad eaſdem præſentes literas in Camera prædicta, juxta Conſtitutionem Pii Papæ Quarti

præde

prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aut alias quandocumque præſentandum, inſinuandum & regiſtrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas eſſe, ſed omni modo valere, ac ſi conſtitutio prædicta, & alia contraria minimè emanaſſent.

§. 12. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, & Lateranen. Concilii ultimò celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri, & penſiones annuas ſuper fructibus menſarum Epiſcopalium, niſi ex ceſſionis aut alia probabili cauſa reſervari prohibentis, ac quatenus opus ſit, noſtris de unionibus committendis ad partes, vocatis intereſſe habentibus, exprimendoque valore etiam beneficii cui aliud petitur uniri, necnon de præſtando conſenſu in penſionibus, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Urbis, locorum, & Cameræ prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis ac Vicario, Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, Ordinariis, aliiſque Judicibus, & Officialibus, necnon Camerario, Præſidentibus & Clericis prædictis, ac quibuſvis Dohaneriis, Commiſſariis, & aliis perſonis, ad exactionem pedagiorum & aliorum onerum hujuſmodi pro tempore deputatis, necnon dilectis filiis Populo Romano, ac quorumcumque locorum Communitatibus, Univerſitatibus, & Hominibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus, conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis quæ in ſingulis literis prædictis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1584. 5. Kal. Julii, Pont. noſtri anno 13.

---

## CII. De Prædicatione verbi Dei ſemel in Hebdomada facienda Hebræis, pro eorum ad Chriſti fidem converſione in Terris, & locis, in quibus extant eorum Synagogæ.

*De materia Judæorum notavi ſupra in Pauli IV. conſt. 3.* Cum nimis.

An. D. 1584. *GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SAncta mater Eccleſia, cujus Chriſtus caput eſt, ingenitam ſuam charitatem ad omnes latè diffundens, antiquæ Iſraëliticæ gentis populique Dei peculiares reliquias pio nunquam deſinit affectu miſerari, graviterque contriſtatur Judæorum quondam nationem præcipuis auctam muneribus, & gratiis, cujus erat adoptio filiorũ, gloria, teſtamentum, legiſlatio, obſequium, & promiſſa, unde etiam Chriſtus Salvator noſter ſecundum carnem naſci dignatus eſt, per diverſas Orbis partes tot jam ſæcula diſperſam, ac contagioſi gregis more per invia, & inaquoſa miſerè vagantem, verbi Dei fame, & aquæ refectionis ſiti perire, longeque non à terrena tantum, ſuper quam Dominus flevit, ſed, quod gravius eſt, à cœleſti quoque Hieruſalem, niſi Chriſtus quem negavit confiteatur, exturbari, qua miſeratione, & mœrore nos quoque non leviter commoti, in dies ſemper aliquid excogitamus, unde eorum converſioni, & ſaluti opportunius provideatur, ipſiſque ad intelligentiæ viam, quam ſibi præcluſerunt, valeant Deo propitio pervenire.

§. 1. Quare ſollicito hæc animo meditantes, ac felicis record. Nicolai Papæ III. nonnullorumque Rom. Pont. prædeceſſ. noſtrorum veſtigiis inhærentes, præſenti conſtitutione generali præcipimus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, etiam Cardinalatus honore præditis, ut in ſuis quiſque Civitatibus, Terris, & locis, in quibus competens aliquis numerus Judæorum, qui Synagogam conſtituat, commoratur, curent Sabbati, vel alio cujuſcumque hebdomadis ſtatuto die, ad Judæos ipſos in locum præſtitutum, non tamen ſacrum, nec ubi ſacra confici ſolent, convocatos, per aliquem magiſtrum in Theologia, aliumve idoneum virum ab eis eligendum, cum mercede congrua illi ex ipſorum Hebræorum collatione, aut aliàs, prout commodius eis videbitur, Hebraïcæ (ſi fieri poterit) linguæ peritum ſermones, vel lectiones haberi, in quibus illis exponantur ſcripturæ veteris Teſtamenti, Moyſis ſcilicet, & Prophetarum, præſertim verò, quæ eo Sabbato leguntur, ſeu lectæ in eorum ſunt Synagogis, juxta Sanctorum tamen Patrum interpretationes, & verum Catholicæ Eccleſiæ ſenſum, ac in eis diſſeratur de veritate Chriſtianæ fidei, de certo Adventu, & Incarnatione Filii Dei, illiuſque Nativitatis, vita, miraculis, paſſione, morte, ſepultura, deſcenſu ad Inferos, Reſurrectione, in Cœlum aſcenſione, de ejus Evangelio in toto Terrarum Orbe per Apoſtolos ejus, & alios Sanctos prædicato, innumeris atque clariſſimis virtutibus, & illuſtrium miraculorum gloria confirmato, ac de ejus ſpirituali, & vero Regno, & de impio idolorum cultu ſublato, & gentium vocatione, de perpetua tum Hieruſalem, & Terræ eorundem Judæorum deſolatione, tum ipſorum ubique Terrarum diſperſione & captivitate, & de aliis ſimilis argumenti dogmatibus, & articulis ex lege, & Prophetis, de diutina prætereа, & irrita Judæorum Adventus Meſſiæ & carnalis illius Regni expectatione, de vana eorum, quæ ſæpè, quinimò quotidie eos fruſtrata eſt, ſpe reditus in terram promiſſionis, & reſtaurationis tertii templi, & demùm de multiplicibus, & variis erroribus, & hæreſibus eorum, in quas miſerrimè ſe demerſerunt poſtquam Chriſtum Dominum in carne venientem agnoſcere noluerunt, & de falſa per eorum Rabbinos tradita ſacrarum Scripturarum interpretatione, quarum literarum ſenſum fabulis, mendaciis, & variis dolis, & modis detorquentes corruperunt, & depravarunt, & hactenus corrumpere, & depravare non deſinunt, deque omnibus aliis, quæ eos poſſint ad agnitionem fidei, ad errorum ſuorum correctionẽ, ad Orthodoxamque fidem convertere, pro loci, temporis, ſumptique argumenti ratione prudenter agant, veris, & ex ſacra ſcriptura depromptis demonſtrationibus, nulla cum obtrectatione, aut iracundia, ſed magna cum charitate, & modeſtia, veritatis lumen illis aperire conentur.

*Epiſcopi, & alii curent qualibet hebdomada prædicari Judæis in Terris ubi ſunt Synagogæ, & Prædicatores de hic expreſſis diſſerant.*

*Iſta bulla Nicol. III. eſt ſup.*

§. 2. Ad quos ſermones & lectiones volumus univerſos, & ſingulos utriuſque ſexus Judæos à duodecim annis ſupra, infirmitate, aut alia legitima cauſa, de qua ordinarios docere debeant, non impeditos, in Civitate, & locis, ut præfertur habitantes, vel aliunde advenientes, etiamſi inibi domicilium non habeant, ita per circuitum convenire, ut tertia ſaltem eorum pars, nec unquam minor ſemper adſit. Quod ſi facere neglexerint, interdicti cum fidelibus commercii, & aliis pœnis arbitrio Ordinarii pro contumaciæ modo imponendis, donec ſatisfecerint competenter, ad ipſos ſermones audiendos compellantur.

*Judæi majores annis 12. utriuſque ſexus prædictionibus interſint.*

§. 3. Si quis verò de numero fidelium ita fuerit ſalutis, aut ſui, aut proximi ſui, de quo unicuique mandatum eſt, immemor, qui eos à ſalutaribus hujuſmodi ſermonibus, ſeu lectionibus directè abduxerit, aut impediverit, ſeu contenderit quoquo modo, excommunicationis ſententia ſit eo ipſo ligatus, & contra eum ad alias pœnas Ordinarii arbitrio omninò procedatur.

*Chriſti [illegible]*

§. 4. Cæte

*Principes faveant Ordinariis in præmiſſis.*

§.4. Cæterùm Imperatorem, Regeſque, & Principes omnes, necnon Reſpublicas, Magiſtratus, & Dominos temporales ſæculares rogamus; & obteſtamur in Domino, ut Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Ordinariis prædictis, eorumque Vicariis, & miniſtris ſuum in præmiſſis auxilium præſtent; ampliſſimum ab omnipotenti Deo præmium in ſupremis gloriæ æternæ tabernaculis habituri.

*Fides tranſumptis adhibeatur.*

§.5. Et quoniam difficile nimis eſſet præſentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem omnino fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P.A.13. die 1. Sept.*

Dat. Romæ apud S.Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1584. 8.Kal.Septembris, Pont.noſtri anno 13.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1584. Indict. 11. die verò 24. menſis Septembris, Pont. Sanct. D.N. Gregorii divina providentia Papa XIII. retroſcripta literæ Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt in valvis S. Ioan. Lateran. Principis Apoſtol. de Vrbe, necnon Cancel. Apoſt. & in acie Campi Floræ, & ibi per aliquod temporis ſpatium dimiſſa per nos Calixtum Brunettum, & Nicolaum Taglietum ejuſdem S. D.N. Papæ Curſ.*

*Ioannes Freile Mag. Curſ.*

---

## XCIII. Innovatio conſtitutionis Nicolai III. & aliarum ſanctionum, contra jurantes, & jurare facientes illicita, impoſſibilia, damnoſa, & Eccleſiaſticæ libertati, ac decretis Concilii Tridentini adverſantia.

*Hac Nicolai conſtit. eſt in capitulo primo de Jurejur. in 6.*

*Edita An.D. 1584.*

GREGORIVS EPISCOPVS,

*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Conſuetudo erat, quod Prælati & Canonici in eorum Eccleſiis non admitterentur, & Civitatum officia non reciperentur, niſi præſtito prius juramento obſervandi ſtatuta illarum.*

INter Apoſtolicas, & alias canonicas ſanctiones, quæ de jurisjurandi religione variis temporibus prodierũt, fel. record. Nicolaus Papa III. intelligens in nonnullis Eccleſiis de earum conſuetudine obſervari, ut cum earum Prælati ad Eccleſias ipſas primo accedunt, vel cum de recipiendis ibidem novis canonicis agitur, nec Prælatos admitti, nec canonicos aliter recipi in dictis Eccleſiis niſi jurato ab eis, ſtatuta, & conſuetudines ipſarum Eccleſiarum, ſcripta, & non ſcripta inviolabiliter obſervare, inter laïcos etiam multarum Civitatum, Caſtrorum, & Terrarum eum conſuetudinis morbum in aſſumẽdis Poteſtatibus, Rectoribus, vel Officialibus ſuis irrepſiſſe, ut ipſi Poteſtates, Rectores, & officiales ad hujuſmodi poteſtarias, rectorias, & officia nullo modo admittantur, niſi priùs ſe ſtatuta ipſorum locorum clauſa juraverint ſervaturos.

*Nicolaus III. declaravit, talia juramẽta non ligare jurantes ad obſervandum illicita, impoſſibilia, ac libertati Eccleſiaſticæ cõtraria, ut in cap.1. de jurejur. in 6.*

§.1. Et quia in ſtatutis, conſuetudinibuſque ſupradictis interdum aliqua reperiebantur illicita, ſeu impoſſibilia, vel obviantia Eccleſiaſticæ libertati, idcirco ne ſub tali generalitate jurandi, ſic jurantibus peccãdi occaſio præberetur, cum juramentum non fuerit inſtitutum ut vinculum eſſet iniquitatis, prædictus Nicolaus Papa animarum periculis obſiſtere cupiens, frugifera & ſalubri conſtitutione præcepit quibuſcumque ſcientibus contineri in prædictis conſuetudinibus, & ſtatutis illicita, impoſſibilia, vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia, hujuſmodi juramenta ab eis nullo modo præſtari, & juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impoſſibilia vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia obſerventur, cum etiam ſub tali intentione præſtari non poſſent abſque divinæ Majeſtatis offenſa, decrevit in hujuſmodi illicitis, impoſſibilibus, ſeu libertati Eccleſiaſticæ obviantibus non ſervanda, quin potius pro animarum ſalute, ſi ſub forma prædicta vel ſimili aliquos ignorantes prædicta illicita ſeu impoſſibilia, vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia jurare contingeret, ad obſervanda dumtaxat licita, poſſibilia, & libertati Eccleſiaſticæ non obviantia juramentorum intentio referri deberet, declarans juramenta ſub hujuſmodi generalitate qualitercumque, & ſub quacumque verborum forma præſtita vel præſtanda, ad licita, poſſibilia, ac Eccleſiaſticæ libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipſoſque jurantes aliàs per præſtationem juramenti hujuſmodi non teneri. Verumtamen multi infirmi, cupidique ſenſus ſeſe in hujuſmodi juramenta cum animarum ſuarum periculo præcipitant.

*Hic mod... innovat... III. & ... canonica... ſtitutio... ſtas, con... probatio... hujuſmod... ramentu...*

§.2. Nos quoniam hæc ſanctorum quoque Patrum inſtitutis, & ſalubri rerum Eccleſiaſticarum directioni adverſantur, & tanquam de radice ambitionis procedentia omne bonum in Eccleſiis rebuſque publicis pervertunt, ea novæ proviſionis ſubſidio prohibere volentes, præſentium auctoritate innovamus prædictam conſtitutionem Nicolai Papæ, itidemque alias omnes Canonicas ſanctiones de abuſu, & reprobatione hujuſmodi juramentorum promulgatas, volumuſque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita inviolabiliter obſervari.

*Et exig... bus de ... juramentu... licita pæ... hic expl... impoſiu.*

§.3. Ac etiam præcipimus, & interdicimus Prælatis, Canonicis, & aliis ſupradictis, necnon Eccleſiarũ Capitulis, & Monaſteriorum, cæteriſque Conventibus, Civitatum quoque, Caſtrorum, & Terrarũ Communitatibus, & perſonis quacũque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel libertati Eccleſiaſticæ, aut decretis Concilii Tridentini obviantia, ſive ante, ſive poſt electiones, confirmationes, proviſiones, receptiones, admiſſiones, aut alios actus, ubicũque ac quocumque tempore, etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis quantocumque tẽpore obſervatæ, quæ potius corruptela eſt cenſenda, ſive in genere, ſive in ſpecie præſtare, reddere, vel exigere, neve ſuper præſtitis, redditis, vel exactis hucuſque quemquam, in judicio vel extra inquietare audeant quoquo modo, vel turbare, illos enim qui juramẽta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel Eccleſiaſticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contẽderint, Epiſcopos videlicet, & alios quoſcumque Pontificali dignitate præditos ſuſpendimus à divinis, Capitula verò, & Conventus, eorumque Eccleſias & loca omnia interdicto Eccleſiaſtico ſupponimus, ac ſingulares perſonas excommunicationis ſententia innodamus, inhabileſque facimus ad contenta, & alia obtinenda eo ipſo, nobiſque & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti relaxationẽ ſuſpenſionis, & interdicti, necnon abſolutionem ab excommunicationis ſententia hujuſmodi perpetuò reſervamus.

*Jurantes quoque ... git pœnas quibus h...*

§.4. Decernentes eos, qui talia juramenta ſcienter præſtiterint, uſu, & commodo rei, & gratiæ cujus cauſa juraverint, eo ipſo privatos eſſe, alios verò ignorantes ad præſtitorum juramentorum hujuſmodi obſervationem minimè teneri. Necnon irritum & inane quicquid ſecus per quoſcumque, ſcienter vel ignoranter attentatum eſt hactenus, & deinceps contigerit attentari.

*Clauſulæ ... rogatoriæ.*

§.5. Non obſtantibus præmiſſis, ſeu quod Prælatis, Capitulis, Conventibus, & perſonis prædictis, vel quibuſvis aliis, communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, vel in poſterum indulgeri contingat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, & ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſum... rum fides.*

§.6. Et quoniam difficile nimis eſſet præſentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P.A... die 15. Sept.*

Dat.Romæ apud S.Marcum, Anno Incarnat. Dominicæ 1584. Nonis Septemb. Pont. noſtri anno 13.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D.1584. indict.12. die verò 14. menſis Sept. Pont. S. D. N. Gregorii divina providentia Papa XIII. anno 13. retroſcripta litera Apoſt. affixa & publicata fuerunt in valvis, ſeu portis Eccleſiarum S.Ioan.Lateran. ac Principis Apoſt. de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, ibidemque per aliquod temporis ſpatium dimiſſa, per nos Calixtum Brunettum, & Nicolaum Taglietum ejuſdem S.D.N. Papæ Curſ.*

*Ioannes Freile Mag. Curſ.*

---

## XCIV. Depoſita pecuniarũ actualia ſupra ſummã ſcutorũ quinque occaſione litium in Alma Urbe fiẽnda, apud montẽ Pietatis de cætero fiant.

*Ampliorem*

*Ampliorem in hac diſpoſitionem facit Clem. VIII. inf. in ejus conſt. 88.* Quæ ad pietatis, *ubi etiam illius Protectorem deputavit in Judicem, ad ejus lites dijudicandas.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

INter multiplices animi noſtri curas, quæ pro paſtorali officio nobis incumbunt, illa præcipuè pectus noſtrum pulſat, ut quilibet ſibi legitimè debitum facilè conſequatur, & ut pietatis opera, quæ in urbe noſtra exercentur, continuum ſuſcipiant incrementum.

§. 1. Sanè rerum experientia edocti comperimus ſæpiſſimè in cauſis, quæ in univerſis Romanæ Curiæ Tribunalibus, atque etiam in ipſo Rotæ Auditorio ventilantur, fieri actualia depoſita pecuniarum penes Notarios actuarios, quorum conſignationis cum tandem dies advenerit, novum ipſis creditoribus inchoandum eſſe judicium pro ipſius depoſiti conſignatione, cum vel ex morte Notarii, vel alia quavis occaſione difficultates innumeræ oriantur. Conſpeximus etiam liquidò quandoque debitores cum alia via ſolutionem ulterius effugere non valeant, curare ut in eorum manibus pecuniæ ſequeſtrentur, ut creditor quandoque non ita ſubitò cavere valeat, aut controverſiam patiens diutius jure ſuo fruſtretur, & nova lis exoriatur, cujus periculo id ſit ceſſurum, ac etiam cavillationibus impediunt, quo minus ſibi debitam pecuniam conſequatur. Sæpè etiam pecuniæ diſcuſſionum occaſione otioſæ jacent, quas in pauperum utilitatem interim mutuare longè præſtaret. Conſpeximus quoque magnum commodum quod ex Monte Pietatis omnibus Urbis incolis reſultat, cum ſub minima mercede, & ea neceſſaria quidem in ſumptus operi incumbētibus omnibus ſuccurratur. Verum propter ipſius Montis tenues facultates non poſſe ea largitate omnibus ſubveniri, quæ in tam magna Civitate, & pauperum multitudine expediret, & conſiderantes, quàm tutè in eo Monte pecuniæ collocentur, cum ibidem non niſi pignoribus creduntur, optimum fore cenſuimus, ſi eodem tempore & abuſus ac difficultates, quæ circa ipſa depoſita, & illarum conſignationes exoriuntur tolleremus, & ut pecuniæ abundantiores in eodem Monte confluerent, quo largius & amplius neceſſitatem patientibus ſuccurratur, & uſurarum occaſio arceatur, conſuleremus.

*Alma ... ſummas depo- ... deponi ... penes ... Pie-*

§. 2. Itaque his, & aliis animum noſtrum dignè moventibus rationabilibus cauſis, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, omnibus & ſingulis Romanæ Curiæ judicibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, etiam ſacri Palatii Apoſtolici Auditoribus, ac etiam S.R.E. Cardinalibus, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut in quibuſvis cauſis, etiam criminalibus, coram eis pendentibus in quavis inſtantia, & quas in futurum perpetuò pendere contigerit, ubi actualis pecuniarum depoſitio ſupra ſummam ſcutorum quinque aliàs locus ſit, juxta decreta per ipſos judices facienda, illud non amplius penes Notarios, ut hactenus, ſed ſine ipſorum Notariorum præjudicio, penes ipſum Montem Pietatis, ſeu illius pro tempore Depoſitarium, qui fide & facultatibus inſignis ſit, fieri & deponi mandent.

§. 3. Cujus depoſiti conſignatio fiat per mandatum judicis abſque alia expenſa quàm ea quæ regulariter, juxta ſtylum cujuſque tribunalis pro illius conſignatione hactenus penes Notarium fieri conſueverat, eidem Notario tantum ſolvenda.

§. 4. Sanè uſum & conſuetudinem cedularum bancariarum, & cautionum, ac pignorum, dum res eſt dubia, & ſuper ea lis pendet, nequaquam tollimus.

§. 5. Porrò ubi ſuper pecuniis ſequeſtratis, vel penſionibus domorum caſalis, aut aliarum quarumcumque rerum litigioſarum, tam profanarum quàm Eccleſiaſticarum lis inter alios pendet, verus debitor interim penes ipſum Montem pecunias deponere, nedum ad cujuſvis partis inſtantiam, ſed etiam ex officio compellatur.

§. 6. Inſuper ad evitandam moram, & omnem pœnam exinde juridicè provenientem, liceat unicuique debitori, qui creditoris ſui copiam non habuerit, pecunias in eodem Monte actualiter deponere, quæ creditori venienti poſſint liberè conſignari; quod ſi etiam ipſe debitor velit moræ litem effugere, & prætendat non eſſe locum conſignationi, & deſuper audiri, ad ipſum facto prius in ipſo Monte pecuniario depoſito, tam in futuris quàm in pendentibus negotiis, & præcipuè in quibuſcumque diſcuſſionibus pro loco tuto ipſum Montem eorum arbitrio eligere poſſint.

§. 7. Judices verò quacumque præfulgeant dignitate aliter decernentes, indignationis noſtræ pœnam incurrant. *Judicum contravenientium pœna.*

§. 8. Partes verò aliter deponentes periculo omni ſubjaceant, nec à creditoribus ſe propterea liberatum iri intelligant. *Partium pœna.*

§. 9. Ac ipſius Montis proviſores & miniſtri ita ſint in conſervatione fideles, & conſignatione celeres, ut cæteri etiā non litigantes ad deponendum penes eos alliciantur. *Miniſtri montes ſint diligentes.*

§. 10. Utque magis ſic deponentibus ſit conſultum, volumus non ſolùm ipſius Montis, ſed & Depoſitarii ab eo pro tempore eligendi bona fore & intelligi pro dictorum depoſitorum reſtitutione efficaciter obligata, perinde ac ſi cum unoquoque à me talis obligatio interceſſiſſet, eamque in eventum diſcuſſionis, tanquam publico Camerali inſtrumento munita, cæteris præferri. *Deponentibus aſſecuratio.*

§. 11. Sicque per quoſcumque judices, ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. *Decretum irritans.*

§. 12. Et quod Notarii & judices contra præmiſſa venientes, Notarii videlicet omnibus emolumentis ſuorum officiorum unius anni, dicto Monti applicandis, prima vice, deinde ipſis officiis privati ſint, & præterea excommunicationis ſententiam prima vice prædicta incurrant eo ipſo. Itidemque judices, etiamſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſeu alii Prælati fuerint, pœna quingentorum ducat. auri de Camera eidem Monti pariter applicandorum ſine remiſſionis ſpe mulctentur, earundem præſentium auctoritate ſtatuimus. *Notariorum & judicum inobedientium pœna.*

§. 13. Quocirca dilecto filio noſtro Philippo S. Angeli in foro piſcium Diacono Card. Vaſtavillano nuncupato, S.R.E. Camerario, præſenti ac pro tempore exiſtenti dicti Montis protectori, tenore præſentium præcipimus & mandamus, ut Monti præfato, ac illius reviſoribus & miniſtris in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtens, faciat omnia & ſingula præmiſſa, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniariis ejus arbitrio moderandis pœnis, per eos ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari. *Executorum hujus conſt. deputatio.*

§. 14. Et ubi ſuper præmiſſis tempore procedente dubium aliquod emerſerit, illud auctoritate noſtra declaret, & interpretetur, & in caſibus dubiis ſemper depoſitum in ipſo Monte faciendum eſſe decernat. *Camerarii facultas declarandi dubia.*

§. 15. Præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo palatii, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. *Clauſulas derogatorias appoſuit.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Octob. 1584. Pont. noſtri anno 13. *D.P.A. 13. die 1. Octob.*

---

## Quod Religioſi Societatis Clericorum Regular. JESU, etiam ſacris Ordinibus non initiati, verbum Dei prædicare poſſint. XCV.

*Alia de hac religione indicavi tibi ſup. in conſt. 25. Pauli III. qui eam primò confirmavit.* Regimini.

*GREGORIVS PAPA XIII. Dilectis filiis Præpoſito & Religioſis Societatis IESV, ſalutem, & Apoſtolic. benedictionem.* *Edita A.D. 1584.*

VIgore privilegii veſtræ Societati à fel. record. Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro conceſſi, ut veſtrûm quiſque idoneus, & à Præpoſito pro tempore exiſtente ejuſdem Societatis deputatus, verbum Dei publicè prædicare, & qui ex vobis presbyteri fuerint, quorumcumque *[margin: Conceſſionis declaratio]*

utriuſque

utriuſque ſexus Chriſti fidelium confeſſiones audire poſſint ex illo conceſſionis hujuſmodi tempore, etiam Scholares & alii Religioſi veſtri ſacris ordinibus nondum initiati, aliàs tamen idonei ad prædicandum verbum Dei, paſſim, & ubique mittuntur. Verùm quia nonnullis dubitatio curioſius inceſſit, an d. privilegium prædicandi etiam eos comprehendat qui ad Ordines ipſos nondum aſcenderunt.

*Declaratio de qua in rub.* §. 1. Nos quemcumque hoc ſcrupulo eximere volentes, præſentium auctoritate declaramus, ac etiam decernimus, veſtrum unicuique etiam ad ſacros Ordines prædictos non promoto, prædicationis munus in vim privilegii hujuſmodi exercere potuiſſe & poſſe. Vobis inſuper concedentes, ut etiam clerici veſtri prima tantum tonſura inſigniti, prout hucuſque fecerunt, valeant deinceps ipſum Dei verbum ubique populo prædicare.

*Inhibitio contra perturbatores.* §. 2. Diſtrictiùs inhibentes univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, & quibuſvis aliis quacumque dignitate & auctoritate fungentibus, ne quemquam veſtrum quovis prætextu præmiſſorum occaſione impedire vel moleſtare audeant quoquo modo.

*Derogatio contrariorum.* §. 3. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus, & provincialibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.* §. 4. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, ſeu Secretarii Societ. ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam d. Societ. Præpoſiti generalis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 13. die 20. Nov.* Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Novemb. 1584. Pont. noſtri anno 13.

---

## XCVI. De forma, qua Clerici R. C. Apoſt. expeditiones Camerales ſignare debent, ſub nomine & ſigillo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Camerarii.

*Hæc Bulla confirmata & innovata fuit prævia ejus inſertione à Sixto V. die 1. Aprilis 1587. ſed à me uti ſimpliciter confirmatoria hic ſolummodo indicatur.*

Reformationes Cameræ & alia de materia, vide ſup. in Pii IV. conſt. 55. *Romanus*, ubi plenè notavi. Et juriſdictiones Camerarii attende infrà in conſt. 65. Clement. VIII. *In conferendis*, ubi fuſiùs omnia indicabo.

*Edita An. D. 1584.* *GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* QUæ à Rom. Pontificibus optima ratione ſunt decreta, ac roborata, ea ne, ſenſim labefactentur & pereant, noſtrum in primis eſt officium providere.

*Paul. III. cujus conſt. non eſt hic, juſſit Clericos expeditiones dare ſub nomine, & ſigillo Camer.* §. 1. Olim igitur fel. rec. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter, propoſitis pœnis graviſſimis officiorum, & beneficiorum privativis, atque excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendis perpetua conſt. prohibuit Decano, & Clericis Cam. Apoſt. qui omnia quæ in eadem Camera agunt, S.R.E. Camerarii nomine agunt, ne res Camerales inſcio ipſo Camerario, cui rerum & jurium Cameræ cura eſt ſpecialiter commiſſa, quique vivæ vocis oraculum habet, & in ſuo officio perſonam Pontificis repræſentat, ullo modo expedirent, neve ullas expeditiones Camerales gratiam vel juſtitiam concernentes, ſeu mixtas, aut ab illis dependentes, aliter quàm ſub nomine Camerarii, & ſub ſigillis penes ipſum exiſtentibus facere aut expedire poſſent.

*Jul. III. eam refert & approbat in conſt. 3.* §. 2. Poſtea verò piæ mem. Julius Papa III. dictam Pauli prædeceſſoris conſtitutionem cum omnibus ſuis clauſulis approbavit & innovavit, decrevitque quod Camerarius ſolus poſſet officii ſui ſigillum tenere, Clerici verò & Decanus d. Cameræ ſigillum nullum habere poſſent.

*Sed tamen Clerici abſque nomine, & ſi-* §. 3. Et quamvis decreta hujuſmodi, & propter ſuam ipſorum æquitatem, & propter Romanorum Pont. auctoritatem, & propter pœnarum in eis propoſitarum gravitatem debuiſſent diligentiſſimè ſervari, quemadmodum antea fuerant ſervata. Tamen accepimus nonnullis abhinc annis violari cœpta eſſe, ac multas recentes Camerales expeditiones, tam gratiam quàm juſtitiam, aliaque negotia concernentes, ſive debito ac uſitato nomine Camerarii, & ejus ſigillo, ſive ſolita ſubſcriptione, Viſa, &c. privatim autem, & ſingulariter ſub ipſorum Clericorum, etiam prætextu reſcriptorum, & commiſſionum ipſis ſingulis, ſeu etiam ipſis omnibus Clericis directarum, nominibus & ſigillis factas, totidemque in Camera ſigilla, quot in ea ſunt Clerici irrepſiſſe, novumque expediendi genus, tam in Curia quàm extra introductum eſſe, ſub prætenſis tit. Præfecturæ Annonæ, Præſidentatuum Viarum, Dohanarum Graſciæ, Zecchæ, Riparum, Carcerum, Superintendentiæ Collis Scipionis, aliiſque noviter repertis, Salariæ, & Gabellæ carnis, privatis etiam ſingulorum Secretariis quandoque ad hujuſmodi expeditiones adhibitis, ſicque tam vigore commiſſionum & reſcriptorum, in cauſis Cameralibus & aliis infraſcriptis, quàm etiam auctoritate ordinaria, ac ex decreto Cameræ, monitoria, decreta, citationes, mandata executiva, brachia ſæcularia, aliaſque expeditiones, Annonam, Vias, Ripas, Dohanas, Graſciam, Carceres, Zeccham, Superintendentiam Collis Scipionis, Salariam, Gabellam carnium, Annatam, Quindennia, Spolia, ac Commiſſariorum deputationes, omiſſis plerumque fidejuſſionibus & juramentis præſtari conſuetis, expedita eſſe novis cum clauſulis, Camerario tantum, & non ſupradictis Clericis permiſſis, ac convenientibus, dum alii ita ſcribunt, Expoſitum fuit nobis in Cam. Apoſtolica: alii, Auctoritate qua fungimur in hac parte: alii, Juxta mandatum Sanctiſſimi nobis oretenus factum: alii, Dat. Rom. in Cam. Apoſtolica: alii, Dat. Rom. in Palatio noſtro, & hæc nonnunquam ſola cum ſubſcriptione Auditorum, aut Secretatiorum dd. Clericorum, talibus etiam expeditionibus in Cam. quandoque minimè regiſtratis, magna cum ſummi Camerariatus Tribunalis indignitate, & rerum tum privatarum, tum publicarum incommodo, & jactura, etiam aliquando Clericos cauſas à Camerario ad ſe advocaſſe, Camerarioque inhibuiſſe.

§. 4. His igitur omnibus intellectis, perſpectaque inanitate cauſarum hujus tantæ rerũ perturbationis à dictis Clericis ad excuſationem propoſitarum, indignum judicantes, juſta, ac legitima Rom. Pont. decreta perfringi privata licentia, neque ſuum Camerario jus atque honorem, ab his præſertim quorum ipſe eſt caput, relinqui, & conſervari, iſtumque Clericorum expediendi modum contra antiquas expeditiones, & conſtit. Apoſt. eſſe intelligentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetua conſtitutione, ſupradictas Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, declarationes, & decreta omnia, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, & quatenus opus, eadem omnia de novo decernimus, dictaſque Clericorum expeditiones omnes, necnon banna, edicta, cauſarum à Camerario avocationes, & inhibitiones de cætero faciendas, nullas, irritas, & invalidas ex nunc eſſe declaramus, omneſque à dictis Clericis, ita ut dictum eſt, ad quævis officia, exercitia, curationes, adminiſtrationes deputatos revocamus, neve ſe in eis ampliùs ingerere poſſint, ſub pœnis noſtro & Rom. Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio ſtatuendis prohibemus.

§. 5. Eiſdem quoque Decano, & Clericis univerſis & ſingulis, nunc & pro tempore exiſtentibus, ſub omnibus pœnis quæ per ſupradictas conſtit. irrogantur, ipſo facto incurrendis præcipimus & mandamus, ne ullo unquam tẽpore, ſive universè, ſive privatim & ſingulariter quicquam etiam vigore quorumcumque officiorum, præſidentatuum, & præfecturarum, ſeu reſcriptorum, & commiſſionum, etiam manu noſtra vel ſucceſſorum noſtrorũ ſignatarum, ipſis Clericis & cuicumque eorum directarum expedire poſſint, nec quaſcumque patẽtes lit. ac ſupradictas, aliaſque ejuſmodi expeditiones, aliter quàm ſub nomine, & ſigillo Camerarii facere, aut ſubſcribere audeant, neque alia ſubſcriptione uti, quàm Viſa, &c. neque expeditiones alibi, quam in Camera regiſtrari patiantur. Hæcque in omnibus expeditionibus per Clericos

ſupra

ſupradictos faciendis diligenter ſervari volumus & mandamus, exceptis dumtaxat & reſervatis Gubernaliis Civitatis Veteris, Tulphæ, Cæſarum, & Terrarum Arnulphorum, in quibus de more expedire poſſint.

§.6. Sub eiſdem quoque pœnis omnibus ejuſdem Cameræ Notariis inhibemus, ne in poſterum prædictas, nec ullas alias expeditiones quocumque nomine appellatas, gratiam vel juſtitiam concernentes, aut mixtas, tam in Rom. Curia quàm extra eam aliter quam ſub nomine & ſigillis pro tempore exiſtentis Camerarii ſcribere, ſubſcribere, aut expedire audeant.

§.7. Itidem quoque & ſub eiſdem pœnis, ſimili modo incurrendis inhibemus dictorum Clericorum Secretariis, & Auditoribus, & aliis quibuſcumque extra Cameram exiſtentibus, ne ullas omnino expeditiones ex ſupradictis, nec alias quaſcumque ſuper rebus ad dictam Cameram pertinentibus, vel ab eis dependentibus facere, aut ſubſcribere, ſeu in eis ſe ingerere quocumque prætextu ſeu colore audeant.

§.8. Omnes autem ſupradictas, & alias Camerales expeditiones, necnon tractas tritici, & aliorum ſegetum, etiam extra Statutum Eccleſiaſticum, earumque expeditiones ad Camerarium ſolum, & non ad alium ſpectare, & pertinere decernimus.

§. 9. Et quas contra formam hujus noſtræ conſt. in totum vel in partem in futurum fieri contigerit, omnino nullas atque irritas eſſe declaramus. Sicque per quoſcumque judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, & S.R.E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & decidi debere mandamus. Decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Ac mandantes dilecto filio noſtro Philippo S. Angeli in foro piſcium Diac. Card. Vaſtavillano, moderno, ac pro tempore exiſtenti noſtro & S.R.E. Camerario, ut pro præmiſſorum obſervatione, executione & implemento omnibus & ſingulis præfatis, & quibus opus fuerit præcipiat, mandet, & inhibeat, illoſque citet, cogat, compellat, & alias, prout ſibi videbitur, contra eos procedat, cæteraque alia faciat & exequatur, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, & ſibi videbuntur quomodolibet opportuna. Nos enim motu & poteſtatis plenitudine ſimilibus eidem Philippo Card. & Camerario, ultra ejus poteſtatem & auctoritatem, in præmiſſis pleniſſimam licentiam & facultatem concedimus.

§.11. Non obſtantibus præmiſſis, & noſtra de non tollendo jure quæſito, ac aliis Apoſt. conſtitutionibus, dictæque Cameræ juramento, confirmatione Apoſtol. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon privilegiis, indultis, & literis Apoſt. illi, ac prædictis Præſidentibus, & Clericis quocumque modo conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, perinde ac ſi ad verbum insererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, harum ſerie ad effectum omnium præmiſſorum ſpecialiter & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi Decano, Clericis, cæteriſque prædictis, ac quibuſvis aliis, communiter vel diviſim ab Apoſt. ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S.Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1584. Nonis Decemb. Pont. noſtri anno 13.

*Die 17. Decemb. 1584. Ex decreto Cam. Apoſt. admiſſa & regiſtrata fuerunt prainſerta litera Apoſt. & collationata concordant.* *A. Martini.*

---

CVII. Inſtitutio Confraternitatis ſeu Congregationis Externorum Scholarium, ſtudiis Collegii Societatis Jeſu de Urbe inſiſtentium, ſub invocatione Annuntiationis B. Mariæ ad pia opera exercendum. Et facultas alias aggregandi Congregationes, cum Indulgentiarum communicatione.

*Extendit iſtam Congregationem ad Scholares Sixtus V. in conſt. 53.* Superna, *ubi alia notabo, quæ advertenda ſunt.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1584.*

OMnipotentis Dei Salvatoris Noſtri, qui ex pietatis ſuæ ſuperabundantia, fidelium mentibus cæleſtis inſpirationis gratiam, & devotionis ardorem, ad divinæ Majeſtatis obſequia, & piorum operum exercitia ſalubriter peragenda, continuò infundit, exemplo adducti, in eam Paſtoralis officii curam cogitationemque ſedulò incumbimus, per quam ipſorum fidelium fructuoſis hujuſmodi operibus & exercitiis vacantium religio, & devotio continuum ſuſcipiat incrementum, eiſque votiva ſalus proveniat animarum. *Exordium.*

§.1. Alias ſiquidem per Nos accepto quod plerique probi & pii adoleſcentes, bonarum literarum ſtudiis in Collegio noſtro Societatis Jeſu de Urbe inſiſtentes, ſingulari erga Beatiſſimam Mariam Virginem Dei Genitricem affectu ducti, ac etiam Lectorum, & Magiſtrorum ſuorum ſpiritualibus cohortationibus ad id accenſi, Eccleſiam Annuntiationis ejuſdem B. Mariæ in corpore ædificiorum d. Collegii conſiſtentem, certis ſtatutis diebus & horis frequentare, & cum eximia devotionis ſinceritate, cordiſque contritione conſcientiam ſuam per Confeſſionis, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ miniſterium expurgare, ac divinis officiis, colloquiis, & exhortationibus ſpiritualibus, aliiſque piis & ſalutaribus operibus vacare ſoliti erant, factoque inde ad illorum exemplum majore aliorum concurſu, mutuis ſtudiis ſe invicem conſociaverant. Nos ut pium hoc inſtitutum perampliùs coaleſceret, eiſdem, & aliis Chriſti fidelibus, hujuſmodi ſpiritualibus operibus & exercitiis pro tempore addictis, nonnullas Indulgentias, & peccatorum ſuorum remiſſiones conceſſimus, prout in noſtris inde confectis literis pleniùs continetur. *Pii adoleſcentes Studiis Colleg. Societ. Jeſu de Urbe incumbentes ad pia opera enũtiata exercendum ſe cõſociarunt.*

§.2. Cùm autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Præpoſiti generalis dictæ Societatis petitio continebat, in diverſis mundi partibus, & præſertim inſignioribus Europæ civitatibus, ejuſdem Societatis Collegia ad juventutem bonis moribus & virtutibus ornandam, ac vera pietate, ſacraque doctrina imbuendam, propagare, illorumque externi Scholares ibidem ſtudiorum cauſa confluentes, optima devotionis, & piorum operum hujuſmodi exercitia ferventi ſtudio imitari, & exinde multiplices fructus ad Dei gloriam ipſiuſque divini Numinis cultum ac B. Mariæ Virginis honorem, necnon publicam ſalutem, & ſpiritualem conſolationem provenire cœperint. *Poſtea in diverſis mundi partibus, ubi ſunt d. Societ. Collegia externi Scholares, eadem imitari cœperunt.*

§.3. Et operæpretium ſit, ut quemadmodum piarum, & fructuoſarum exercitationum hujuſmodi inſtitutum à Scholaribus d. Collegii de Urbe, quod noſtris auſpiciis & impenſis magnifico ædificiorum & ſtructurarum opere à fundamentis innovatur & exſtruitur, primordium ſuum in d. Eccleſia Annuntiationis B. Mariæ habuit, ita quoque inibi eorundem Scholarium primaria Congregatio, ſeu primarium Sodalitium, ſub titulo ejuſdem Annũtiationis B. Mariæ ad laudabile eorum in piis operibus & officiis hujuſmodi ſtudium noſtris beneficiis & Indulgẽtiarũ præmiis conſervandum ac augendum ſtabiliatur & inſtituatur, pro parte ipſius Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis annuere, & deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Unde oportunum videtur, ut ſtabiliatur in d. Eccleſia de Urbe primaria Congr. à qua aliæ ortum habuerunt.*

§.4. Nos igitur religioſum ipſorum Scholarium in his ſpiritualibus exercitiis ſtudium, piæ voluntatis affectu proſequi volentes, ipſumque Præpoſitum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſionẽ vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon literarum prædictarum *Hic ideo Pont. eam inſtituit ſub regimine Præpoſiti gen. Soc. Jeſu.*

tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in eadem Eccleſia unam, ſeu unum externorum Scholarium d. Collegii noſtri, ac etiam aliorum Chriſti fidelium Societati prædictæ devotorum primariam Congregationem, ſeu primarium Sodalitium, ſub titulo Annuntiationis B.Mariæ hujuſmodi, quæ, ſeu quod per prædictum, & pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem d.Societatis, ſeu illo defuncto, donec aliud ad officium Præpoſiti Generalis hujuſmodi canonicè aſſumatur, per Vicarium etiam Generalem ejuſdem Societatis dirigi debeat, Apoſt. auctoritate tenore præſentium perpetuò, ſine tamen ipſius Societatis præjudicio, erigimus, & inſtituimus.

*Sodalibus indulg. plen. in ingreſſu, & articulo mortis elargitur.*

§.5. Ut autem primaria Congregatio, ſeu primarium Sodalitium hujuſmodi, per gratiarum munerum cæleſtium largitionem, devotionis ac pietatis jugiter proficiat incrementis, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui deinceps in Sodales ejuſdem primariæ Congregationis, ſeu primarii Sodalitii recipientur, tam die receptionis eorum, ſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in prædicta Eccleſia, aut ubicumque potuerint, eo die ſumpſerint, quàm in mortis articulo.

*Viſitantibuſque ejus Eccleſ. die Annuntiationis B. Mariæ.*

§.6. Necnon ipſis, ac omnibus & ſingulis aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ſacraque communione refectis, qui eccleſiam prædictam die feſtivitatis ejuſdem Annuntiationis B. Mariæ à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ipſius feſtivitatis devotè viſitaverint, & ibi pro Reip. Chriſtianæ conſervatione & augmento, hæreſum extirpatione, Principumque Chriſtianorum mutua & univerſali pace, ac noſtra & pro tempore exiſten. Rom.Pont.proſperitate, vel aliàs preces, prout unicuique ſuggeret devotio, ad Deum devotè effuderint.

*Sodalibus cōfeſſis, &c. diebus hic expreſſis indulg. plenar. conceditur.*

§.7. Inſuper eiſdem Sodalibus ſimiliter verè pœnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis & Aſcenſionis D.N. Jeſu Chriſti, ac Annuntiationis, Aſſumptionis, & Conceptionis, necnon Nativitatis B.Mariæ Virginis feſtis diebus prædictum ſanctiſſimum Sacramentum ibidem vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus & elargimur.

*Annum autem de pœnitentiis relaxat Sodalibus aſſociantibus corpora defuncti.*

§.8. Ipſiſque Sodalibus, qui de eorum numero exiſtentium, vel aliorum Chriſti fidelium defunctorum corpora ad ſepulturam eccleſiaſticam aſſociaverint.

*Aut ſi impediti ſint, pro defunctis, vel infirmis orantibus.*

§.9. Aut infirmi vel impediti, audito ſigno campanæ, genuflexi, ſi per infirmitatem licebit, orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, pro ſalute animæ defuncti, vel corporis infirmi recitaverint.

*Intereſſentibuſque Congregationi, &c.*

§.10. Necnon qui Congregationibus tam publicis quàm privatis, ac divinis officiis, ſpiritualibuſque colloquiis, exhortationibus & aliis piis officiis, etiam in Sodalis, ſeu aliorum Chriſti fidelium defunctorum ſuffragium per primariam Congregationem, ſeu primarium Sodalitium ordinandis, & ab ipſo Præpoſito ſeu Vicario Generali approbandis, quique diebus feriatis Miſſæ ſacrificio interfuerint.

*Conſcientiam examinantibus.*

§.11. Aut Veſpertino tempore antequam cubent, conſcientiam ſuam diligenter examinaverint.

*Infirmos vel carceratos viſitantibus.*

§.12. Seu pauperes infirmos, tam Sodales quàm alios in hoſpitalibus vel privatis domibus, necnon carceratos viſitaverint.

*Inimicoſque reconciliantibus.*

§.13. Aut pacem inter inimicos conciliaverint, quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis injunctis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis Apoſtolica auctoritate, & tenore ſimilibus etiam miſericorditer in Domino relaxamus.

*Revocatio aliarum indulg.*

§.14. Quaſcumque alias præſentibus non expreſſas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, etiam plenarias, & relaxationes, Scholaribus & aliis prædictis, ratione dicti eorum inſtituti, vel aliàs in communi, per Nos & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſas revocando & abrogando.

*Sodales abſentes, & d. opera exercētes gaudeant eiſdem indulg.*

§.15. Inſuper ne præfati Sodales, ſi aliquando eos ab ipſa Urbe abeſſe, vel alibi commorari contingat, hujuſmodi indulgentiarum & aliarum gratiarum ſpiritualium effectu & fructu fruſtrati remaneant, eiſdem Sodalibus extra Urbem ubivis locorum pro tempore commorantibus, ut in locis ubi eos pro tempore reſidere, ſeu morari contigerit, opera prædicta, quæ ipſi Sodales in Urbe præſentes pro ſingularum indulgentiarum, remiſſionum, & relaxationum hujuſmodi conſequutione obſervare deberent, apud Eccleſias eorundem locorum aut alibi, prout poterunt obſervando, & exequendo, omnes eaſdem indulgentias, remiſſiones, & relaxationes habeant, & illæ eis pariter ſuffragentur.

§.16. Necnon tam in Urbe præſentes quàm alibi ubivis locorum commorantes, Sodales primariæ Congregationis, ſeu primarii Sodalitii hujuſmodi, qui ſingulis quadrageſimalibus & aliis anni temporibus, ac diebus Stationum Eccleſiarum d. Urbis, & extra illius muros, quæ à Chriſti fidelibus pro conſequendis indulgentiis & remiſſionibus viſitari ſolent, d.Societatis, ſi ibi fuerit, alioquin aliam Eccleſiam, ſeu Capellam in locis ubi eos pro tempore reſidere ſeu morari contigerit, ut præfertur, devotè viſitaverint, & ibi ſepties orationem Dominicam, & ſepties ſalutationem Angelicam recitaverint, tot, & eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, ſi iidem temporibus & diebus ſingulas Eccleſias d. Urbis & extra illius muros hujuſmodi pro iiſdem Stationibus & Indulgentiis conſequendis deputatas perſonaliter viſitarent, ac omnia & ſingula quæ pro hujuſmodi gratiarum conſequutione quomodolibet requiruntur plenè adimplerent.

§.17. Præterea eidem Præpoſito, ſeu Vicario Generali pro tempore exiſtenti, ut in quibuſvis aliis dictæ Societatis Collegiis extra Urbem prædictam per univerſum Orbem nunc & pro tempore erectis, ſeu eorum Eccleſiis pro eorundem piorum operum incremento, quaſcumque alias, ſeu quæcumque alia Scholarium ibidem literarum ſtudiis inſiſtentium, & aliorum Chriſti fidelium ipſi Societati devotorum Congregationes, ſeu Sodalitia ſub eo titulo Annuntiationis B. Mariæ, quæ ab ipſa primaria Congregatione, ſeu primario Sodalitio tanquam membra à capite dependeant, auctoritate noſtra, ſine tamen Societatis aut Collegiorum & Eccleſiarum hujuſmodi præjudicio, erigere & inſtituere.

§.18. Illaſque, ſeu illa eidem primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio aggregare, ac eis ſic erectis, inſtitutis, & aggregatis, eorumque Sodalibus prædictas ac omnes, & quaſcumque alias Indulgentias, peccatorum remiſſiones, relaxationes, gratias & facultates, tam ſpirituales quàm temporales, à Nobis dictaque Sede primariæ Congregationi, ſeu primario Sodalitio de cætero concedendas, ita ut Sodales aliarum Congregationum, ſeu aliorum Sodalitiorum hujuſmodi, obſervantes & exequentes ea, quæ ipſius primarii Sodalitii Sodales pro indulgentiis, remiſſionibus & relaxationibus hujuſmodi conſequendis, obſervare & exequi debent, eaſdem Indulgentias, peccatorū remiſſiones, & relaxationes pariter conſequantur, facultate aggregandi, & gratias hujuſmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, communicare.

§.19. Necnon tam Primariam, ſeu Primarium, quàm omnes & ſingulas ei aggregandas Congregationes, ſeu omnia & ſingula ei aggreganda Sodalitia hujuſmodi, per ſe vel alium ſeu alios ejuſdem Societatis presbyteros idoneos, ad id ab eo deputandos viſitare, & pro earum felici ſtatu, regimine, & directione, quæcumque ſtatuta, conſtitutiones, & decreta, licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non contraria, necnon ab ipſo Præpoſito, ſeu Vicario, ſi per alium, vel alios deputandos hujuſmodi fiant, examinanda & approbanda edere, ac poſtquam edita fuerint, quoties pro eorum & temporum qualitate, aut aliàs expediens ei videbitur, immutare, corrigere, moderari, & reformare, aut alios ex integro condere liberè & licitè valeat, eiſdem auctoritate Apoſt. & tenore perpetuò concedimus & indulgemus. Decernentes ſtatuta, cōſtitutiones, & decreta hujuſmodi, poſtquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata & condita fuerint, ab omnibus Sodalibus prædictis inviolabiliter obſervari debere.

§.20. Ac præſentes literas ſub quibuſcumque ſimilium

ſtium, vel diſſimilium indulgentiarum, & aliarum gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam in favorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu Cruciatæ Sanctæ, aut aliàs per Nos, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, aut dictam Sedem, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumvis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri. Necnon omnibus, quos illæ concernunt ſuffragari debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 21. Non obſtantibus præmiſſis, & noſtra de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 22. Volumus autem ut earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Secretarii ipſius Societatis vel Notarii publici manu, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti, aut Vicarii generalis ejuſdem Societatis ſigillo munitis eadem prorſus fides ubique locorum in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1584. Nonis Decemb. Pont. noſtri anno 13.

---

## VIII. Contra Exules & alios in Italia commorantes, qui animalia & alia bona in Statu Eccleſiaſtico diripiunt, abducunt, recipiunt, vel permutant.

*Ad materiam Exulum & Bannitorum, vide Sixt. V. conſt. 6.* Hoc noſtri.

A.D. 1584.

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

NOn ſine gravi animi noſtri moleſtia nuper accepimus, quod licet nos jampridem per noſtras conſtitutiones, & miniſtri noſtri per proclamata, & ordinationes, ac etiam cohortibus armatis, exulum, ac perduellium, flagitioſorumque hominum audaciam in Statu noſtro Eccleſiaſtico reprimere, latrociniaque, & delicta prohibere, ac delinquentes ad aliorum terrorem graviter punire omnibus modis conati fuerimus, nihilominus complures exules & latrones hujuſmodi adhuc ſuperſunt, qui propriæ ſalutis immemores, pœnaſque impoſitas parvifacientes, aſſidua furta & latrocinia in animalibus & jumentis, in ſtatu & ditione noſtra exiſtentibus committere non verentur, nec deſunt alii, tam nobis, quàm temporalibus dominis circumvicinis ſubditi, qui animalia, & jumenta illa ita ſubrepta, ſine timore ab ipſiſmet latronibus emere, & quoquoverſum abigere, & diſtrahere non dubitent, quo fit, ut illis major præbeatur occaſio, & materia delinquendi, & affidati Cameræ Apoſtolicæ, ipſique Dohanerii dohanæ noſtræ Patrimonii, ac alii pecudarii, & aratores animalia hujuſmodi habentes maximum inde patiantur detrimentum.

§. 1. Quare nos huic malo obviam ire, & quieti, ac indemnitati publicæ, quantum in nobis eſt, proſpicere volentes, ac ut quos legum, pœnæque corporalis timor non retinet, ſaltem gladii ſpiritualis fulgor à malo deterreat, præſertim cum non ſolùm pium, & meritorium, ſed etiam juſtum, ac neceſſarium ſit, tales continuos, ac notoriè criminoſos, ac ab eis ementes res furtivas utroque gladio ſeveritate opportuna, corrigi, atque puniri, perpetuò hoc edicto ſtatuimus; omnes & quoſcumque tam hujuſmodi animalia, & jumenta, aliaſque res, & bona cujuſcumque generis, & ſpeciei in ſtatu noſtro temporali diripientes, abducentes, & furto ſubtrahentes; quàm ementes, permutantes, ſeu ab eis illa quovis modo recipientes, & cum eiſdem contrahentes, ſeu quòvis titulo, colore, cauſa, vel prætextu penes ſe habentes, & retinentes, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, ſexus, qualitatis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint, tam laici, quàm Clerici, & Presbyteri, etiam regulares, & ſæculares, & non ſolùm in dicto Statu noſtro Eccleſiaſtico, ſed etiam in quovis Regno, Statu, Dominio, Territorio, Civitatibus, Terris, & locis univerſæ Italiæ commorantes, ultra alias pœnas juris, conſtitutionum, & proclamatum prædictorum, excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœnam ipſo facto incurrere, à qua nullus ab alio, quàm à Romano Pontifice, aut de ejus ſpeciali mandato, præterquam in mortis articulo conſtitutus, factaque, aut mãdata reſtitutione, vel ſatisfactione dictorum animalium, jumentorum, rerum & bonorum hujuſmodi dictis affidatis, Dohanerio, & aliis, ut præmittitur, pro tempore ſubreptorum, abſolutionis beneficium valeat obtinere, ipſamque excommunicationis pœnam ex nunc, prout ex tunc, & è contra adverſus inobedientes, & rebelles quoſcumque, & ipſorum quemlibet promulgamus per præſentes.

*Excommunicantur diripientes animalia & alia bona in ſtatu Eccleſ. vel illa ementes, &c.*

§. 2. Ac mandamus univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus totius noſtri ſtatus prædicti, ac etiam in Regno Neapolitan. ac ſtatu Magni Hetruriæ, ac Ferrariæ, & Urbini Ducum in virtute ſanctæ obedientiæ, ut cum harum exemplaria, etiam impreſſa manu Notarii publici ſubſcripta, ſigilloque perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita, exhibita eis fuerint, in omnibus Civitatibus, terris, oppidis, locis, caſtris, ac diœceſibus, præſertim ſtatui noſtro prædicto circumvicinis, ad valvas Eccleſiæ matricis Civitatum, terrarum, oppidorum, caſtrorum & locorum ſuæ diœceſis quamprimum affigi, & publicari faciant. Quæ quidem exemplaria, ſeu tranſumpta ſic affixa, & publicata, ubique, in judicio, & extra illud fidem faciant, omneſque ſupradictos, ac alios præſentibus literis nominatos, vel quomodolibet comprehenſos taliter arctent, afficiant, & obligent, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Epiſcopi, & ſtatus Eccleſ. & Regni Neap. ac Ducat. Hetruriæ, Ferrariæ, & Urbin. faciant publicari hãc conſt. qua ſic publicata omnes afficiat.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, indultis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis quibuſcumque perſonis quacumque dignitate Eccleſiaſtica, vel temporali præditis, conjunctim, vel ſeparatim conceſſis, etiam quibus caveatur expreſsè, quod excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, & ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Clauſula derogatoria.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Decemb. 1584. Pont. noſtri anno 13.

*D. P. An. 13. die 7. Dec.*

*Die 10. Decemb. 1584. Supraſcriptæ literæ in forma Brevis, ex decreto in plena Camera Apoſtolica facto, admiſſæ & regiſtratæ fuerunt in actis meis, & in libro diverſorum.*

*Scipio Penellus Cam. Apoſt. Not.*

*Admiſſio, & reg. in Cam. Apoſt.*

---

## XCIX. Quod Eremitæ Congregationis Camaldulenſis Ordinis S. Benedicti, religioſos alterius Ordinis recipere poſſint. Ipſi verò ad aliam etiam Eremitarum S. Romualdi Montis Coronæ tranſire nequeant.

*Quæ ſpectant ad iſtam Congregationem Camaldulenſem, vide ſup. in Conſt. 1. Alex. II.* Nulli; *ubi plenè dixi. Quæ verò Congregationem Eremitarum S. Romualdi reſpiciunt, attende ſup. in Clem. VII. conſt. 23.* Veſtrum, *ubi dixi.*

*GREGORIUS PAPA XIII.*
*Dilecto filio Priori Generali Monachorum Ordinis Camaldulen. nunc & pro tempore exiſtenti.*

*Edita An. D. 1585.*

EA eſt Eremi Camaldulenſis Aretinenſis diœceſis antiquitas, & Monachorum in aſpera illa ſolitudine Deo aſſiduè famulantium religio, ac morum, vitæque innocentia & ſanctitas, quæ omnia non ſolùm ab aliis ſæpè

*Eremi Camaldulenſis commendatio.*

andivimus, ſed etiam noſtris oculis aliquando vidimus, & admirati ſumus, ut merito ſacrum illum locum, & Ordinem dignum ſemper qui præcipuè privilegiis fulciatur judicemus.

*Confirmatio privilegiorū.*

§. 1. Itaque omnes gratias, indulta & privilegia eidem Ordini, & Eremo à Rom. Pontificibus prædeceſſoribus, ſub recipiendis quibuſcumque quarumvis Religionum, & Ordinum mendicantium fratribus religioſis, ad ipſos tranſire volentibus conceſſa, rata & firma eſſe volentes, & quatenus opus ſit auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovantes, Tibi qui ex illis unus es, ac omnibus tecum in eodem Eremo Altiſſimo famulantibus, diſtrictè præcipimus & inhibemus, ne ad alium Ordinem, & Religionem, nec etiam aliam quæ Montis Coronæ vocatur, ejuſdem Ordinis Camaldulenſis, ſine expreſſo conſenſu & licentia Superioris ipſius Eremi, qui Major appellatur, in ſcriptis obtenta, tranſire audeant.

*Contravenientibus pœna infligitur.*

§. 2. Etſi qui contrafecerint, excommunicationis, apoſtaſiæ, & aliis congruis, & arbitrio ſuo, ſucceſſorumque ſuorum infligendis, & declarandis pœnis ſubjacere decernimus, ita ut contrafacientes capi, puniri, & ad redeundum cogi poſſint, ad quæ omnia facienda, decernenda & exequenda, & ubi opus ſit brachium ſæculare invocandum, plenam & liberam tibi, & ſucceſſoribus tuis eadem auctoritate damus, & concedimus facultatem.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. necnon indultis, privilegiis, exemptionibus aliis religionibus quocumque modo conceſſis, approbatis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P. A. 13. die 4. Januarii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Januari 1585. Pont. noſtri anno 13.

---

## C. Inſtitutio Collegii Presbyterorum regularium Societatis Jesu, univerſitatiſque Studii generalis diverſarum ſcientiarum, bonarumque artium, in Oppido Pontis Monſonii Metenſis diœceſis in Lotharingia, cum reddituum aſſignatione, privilegiorumque elargitione.

*Vltra ea quæ de hac Societate Jeſu notata habes ad Pauli III. conſt. 25.* Regimini, *ſup. tom. 1. vide etiam inf. tom. 3. ad Pauli V. conſt. 119.* In ſede, *ubi alias poſteriores Conſtitutiones habes.*

*Edita An. D. 1572.*

*GREGORIVS PAPA XIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

IN ſupereminenti Apoſt. Sedis ſpecula meritis licet imparibus diſponente Domino conſtituti, & intra mentis noſtræ arcana revolventes quantum ex literarum ſtudiis Catholica fides, tenebroſa ignorantiæ caligine, ac hæreſum peſte expulſa, augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, juſtitia colatur, reliquæ virtutes illuſtrentur, ac benè, beatéque vivendi via paretur, ad ea per quæ ſtudia ipſa ubilibet excitentur, & ſtudioſæ perſonæ ad excelſum doctrinæ faſtigium aſpirantes, opportunæ ſubventionis auxilia ſuſcipiant, libenter intendimus, & in his noſtræ ſollicitudinis partes propenſiùs impartimur, prout pia perſonarum, præſertim S. R. E. Cardinalium, ac nobilium virorum Ducum vota expoſcunt, noſque locorum & temporum qualitate penſata in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Carolus Card. de Lotharingia, & Carolus Dux Lotharingia, & Barriducis decreverunt, accedente tamen Sedis Apoſt. auctoritate in Oppidi Pontis Mōſonii diœc. Meten. unum erigere Studiū diverſarum ſcientiarum*

§. 1. Exhibita ſiquidem nuper pro parte dilectorum filiorū noſtrorū Caroli tit. S. Apollinaris Presb. Card. de Lotharingia nuncupati, & nobilis viri Caroli Lotharingiæ, & Barriducis Ducis petitio continebat, quod alias cum Carolus Card. qui noſter, & Sedis Apoſt. in Lotharingiæ, & Barriducis Ducatibus de latere Legatus, ac ratione Eccleſiæ Rhemenſis, cui ex diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, Dux Rhemenſis, & primus Par Franciæ exiſtit, quique Eccleſiæ Meten. perpetuus adminiſtrator in ſpiritualibus, & temporalibus per d. Sedem deputatus exiſtit, necnon etiam Carolus Dux prædicti pia mediatione cogitaſſent, quod longè, lateque diffuſum undique eſſet hæreſis malum, quantaque incommoda & damna univerſo Orbi attuliſſet, illique tutius remedium afferri nequaquam poſſe, niſi ubique terrarum doctorum virorum Conventus erigerentur, qui ſana imbuti doctrina Populos ibi propinquos Catholicam docerent diſciplinam, qua & ſibi prodeſſe, & cæteros hæreſibus expulſis in vera fide valerent confirmare, tanta in Deum religione permoti, necnon ferventi in proximum charitate adducti, decreverunt in Oppido Pontis Monſonii Meten. diœc. ſub dominio prædicti Caroli Ducis exiſtente, unum diverſarum ſcientiarum, & artium Studium generale, in quo Theologiæ, utriuſque Juris, ac Medicinæ, & Philoſophiæ lectiones continuè haberentur, ac etiam inibi, ut illud Studium majoribus proficiat incrementis, etiam unum Presbyterorum regularium Societatis Jesu Collegium erigere, & inſtituere, ad effectum ut illarum partium Juventus non ſolùm doctrina, quæ ad benè beatéque vivendum via præcipua eſt, ſed etiam bonis inſtituatur moribus & exemplis, ſi ad id noſtra & Sedis prædictæ interveniret auctoritas.

§. 2. Quare pro parte eorundem Caroli Card. & Legati, ac Caroli Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Præceptoriæ, & hoſpitalis S. Ant. Ord. S. Auguſtini d. Oppidi domum, & illorum ambitum, ab eiſdem Præceptoria & hoſpitali, illorumque Ordine, & ſuperioritate, ac mille ſcut. auri in auro annuum redditum ex monaſterio S. Gorgonii Gozien. Ordinis S. Benedicti d. diœceſis, ſeu illius menſa Conventuali, & ipſius monaſterii officiis clauſtralibus, ac ab illo dependentibus, & illi unitis Prioratibus, etiam in perpetuum diſmembrare & ſeparare, illaque ſic diſmembrata, & ſeparata hujuſmodi, eidem Societati Jesu ad effectum ut ipſi Presbyteri in dictis domo & ambitu diſmembratis, unum Collegium juxta illorum ſtatuta erigere, recipere, regere, viſitare & corrigere valeant, pro illius Collegii dote, & perſonarum ipſius Societatis, quæ humaniores literas, Grammaticam & Philoſophiam, ac Theologiam edocebunt, ſuſtentatione concedere, applicare & appropriare, necnon ipſi Collegio penſionem annuam aliorum mille & quingentorum ſcutorum ſimilium, quingentorum videlicet ſuper menſæ Epiſcopalis Meten. & reliquorum mille ſuper univerſis & ſingulis quorumcumque monaſteriorum, & Prioratuum cujuſvis Ordinis exiſten. in Meten. Tullen. & Virdunen. diœc. conſiſtentium, ſeu illorum menſarum Abbatialium, vel Conventualium fructibus, redditibus, & proventibus etiam perpetuò, donec Epiſcopus Meten. & Abbates, Priores, ſeu Commendatarii dictorum monaſteriorum, & Prioratuum aliqua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica, ad illorum collationem aut aliam diſpoſitionem ſpectantia, quorum annuus valor d. ſummam mille ſcut. inſimul conſtituat d. Collegio pro penſionis hujuſmodi extinctione uniri procuraverint pro rata facultatum cujuſque & juxta partitionem per ipſum Carolum Cardinalem, ac Venerabiles fratres noſtros Virdunen. & Tullen. Epiſcopos faciendam, perſolvendam reſervare, conſtituere, & aſſignare, ac in d. Oppido univerſitatem Studii generalis erigere, & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, & ſtatuere de benignitate Apoſt. dignaremur.

§. 3. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia Eccleſiaſt. aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorē, ſecundum exiſtimationem prædictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſēper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique hodie prædictum monaſterium S. Gorgonii ex certis tunc expreſſis cauſis, regularitate, omnique ſtatu, & obſervātia regulari in eo penitus, & omnino ſuppreſſis, ad ſæcularitatem per alias noſtras literas reduximus, prout in illis plenius cōtinetur, attendentes quod ex literarum ſtudio animarum ſaluti conſulitur, ac alia ſpiritualia, & temporalia bona mundo proveniunt, pium & laudabile Caroli Card. Legati, ac Caroli Ducis prædictorum decretum plurimum in Domino commendantes, ipſumque Carolum Ducem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris ac pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolven.

&

& abſolutum fore cenſen. necnon d. monaſterii ſuppreſſionis tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate ten. præſentium perpetuò Præceptoriæ, & hoſpitalis hujuſmodi domum, & illorum ambitum, unà cum horto, hortalitiis, aliiſque rebus circumcirca adjacentibus, ad Præceptoriam, & hoſpitale hujuſmodi legitimè ſpectan. & pertinentibus, dummodo ad hoc dilecti filii moderni ipſius domus Præceptoris accedat aſſenſus, ab eiſdē Præceptoria, & hoſpitali, illorumque Ordine, & ſuperioritate, ex monaſterio verò S. Gorgonii, ſeu illius menſa Cōvētuali, & illius officiis regularibus, & ab illo dependen. & illi unitis Prioratibus præfatis, mille & quingentorum ſcut. prædictorum annuum redditum diſmembramus, & ſeparamus, illaque ſic diſmembrata, & ſeparata d. Collegio Soc. Jesu, ad effectum, ut Presb. Societatis hujuſmodi inibi unum Collegium juxta eorum conſuetudines & inſtituta, ac cum omnibus, & ſingulis ſolitis privilegiis erigere, illudque per ſeipſos regere, & gubernare, ac viſitare, & corrigere poſſint, & valeant, ac Carolus Card. & Legatus, necnon Carolus Dux locum, & habitationem idoneam, & commodam præſtare, ſupellectilem quoque neceſſariam, & ſolitam ſecundum Collegiorum uſum inſtruere teneantur, pro illius Collegii dote, necnon perſonarum ipſius Societatis quæ humaniores literas, Grammaticam & Philoſophiam, ac Theologiam edocebunt ſuſtentatione concedimus, applicamus & appropriamus. Præterea ut d. Collegium majores in Vinea Domini proferat fructus, quo majoribus fuerit ſuffultum præſidiis, eidem Collegio penſionem annuam immunem, & exemptam mille, & quingentorum ſcut. ſimilium, quingentorum videlicet ſuper d. Menſæ Epiſcopalis Meten. & reliquorum mille ſuper univerſis, & ſingulis quorumcūque monaſteriorum, & Prioratuum, cujuſvis Ordinis exiſten. & in Meten. Tullen. & Virdunen. diœc. præfatis conſiſten. ſeu illorum menſarum Abbatialium, vel Conventualium fructibus, redditibus, & proventibus, etiamſi ſuper illis aliæ penſiones annuæ aliis aſſignatæ exiſtant per ipſum Carolum Card. & Legatum, ac pro tempore exiſten. Epiſcopum Meten. & dilectos filios ſingulos monaſteriorum, & Prioratuum eorundem Abbates, & Priores, ſeu Commendatores, & illorum Convētus annis ſingulis in loco, & terminis per ipſum Carolum Card. & Legatum, per ſe, vel alium ſtatuendis ipſi Collegio, ac illius penſionis, vel illarum Procuratori ad id ab eis ſpeciale mandatum habenti perpetuò, donec tamen Epiſcopus Meten. & Abbates, Priores ſeu Commendatarii præfati aliqua perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſt. ad eorum collationem, proviſionem & aliam quamcumque diſpoſitionem ſpectātia & pertinentia, quorum annuus valor d. ſummam mille ſcut. inſimul conſtituat, d. Collegio ſufficienter, & cum effectu pro penſionis hujuſmodi extinctione uniri procuraverint, pro rata facultatum cujuſque, & juxta partitionem, ſeu commodam diviſionem per Carolum Card. & Legatum, ac Virdunen. & Tullen. Epiſcopos præfatos faciendam, integrè quotannis perſolvendam, dummodo ad id Caroli Card. ac Legati, ac omnium & ſingulorum monaſteria, & Prioratus hujuſmodi obtinentium accedat aſſenſus, reſervamus, conſtituimus & aſſignamus.

*...orum ... gii præ- munus ...ribit, & ...rum.*

§. 4. Et inſuper quod in dicto Collegio Presb. præfati pleniſſimum, & eum qui juxta dictæ Societatis ſtatuta, & formam in ſingulis eorum Collegiis, etiam quam ampliſſimis, & quibus Univerſitates famoſæ annexæ ſunt, ſaltem ſeptuaginta perſonarum ejuſdem Societatis numerum compleant, in eo quoque adſint quatuor Theologiæ profeſſores, quorum unus ſacras literas, alii duo Scholaſticam Theologiam, quartus verò Conſcientiæ caſus ſinguli una lectione quotidiana exponant, ac tres Philoſophiæ Regentes, quorum quiſque duas quotidie legat lectiones, ordine tamen hujuſmodi ſervato, ut quolibet triennio Philoſophiæ curſus integer abſolvatur, & quolibet anno unus incipiat, alter verò definat, ita quod duæ lectiones Rhetoricæ ordinariæ ſingulis diebus, una quoque humaniorum literarum, ac tres aliæ Grammaticæ Claſſes inſtituantur, duæ inſuper lectiones Græcæ, una in alicujus auctoris interpretatione, altera verò in Grammatices inſtitutione habeatur, una itidem literarum Hebraïcarum, & altera Mathematicarum lectiones quotidie inibi legantur Statuimus in ipſo quoque Oppido Univerſitatem Studii generalis ſub invocatione per Carolum Cardinalem, & Legatum, ac Carolum Ducem præfatos eligenda, in quinque facultatibus præfatis, quarum duæ, Theologiæ ſcilicet & Philoſophiæ Presbyteris dictæ Societatis juxta eorum ſtatuta, reliquæ tres earum Decanis, Doctoribus & Profeſſoribus dirigendæ adinſtar Bononien. & Pariſien. Univerſitatum, & juxta illarum conſuetudines, & ſtatuta erigimus, & inſtituimus.

*Perſonis d. Collegii privilegia perſonarum Studii Bononien. & Pariſien. concedit.*

§. 5. Illique ſic erectæ & inſtitutæ, ac ejus pro tempore exiſtentibus Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Sholaribus, Bidellis, Nuntiis, & aliis Officialibus, & perſonis, necnon membris, & ſubditis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus ac præemīnentiis Bononien. & Pariſien. Univerſitatibus præfatis, illorumque pro tempore exiſtentibus Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, Nuntiis & aliis Officialibus, ac perſonis, necnon membris, & ſubditis in genere, tam dicta [illegible] Apoſtolica, quàm alias ritè Imperiali, & Regia auctoritatibus, aut alias quomodolibet conceſſis, ſeu legitimè præſcriptis, aut in poſterum concedendis, & præſcribendis, ac quibus illi, & illæ utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere.

*Doctoratuſque, & graduū inſignia conferendi, & reſpectivè recipiendi facultatem tribuit, promotiſque indulta promotis in aliis Studiis generalibus elargitur.*

§. 6. Necnon iis qui in quavis Univerſitate diſciplinis, & facultatibus præfatis ſtudere inceperint, ſtudium ſuum in ea continuare, & qui in dicta ſic erecta, aut quavis alia Univerſitate per tempus debitum ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idonei comperti fuerint, in artibus & Medicina, & Philoſophia, ac Theologia, necnon juribus, aliiſque facultatibus prædictis, Baccalaureatus etiam formalis, Licentiaturæ, ac Laureæ, necnon Doctoratus & Magiſterii, & quoſvis alios ſolitos gradus ab ipſius Univerſitatis Rectore, ſeu ſcientiarum in quibus promovendi pro tempore ſtuduerint, Lectoribus aut aliis perſonis per dictum Carolum Cardinalem, & Legatum in & ad tempus in perpetuum deputandis, & conſtituendis, aliiſque modo, & forma per ipſum ſtatuendis recipere, & ipſorum graduum ſolita inſignia ſibi exhiberi facere, & poſtquam hujuſmodi gradus, & illorum inſignia ſuſceperint, facultates in quibus promoti fuerint, legere & interpretari, ac in eis diſputare, necnon quoſcumque actus gradui ſeu gradibus per eos receptis convenientes exercere, aliiſque omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in Bononien. & Pariſien. Univerſitatibus præfatis juxta illarum conſtitutiones, & mores ad gradus ipſos promoti de jure, vel conſuetudine, aut alias utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt, ut præfertur quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi gradus hujuſmodi in Bononien. & Pariſien. præfatis, & aliis quibuſvis Univerſitatibus juxta illarum conſtitutiones, & conſuetudines hujuſmodi ſuſcepiſſent.

*Carolo Card. facultatem e[d]endi ſtatuta pro hujus Studii regimine concedit.*

§. 7. Necnon eidem Carolo Card. & Legato, & per ſe, vel aliū, ſeu alios quos ad id duxerit deputandos, & ſi ei videbitur, vocatis Meten. Virdunen. & Tullen. Epiſcopis, pro ſalubri dictæ ſic erectæ Univerſitatis directione, & conſervatione, ac Rectorum, Magiſtrorum, Doctorum, Lectorum, Præceptorum, Procuratorum, Bidellorum, Nuntiorum, & aliorum Officialium hujuſmodi inſtitutione, & electione, & quavis alia proviſione, ac Scholari manutentione, ipſius tamen Collegii, quoad Theologiam, & Philoſophiam cum humanioribus literis, necnon promotionum in dictis facultatibus, & Scholaſticorum inibi pro tempore degentium vitæ, & ſtudiorum diſciplina, & Scholaſticorum correctione, admiſſione, & dimiſſione, necnon regimine, ſeu adminiſtratione, & politiæ literariæ forma, juxta Societatis præfatæ ſtatuta, & inſtituta pro tempore exiſtenti, ejuſdem Collegii Rectori & ipſius Societatis ſuperioribus præſervata, ac in præmiſſis & infraſcriptis omnibus, & per omnia ſalva, & integra permanente perſonarum, & bonorum & exercitiorum hujuſmodi

hujuſmodi Societatis exemptione, ac regulari obſervantia, quæcumque ſtatuta, & ordinationes licita, & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria facere, edere, ac pro rer[illegible]n, temporum, & perſonarum qualitate, & varietate corrigere & reformare, ſeu illa caſſare, & alia de novo condere, ac ſuper illorum obſervatione quaſcumque pœnas imponere, juxta eorum diſpoſitionem judicari debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernere.

*Juriſdictionemque in omnes illius perſonas (non tamen ipſius Societ.) eidem Carolo Card. tribuit.*

§. 8. Necnon in omnes & ſingulos dictæ Univerſitatis Rectorem & Magiſtros, Doctores, Lectores, Præceptores, & Scholares, ac Procuratores, Bidellos, Nuntios & Officiales, & perſonas ſuppoſitas, tam ſæculares, quam quorumvis Ordinum regulares, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ extiterint, etiamſi exemptæ, & Sedi Apoſt. immediatè, aut alteri Prælato ſubjecti, ſeu alterius Diœc. fuerint, præterquam ipſius Societatis perſonas, omnimodam tam civilem, quàm criminalem, & mixtam juriſdictionem Apoſtolica aucto[illegible] prædicta exercere, viſitare reformare & corriger[illegible] errantes punire & caſtigare.

*Juſque eaſdem perſonas eligendi conſtituit.*

§. 9. Necnon ipſius Univerſitatis Rectores, Magiſtros, Lectores, Præceptores, & Scholares, ac Procuratores, Bidellos, & alios Officiales hujuſmodi eligere, ſeu eorum electiones aliis committere, eaſque poſtquam factæ fuerint, per ſe, vel alium, ſeu alios ad id per ipſum Carolum Cardinalem, & Legatum deputandos confirmare, & approbare liberè, & licitè valeant, concedimus & deſuper indulgemus.

*Huic inſtitutioni clauſulas præſervativas apponit.*

§. 10. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, alterationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, etiamſi de præſentibus, eorumque toto tenore, ac data ſpecialis, & ſpecifica mentio fiat, minimè includi, ſed illis ac quibuſvis aliis contrariis non obſtantibus, in ſuo robore, vigore & efficacia perſiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo ſub quacumque data per dictos Carolum Cardinalem, & Legatum, ac Carolum Ducem eligenda conceſſas eſſe, ſicque incommutabilis voluntatis, & intentionis noſtræ eſſe, & fore, eaſdemque præſentes literas nullo unquã tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in jus, vel controverſiam quacumque ratione, vel cauſa etiam rationabili deduci, cauſamque ſeu cauſas propter quas præmiſſa facta fuerunt, coram quibuſcumque locorum Ordinariis etiam tanquam à Sede prædicta delegatis minimè verificari, nec propterea, ſeu pro eo quod intereſſe prætendentes vocati non fuerint, per ſubreptionem obtentas præſumi, viribuſque propterea carere.

*Et decretum irritans.*

§. 11. Et ita in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Recuſantibus ſolvere annuos redditus pœnas indicit.*

§. 12. Necnon præfatum Carolum Card. & Legatum, ac pro tempore exiſtentes Meten. Epiſcopum, ſeu perpetuum Adminiſtratorem, necnon Monaſterii & Prioratuum Abbates, Priores, ſeu Commendatarios, ac Conventus hujuſmodi ad integram ſolutionem penſionis præfatæ eidem Collegio facien. juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis præfatarum tenorem efficaciter obligatos fore, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod qui ex Carolo Card. & Legato, ac Epiſcopo, ſeu Adminiſtratore Meten. necnon Abbatibus, & Prioribus, ſeu Commendatariis, ac Conventibus præfatis in dictis terminis, vel ſaltem intra triginta dies illorum ſingulos immediatè ſequentes, penſionem præfatam per eos tunc debitam non perſolverint cum effectu, lapſis diebus eiſdem Carolo Card. & Legato, ſeu Epiſcopo, vel Adminiſtratori Meten. & ſi Cardinalis, aut Antiſtes ſit, Abbati, ac Priori ſeu Commendatario hujuſmodi ingreſſus Eccleſiæ interdictus exiſtat. Si verò Abbas, & Prior, ſeu Commendatarius inferiores Cardinali, & Antiſtite ſint, aut Conventus fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant, cujus interdicti relaxationem hiſce interdictus, excommunicatus verò ab excommunicationis ſententia hujuſmodi abſolutionis beneficium donec Collegio, vel Procuratori præfato de penſione præfata tunc debita integrè ſatisfactum, aut aliàs cum Collegio, ſeu Procuratore hujuſmodi amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo conſtitutus, nequeat obtinere. Si verò per ſex menſes dictos triginta dies immediatè ſequentes interdictus ſub interdicto permanſerit, excommunicatus verò præfatæ excommunicationis ſententiam ejuſmodi ſuſtinuerit, animo quod abſit, indurato, ex tunc effluxis menſibus ipſis interdictus à regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ, ac monaſterii, & Prioratus hujuſmodi ſuſpenſus, excommunicatus verò præfatis ipſo monaſterio, & Prioratu perpetuò privatus exiſtat, illiuſque commoda ceſſare, & ea ceſſante monaſterium, & Prioratus hujuſmodi vacare cenſeantur eo ipſo.

*Exe[...] hujus [...] deputa[...]*

§. 13. Quocirca dilectis filiis Virdunen. & Tullen. & Meten. mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caroli Cardinalis, & Legati, ac Caroli Ducis, necnon Collegii, illiuſque perſonarum præfatorum, aut alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque, & illorum ſingulis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi inviolabiliter obſervari, & illos quos dictæ literæ concernunt, omnibus, & ſingulis præmiſſis pacificè frui, & gaudere, ac penſionem præfatam Collegio, aut Procuratori præfato juxta præſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, & decreti præfatorum continentiam, & tenorem integrè perſolvi, non permittentes eos, aut eorum quemlibet per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari. Et nihilominus quemlibet ex Carolo Card. & Legato, ac Epiſcopo, ſeu Adminiſtratore Meten. ac Abbatibus, & Prioribus, ſeu Commendatariis, & Conventibus præfatis, quem interdicti, & ſuſpenſionis, aut excommunicationis ſententias, & privationis pœnam hujuſmodi incurriſſe eis conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte Collegii præfati fuerint requiſiti, tamdiu Dominicis, & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis, dum major inibi Populi multitudo ad divina convenerit, interdictum & ſuſpenſum, vel excommunicatum, & privatum reſpectivè publicè nuntient, & faciant ab aliis nuntiari, excommunicatumque ab omnibus arctius evitari, donec Collegio, vel Procuratori præfato de dicta penſione tunc debita fuerit integrè ſatisfactum, ipſeque interdictus, & ſuſpenſus relaxationem interdicti, & ſuſpenſionis, aut excommunicatus ab excommunicatione præfata hujuſmodi abſolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, ſi Cardinales, aut Antiſtites auctoritate noſtra, ſi verò inferiores Cardinali, aut Antiſtite ſint, per ſententias, & cenſuras, & pœnas Eccleſiaſtic[illegible], aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos in ſententias, cenſuras & pœnas præfatas incurriſſe declarando, ac etiam eas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Con[...] omnium [...] rogat.*

§. 14. Non obſtan. priori voluntate noſtra præfata, & Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohiben. ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, etiam illa qua cavetur ne quis extra ſuam civitatem, vel diœceſim niſi certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices à Sede præfata deputati extra civitatem, vel diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut [illegible]ii, vel aliis vices ſuas committere præſumant, ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apoſt. necnon in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, ac ordinationibus Eccle-

ſiæ

ſis Meten.& monaſteriorum, Prioratuum & Ordinum ac Univerſitatum præfatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus & immunitatibus ac literis Apoſtolicis, illis, illorumque Superioribus, Conventibus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in genere vel in ſpecie etiam conſiſtorialiter quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ, nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus contrariis quibuſcumque. Aut ſi Carolo Cardinali & Legato ac Epiſcopo ſeu Adminiſtratori Meten.& Abbatibus, Prioribus ſeu Commendatariis & Conventibus præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis,& literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

...mem- ...alem §.15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, diſmembrationis, ſeparationis, conceſſionis, applicationis, appropriationis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, ſtatuti, electionis, inſtitutionis, indulti, decreti, voluntatis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem, &c.

...1. die Dat. Romæ apud S.Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1572. Nonis Decemb. Pont.noſtri anno 1.

---

## I. Inſtitutio Congregationis Clericorum ſæcularium de Oratorio nuncupatæ, in Eccleſia S. Mariæ de Vallicella de Urbe.

*Hujus Congregationis presbyteris, ex indulto Sixti V. ſub die 5. Septembris 1586. (quod volens prætermiſi) per dimidium horæ ante auroram, & poſt meridiem Miſſas celebrare, & à Vicario Papæ ad confeſſiones audiendas, prævio examine in Vrbe approbati, extra eam abſque alio examine illas audire valent. Ordinationes autem & inſtituta d. Congregationis approbavit, & nonnulla indulta eidem elargitus eſt Paul. V. in ſua conſt.*92. Chriſti fidelium, *inf. tom.*3.

Aliam, ſed diverſam Congregationem Oratorii, Jeſu Chriſti nuncupandam, inſtituit idem Paul. V. in ſua conſt,91. *Sacroſancta*, inf. tom.3.

Hujus Congregationis fundator extitit Philippus Nerius Florentinus, quem SS.Confeſſorum numero adſcripſit Greg. XV. qui morte præventus Bullam deſuper expedire non potuit, ſed eam expedivit Sanctiſſ. D.N. Urban.VIII. ut in conſt.2. *Rationi*, infrà tom.4. Gregor. tamen conceſſerat huic Congregationi Eccleſiam S. Cæciliæ in monte Jordano pro Sacriſtiæ & Oratorii ædificatione, ac domus dilatatione, ſuppreſſa prius animarum cura eidem incumbenti, & aliò tranſlata, ut videre eſt in ejuſdem Gregor. conſt. 11. *Cùm ad uberes*, d. tom.4.

G R E G O R I V S  E P I S C O P V S, *Edita An. D. 1575.*

*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

COpioſus in miſericordia Dominus, & in cunctis glorioſus operibus, à quo omnia dona defluunt, ad hoc nobis licet immeritis ſuæ ſponſæ univerſalis Eccleſiæ regimen committere,& noſtræ debilitati jugum Apoſtolicæ ſervitutis imponere voluit, ut inter alias multiplices curas, operarios quos ipſe Dominus in meſſem ſuam, multitudine utique magnam populorum ad fructum divinæ gratiæ diſpoſitam, ne pereat, quotidie pro ſua miſericordia dignatur emittere, conducere non differamus, eoſque ad ſuſcipiendam ipſius Domini miſericordiam in medio templi ſui, ejuſque vias Chriſti fidelibus demonſtrandum, eorumque corda divinorum ſermonum declaratione illuminandum, novas etiam interdum piorum virorum Congregationes propterea conſtruendo, noſtræ ſollicitudinis ope, Apoſtoliciſque favoribus propenſius excitemus.

*Philippus Nerius ſupplicat Papæ, pro erectione Congr. Clericorum ſæcularium de Oratorio nuncupanda in Vrbe.*

§. 1. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia,& in antea vacatura, collationi,& diſpoſitioni noſtræ reſervavimus. Decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum parochialis Eccleſia Beatæ Mariæ Vallicellæ nuncupatæ, Regionis Pontis ſeu Parionis de Urbe, per liberam reſignationem dilecti filii Antonini de Adjuto, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa quam tunc obtinebat in manibus noſtris ſpontè factam & per nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtẽtibus ſupradictis: Et ſicut dilectus filius Philippus Nerius presb. Florentinus, ac Præpoſitus nonnullorum Presbyterorum & Clericorum ſæcularium, tam ſuo quàm aliorum presbyterorum & Clericorum præfatorum nominibus nobis nuper expoſuit, hi in ipſa Eccleſia introduci cupiant, ac ita illis gratia aſſiſtente divina circa Miſſarum & aliorum divinorum officiorum in eadem Eccleſia celebrationem, & verbi Dei populo inibi intereſſenti prædicationem, aliaque ſalubria monita ad ſalutem animarum Chriſti fidelium procurandam, & quamplurima pietatis opera exercenda intendere ſperent, ut ex eorumdem presbyterorum & clericorum laudabili vita & doctrina dilecti filii ipſius Eccleſiæ parochiani non parvam conſolationem ſpiritualem ſuſcepturi ſint, ſi in eadem Eccleſia una Congregatio presbyterorum & clericorum de Oratorio nuncupanda, perpetuò erigeretur & inſtitueretur, ipſaque Eccleſia cum onere curæ animarum ipſius parochianorum præfatorum eidem Congregationi concederetur, ex hoc profectò divinus cultus ac miniſtrorum Eccleſiaſticorum numerus, in ea ad Dei laudem & eorundem Chriſti fidelium animarum ſalutem maximum ſuſciperet incrementum. Quare dictus Philippus aſſerens dictæ Eccleſiæ, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & proventus ſuper quibus penſio annua quadraginta ſcutorum monetæ certæ perſonæ Eccleſiaſticæ illam annuatim percipienti, Apoſtolica auctoritate, ut dictus Philippus etiam aſſerit, reſervata exiſtit, centum & triginta ducatorum auri de Camera ſecundùm communem exiſtimationem valorem annuum non excedere, iiſdem nominibus nobis humiliter ſupplicavit, quatenus præmiſſis annuere de benignitate Apoſt. dignaremur.

*Qui illam erigit.*

§.2. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique divini cultus augmentum & Chriſti fidelium animarum ſalutem ſinceris deſideramus affectibus, pium & laudabile Philippi Præpoſiti, ac presbyterorum & Clericorum præfatorum deſiderium ſummoperè commendantes, ipſoſque Philippum Præpoſitum ac presbyteros & clericos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in

dicta eccleſia unam Congregationem presbyterorum & clericorum ſæcularium de Oratorio nuncupandam, ſine alicujus præjudicio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Utque Parochialem in Urbe Eccleſ. S. Mariæ in Vallicella cũ omnibus ſuis bonis, introitibus, & iuribus concedat.*

§. 3. Utque ſic erectæ & inſtitutæ eccleſiam præfatã ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Antonini vel cujuſvis alterius de illa in Rom. Curia vel extra eam etiam coram Notario publico & teſtibus ſpontè factam, aut conſtitutionem fel. rec. Joannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Execrabilis, vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, cum onere curæ animarum illius Parochianorum præfatorum, aliiſque omnibus & ſingulis oneribus & honoribus ac annexis, necnon omnibus bonis, cenſibus, juriſdictionibus, fructibus, redditibus & proventibus, aliiſque juribus & pertinentiis ſuis eidem Congregationi, auctoritate Apoſtolica & tenore præfatis etiam perpetuò concedimus & aſſignamus: ita quod liceat ipſi Congregationi illiuſque Rectori, Presbyteris, Clericis & Procuratoribus, ſeu Agentibus vel deputatis, per ſe, vel alium ſeu alios, eorum & dictæ Congregationis nomine, Eccleſiæ & annexorum ac bonorum juriumque & pertinentiarum præfatorum corporalem, realem & actualem poſſeſſionem propria auctoritate liberè apprehendere, & etiam perpetuò retinere, curamque animarum eidem Eccleſiæ imminentem per ſeipſos Presbyteros, ſeu vel plures ex eis, ſive per alium vel alios Presbyteros, illis tamen prius à dilecto filio noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis in dicta Urbe & ejus diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, ſeu Sede præfata approbatis, exercere vel exerceri, eidemque Eccleſiæ in divinis deſervire ſeu deſerviri facere, illiuſque fructus, redditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcumque percipere, exigere & levare, ac in ſuos & Congregationis ac Eccleſiæ præfatorum uſum & utilitatem convertere.

*Facultatemque ordinationes pro ſalubri ſtatu ſuo condendi & immutandi tribuit.*

§. 4. Necnon eidem Congregationi illiuſque Rectori ac Presbyteris & Clericis pro tempore exiſtentibus, ut pro ſalubri ſtatu & directione Eccleſiæ & Congregationis hujuſmodi, illiuſque perſonarum quæcumque ſtatuta & ordinationes rationabilia, honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concil. Trid. non contraria edere, & edita reformare, limitare, & mutare, ac alia de novo condere, prout & quoties eis ſecundùm rerum & temporum qualitates videbitur expedire: quæ quidem ſtatuta & ordinationes poſtquam edita, reformata, limitata & mutata, ac de novo condita fuerint, à Sede præfata approbari, & per ſingulares perſonas de gremio dictæ Congr. exiſtentes inviolabiliter obſervari debeant, liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica & tenore præfatis indulgemus, liberamque deſuper facultatem concedimus & elargimur.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§. 5. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, & ex eo quod intereſſe prætendentes vocati non fuerint, notari, impugnari, aut in jus vel controverſiam vocari nullatenus poſſe neque debere, minuſque ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus à Sede præfata, etiam in favorem quorumvis quomodolibet emanatis & emanandis nullatenus comprehendi poſſe, aut debere, necnon quoad conceſſionem & aſſignationem prout eſt, & attentatum forſan eſt hactenus, ac tam quoad illas quam omnia alia ſupradicta ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Executores deputat.*

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Patriarchæ Alexandrin. ac Amerin. & Aquinaten. Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Philippi Præpoſiti ac Congregationis præfatorum, & ſingularum illius perſonarum nunc & pro tempore exiſtentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, ac ſingulos quos ipſæ literæ concernunt illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Con[illegible] omnu[illegible] vet.*

§. 7. Non obſtantibus priori voluntate noſtra præfata, ac Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis venerabili fratri noſtro Alexandro Epiſcopo Tuſculan. Cardinali Farneſio nuncupato, ad quem ratione Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo etiam de Urbe, aut alias dictæ Eccleſiæ S. Mariæ Vallicellæ, dum vacat, collatio, proviſio, præſentatio, & omnimoda alia diſpoſitio pertinet, ac dilectis filiis Populo Romano ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac fratrum noſtrorum conſilio, etiam iteratis vicibus, etiam per rec. mem. Leonem Papam X. alioſque Romanos Pontifices ſimiliter prædeceſſores noſtros, ac forſan etiam nos & Sedem præfatam conceſſis, approbatis & innovatis, illis præſertim quibus inter alia caveri dicitur expreſsè, quod de quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis dictæ Urbis, vacatione illorum pro tempore occurrente, aliis quam Civibus Romanis & originariorum Civium Roman. filiis, & forſan aliàs certo modo qualificatis provideri, vel alias diſponi non poſſit, & aliter de illis etiam per Sedem præfatam pro tempore factæ collationes, conceſſiones, uniones & aliæ diſpoſitiones nullius ſint roboris vel momenti, quodque eiſdem privilegiis & indultis nullatenus, aut non niſi modo & forma in illis expreſſis derogari, aut derogatum cẽſeri poſſit, & ſi ~~illis~~ aliter derogari contingat, derogationes hujuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu alia quævis expreſſio habenda, aut etiam aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus. Quodque de gremio dictæ Congregationis diverſæ perſonæ ex d. Urbe oriundæ, vel alias juxta dicta ſtatuta qualificatæ non exiſtant, contrariis quibuſcumque. Aut aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in ipſa Urbe ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus literas impetrarint: etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſequuta quæcumque ad dictam Eccleſiam B. MARIÆ volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari. Et quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis: proviſo, quod ipſa Eccleſia S. MARIÆ debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed illius congruè ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo omnino, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1575. Idibus Julii, Pont. noſtri anno 4.

*D. P. A[illegible] 15. Iu[illegible]*

Inſtitutio

I. **Inſtitutio Univerſitatis Studii generalis diverſarum ſcientiarum, bonarumque artium in Collegio Presbyterorum regularium Societatis Jeſu, in Civitate Vilnenſi, in Regno Poloniæ per Valerianum illius Epiſcopum fundato, cum privilegiorum elargitione.**

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

DUm attenta conſiderationis indagine peſcrutamur quàm pretioſum ſapientiæ & ſcientiæ donum, per quod ignorantiæ & vitiorum tenebræ profligantur, erroreſque tolluntur, ſolliciti reddimur & ſolertes ut literarum & pietatis ſtudioſi debitis virtutum inſigniantur honoribus, ac indefeſſi laboris ad Dei gloriam ſuſcepti præmium tandem reportent.

§. 1. Sanè pro parte venerabilis fratris noſtri Valeriani Epiſcopi Vilnen. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum idem Valerianus Epiſcopus à decemannis vel circa, ad patriæ & Diœceſis ſuæ quæ multiplici ſectarum labe ac ſchiſmaticis erroribus, itemque Mahomet. infidelitate obſidebatur, tutelam unum Collegium presbyterorum Societatis Jeſu in Civitate Vilnen. canonicè erigi & inſtitui, illudque nonnullis redditibus & proventibus annuis dotari curaverit, ac à dicto tempore ex ipſo Collegio in morum & diſciplinarum exercitio non tenuis profectus exortus ſpectetur, & numerus Scholarium mirum in modum accreverit, & ſingulis diebus benedicente Domino augmentetur, in optima Theologiæ ac Philoſophiæ, necnõ liberalium, moralium, Græcarumque lectionum ſtudia cumulatiſſimè verſans, ſi in ipſa Civitate quæ inter cæteras magni Lituaniæ Ducatus Civitates percelebris fertur ac ampla Diœceſi decoratur, una generaliũ tam divinorum quam humaniorũ ſtudiorum Univerſitas erigeretur & inſtitueretur, ac in dicto Collegio, Theologia, Philoſophia & artes liberales publicè, & ea quæ in Studiorum generalium Univerſitatibus Poloniæ & aliorum Chriſtianæ fidei Regnorum leguntur ac explicantur, & auctoritate comprobantur, ad fidei orthodoxæ propugnaculum, Civitatis prædictæ ornamentum feliciſſimum, totiuſque Provinciæ decus, per ipſos Presbyteros interpretarentur & perlegerentur, necnon qui in ipſo generali Studio & Univerſitate, & alibi per tempus debitum ſtuduiſſe, ac ſcientia profeciſſe, ab eiſdem Presbyteris prævio rigoroſo examine in privato, ſeu adhibitis quæſtionibus & argumentis, quæ proborum ac Doctorum virorum præſentia confirmari ſolent, publico congreſſu comperti fuerint, in Theologia, artibus & Philoſophia, Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus & Magiſterii, pro ſtudiorum ratione, ac juxta decreta ſacri Concilii Tridentini, & ipſius Societatis conſtitutiones, ac morem in illis Univerſitatibus receptum, & ad inſtar aliarum Univerſitatum hujuſmodi gradus conſequerentur, ipſique Scholaros per tot ſtudiorum labores præmii honorificentia & literarum majori favore donarentur, profecto provecti ardentiores fierent, plurimique hujus vitæ ſtadium ſpretis illecebris ad ſempiterna indagine mentis contemplanda ſe transferrent, idque chariſſimo filio noſtro Stephano Poloniæ Regi illuſtri, cujus expreſſus ad hoc accedit aſſenſus, gratum foret. Quare pro parte ejuſdem Valeriani Epiſcopi nobis fuit humiliter ſupplicatum ut fidei præſidio ac Civitatis hujuſmodi decori, necnon publicæ utilitati conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur attendentes quod ex literarum ſtudio animarum ſalus maximè procuratur, eundem Valerianum Epiſcopum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris ac pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in dicto Collegio Studium generale Theologiæ, & pro illius cognitione neceſſaria artium liberalium & Philoſophiæ, ac in illo Univerſitatem Studii generalis, quod ibidem perpetuis futuris temporibus vigeat ad inſtar aliarum Univerſitatum hujuſmodi, ac juxta illarum ſtatuta & conſuetudines, aliaſque ipſius Societatis conſtitutiones per Presbyteros Societatis hujuſmodi in omnibus ac per omnia moderandam & gubernandam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

§. 3. Illique ſic erectæ & inſtitutæ, ac ejus pro tempore exiſtentibus Rectori, Cancellario, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Bidellis, Nuntiis & aliis Officialibus & perſonis, tam in ipſo Collegio reſidentibus quam Univerſitatis hujuſmodi ſtudia frequentãtibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, fervoribus, gratiis, prærogativis, honoribus & præeminentiis Univerſitatibus præfatis illarumque pro tempore exiſtentibus Rectoribus, ſingulis perſonis & Officialibus, necnon membris & ſubditis in genere vel ſpecie, tam dicta Apoſtolica quam alias ritè Imperiali & Regia auctoritatibus, aut aliàs quomodocumque conceſſis ſeu legitimè præſcriptis, aut in poſterum quovis modo etiam motu proprio & conſiſtorialiter concedendum & præſcribendum, ac quibus illi & illæ utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter & æquè principaliter uti potiri & gaudere valeant. Quod illi qui in quavis aliarum Univerſitatum diſciplinis, facultatibus & artibus præfatis ſtudere inceperunt, ſtudium ſuum in ea continuare, & tam ipſi quam in dicta vel alia Univerſitate per tempus debitum ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idonei comperti fuerint, in Artibus, Philoſophia ac Theologia, necnon facultatibus præfatis Baccalaureatus etiam formalis, Licentiaturæ ac Laureæ, necnon Doctoratus ac Magiſterii, ac quoſcumque alios ſolitos gradus ab ipſius Univerſitatis Rectore, ſeu Cancellario aut Doctoribus, Lectoribus vel aliis perſonis per dictæ Societatis Præpoſitum generalem, aut de ejus licentia per illius Provinciæ Præpoſitum Provincialem deputandis, prævio rigoroſo examine vel diſputationibus peragitatis juxta Concilii præfati decreta, ipſiuſque Societatis & aliarum Univerſitatum conſtitutiones, conſuetudines & ſtatuta, necnon aliàs, ut præfertur recipere, ac graduum hujuſmodi ſolita inſignia ſibi adhiberi facere, & poſtquam in ipſis facultatibus promoti fuerint, illas perlegere & interpretari, ac in eis diſputare, necnon quoſcumque actus gradui, ſeu gradibus per eos receptis convenientes exercere, & aliàs omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis & indultis, quibus alii in cæteris Univerſitatibus juxta illarum ritus & mores ad gradus ipſos promoti de jure vel conſuetudine, aut alias utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, æquè principaliter uti, potiri & gaudere liberè & licitè poſſint & valeant in omnibus & per omnia perinde ac ſi gradus hujuſmodi in aliqua ex præfatis Univerſitatibus ſuſcepiſſent.

*Illique privilegia aliorum Studiorum generalium concedit.*

§. 4. Quodque pro felici Univerſitatis hujuſmodi directione, regimine ac literariæ politiæ forma liceat pro tempore exiſtenti ejuſdem Societatis Præpoſito generali, ſalvo ſemper manente ipſius Societatis jure, per ſe vel alium ſeu alios quæcumque ſtatuta & ordinationes, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis non adverſantia, facere & edere, illaque pro rerum, temporum & perſonarum qualitate alterare, immutare & abrogare, & alia toties quoties opus fuerit de novo etiam cum impoſitione pœnarum condere, ac contumaces & rebelles, etiam quantumvis exemptos debite corrigere, auctoritate Apoſtolica concedimus.

*Et auctoritatem ſtatuta condendi pro bono ipſius regimine.*

§. 5. Ac quibuſcumque aliarum univerſitatum ludi moderatoribus & Præſiden. Rectoribus, Cancellariis, Præceptoribus & Magiſtris, ac quibuſcumque aliis etiam Civitatum & aliorum locorum in ſpiritualibus vel temporalibus aut mixtim Gubernatoribus, ne Rectorem aut Univerſitatis hujuſmodi perſonas & Scholares in aliquo præmiſſorum quovis prætextu per ſe vel alium moleſtare vel inquietare audeant ſeu præſumant, inhibemus. Nullumque loci Ordinarium vel Metropolitanum quo-

*Moleſtiam eidem inferri, omnibus prohibet.*

vis

vis quæſito etiam conſervationis, ac ſuperioritatis colore vel ingenio, ſeu titulo præmiſſis ſe ingerere, aut contravenire poſſe nec debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Contrariis quibuſcumque derogat.*

§. 6. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictarum Univerſitatum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, eiſdem Univerſitatibus, ac quibuſvis perſonis vel locis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi in illis caveatur expreſsè quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma in illis expreſſis derogari poſſit, illorum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctionem pœnalem apponit.*

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, inhibitionis, decreti & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D.P.A.9. die 29. Octob.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1579. 3. Kal. Novemb. Pont. noſtri anno 8.

---

## SIXTUS V. PONTIF. CCXXXI.
### ANNO DOMINI MDLXXXV.



SIxtus Quintus, de Monte Alto, Ordinis S. Franciſci Conventualium, Picenus, Frater Felix Perettus antea dictus, Presb. Card. tituli S. Hieronymi Illyricorum. Creatus die duodecima Aprilis, anno Domini 1585. Coronatus Kalendis Maii, eodem anno. Sedit annos quinque, menſes quatuor, dies tres. Creavit Cardinales 33. Obiit ſexto Kalendas Auguſti, anno Domini 1590. cadaver ejus in Vaticanum tranſportatum, & die tertia ibidem in monumento Lateritio ſepultum fuit. Vacavit ſedes dies decem & novem.

---

I. Jubilæi indictio ad implorandum Dei auxilium, pro bono regimine Reipub. Chriſtianæ.

*Similem indictionem omnes ferè Pontifices promulgare ſolent, eas tamen præterii, hac dumtaxat pro exemplo recenta, & alia addita Paul. V. n. 1.* Quod in omni.

Alias indictiones pro eadem cauſa reperies initio Pontificatuum Greg. XV. infr. tom. 4. conſt. 2. *Spiritus*, & S.D.N. Urban. VIII. ſed ſub forma orationis quadraginta Horarum, ut in ejus conſt. 7. *Æternus*, inf. d. t. 4.

*SIXTUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſt. benedict.*

VIARUM noſtrarum infirmitati paſtoralis officii molem nuper impoſitam conſiderantes, non poſſumus ſuſceptum tantæ adminiſtrationis munus non maximè formidare. De illius tamen benignitate non deſperantes, qui operari dignatur in nobis, non deſinimus ejus auxilium implorare, eique mentis noſtræ ſenſus, ne altius extollantur, humiliter ſubjicere, illud agnoſcentes, & verè confitentes, unius Dei Clementiam, nullis præcedentibus meritis, noſtri in imbecillitate noſtra memorem magna in nobis feciſſe mirabilia, quos tot, & tantis gratiarum donis cumulatos honoris Principis Apoſtolorum admirabili dignatione voluit eſſe conſortes. Quam tamen dignitatem, & poteſtatem cum multæ graves curæ conſequantur, valde ſollicitamur, tum quod de collatis in nos maximis beneficiis, quæ Dei benignitati referimus accepta, nullam dignam gratiam quam ejus Clementiæ perſolvamus, noſtra poteſt infantia reperire: tum etiam quod ſub tanto pondere exiguas vires initio contremiſcere, ac penè jam corruere ſentimus, non tamen animo deficientes ad ſummam Dei bonitatem confugimus, fideliumque, & Deum timentium, quorum ipſe ut ſperamus voluntatem faciet, orationes expetimus quibus omnipotenti Deo ſemper benedicendo, gratiiſque miſericordiæ ejus agendis adjuvemur, viribuſque à cœleſti rege ſubminiſtratis ſuffulta noſtra infirmitas commiſſas nobis curarum, & ſalutarium Reipublicæ Chriſtianæ officiorum partes, orantis ſimul populi inſtantia promerente, valeat ſuſtinere, opemque agitatæ, & ubique ferè depreſſæ Catholicæ Religioni ſuppeditare, ne cùm in altitudinem maris venerimus, tempeſtate demergamur, ſed potius horribiles tot peccatorum fructus, & excitatas toto mari procellas diſcutientes cum credito nobis grege optatum curſum, & æternæ ſalutis portum teneamus.

§. 1. Omnes igitur, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles ubicumque exiſtentes monemus, ac in Domino requirimus, ut qui in hac Alma Urbe ſunt, proximè ſequenti hebdomada, aut altera protinus poſt eam item ſequenti: qui verò extra Urbem degunt cum primum harum notitiam habuerint, prima, aut ſecunda itidem immediatè ſequenti hebdomada, conſcientia ſua diligenti priùs examinatione diſcuſſa, peccata ſua omnia humili & contrito corde confiteantur, & ante Feſtum Pentecoſtes ejuſdem hebdomadæ quarta & ſexta feria, & Sabbato (cum hoc tempore jejunia non indicantur) eleemoſynas erogent, piaque earum largitione, quantum pro ſua cuique facultate viſum fuerit, Chriſti pauperum egeſtatem, & inopiam ſublevent, orationibuſque à Deo impetrare ſtudeant, ut nobis lumen ſuum oſtendat, pares tanto oneri vires præbeat, omneſque actiones noſtras dirigat, ac hoſtium Eccleſiæ ſuæ conatus infringat. Die verò dominica, quæ dictas eleemoſynas, atque orationes proximè ſequetur, Sacroſanctam Euchariſtiam devotè accipiant. Ita ut qui poſt Feſtum Pentecoſtes voluerint infra dicendæ indulgentiæ beneficio frui, dictis tribus diebus præter orationes, & eleemoſynas, etiam jejunare teneantur. Et nihilominus, ut Deum magis propitium nobis & populo Chriſtiano reddere, ipſique quantum noſtræ tenuitati conceditur, gratias agere valeamus, & ad tantum onus ſuſtinendum vires impetremus, Nos ipſi ſupplicationes, proceſſioneſque unà cum Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, omnibuſque Prælatis, & Romanæ Curiæ magiſtratibus, die Lunæ qui erit

erit 25. diei præſentis menſis Maii, ab Eccleſia S.Mariæ in Aracœli uſque ad Baſilicam S.Mariæ Majoris habere atque incedere, ſtatuimus. Cæterùm ut fideles ipſi ad hæc omnia peragenda magis idonei efficiantur, de tradita nobis à Domino, poteſtatis plenitudine Eccleſiæ theſauros, quorum divina favente clementia diſpenſatores effecti ſumus, copiosè, ac benignè aperientes, omnibus Chriſti fidelibus ſupradictis, ut hac vice tantum confeſſores idoneos presbyteros, ſæculares vel cujuſvis Ordinis regulares, ab Ordinariis tamen approbatos eligere, qui eorum confeſſionibus diligenter auditis eos à quibuſvis peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſt. reſervatis, ac in literis die Cœnæ Domini quotannis legi ſolitis contentis, in foro conſcientiæ dumtaxat, ac etiam à ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis per eos quomodolibet incurſis, injuncta inde eis pro culpæ modo pœnitentia ſalutari abſolvere, ac quæcumque per eos emiſſa vota (præterquam Caſtitatis, & Religionis,) in alia pietatis opera commutare valeant, per præſentes concedimus.

§.2. Nos enim omnibus, qui præmiſſa devotè adimpleverint, de ejuſdem omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, pleniſſimam omnium peccatorum remiſſionem, ac eandem, quæ Chriſti fidelibus anno Iubilæi hujus Almæ Urbis Eccleſias, & extra eam deputatas ſtatutis diebus devotè viſitantibus conceſſa eſt, miſericorditer in Domino elargimur, eos quoque, qui morbo vel aliquo alio impedimento detenti præmiſſa adimplere nequiverint, ſi alia pia opera fecerint, in quæ arbitrio ſuorum confeſſorum (quibus ſuper hoc facultatem impartimur) commutata fuerint, ac etiam illos qui in itinere fuerint, ſi cùm primum iter perfecerint, præmiſſa exequi ſtuduerint, ipſius Indulgentiæ, & doni, ac aliorum prædictorum participes fieri volumus.

§.3. Præcipientes univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & quibuſvis aliis Eccleſiarum Prælatis, & locorum Ordinariis, ut ſtatim cum præſentes literas, ſeu earum tranſumptum authenticum, etiam impreſſum ad eos deferri contigerit, ſolemnes Proceſſiones tribus diebus, ſcilicet quarta & ſexta feriis, ac Sabbato prædictis, juxta locorum opportunitatem, ad effectum præmiſſorum indicant, & celebrent, ac eaſdem præſentes, ſeu earum tranſumptum per ſuas quiſque Provincias, Civitates, & Diœceſes ſine ulla fraude, aut lucro publicent, & per Eccleſiarum Rectores publicari faciant.

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.5. Quia verò præſentes ad omnia loca, quibus illis opus eſſet, perferri nequeunt, decernimus ut illarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. 8. Kal. Junii, Pont. noſtri anno 1.

*Anno à Nativitate Domini 1585. Indict. 13. die verò 25. menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſ. D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ Apoſt. affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis, ſeu portis Baſilicarum S. Ioan. Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & ac in acie Campi Floræ, per nos Ioan. Freyle, & Nicolaum Tagliettum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Ioannes Bapt. Bagni Mag. Curſ.*

---

## I. Revocatio exemptionum omnium ab onerum Cameralium ſolutione, quibuſcumque perſonis quomodolibet conceſſarum.

*Similem, ſed ampliorem diſpoſitionem in hoc ſtatuit Paul. V. infrà in ejus conſt.* 11. In maximis, *ubi hæc bulla ſub generali confirmatione comprehenditur, & alias ad hoc tibi ibidem indicavero.*

*S I X T V S E P I S C O P V S, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1585.*

INter varias curas quæ ex Paſtoralis officii miniſterio nobis incumbunt, illa potiſſimùm animum noſtrum pulſat atque perturbat, ut nobis & R.E. ſubditi, præſertim pauperes, prætextu exemptionum aliarumque ſimilium gratiarum à Sede Apoſtolica conceſſarum, nullatenus graventur, neque id totum quod à potentioribus, & majores facultates habentibus eximitur, in pauperiorum caput, eorumque damnum & præjudicium accreſcat. *Cauſa hujus revocationis.*

§.1. Unde ex his & aliis rationabilibus cauſis adducti ac nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas exemptiones, conceſſiones, gratias, & immunitates à ſolutione omnium & ſingulorum datiorum, pedagiorum, gabellarum, collectarum, impoſitionum & quorumlibet aliorum onerum, perſonalium, mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, ſolitorum, & inſolitorum, aliarumque exactionum etiam Cameralium, quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis Status noſtri Eccleſiaſtici, ac etiam quibuſcumque feudatariis, cenſuariis, dominis locorum, Baronibus, Comitibus, ſeu quocumque nomine nuncupatis, & quacumque etiam Ducali, vel alia dignitate, & auctoritate, ſeu etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui Caſtra & Juriſdictiones infra limites ditionis Eccleſiaſticæ poſſident, etiam qui nihil ratione Caſtrorum, & Juriſdictionis hujuſmodi Sedi Apoſtolicæ annuatim, ſeu alias perſolvunt, & tam incolis quam extraneis atque forenſibus bona ſtabilia, ſeu mobilia, vel ſe moventia habentibus & tenentibus, ſeu poſſidentibus, omniumque ſupradictorum Colonis, & laboratoribus, per prædeceſſores noſtros & Sedem Apoſtolicam, ejuſque etiam de latere Legatos, ſeu Vicelegatos, & Cameram Apoſtolicam ejuſque Præſidentes, ac alias quomodocumque ſub quibuſvis formis & verborum expreſſionibus, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus (præterquam ob ſuſceptionem liberorum juxta juris diſpoſitionem, & ob cauſam verè effectualis, & congruæ exburſationis pecuniarum, ſeu ex aliis cauſis per nos cognoſcendis & approbandis) perpetuò, ſeu ad certum tempus conceſſas, ac etiam pluries confirmatas, eorum omnium tenores ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò caſſamus, revocamus, & annullamus, ac viribus omnino evacuamus, illaſque pro caſſis, nullis, irritis, & revocatis, ac penitus infectis haberi volumus. *Revocatio quarumcumque exemptionũ à ſolutione onerum Cameralium, exceptis hic enumeratis.*

§.2. Necnon exemptiones, conceſſiones, gratias, & immunitates prædictas, nulli penitus, nec in petitorio, nec in poſſeſſorio ſuffragari poſſe, ſed prædictos omnes exemptos ad omnium, & ſingulorum prædictorum onerum impoſitionem, ac gabellarum ſolutionem, & contributionem, perinde ac ſi exemptiones prædictæ eis conceſſæ non fuiſſent, pro rata ipſos tangente à dat. præſentium decurrenda, realiter & cum effectu contribuere, eorumque bona accataſtari, allibrari, deſcribi, ſeu annotari facere quamprimum debeant & teneantur, etiam perpetuò ſtatuimus, & declaramus. *Declaratio quod à Data ... revocatio afficiat.*

§.3. Ac omnes & quaſcumque, tam per fel. rec. Pium V. quam alios Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ſuper præmiſſorum revocatione quomodolibet editas conſtitutiones ſimiliter perpetuò confirmamus, approbamus, & innovamus. *Confirmatio ... aliorum Pont.*

§.4. Et inſuper quaſcumque lites, & cauſas ſuper præmiſſis & eorum occaſione ubilibet motas atque pendentes, illarum ſtatus & merita nominaque, & cognomina Judicum & collitigantium etiam præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, ad nos harum ſerie advocamus, liteſque hujuſmodi penitus extinguimus & annullamus, ac pro extinctis & annullatis haberi volumus. *Lites quaſcumque ... extinguit.*

§.5. Sicque

*Sic, & non aliter judicari mandat.*

§.5. Sicque per quoſcumque Judices etiam Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam dictæ Cameræ Clericos & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Executores deputat.*

§.6. Quocirca dilecto filio noſtro Philippo S. Angeli in Foro piſcium, Diacono Cardinali Vaſtavillano nuncupato, moderno & pro tempore exiſtenti noſtro & ipſius Romanæ Eccleſiæ Camerario, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per ſe vel alium ſeu alios ejus nomine, præter Ordinariam Camerariatus officii juriſdictionem, omnes & quoſcumque ſupradictos exemptos per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam privationis feudorum & inhabilitatis ad illa, aliaſque etiam pecuniarias pœnas, ad realem & actualem cujuſvis ſummæ, tam hactenus debitæ quam debendæ, ſolutionem juxta taxas hactenus impoſitas cogat & compellat, ac pro faciliori exactione, & ſatisfactione conſequenda eidem Philippo Cardinali, & pro tempore exiſtenti Camerario quoſcumque quatenus opus fuerit citandi, & etiam ad perſonaliter comparendum monendi etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè & extrajudicialiter de non tuto acceſſu, necnon quoſcumque inobedientes & rebelles in cenſuras, & pœnas comminatas incidiſſe, & incurriſſe, ſervata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interpretandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi, & relaxandi, aliaque omnia & ſingula faciendi quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu aliàs quomodolibet opportuna, plenam tenore præſentium concedimus facultatem.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§.7. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, necnon quibuſvis immunitatibus, exemptionibus, aliiſque præmiſſis, ac aliqua poſſeſſione, vel forſan uſurpatione de non ſolvendo, & contribuendo, necnon noſtra de non tollendo Jure quæſito aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque clauſulis, & decretis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, etiam Motu ſimili, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſpecialiter & expreſsè harum ſerie derogamus. Aut ſi aliquibus, communiter vel diviſim à prædicta ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

*D.P.A.1. die 19. Junii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. 3. Kal. Julii, Pont. noſtri anno 1.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1585. Indict. 13. die verò 9. menſis Iulii, Pont. Sanct. in Chriſto patris, & D.N.D. Sixti divina providentia Papa V. anno 1. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis, ſeu portis Eccleſiarum S. Ioan. Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon valvis Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Catharinum Menandi, & Nicolaum Taglietium S. D. N. Papæ Apoſt. Curſ.*

*Pompeius Guerra Mag. Curſ.*

---

III. Prohibitio alienandi per ſubditos Status Eccleſiaſtici in non ſubditos & forenſes, bona in eo exiſtentia, aut fortalitia & caſtra, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia.

*Hanc conſtit. approbavit, declaravit, & ampliavit Clem. VIII. in ſua conſt. 78. Romanum, ubi de ſimilibus materiis etiam notabo in rubrica.*

Ampliavit noviſſimè, & declaravit has Sixti, & Clem. conſt. & extendit tam in forenſes, quàm in ſubditos, abſque Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia in ſcriptis obtinenda, Paul. V. conſt. 108. *Paſtorale*, inf. tom. 3. Quas omnes approbavit, & reſpectivè extendit etiam ad Caſtra diruta, Tenutas, & Prædia, etiam non juriſdictionalia in confinibus loci juriſdictionalis, & bona in dicto ſtatu in confinibus Principum exterorum ſita, illorumque locationes, & cenſuum annuorum ſuper præmiſſis impoſitiones, & impoſitorum venditiones S.D.N. Urban. VIII. conſt. 65. *Decens*, inf. d. tom. 4. Qui etiam partibus præfixit terminum ad revocandum acta contra has Conſtitutiones in ſua conſt. 72. *Sedes*, d. tom. 4. Et ne de cætero fierent hujuſmodi alienationes erexit Congregationem ſuper hujuſmodi confinibus cum facultatibus quas videre poteris ad ejuſdem S.D.N. Urb. VIII. conſt. 73. *Debitum.*

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita 15*

*Exo*

SOllicitudo, paternuſque affectus, quo Sedis Apoſtolicæ ſubditos proſequimur, nos inducunt, ut ea diligenti cura proſpiciamus, quæ ad illorum conſervationem, ſtatuſque Eccleſiæ utilitatem & commodum pertinent.

*Cauſa conſt.*

§. 2. Accepimus ſi quidem, quod in diverſis Civitatibus, terris, oppidis & caſtris, nobis & dictæ Sedis temporali ditioni ſubjectis extant ſtatuta prohibentia res ac bona ſtabilia in forenſes & non ſubditos alienari. Nihilominus nonnulli cives & incolæ civitatum, terrarum, caſtrorum & locorum hujuſmodi bona ſtabilia aliis perſonis extraneis vendere & alienare præſumunt in maximum præjudicium & damnum civium & incolarum prædictorum.

*Con... ſtatut... prohib... alienat... bonorum... non ſ...*

§. 2. Quocirca nos conſiderantes quantum ſtatuta præfata utilia & favorabilia ſint, quantumque Reipublicæ interſit dicta bona in illius cives, & habitatores conſervari: Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & certa ſcientia, ſtatuta hujuſmodi, etiamſi non ſint in uſu, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium de cætero obſervari mandamus.

*Proh... aliena... na in Eccleſ... tia ali... Vaſſall... que S... Apoſt... tia.*

§.3. Et nihilominus, quod perpetuis futuris temporibus univerſitates, civitates, collegia, feudatarii quicumque, ac perſonæ cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis exiſtant, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate & dignitate, etiam Eccleſiaſtica, quæ ſpecialem & individuam mentionem requireret, præditi ſint, nullatenus ſine noſtra & Sedis prædictæ licentia, audeant ſeu præſumant civitates, oppida, caſtra, feuda, juriſdictiones, ac bona quæcumque ſtabilia vel immobilia in dicto Statu Eccleſiaſtico exiſtentia, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris per eos nunc & pro tempore poſſeſſa vendere, permutare, ultra triennium locare, in emphyteuſim, feudum, livellum, pignus ſeu precarium concedere, in aliquam Communitatem, Univerſitatem, Collegium, vel perſonam extraneam ſeu forenſem, quæ nobis & dictæ Sedi ratione temporalis juriſdictionis ſtatus noſtri ſubdita, & ſuppoſita non ſit, vel quæ domicilium legitimè non contraxerit in dicto noſtro ſtatu, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis, & qualitatis exiſtat, etiamſi, ut præfertur, Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate & dignitate, etiam Eccleſiaſtica, quæ ſpecialem & individuam mentionem requireret, præditus ſit.

*Prohib... lienan... ſtra, & ... litia, Vaſſal... que ſi... centia.*

§.4. Inſuper quia decens & conveniens exiſtit, quod ſi vendantur vel permutentur, ſeu etiam donentur civitates, caſtra, & oppida, multò magis fortalitia, id ad notitiam Principis deducatur, & præſertim ſi feuda & juriſdictiones feudales, ea omnia, nec in exteros, nec in alios quoſcumque, niſi de expreſſa præcedente noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis eadem ſupradicta licentia, vendi, permutari, vel donari valeant.

§.5. Neque

§.5. Neque etiam extraneus aut ſubditus originarius, bona hujuſmodi in dicto ſtatu habens, & in eo habitans, ſi ab illo diſcedat amplius ad ipſum non reverſurus, illa retinere poſſit, ſed intra biennium ex quo ipſe demigraverit, ea vendere, ſeu pro aliis extra dictum ſtatum exiſtentibus permutare, aut alias transferre in alium immediatè ſubjectum teneatur, auctoritate & tenore præſentium, de venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Card. conſilio, perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

§.6. Licitum tamen erit omni dicti ſtatus habitatori, ſive extraneo ſive ſubdito, de bonis ſuis in eodem ſtatu poſitis, vel in conſanguineos, vel in alios de dicto ſtatu non exiſtentes, quocumque alio quam venditionis ſeu permutationis, vel donationis titulo diſponere, ac ſuis, etiam ab inteſtato hæredibus pariter licebit in illis ſuccedere, qui tamen intra triennium, vel in eundem ſtatum habitatum veniant, vel bona ipſa in alium ſeu alios habitatores & ſubditos, ut præfertur, transferant. Quod etiam illis extraneis, ad quos bona hujuſmodi ex quibuſcumque aliis quam venditionis, ſeu permutationis, aut donationis hujuſmodi cauſis pervenerint, illave acquiſiverint, cenſeatur permiſſum.

§.7. Bonorum autem præfatorum appellatione, neque cenſus, neque portiones, ſeu loca Montium, nec mulierum dotes, ſed neque Urbem noſtram, quæ communis patria eſt, cum ejus decem paſſuum millia circuitu, volumus comprehendi, filii tamen & hæredes dictarum mulierum ſoluto matrimonio, ſi extranei fuerint, aut in eodem ſtatu ad habitandum aut vendendum ſeu permutandum, ut dictum eſt, ſint adſtricti.

§.8. Decernentes Communitates, Univerſitates, Collegia, vel perſonas extraneas, ſeu forenſes hujuſmodi ad dictorum bonorum pro tempore contra earundem præſentium tenorem alienatorum acquiſitiones omnino inhabiles, necnon quoſcumque contractus, venditiones, & alienationes contra hujuſmodi prohibitionem quocumque modo vel cauſa pro tempore faciendas, nullas & invalidas exiſtere, nullumque jus per eas emptoribus attributum eſſe, ſeu tribui poſſe. Necnon omnes ſcripturas deſuper conficiendas, ac inde ſecuta quæcumque nullius roboris vel momenti eſſe, nec ex illis audiri, agi, & excipi poſſe, in judicio vel extra, ipſaque bona alienata ad eos, ad quos de jure pervenire debent, ſpectare & pertinere.

§.9. Sicque per S.R.E. Card. etiam Legatos ac Vicelegatos, necnon ſacri Palatii Apoſtolici Auditores, Gubernatores, ſeu illorum Locatenentes, alioſve Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Mandantes eiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, ac Judicibus, nunc & pro tempore in toto ſtatu prædicto exiſtentibus, & eorum cuilibet, ut ſtatutum & ordinationem, & alia præmiſſa perpetuò ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia eis bene viſa remedia obſervari faciant & mandent.

§.11. Non obſtantibus noſtris de non tollendo jure quæſito, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon civitatum, oppidorum, terrarum & locorum prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque alia firmitate munitis, ac etiam immemorabili, & quantocumque tempore pacificè obſervatis, necnon civitatibus, civitatumque juribus, privilegiis, exemptionibus & indultis Apoſtolicis, illis eorumque Dominis prædictis, ac quibuſvis aliis per quoſcumque Rom. Pont. ac nos & dictam Sedem quomodocumque & quotieſcumque conceſſis, confirmatis, & innovatis, quæ omnia, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, omninò tollimus & abrogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.12. Volumus autem eaſdem præſentes, quoniam in Conſiſtorio noſtro, & de conſilio prædicto promulgatæ ſunt, à die datæ ipſarum quoſcumque, tam præſentes, quam abſentes, & ubicumque etiam extra dictum ſtatum exiſtentes perinde obligare, ac ſi cuique ſingulatim intimatæ fuiſſent. Et nihilominus, ut illæ amplius innoteſcant, mandamus eas valvis Eccleſiæ S. Joannis Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtorum de Urbe, aliiſque locis conſuetis appendi, & in libris dictæ Cameræ deſcribi. Ac etiam volumus, ut ipſarum exempla, etiam impreſſa edantur, eaque Notarii publici manu, & ſigillo cujuſcumque Curiæ, Eccleſiæ, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignata, eam ipſam prorſus fidem ubique locorum in judicio, & extra illud faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Conſtit. quam publ. habes hic in fin.*

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandatorum, ſtatuti, ordinationis, decreti, ſublationis, abrogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Rom. apud S. Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. Kal. Julii, Pont. noſtri anno 1. *D. P. A. 1. die 1. Julii.*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Papa ſubſcr.*

Ego Joan. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgii. *Cardin. ſubſcriptiones.*
M. Sitic. Card. ab Altaëmps.
Ego Joan. Aval. Card. de Arag.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gulielm. Sirletus Card.
F. Mic. Bo. Card. Alex.
Ego Lud. Card. Madrutius.
Ego N. Card. Senonenſis.
Jul. Ant. Sanctorius Card. S. Severinæ.
P. Card. Cæſius.
Ego Hier. Card. Ruſticuccius.
Joan. Hier. Card. Albanus.
P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. Caraffa.
Joan. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Joan. Bapt. Card. S. Marcelli.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vinc. Card. Montis Regalis.
Ego M. Card. S. Stephani.
Scipio Card. Lancelottus.
Ego Aloyſius Card. Eſten.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Phil. Vaſt. Card. Cam.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Alex. Card. de Montealto.

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1585. indictione 13. die verò Mercurii 25. menſis Septembris, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiarum S. Ioan. Lateran. Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apoſtol. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Ioan. Burlurault, & Franciſcum Baron, prælibati S. D. N. Papæ Curſ.* *Publicatio.*

*Ioan. Andreas Panizza Mag. Curſ.*

---

## Exemptiones & gratiæ Clericorum Regularium Congregationis S. Maioli alias de Somaſcha à Gregorio XIII. elargitæ. IV.

*Ad hæc vide per me notata ſup. in conſt. 21. Pauli III.* Ex injuncto.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1585.*

ÆQuum reputavimus, ac rationi conſonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia præſertim in perſonarum Eccleſiaſticarum commodum proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu, literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum. *Exordium.*

*Gregor. XIII. Congreg. exemptionem à juriſdictione & ſuperioritate ac viſitatione Ordinariorũ, aliorũque Judicũ conceſſit.*

§. 1. Dudum ſiquidem fel. record. Gregorio Papa XIII. prædeceſſore noſtro pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti & Clericorum, aliarumque perſonarum Regularium Congregationis S. Maioli, alias Somaſchæ, ſub Regula S. Auguſtini canonicè inſtitutæ, & Apoſtolica auctoritate cõfirmatæ ſupplicato, quatenus eos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi de benignitate Apoſtolica dignaretur, præfatus prædeceſſor, qui circa ſtatum perſonarum quarumlibet divino cultui emancipatarum ſalubriter dirigendum paterna ſollicitudine libenter proſpiciebat, ac earum oppreſſiones & gravamina relevabat, ut quibuſlibet perturbationibus ſemotis, faciliùs valerent Altiſſimo ſuum exhibere famulatum, eoſdem Præpoſitum, Clericos, & perſonas regulares ſpecialis gratiæ favore proſequi volens, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtebant, ad effectum infraſcriptorum dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolvens, & abſolutos fore cenſens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub dat. 3. idus Martii Pontificatus ſui anno 13. omnes & ſingulos dictæ Congregationis Præpoſitum generalem, Superiores, Officiales, Presbyteros, Clericos, cæteraſque perſonas profeſſas & non profeſſas, necnon familiares & miniſtros, cum omnibus & ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, Cæmeteriis, Capellis, Domibus, Conventibus, mobilibus & immobilibus, præſentibus & futuris, bonis, ac juribus & juriſdictionibus quibuſcumque, ac rebus, tam ſacris & religioſis quàm profanis ad ipſam Congregationem ſpectantibus & pertinentibus, ac ubicumque exiſtentibus, quæ de præſenti legitimè poſſident, & in poſterum, Deo juvante, canonicè per eos acquiri contigerit, ab omni juriſdictione, dominio, poteſtate, ſuperioritate, ſubjectione, viſitatione, correctione quorumcumque Ordinariorum, quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentium, & aliorum Judicum Eccleſiaſticorum & ſecularium, Apoſtolica auctoritate in perpetuum exemit, & liberavit, & ſub ſua & Sedis Apoſtolicæ, ac B. Petri protectione immediatè recepit. Ipſique Præpoſito Generali, clericis & perſonis, ut iidem Ordinarii & officiales, aut alii quicumque Judices, etiam ratione criminis, delicti, vel contractus, nullam in Præpoſitum, perſonas Congregationis, ac res & bona præfata, juriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem & dominium exercere poſſent.

*Licentiamque divina ſacramenta omnibus Chriſti fidelibus etiam aliena parochia ſubditis omni, præterquam Paſchatis tempore miniſtrandi, & exemit etiam à ſervitiis prælatorum miniſtrantium & funeralium.*

§. 2. Necnon quod omne & ſinguli ipſius Congregationis presbyteri regulares, à ſuis ſuperioribus ad id ſpecialiter approbati, eorumque licentia vel conſenſu deſuper requiſito & obtento, poſſent in Eccleſiis propriis ipſius Congregationis, vel in aliis etiam quibuſcumque, de licentia illorum Superiorum Miſſas celebrare, confeſſiones quorumcumque Chriſti fidelium etiam alienæ Parochiæ ſubditorum audire, & ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare, quibuſcumque feſtivis ac non feſtivis, ac Dominicis diebus, & omnibus temporibus, Paſchatis dumtaxat exceptis, neque ſub prætextu antiquæ conſuetudinis, & ex eo quod Eccleſiæ in quibus Sacramenta hujuſmodi miniſtrarent, & munera prædicta obirent, aut alio modo iis deſervirent, ſubditæ eſſent alteri Eccleſiæ tanquam matrici, aut cathedrali, ſeu titulari, vel aliàs, idcirco in aliquibus ſolemnitatibus, aut temporibus juxta priſcum morem clericorum deſervientium in talibus Eccleſiis ſubditis, ipſi presbyteri & clerici regulares dictæ Congregationis majoribus hujuſmodi Eccleſiis, vel locorum Ordinariis, & Epiſcopali vel Archiepiſcopali, aut majori dignitate fungentibus, etiam S.R.E. Cardinalibus, quocumque privilegio & facultate ſuffultis, aſſiſtere, ſeu inſervire, ſive ullum perſonale ſervitium præſtare, aut aliquo modo miniſtrare, neque ad funera defunctorum, niſi eorum quos in Eccleſiis ipſius Congregationis ſepelire contigerit, etiamſi vocati accedere tenerentur, neque ad id cogi aut compelli ullo modo poſſent, de eadem auctoritate conceſſit & indulſit.

*Tranſitum ad alium etiam arctiorem Ordinem, præter-*

§. 3. Præterea univerſis & ſingulis qui in ipſa Congregatione profeſſionem emiſerant, vel emitterent, ne in poſterum ad quemcumque alium Ordinem vel Congregationem, et arctior in ea vigeret Regularis Obſervantia, (Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum, & Carthuſianorum dumtaxat Ordinibus exceptis) niſi obtenta priùs à Superiore dictæ Congregationis licentia, tranſire valerent, & in ſingulos tranſeuntes apoſtaſiæ pœnam, quam ipſos & illorum receptatores, etiam cujuſcumque privilegii Apoſtolici prætextu, cui ad hunc effectum idem prædeceſſor ſpecialiter & expreſſè derogavit, excommunicationiſque ſententiam, à qua non niſi per Rom. Pont. pro tempore exiſtentem abſolvi poſſent, promulgavit.

*quam ... Capuccinorum, Carthuſianorum, ... Superioris ... jus C... gat. ... interd...*

§. 4. Poſtremò omnibus & quibuſcumque perſonis profeſſionem regularem in dicta Congregatione emiſſuris, in ipſo profeſſionis emiſſionis die, ut aliquem dictæ Congregationis presbyterum poſſent ſibi eligere confeſſorem qui ipſos, confeſſione eorum audita, à quibuſvis excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine, & in quibus inſordeſcerent, & declarati, ac publicati forent, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & in bulla die Cœnæ Domini legi ſolita contentis, facta priùs debita ſatisfactione, & ſine alicujus præjudicio, ſemel tantum injuncta ſalutari pœnitentia, abſolvere poſſent, facultatem conceſſit & indulſit, ac cum eiſdem ſuper quacumque irregularitate ex quacumque cauſa (præterquam ex homicidio voluntario, ac bigamia) quomodolibet contracta, ſive cenſuris præfatis ligati, Miſſas & alia divina officia, non tamen in contemptum Clavium, celebrarent, vel alias divinis ſe immiſcerent, ita ut ea non obſtante, nondum promoti, omnes & ſacros etiam presbyteratus ordines ſuſcipere, & promoti in ſuſceptis per eos ordinibus hujuſmodi, etiam in altaris miniſterio miniſtrare liberè & licitè valerent, eo ipſo quod profeſſionem emitterent, auctoritate præfata diſpenſavit.

*Emi... buſque ... ſioni ... ut ea ... feſſore... rent, ... abſolv... cum ... penſar... In hoc ... denda ... Clem. ... num. ... Quacu... ubi ... generat... corrigi...*

§. 5. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus, necnon quibuſvis decretis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Quibuſ... que no... ſtan...*

§. 6. Ne autem de abſolutione, extenſione, liberatione, receptione, ſingulis conceſſionibus, indultis, & diſpenſatione Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, pro eo quod ſuper illis, ejus ſuperveniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet dubitari, ipſique Præpoſitus Generalis, Clerici, & aliæ perſonæ Congregationis hujuſmodi illorum fruſtrentur effectu, volumus & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod abſolutio, exemptio, liberatio, receptio, ſingulæ conceſſiones, indulta, & diſpenſatio Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, perinde à dicta die Id. Martii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis præfati Gregorii prædeceſſoris literæ, ſub ejuſdem diei dat. confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes literæ ad probandum plenè abſolutionem, extenſionem, liberationem, receptionem, ſingulas conceſſiones, indulta, & diſpenſationem Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

*Hic ... Pontif. ... prædicti ... XIII. ... morte ... pedita ... ter val...*

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & decreti, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*Sanctio ... pœnalis ... ponit.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. Kal. Maii, Pont. noſtri anno 1.

*D. P. A. 1. Maii*

---

## Quod Clerici regulares Congregationis S. Pauli Decollati, ad proceſſiones & actus publicos accedere non cogantur, ex indulto Gregor. XIII. — V.

*Hujus Congregationis inſtitutionem, & cætera, quæ eam concernunt, indicavi ſup. in Clem. VII. conſt. 37. Vota.*

SIXTUS

SIXTUS EPISCOPUS,
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

RAtioni congruit & convenit honeſtati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu, literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum.

§. 1. Dudum ſiquidem per fel. record. Gregorium Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum accepto quod licet dilecti filii, Clerici, Presbyteri, Superiores, & perſonæ Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, à quinquaginta annis, vel circa, auctoritate Apoſtolica inſtitutæ, à principio inſtitutionis Congregationis hujuſmodi, ut juxta pium eorum inſtitutum, à quibuſcumque occupationibus expediti, animarum ſaluti liberè conſulerent, & invigilarent, ad publicas proceſſiones quæ in Civitatibus, & locis, in quibus ipſa Congregatio propagata erat fiebant, & celebrabantur, ac ab Ordinariis locorum indicebantur, convenire non conſueviſſent, attamen bonæ memoriæ Carolus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Borrhomæus nuncupatus, Eccleſiæ Mediolanenſis ex diſpẽſatione Apoſtolica Præſul, B. Barnabæ Mediolanen. & B. Mariæ Virginis Corobioli nuncupati, Oppidi Modetiæ Mediolanen. diœceſis domorum dictæ Congregationis Clericos, Presbyteros, Superiores, & perſonas ad proceſſiones hujuſmodi comitandum induxerat, cui ipſi Clerici, Præpoſiti, Superiores, & perſonæ ob ſingularem obſervantiam qua eum proſequebantur obtemperarant, quibus quoque idem Carolus Cardinalis locum in hujuſmodi proceſſionibus poſt omnes quorumcumque Ordinum regulares conſtituerat, quod Canonici regulares ſe ægre moleſtéque ferre cum plurimis proteſtationibus ſignificarent, prout tunc temporis prædicto Carolo Cardinale, ſicut Domino placuerat, vita functo, id pati nullatenus ſe velle profitebantur. Idcirco cum eorundem Clericorum, Presbyterorum, Superiorum, & perſonarum inſtitutioni non conveniret ad ſimiles proceſſiones accedere, & quæ propria erant eorum inſtituti prætermittere cogerentur, idem prædeceſſor ex incumbenti ſibi Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudio, circa ſtatum perſonarum Eccleſiarum quarumlibet divino cultui mancipatarum ſalubriter dirigendum, libenter proſpiciens, & intendens, ac earum quas ſuavi Religionis jugo noverat eſſe ſuppoſitas, ut quibuſlibet perturbationibus ſemotis faciliùs valerent ſuum Altiſſimo exhibere famulatum, oppreſſiones, & gravamina relevare, necnon quæcumque ſcandala, quæ præcedentiæ cauſa inter Clericos, Presbyteros, Superiores, ac perſonas, necnon Canonicos Regulares hujuſmodi, ac forſan alios, intercedere poſſent, tollere volens, ac Congregationem, illiuſque Clericos, Presbyteros, Superiores, & perſonas hujuſmodi, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtebant, ad effectum dumtaxat infraſcriptorum conſequen. abſolvens, & abſolutos fore cenſens, ſub datis videlicet Idib. Martii, Pontificatus ſui anno 13. Motu proprio, non ad Congregationis, illiuſque Clericorum, Presbyterorum, Superiorum, & perſonarum prædictarum, vel aliorum pro eis ipſi prædeceſſori ſuper eo oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de ſua mera liberalitate, Congregationi, necnon Clericis, Presbyteris, Superioribus, & perſonis prædictis, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus, quibuſcumque proceſſionibus, & aliis quibuſlibet actibus publicis, quocumque tempore, de more, vel conſuetudine, aut alias pro tempore fiendis, & celebrandis, ac ab Ordinariis prædictis indicendis, intereſſe minimè tenerentur, nec ad id ubique locorum per quoſcumque Ordinarios, aliaſque perſonas inviti cogi, aut compelli poſſent, Apoſtolica auctoritate prædicta perpetuò conceſſit & indulſit, ac quicquid ſecus ſuper eis à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decrevit.

§. 2. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur ne quis extra ſuam Civitatem, vel diœceſim, niſi in certis ibi expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam ad judicium extrahatur, ſeu ne Judices à Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem, vel diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur; necnon quibuſvis Apoſtolicis, ac in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus, & generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem eſſet Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 3. Ne autem de abſolutione, conceſſione, indulto, & decreto prædictis, pro eo quod ſuper illis ipſius Gregorii prædeceſſoris, ejus ſupervenienti obitu, literæ confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæſitari, ac Congregatio, necnon etiam Clerici, Presbyteri, Superiores, & perſonæ hujuſmodi illarum fruſtrentur effectu, volumus & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod abſolutio, conceſſio, indultum, & decretum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, perinde à dicta die Id. Martii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Gregorii prædeceſſoris literæ, ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes literæ ad probandum plenè abſolutionem, conceſſionem, indultum, & decretum hujuſmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. *Hic Pont. literas Gregor. XIII. ejus ſupervenienti obitu non expeditas, validat, & ſervari mandat.*

§. 4. Quocirca dilectis filiis Archipresbytero Eccleſiæ Mediolanen. & Vicariis venerabilium fratrum noſtrorum Papien. ac Lauden. Epiſcoporum in ſpiritualibus generalibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus motu ſimili, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Congregationis, & Clericorum, Presbyterorum, Superiorum, & perſonarum prædictarum, aut pro eis agentium, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, Congregationem, ac Clericos, Presbyteros, Superiores, & perſonas, necnon pro eis agentes, prædictis conceſſione, indulto & decreto, aliiſque præmiſſis juxta earundem præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, aut eorum aliquem deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari aut impediri. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras, & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarando, ac eaſdem cenſuras & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum Eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus omnibus ſupradictis. *Executores quos deputat.*

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, &c. *Sanctio pœnalis.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno 1. *D. P. A. die 1. Maii.*

---

VI.

Innovatio omnium conſtitutionum à Romanis Pontif. hactenus editarum, contra exules, bannitos, aliosque facinoroſos homines, eorumque receptatores & fautores, & multarum impoſitio pœnarum in eoſdem, necnon contra Communitates & alios ſua territoria ejuſmodi ſceleſtis hominibus expurgata non cuſtodientes.

*Quoad primam partem, extant in hoc opere conſt.* 8. *Pii II.* Ad retinendas, *ſup. conſt.* 4. *Pauli II.* Viros, *conſt.* 14. *Innoc. VIII.* Licet ea, *conſt.* 6. *Julii II.* Cùm homines, *conſt.* 36. *Leonis* X. Omnes, *conſt.* 10. *Clem. VII.* In ſancta, *conſt.* 17. *Julii III.* Cùm Civitates, *& conſt.* 25. Cùm ſicut. *Et extat etiam Pii IV. conſt.* 27. In eminenti. *Pii V. conſt.* 10. Ex ſupernæ, *& Greg. XIII. conſt.* 65. In tanta, *tom.* 2. *Quæ verò ad ſecundam partem, contra non cuſtodientes eorum territoria, habes ſup. in conſt.* 2. *Julii II.* Quia, *& conſt.* 28. *Leon. X.* Romani, *tom.* 1. *necnon conſt.* 27. *Pii IV.* In eminenti, *& conſt.* 10. *Pii V. jam citat. lib.* 2.

Præterea adverſus ejuſmodi perfidos homines, omneſque vindictam tranſverſalem ſumentes, Paulus II. edidit d. conſt. 4. *Viros*, ubi notavi lib. 1. Prout contra minantes pro habenda pace, aliam edidit conſt. jam citatam Innoc. VIII. ubi dixi lib. 1. Necnon contra Franchitias in Urbe tenentes vel acclamantes, habes ſup. conſt. 17. Julii III. *Cùm Civitates*, cum aliis ibi indicatis lib. 1. Et contra facientes cavalcatam, habes infrà conſt. 75. *Dum pro*, ubi alias notabo. Prout circa appellationes iſtorum in contumacia condemnatorum notavi ſuprà in conſt. 52. Pii IV. *Etſi multa*, & in Pii V. conſt. 138. *Licet juri*. Et tandem de prohibita eorum remiſſione, attende conſt. 15. Clem. VIII. infrà lib. 3.

*Edita An. D. 1585.*

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſt.*

HOc noſtri Pontificatus initio, inter multa Reipublicæ damna & incommoda, quæ menti noſtræ obverſabantur, nobis longè fuit graviſſimum, quod Populos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditioni temporali ſubjectos, non modo ad rerum ſubſtantiarumque ſuarum perturbationem & jacturam, ſed etiam vitæ periculum redactos invenerimus, exulibus, bannitis, cæteriſque id genus facinoroſis hominibus ita undique ingruentibus & graſſantibus, ut vix quiſquam ab hac hominum peſte tutus alicubi conſiſtere poſſe videatur. Quare cum ad hæc ſananda mala, ex officii noſtri debito, & præcipua erga noſtros, ac ejuſdem Romanæ Eccleſiæ ſubditos charitate aſſiduè exſtimulemur, nihil non agere & tentare decernimus quo Populis optata quies, ſalus, ſecuritas & tranquillitas per nos reſtituatur. Quod ita demùm, Deo auxiliante, ſperamus nos eſſe conſecuturos, ſi cautè provideatur, ne ullum domi, foriſque, intra extrave fines noſtros, criminoſis hominibus hujuſmodi pateat diffugium, aut receptaculum, ſed omnino Legum & Magiſtratuum ſecuritatem, juſtitiæque gladium ſubire, ac debitas pœnas luere cogantur.

*Confirmatio conſt. prædeceſſorum cum earum pœnis, præterquam excommunicationis.*

§. 1. Itaque de fratrum noſtrorum conſilio omnes & ſingulas conſtitutiones à fel. rec. Pio II. & Paulo etiam II. Sixto IV. Julio ſimiliter II. Leone X. Clemente VII. Julio III. Pio etiam IV. Pio V. Gregor. XIII. & quibuſvis aliis Rom. Pont. prædeceſſoribus noſtris, ſuo cujuſque tempore, in deteſtabile prædictorum & aliorum infraſcriptorum hominum genus, pro temporis, & criminum ratione editas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis, quoad ea quæ præſentibus non contrariantur, & excepta excommunicationis ſententia, per eaſdem conſtitutiones in illis contravenientes promulgata, quàm ne animarum perniciem potius quam ſalutem adferat, conſultò tollendam & ſubmovendam duximus, ex certa ſcientia noſtra approbantes & innovantes, illarumque omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis haberi volentes.

*Tu adverte quod omnes iſtæ Bullæ sūt à me indicatæ hic in rubr. præter unam Sixt. IV. quæ eſt relata in præcit. conſt. 10 Pii V. §. 3. & §. 5. lib. 2.*

*Barones & Communitates eorum territoria à bannitis, &c. libera cuſtodiant.*

§. 2. Univerſis & ſingulis Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, etiam quacumque Eccleſiaſtica dignitate fungentibus, necnon Vicariis, Feudatariis, Armorum ductoribus, Capitaneis, Magiſtratibus, Communitatibus, Univerſitatibus, & officialibus civitatum, terrarum, caſtrorum, oppidorum, & aliorum quorumcumque prædictæ Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubjectorum, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, necnon duorum millium per Communitates, & mille per Univerſitates, ac quinque millium ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ irremiſſibiliter ipſo facto applicandorum, per Dominos temporales, & alios prædictos abſque alia declaratione incurrendis pœnis (ultra alias in eorundem prædeceſſorum noſtrorum literis contentas) diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus adhibita exactiſſima diligentia, de qua per publica documenta & alias probationes fidem faciant, eorum Civitates, terras, oppida, caſtra, villas, dominia, loca & territoria omnia à perduellionibus, homicidis, latronibus, viarum graſſatoribus, raptoribus, incendiariis, ſicariis, exitiis, publicæ quietis perturbatoribus, armatas facientibus, ſtatum Eccleſiaſticum hoſtiliter peragrantibus, pro quocumque crimine capitali, etiam in contumaciam bannitis, aliiſque ſimilibus notoriis delinquentibus, & facinoroſis hominibus, etiam nondum condemnatis, eorumque fautoribus & complicibus, quos omnes, noſtros dictæque R. E. rebelles, ac publicos hoſtes eſſe decernimus, ſecura, libera, & expurgata cuſtodire, tenere, & præſervare.

§. 3. Necnon ſi quos ex ipſis eò accedere, vel commorari, ſeu ad prædicta loca declinare, vel illac pertranſire contigerit, ſtatim illos capere & apprehendere, ac ad carceres conducere, captoſque noſtris & pro tempore exiſtentium Romanorum Pontificum Magiſtratibus & Officialibus fideliter tradere & conſignare, populoſque ſuos pulſu campanarum, & aliis ſignis ad arma convocare & coadunare teneantur. Quod ſi illos capere & apprehendere per ſeipſos nequiverint, finitimas quaſque Communitates & Univerſitates, necnon Dominos temporales commonefaciant, & in auxilium convocent, junctiſque ſimul viribus eoſdem perduelliones, homicidas, latrones & alios prædictos forti manu, & inceſſanter quocumque ſe verterint, etiam extra proprium territorium, & juriſdictionem ipſo proſequutionis actu, uſque ad ultimam eorum profligationem perſequantur, ac ut capiantur & apprehendantur, ſeu profligentur, omnem operam adhibeant.

§. 4. Cumque veriſimile non ſit hujuſmodi hominum genus in occulto verſari, & eos qui ad cuſtodiam tenentur, ſi diligenter invigilent, illorum notitiam non habere, neque tantam multitudinem eſſe poſſe, quin à dominis temporalibus, ac Communitatibus & Univerſitatibus prædictis vinci & opprimi queat, juncto præſertim finitimorum auxilio, cavilloſæ excuſationes ſibi in poſterum nullo modo ſuffragentur.

§. 5. Particulares verò perſonæ cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentes, ſub quingentorum ducatorum ſimiliter eidem Cameræ ipſo facto applicandorum, aliiſque corporalibus, etiam ultimi ſupplicii incluſivè, Gubernatorum & Officialium prædictorum arbitrio, juxta cujuſcumque perſonæ & culpæ qualitatem extendendis pœnis, cum primum campanæ ſonitum, aliave ſigna populum adverſus dictos facinoroſos homines convocantia audiverint, vel aliam de illis quomodolibet notitiam habuerint, arma capere, & ad locum neceſſarium accurrere, ac unà cum aliis, & per ſeipſum omnem conatum in perſequendis, capiendis, & profligandis bannitis, aliiſque nefariis hominibus prædictis adhibere teneantur.

§. 6. Præterea ſub eiſdem pœnis omnes & ſinguli prædicti, tam in Urbe, quàm extra eam, ad quamcumque Curiæ, ſeu miniſtrorum & executorum juſtitiæ, vel cujuſque eorum ſimplicem requiſitionem, ac etiam nulla requiſitione prævia, ſi aliquando ipſos reſiſtere, vel ſeſe opponere, ſeu aliquod impedimentum adferre, eoſve ad aliquam executionem faciendam auxilio egere quoquo modo cognoverint, eiſdem Curiæ miniſtris & executoribus opem & favorem, armata etiam manu conferre & ſubvenire, ac præſto eſſe, & denique obedire, eoſque ſi opus fuerit, in perquiſitione, executione, permanſione, tranſitu & aliis præmiſſis comitari debeant.

§. 7. Inſuper ſtatuimus & ordinamus, ut ſi qui ex perduellionibus, homicidis, latronibus, furibus, & aliis facinoroſis

facinoroſis hominibus prædictis, in Civitatibus, terris, oppidis, caſtris, villis, dominiis, locis, & territoriis, hujuſmodi damna aliqua intulerint, ſeu furtum aut latrocinium commiſerint, nec capti & deprehenſi fuerint, ſed impunè evaſerint, Domini temporales, ſeu Communitates, Univerſitates, nobis & Sedi Apoſtolicæ mediatè ac immediatè ſubjecti, in quorum locis, territoriis & juriſdictionibus reſpectivè ſimilia perpetrata fuerint, præter hoc quod ad damnorum quorumcumque ſic illatorum parti læſæ, damnaque hujuſmodi patienti, ac eorum hæredibus plenariam reſtitutionem & ſatisfactionem omnino teneantur, ad tantundem etiam quantum damna illata exiſtimata fuerint, Cameræ prædictæ realiter & cum effectu perſolvendum eo ipſo ſint adſtricti, ac aliàs prout latiùs continetur in aliis literis dicti Pii V. prædeceſſoris, contra Dominos, ac Communitates, & Univerſitates, eorum territoria non cuſtodientes editis, quas firmis tamen remanentibus aliis ſupra, & infraſcriptis pœnis, tenore præſentium etiam innovamus.

§. 8. Duces quoque, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Domicellos, Vicarios, Feudatarios, Gubernatores, Magiſtratus, Doctores, Capitaneos, & Officiales prædictos, necnon quoſcumque alios, cujuſcumque etiam Eccleſiaſticæ dignitatis, conditionis, ſtatus, gradûs, ordinis, excellentiæ, ſexus & ætatis, dummodo decimum quartum illius annum excedant, hujus ſtatus & juriſdictionis noſtræ temporalis, ac prædictæ Romanæ Eccleſiæ in eiſdem temporalibus mediatè vel immediatè ſubjectos, etiam dominia, juriſdictiones & loca extra ſtatum prædictum obtinentes, qui perduelliones, homicidas, latrones, & alios nefarios homines prædictos in ſuis quiſque dominiis, terris, oppidis, caſtris, fortalitiis, villis, locis, territoriis, ſeu domibus, tam in ipſo ſtatu quàm extra eum conſiſtentibus receptaverint, ſeu confoverint, aut quod in illis recipiantur, vel confoveantur quoquo modo permiſerint, ſeu ne ii capiantur impediverint, vel captos eripuerint, ſeu occultaverint, aut illis poteſtatem ſeu commoditatem evadendi fecerint, vel carcerem, aut aliam quamcumque cuſtodiam effregerint, invaſerint, aut quoquo modo violare tentaverint, ſive ad hoc homines, vel arma, aliave miniſtraverint, ſive aliàs auxilium, conſilium vel favorem, palam vel in occulto, per ſe vel alium ſeu alios quoquo modo, etiam extra territoria, juriſdictiones & domos proprias præſtiterint, ſeu præſtare permiſerint, vel etiam quoſcumque Judices, miniſtros, aut executores juſtitiæ in perquiſitione, captura, vel abductione, ac omnino in eorum officii libera executione, ſive in Urbe, ſive extra ubique locorum impediverint, ſeu verberaverint vel inſecuti fuerint, aut concuſſerint, ſeu minis vel aliàs perterrefecerint, aut ad arma conclamaverint, alioſque concitaverint, ſeu talia fieri mandaverint, facientibus adhæſerint & faverint, ſeu alicujus Magnatis nomen auxilii cauſa adverſus Curiam, executores & miniſtros prædictos invocaverint, ſeu franchiſias appellaverint (contra quas aliam conſtitutionem dicti Gregorii prædeceſſoris deſuper editam ſimiliter innovamus, acrioribus etiam remediis in dies uſuri pro hujuſmodi aſylis, præſertim in dicta Urbe tollendis, & omnino extirpandis) læſæ majeſtatis reatum, ac nulla juris aut hominis fictione confictum crimen incurriſſe, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ rebelles, omnibuſque & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus & perſonalibus, necnon Ducatibus, Principatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Civitatibus, terris, oppidis, caſtris, dominiis, vicariatibus, guberniis, locis, juriſdictionibus, dignitatibus etiam Eccleſiaſticis, honoribus, juribus, officiis, penſionibus, beneficiis, & fructibus Eccleſiaſticis, ac etiam quibuſcumque feudis & conceſſionibus, quæ à Rom. prædicta, & quibuſcumque aliis Eccleſiis obtinent, & in futurum obtinebunt, cæteriſque etiam immobilibus, mobilibus, & ſe moventibus bonis, juribus, & actionibus eo ipſo privatos, ipſoſque & illorum filios ad illa, & quælibet alia in poſterum obtinenda, ac quoſcumque actus legitimos exercendos inhabiles & indignos fore atque eſſe: Necnon à toto Statu Eccleſiaſtico, unà cum eorum familiis perpetui exilii pœna damnari, domoſque, ædificia, arces, & fortalitia eorundem demoliri, & ſolo æquari, ſive aliis dictæ Cameræ juribus adſcribi debere, nec illis portam ullius dignitatis, Eccleſiaſticæ vel mundanæ unquam patere decernimus & declaramus. Vaſſallos verò, Cuſtodes, Capitaneos, Officiales, Populos & ſubditos eorundem à fidelitatis juramento, ac homagii, & quocumque alio jure, quo ipſi quomodolibet adſtricti fuerint, ex nunc penitus abſolvimus & liberamus. Ducatus autem, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, civitates, terras, oppida, caſtra, cæteraque bona prædicta, necnon jura & actiones, cum fructibus & emolumentis eorundem, Fiſco noſtro & Cameræ prædictæ ipſo facto abſque aliqua declaratione, citatione, Judicis ſententia, ſeu decreto, vel alia juris & facti ſolemnitate habenda, etiam in præjudicium filiorum deſcendentium, & aliorum quorumcumque agnatorum in inveſtituris, conceſſionibus, ſeu aliis diſpoſitionibus comprehenſorum, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi per lapſum temporis illorum conceſſionis, & finitam lineam ad ipſam Cameram rediiſſent, ſeu devoluta eſſent, confiſcamus, applicamus, & incorporamus, illaque ſic nobis, & & pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus & Cameræ prædictæ aperta, devoluta, confiſcata, applicata, & incorporata, ſub conſtitutione ejuſdem Pii V. prædeceſſoris de hujuſmodi dominiis & juriſdictionibus in feudum, aut aliàs non concedendis minimè comprehendi etiam declaramus. Necnon quæcumque fideicommiſſa, ſubſtitutiones, & alias diſpoſitiones ſub quacumque verborum forma, etiam cum expreſſa alienationis prohibitione, aliiſque ſtrictiſſimis clauſulis & cautelis conceptas, ad hoc ut fructus bonorum hujuſmodi fideicommiſſis ſubjectorum durante vita naturali delinquentis, etiam in contumaciam, in prædictis cauſis condemnati, Fiſco applicentur, & in dictæ Cameræ uſum convertantur, proprietateſque dictorum bonorum, quandiu ipſe delinquens naturaliter vixerit, per fiſcum & Cameram hujuſmodi poſſideantur & detineantur, tollimus & abrogamus.

*Hæc conſt. Pii V. eſt ſup.*

§. 9. Ad hæc Communitates & Univerſitates hujuſmodi, ſi homines facinoroſos prædictos receptaverint, toleraverint, cibis, commeatu, auxilio, conſilio, vel favore, aut quocumque alio modo, etiam ut evadant, per ſe vel alios juverint, omnibus pœnis ſupradictis ſupponimus, eorumque res & bona omnia, necnon fructus & emolumenta eidem Fiſco, modo & forma præmiſſis applicamus & appropriamus.

*Communitates eos tolerantes, eaſdem pœnas incurrunt.*

§. 10. Particularibus autem hominibus, qui ad facinoroſos prædictos capiendos & apprehendendos, juſtitiæque miniſtris tradendos ſufficientibus viribus fuerint deſtituti, niſi eoſdem illicò propalaverint, officialeſque populos, & finitimos, ita ut nullo modo evadant, convocaverint.

*Particulares autem eos capere non valentes illico propalare, & convicinos convocare debent.*

§. 11. Ac demùm iis, qui aliquem in præmiſſis culpabilem ſciverint, nec nobis vel ſucceſſoribus noſtris, ſeu alicui per quem ad nos vel dictos ſucceſſores fideliter deferatur, intra trium dierum ſpatium revelaverint, pœnam arbitrio Judicis pro modo culpæ, etiam uſque ad mortem incluſive infligendam ſtatuimus.

*Scientes in præmiſſis aliquem eſſe culpabilem, revelare tenentur.*

§. 12. Decernentes ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis per accuſationem, delationem, inquiſitionem, & quovis alio meliori modo procedi poſſe.

*Judices procedant etiam per inquiſitionem, &c.*

§. 13. Ac quæcumque vetuſta privilegia, ſive exemptiones, etiam immemorabiles, vel alias quaſcumque prætenſiones, de recipiendis, & non conſignandis hujuſmodi bannitis, & aliis facinoroſis hominibus, nemini contra præſentium tenorem ſuffragari, etiamſi de eis ſpecialis & individua mentio facienda eſſet.

*Privilegia de non conſignandis bannitis revocantur.*

§. 14. Neque receptatores, fautores, auxiliatores, conſultores, & alios quoſcumque, præſentibus noſtris ac prædeceſſorum noſtrorum literis, ut præfertur, approbatis & innovatis quomodolibet contravenientes, quocumque prætextu, etiam agnationis, & cujuſcumque conſanguinitatis, etiam in primo gradu, aut unicè, & non doloſè, & penitus inculpatè, nec ad malum finem receptionis ullatenus excuſari, cum beneficium publicum ſit privatæ neceſſitudini præferendum, nec dolus abſit ab eo qui ipſis nefariis hominibus, & publicis inimicis quoquo modo ſe amicum præſtat, genuſque

*Receptat. non excuſantur prætextu agnationis, vel conſanguinitatis, aut non doloſa receptionis.*

hominum hujuſmodi facilè cognoſcatur, cum quoque qui ſeſe vi & metu, ad manifeſtum & inſtans vitæ periculum evitandum, de quo tamen per legitimas probationes docere teneatur, eis receptum dediſſe, ſive victum, & alia præſtitiſſe aſſeruerit, nequaquam excuſari, niſi quamprimùm ſe ſubripere, vel alios tranſmittere potuerit, nulla interpoſita mora, de tranſitu vel ſtatione dictorum facinoroſorum hominum vicinum locum, illiuſque Magiſtratus & officiales certioraverit.

*Clauſ. derog.*

§. 15. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deputatio, & facultates.*

§. 16. Et nihilominus, ut præmiſſa ſuum debitum (prout ex intimo cordis affectu exoptamus) conſequantur effectum, dilectis filiis ejuſdem S.R.E. Camerario, Urbis Gubernatori, cauſarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori, necnon Provinciarum noſtrarum legatis, de quibus plurimum confidimus, ac Vicelegatis & Præſidibus, Civitatumque & aliorum locorum prædictorum Rectoribus & officialibus, ac cæteris omnibus ſingularum conſtitutionum & literarum prædictarum executoribus ſimiliter in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ pœna per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut quiſque pro ſe ad omnimodam præſentium, ac aliarum literarum & conſtitutionum prædictarum, necnon pœnarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, illas omnes, & in eis contenta quæcumque ſemper & ubique per omnia loca prædicta, ac ab omnibus ſub illis comprehenſis inviolabiliter obſervari. Capitaleſque ſententias prædictas à juſtitiæ miniſtris abſque alicujus irregularitatis incurſu exequi mandent & faciant, ac pro exactione pœnarum pecuniariarum contra Communitates, Univerſitates, dominos temporales & alios prædictos propter eorum inobedientiam repreſſalias concedant, realiterque & irremiſſibiliter dictas pœnas pecuniarias exigant.

*Clauſula præſervativa.*

§. 17. Non obſtantibus fideicommiſſis, inveſtituris, conceſſionibus, ſubſtitutionibus, teſtamentis, & aliis diſpoſitionibus, necnon privilegiis, exemptionibus, ac aliis præmiſſis, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus haberi volumus pro expreſſis & inſertis, necnon omnibus quæ in ſingulis literis prædictis conceſſum eſt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Hortatio ad principes extra ſtatū Eccleſiaſticum, temporalē juriſdictionem habentes, ut bannitos non aſſecurent, ſed capiant, & remittant.*

§. 18. Rogamus quoque & hortamur attentè in Domino omnes & ſingulos quamcumque juriſdictionem temporalem extra Statum Eccleſiaſticum prædictum exercentes, etiam Regia, Ducali, vel alia quacumque mundana vel Eccleſiaſtica auctoritate, ſuperioritate & excellentia fungentes, ut velint pro ſua in nos & hanc ſanctam Sedem Apoſt. devotione & obſervantia, reique ipſius æquitate providere, ne poſthac in provinciis, dominiis, & locis ſuis perduelliones, homicidæ, & alii facinoroſi prædicti ullo modo recipiantur, aſſecurentur, vel tuti reddantur, quinimò ſi ipſos ad illa declinare, aut ibidem reperiri contigerit, per ſuos juſtitiæ miniſtros & executores capi & apprehendi, ac ad Præſides & Gubernatores Provinciarum & locorum noſtrorum, unde ipſi originem traxerint, vel delictum commiſerint, liberè conduci & remitti, eiſque conſignari mandent & procurent. Ac quoſcumque ſalvos conductus, & alias aſſecurationes revocent & annullent, prout nos vice verſa idipſum contra hujuſmodi facinoroſos homines à dictis eorum provinciis & dominiis bannitos fieri & obſervari curabimus, ſperantes hac optima ratione omnino futurum, ut ejuſdem R. E. & cujuſque eorum ditiones, & ſtatus, annuente Domino, expurgentur, Populique nobis & illis ſubditi, pacis & tranquillitatis dulcedine fruantur.

*Forma & effectus publ. hac conſt.*

§. 19. Ut autem præſentes literæ omnibus innoteſcant, & ne quiſquam illarum ignorationem allegare poſſit, jubemus illas valvis Eccleſiæ S. Joannis Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ appendi, eiſque detractis illarum exempla, etiam impreſſa in eiſdem locis affixa relinqui, factaque hujuſmodi publicatione volumus ipſas præſentes hic in Urbe publicatas die ſequenti, extra eam verò poſt decem dies quoſcumque perinde arctare atque afficere, ac contrafacientes pœnas & alia ſupradicta omnino incurrere, ac ſi eis ſingulis præſentibus in propriis eorum perſonis & locis intimatæ fuiſſent.

§. 20. Inſuper earundem præſentium exempla, etiam impreſſa, Notarii publici manu, & Camerarii prædicti, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignata, eandem prorſus fidem ubique locorum in judiciis, & extra illa facere, quæ ipſæmet præſentes facerent, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 21. Necnon quod quælibet Communitas, Univerſitas & Populus, quantumcumque Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum & locorum prædictorum, ſub indignationis noſtræ, ac mille ducatorum dictæ Cameræ applicandorum pœnis per contrafacientes eo ipſo incurrendis, ſtatim cum præſentes literæ noſtræ hujuſmodi, ſive earum tranſumptum etiam impreſſum ad eorum notitiam pervenerit, convocato publico conſilio, in præſentia officialium, ſyndicorum, & curam maleficiorum habentium, eas unà cum aliis prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus, ſic ut præfertur, confirmatis & innovatis, ibi alta & intelligibili voce, etiam vulgari ſermone illas declarando, ut melius & faciliùs ab omnibus percipi & intelligi poſſint, legi facere, & deinde in eorum Archivio publico diligenter cuſtodiri curare omnino debeant, ac ſingulis annis ſucceſſivè in principio cujuſlibet anni perpetuis futuris temporibus ſimiliter eaſdem literas præſentes, & alias innovatas in eodem publico conſilio legendo reiterare teneantur. Alioquin loci Gubernator & Rector, & quilibet alius juſtitiæ miniſter quocumque nomine nuncupatus, contra eos ad executionem pœnarum hujuſmodi ſine mora irremiſſibiliter procedat.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. Kal. Julii, Pont. noſtri anno 1.

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Alex. Farneſius Epiſc. Oſtien.
Ego Joan. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgii.
M. Card. ab Altaëmps.
Ego Joan. Aval. Card. de Arag.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gulielm. Sirletus Card.
F. Mic. Card. Alex.
Ego Lud. Card. Madrutius.
Ego N. de Pelleve Card. S. Praxedis.
Jul. Ant. Sanctorius Card. S. Severinæ.
P. Card. Cæſius.
Ego Carolus Card. Ramboüilletus.
Ego Hier. Card. Ruſticucius.
Joan. Hier. Card. Albanus.
Ego Phil. Boncom. Card. S. Sixti M. P.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. Carafa.
Joan. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Joan. Bapt. Card. S. Marcelli.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vinc. Card. Montis Regalis.
Ego M. Presb. Card. S. Stephani in Monte Cælio.
Scipio Card. Lancelottus.
Ego Aloyſius Card. Eſten.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Phil. Vaſt. Card. Cam.
Ego Carol. à Lotharingia Card. Vademontanus.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Ego Franciſcus Card. Sfortia S. Georgii.
Alex. Card. de Montealto.

*Anno à Nativitate Domini 1585. indict. 13. die verò 5. menſis Iulii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D.*

*Sixti*

*Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis ſeu portis Eccleſiarum S. Ioan. Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon valvis Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Ioan. Gauce, & Nicolaum Tagliettum S. D. N. Papæ Apoſt. Curſ.*

*Ioannes Freilé Mag. Curſ.*

## II. Quod Feſtum Præſentationis B. Mariæ Virginis die vigeſimaprima menſis Novembris duplici officio celebretur.

*An. D. 15[85].* S I X T V S E P I S C O P V S, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

INtemeratæ Matris Dei MARIÆ, ex cujus puriſſimis viſceribus, ſalva per Spiritus Sancti virtutem integritate virginitatis, auctor vitæ naſci dignatus eſt, ſalutiferam fœcunditatem humiliter veneramur, & quæcumque ultimis orientis adhuc Eccleſiæ, aliiſque temporibus à Sanctis Patribus in ejus honorem inſtituta fuerunt, noſtræ imbecillitatis ope tueri, atque augere, & ſi quid fuerit prætermiſſum, ipſa adjuvante quæ ſupra Choros ſedet Angelorum, renovare ſtudemus, ut ſpiritualium gaudiorum crebritate devota nobiſcum plebs lætetur, & cujus ſplendorem Angelici cœtus admirantur in Cœlis, ejus in terris per ſacras feſtivitates recolendæ, laudandæ, atque invocandæ pia memoria non prætermittatur. Aliis igitur celebritatibus perpetuæ Virgini, quæ ab æterno præparata, & Propheticis teſtificationibus prænuntiata, nondum tamen Mater Dei Angelo nuntiante fuerat effecta, à Catholica Eccleſia conſecratis, ejuſdem quoque quæ Templum Dei futura erat, & Sacrarium Spiritus Sancti, in templum Præſentationem ab antiquiſſimis uſque temporibus ſumma ubique gentium cum veneratione obſervatam adſcribi volumus, & ſicubi intermiſſa eſt, reſtitui, ac jugiter cuſtodiri.

§. 1. Quare hac perpetua conſtitutione mandamus, ut Præſentationis B. Mariæ ſemper Virginis feſtus dies undecimo Kal. Decembris, per omnes totius Orbis Eccleſias duplici officio, prout in Nativitatis die, ſumpto Præſentationis vocabulo, peragatur, idemque in Kalendario cum duplicis adjectione inſeratur.

§. 2. Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in univerſi Orbis ambitu conſtitutis, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus & Diœceſibus præſentes noſtras ſolemniter publicari faciant, ab omnibuſque Eccleſiaſticis perſonis, ſæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus omninò obſervari, licèt adnotatio hujus celebritatis in poſtremis Breviarii & Miſſalis reformationibus fuerit prætermiſſa.

§. 3. Volumus quoque ut præſentium exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſuſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarn. Dominicæ 1585. Kal. Septembris, Pont. noſtri anno 1.

## VIII. Quod Feſtum S. Franciſci de Paula, Ordinis Fratrum Minimorum inſtitutoris, ſingulis annis die ſecunda menſis Aprilis duplici officio celebretur.

*Canonizationem hujus Sancti habes ſup. in Leonis X. conſt.* 38. Excelſus. *Et de dicto ejus Ordine attende conſt.* 5. *Sixti IV.* Sedes.

*[Ed]ita An. D. 1585.* S I X T V S E P I S C O P V S, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

IN cœli throno cui ſedet rex omnipotens, terramque ſcabellum pedum ſuorum calcat, ſupremo è ſolio puſillorum ſervorum reſpicit humilitatem, eoſque in quibus illa elucet ad excelſa ſublimium honorum, & gaudiorum culmina extollit. Quod in Sanctis ſuis omni tempore demonſtravit, recenti verò patrum noſtrorum memoria in B. Franciſco de Paula, amplè teſtificari dignatus eſt. Is enim ab ineunte ætate cœleſtium rerum amore incenſus ex minimo, qualem ſe in Dei, hominumque conſpectu fecerat, magnus evaſit, interque alia, quibus claruit virtutum ornamēta, unam mirificè amplexus eſt Regi regum ſemper acceptam humilitatem, quam ſicuti noverat primum ingreſſum fuiſſe Chriſti Salvatoris noſtri in mundum, ita in anguſto ad pietatem & ſanctitatem introitu patefaciendo, primam ſibi & ducem, & ſociam aſcivit. Hac atque aliis divinæ gratiæ præſidiis Beatus Confeſſor munitus, apud magnos Principes & Reges, cum adhuc in mundo quaſi hoſpes peregrinaretur; in patria verò cœleſtes inter choros poſt abſolutam peregrinationem à Deo, cui fideliter ſervierat, ſeque in primis humiliaverat, eſt exaltatus, magnaſque virtutes, ut etiam in vita, cum ſumma omnium qui viderunt vel audierunt admiratione, meruit operari.

§. 1. Quibus virtutibus Fratrum Minimorum congruente ſuæ humilitati denominatione, Ordinem, quem vivens inſtituerat, mirum in modum auxit, ita ut ex ſancti viri imitatione devotiſque Fratrum ipſorum ſtudiis multis jam in Italia, quæ de ejus nativitate, atque in Gallia quæ de ſancta obdormitione in Domino gloriantur, totiuſque Chriſtiani orbis regionibus ædificatis templis cœnobiiſque conſtructis, ejus memoria in dies magis propagetur. *Ordinem FF. Minimorum inſtituit, [qui] habetur ſup. in conſt. Sixti IV. cit. in rub.*

§. 2. Ipſi autem à fel. rec. Leone PP. X. prædeceſſ. noſtro, ſanctorum, quos catholica veneratur Eccleſia, catalogo ſolemni ritu adſcriptus, in cœlo pro ipſa ſemper Eccleſia aſſiduiſque Paſtoralis ſervitutis, & ſollicitudinis noſtræ laboribus apud Deum, unà cum omnibus Sanctis, & ſibi cognomine atque æternæ felicitatis conſorte B. Franciſco, Ordinis Fratrum Minorum fundatore intercedit. *Leo X. illum canonizavit ut in bulla cit. in rub.*

§. 3. Quare nos ejus nomen & ſanctitatem dignis, quantum noſtra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac præſenti conſtitutione mandamus, ut ejuſdem Beati Franciſci de Paula confeſſoris glorioſi dies feſtus, qui Quarto Non. Aprilis peragitur, duplici poſthac & proprio, & ubi propria non erunt, de Communi Confeſſorum non Pontificum officio, per cunctas totius Chriſtiani orbis Eccleſias quotannis celebretur, & in Kalendario cum duplicis feſti adjectione inſcribatur. *Hic modò Pōtifex ejus feſtum duplici officio celebrari jubet.*

§. 4. Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in univerſo terrarum orbe conſtitutis, ut faciant in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus & Diœceſibus, præſentes noſtras ſolemniter promulgari, & ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis, ſæcularibus, & quorumcumque Ordinum regularibus omnino obſervari. *Obſervarique mandat & promulgari.*

§. 5. Volumus quoque, ut præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Exemplis bullæ credi præcipit.*

Dat. Rom. apud S. Marcum anno Incarnat. Dominicæ 1585. Pont. noſtri anno 1. *Dat. P. An. 1.*

## IX. Renovatio Studii generalis in Civitate Firmi Status Eccleſiaſtici, olim à Bonifacio VIII. inſtituti, cum privilegiis & indultis aliorum Studiorum generalium.

*Quoad Lectores & Scholares Studiorum ejuſmodi, vide etiam Conc. Trid. cap. 1. ſeſſ. 5. & conſt. 88. Pii IV.* In ſacroſancta, *ſup.*

S I X T V S E P I S C O P V S, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1585.*

MUnéris noſtri debito incumbit ut ad ea propenſiori cura intendamus, per quæ literarum ſtudia propagentur, Studiorumque generalium Collegia & Univerſitates, unde ſcientia ipſa, & præſertim Juris utriuſ- *Exordium.*

que prudentia, ſine qua Reſpublica ritè adminiſtrari nequiret, & per quam juſtitia undique colitur, & omnis proſperitas humanæ eruditionis augetur, inſtituantur, & his quæ præterea à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, Civitatibus, illarumque Civibus & perſonis, præſertim nobis & Sedis Apoſtolicæ temporali ditioni ſubjectis providè proceſſerunt, ut firma, perpetua, & illibata perſiſtant, implementum auctoritatis noſtræ libenter impertiamur, illaque nonnunquam innovemus, aliaſque deſuper diſponamus, prout civitatum & hominum prædictorum ſingularis erga dictam Sedem devotio, & merita expoſcunt atque requirunt, & nos conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Bonif. VIII. in Civitate Firmi ſtatus Eccleſiaſtici ſtudium generale erexit ad inſtar ſtudii Bononienſis, ut ſup. in ejus conſtit 8. In ſuprema.*

§. 1. Sanè cum ſicut accepimus, alias poſtquam fel. rec. Bonif. PP. VIII. prædeceſſor noſter, certis, tunc expreſſis cauſis adductis, ac ſupplicationibus dilectorum filiorum tunc exiſten. Communitatis & hominū noſtræ, tunc ſuæ Firmā. inclinatus, per quaſdā ſtatuerat & ordinaverat, &c.

Reſiduum omittitur, quia tota bulla eſt ſup. cit hic in margine.

*Calliſtus III. prædicta confirmavit die 26. Jun. 1455. ſed ejus bullam volens prætermiſi.*

§. 2. Piæ memoriæ Calliſtus Papa III. etiam prædeceſſor noſter, per alias ſuas literas inter alia ſtatutum & ordinationem Bonifacii prædeceſſoris hujuſmodi, ita ut ipſi Communitas & homines Firmani, Studium generale in Civitate prædicta retinere valerent, approbaverit & confirmaverit, prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.

*Communitas Firmana pro hujus Studii renovatione Papæ ſupplicavit, cùm prius ad hoc ampla cōſtruxerit ædificia, & annuum redditum aſſignaverit.*

§. 3. Et licet ſtudium generale hujuſmodi in dicta Civitate Firmana, vigore dictarum literarum eatenus introductum fuiſſe credatur, tamen temporum injuria, vel ex quavis alia cauſa, illud intermiſſum ſeu extinctum eſſe reperitur ad præſens. Unde Communitas & homines prædicti per dilectos filios Sigiſmundum Toſtum, & Cæſarem Octinellum, Cives Firmanos, Utriuſque Juris DD. ad nos ab eis ad effectum infraſcriptum deſtinatos Oratores, q[illegible] libenter vidimus, & benignè audivimus, nobis expo[illegible] curarunt, quod ipſi dictum generale Studium in prædicta Civitate reſtitui, ſeu inſtitui, & ſtabiliri cupientes, ſumptuoſa quædam ædificia publica, valde ampla & capacia, ad hoc commoda, in platea dictæ Civitatis conſiſtentia, animo & intentione Theologiam, & utriuſque juris prudentiam ac medicinam, philoſophiam, aliaſque artes liberales, & quaſvis licitas facultates, per viros eruditos ibidem legi, doceri & interpretari faciendi, deſtinaverint & aſſignaverint. Et pro manutentione pro tempore exiſtentium Rectoris & Lectorum Univerſitatis Studii generalis hujuſmodi, aliorumque exinde incumbentium onerum ſupportatione, annuum redditum duorum millium ſcutorum ex propriis proventibus & juribus ad eoſdem Communitatem & homines legitimè ſpectantibus, applicaverint & appropriaverint.

*Hic modò Pont. diſpoſitiones Bonif. VIII. & Calliſt. III. approbat.*

§. 4. Nos qui eidem Eccleſiæ Firmanæ, dum Cardinalatus honore fungebamur, ex diſpenſatione Apoſtolica præfuimus, dignum, & rationi conſentaneum cenſentes, ut poſtquam divina Majeſtas nos ad ſummi Sacerdotii faſtigium evexit, noſtri in eoſdem nobis benemeritos grati, & benevoli animi affectus, quos poſſumus, non libenter modo, ſed etiam liberaliter addamus, ita quod in dicta Civitate, quam ſingularis benevolentiæ affectu complectimur, & in qua unum inſigne Collegium utriuſque juris Doctorum ab immemorabili tempore inſtitutū extitit, unam univerſitatem Studii generalis inſtitui, Collegiumque prædictum ſtructuris atque ædificiis capacioribus pro Congregationibus, ſeſſionibus, deambulationibus, aliiſque officiis neceſſariis cōſtrui & ampliari, ipſoſque Communitatem & homines ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ac Communitatis & hominum hujuſmodi ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentiū dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon literarum Bonifacii & Calliſti prædeceſſorum hujuſmodi tenores etiam veriores, ac dat. præſentium pro expreſſis habentes, eorundem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, Motu proprio, non ad ipſorum Communitatis, & hominum, vel alterius pro eis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas Bonifacii & Calliſti prædeceſſorum hujuſmodi literas, omniaque & ſingula in illis & earum ſingulis contenta, quoad ea quæ infraſcriptis, ac decretis Concilii Tridentini non repugnent, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac etiam illa innovamus, omneſque & ſingulos, tam juris quàm facti, ac ſolemnitatum etiam ſubſtantialium, & quoſcumque alios defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

*Studiumque prædictum innovat.*

§. 5. Et inſuper in ipſa civitate Firmana unam Univerſitatem Studii generalis, in qua aliqui Magiſtri & Doctores, ſeu alii docti & eruditi profeſſores Theologiam, Jus canonicum & civile, medicinam & artes liberales, necnon alias quaſcumque licitas facultates, publicè legant, doceant, & interpretentur, & quicumque ſcholares, ſive laïci, ſive clerici, ſæculares, vel quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regulares, ubicumque oriundi, & undecumque advenientes, in eiſdem facultatibus ſtudeant; necnon illis qui catholici, & ad id idonei reperti fuerint, Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus & Magiſterii, ac alii cujuſlibet licitæ facultatis gradus, & inſignia conferantur & concedantur, cum arca, ſigillo, & aliis inſignibus Studii generalis, ad inſtar Bononien. Paduanen. Peruſien. Senen. & Maceraten. ac aliarum quarumcumque Univerſitatum Studiorum generalium, tam in Italia quam extra eam conſiſtentium, auctoritate & tenore præfatis perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Illique ſic innovato, [...] que perſ[...] ac ibi pro[...] tis, privile[...] omnia al[...] Studiorum [...] neralium [...] cedit.*

§. 6. Illique ſic erecto & inſtituto, ac ejus pro tempore exiſten. Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Profeſſoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Bidellis, Nuntiis, ac aliis Officialibus, Miniſtris & perſonis, necnon ibidem ad quoſcumque gradus promotis, quod omnibus & ſingulis, ac quibuſcumque privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, antelationibus, præeminentiis, favoribus, honoribus, dignitatibus, conceſſionibus, indultis, & aliis univerſis gratiis, ſpiritualibus & temporalibus, quibus Bononien. Paduanen. Peruſien. Senen. & Maceraten. ac quæcumque aliæ Univerſitates, tam in Italia quàm extra eam conſiſtentes prædictæ, illarumque pro tempore exiſtentes Rectores, Magiſtri, Doctores, Profeſſores, Lectores, Præceptores, Scholares, Bidelli, Nuntii, ac alii Officiales, Miniſtri & perſonæ, necnon ibidem ad quoſcumque gradus promoti, de jure vel conſuetudine, aut ex privilegiis & conceſſionibus Apoſtolicis & Imperialibus, necnon Conciliis generalibus, ſeu univerſalibus, provincialibus & ſynodalibus, ac aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poſſent, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter & æquè principaliter, abſque ulla prorſus differentia, uti, potiri, & gaudere, perinde ac ſi ſpecialiter, nominatim & expreſsè conceſſa fuiſſent.

*De Studi[...] bis, vide [...] in bulla 9. [...] nifac. VIII. [...] de Studio [...] ruſino eſt [...] conſt. 2. Cl[...] V. & de M[...] ceraten. eſt [...] prà conſt. [...] Pauli III.*

*Doctoran[...] que form[...] praſcribit.*

§. 7. Præterea illis qui in ipſa Univerſitate Studii generalis Firman. vel alibi ſtuduerint in Theologia, ac utroque, vel altero jure, & medicina, necnon artibus liberalibus, aliiſque facultatibus prædictis, Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus & Magiſterii, cæteroſque omnes ſolitos gradus, ſi per Magiſtros vel Doctores illius facultatis in qua voluerint promoveri, ad hoc præſētati, & debito prævio examine, aſſiſtentibus ibidem aliquibus Doctoribus ſeu Magiſtris in eadem facultate ibi legentibus, vel de gremio prædicti Collegii Doctorum ipſius Civitatis Firmanæ exiſtentibus, deſuper facien. ac alias ſervatis ſervandis, idonei reperti fuerint, & pro tempore Epiſcopo Firmano, ſeu ejus Vicario in ſpiritualibus generali, aut quocumque alio, quem ad hoc ipſe Epiſcopus duxerit deputandum; dicta verò Eccleſia Firmana pro tempore Paſtore carente, ab eo qui per Capitulum Eccleſiæ Firmanæ hujuſmodi deputatus fuerit, emiſſa priùs per promovendos hujuſmodi in ejus manibus fidei catholicæ profeſſione juxta articulos pridem à Sede Apoſtolica ad hoc propoſitos, ac formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, ipſorum graduum ſolita inſignia recipere, illaque ſibi exhiberi facere.

*Promotis eo fa[...] ubique le[...] & ea larg[...]*

§. 8. Necnon poſtquam hujuſmodi gradus, & illorum

insignia

inſignia ſuſceperint facultates, in quibus promoti fuerint, ubicumque, abſque alio examine vel approbatione, legere & interpretari, ac in eis diſputare, necnon quoſcumque alios gradus per eos receptos, & convenientes exercere liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis, de ſpeciali gratia indulgemus, ſicque etiam ſtatuimus & ordinamus.

§. 9. Necnon Univerſitati Studii generalis Firmani, ac illius Rectori pro tempore exiſtenti, pro ſalubri & felici ejuſdem Univerſitatis Firmanæ, ac illius perſonarum, rerum, bonorum, & jurium regimine, directione & conſervatione, reique literariæ progreſſu, quæcumque ſtatuta & ordinationes, licita tamen & honeſta, ac ſacris canonibus, & dicti Concilii decretis non contraria, eis beneviſa, à moderno & pro tempore exiſtente Epiſcopo Firmano examinanda & approbanda, condendi, illaque poſtquam condita fuerint, prout temporum, locorum, perſonarum, vel rerum, aut aliæ qualitates exegerint, mutandi, corrigendi, & reformandi, ac etiam declarandi & interpretandi, illiſque addendi & minuendi, ſeu etiam ea in totum abrogandi, ac alia illorum loco de novo edendi & faciendi, quæ omnia poſtquam pro tempore condita, mutata, correcta, reformata, declarata, interpretata, aucta, vel diminuta, & de novo edita fuerint, ab Ordinario loci, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice approbari debeant, plenam & liberam facultatem & auctoritatem concedimus & impartimur.

§. 10. Decernentes præſentes literas, etiam ex eo quod Paduan. Peruſin. Senen. & Maceraten. & aliarum Univerſitatum prædictarum Rectores, Officiales, Doctores, Profeſſores, ſeu Lectores, Procuratores, Defenſores, Protectores, vel Agentes, aut alias quomodolibet intereſſe habentes vel putantes, ad hoc vocati non fuerint, aut ex quavis, vel quibuſvis aliis cauſis, occaſionibus, vel prætextibus, de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut aliàs infringi, vel quomodolibet retractari, ſeu etiam per nos ac ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, aut Sedem præfatam, vel illius Legatos etiam de Latere, aut quoſcumque alios quavis auctoritate revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat & ſpectabit quomodolibet in futurum, perpetuò & inviolabiter obſervari debere: necnon Univerſitatem Studii generalis Firmani hujuſmodi, illiuſque Rectorem, Officiales, Doctores, Lectores, Profeſſores, Scholares, Miniſtros, cæteroſque prædictos ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis vel illorum occaſione, etiam per alias univerſitates prædictas, vel quoſcumque alios quavis auctoritate, quomodolibet moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri nequaquam poſſe, ac etiam Communitatem & homines præfatos, aut quoſcumque alios ad probationem ſeu verificationem literarum Bonifacii & Calliſti prædeceſſorum hujuſmodi, ac in eis, & etiam eiſdem præſentibus literis narratorum nullatenus unquam teneri, nec ad id in judicio vel extra cogi ſeu compelli poſſe: & nihilominus eaſdem literas & in eis contenta hujuſmodi ſemper valere, ac eiſdem Univerſitati & hominibus ſuffragari, ſicque in præmiſſis ab omnibus cenſeri.

§. 11. Ac ita per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, eorumque Locumtenentes, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 12. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra de jure quæſito non tollendo, ac aliis Apoſtolicis, & etiam in Univerſalibus, Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis & edendis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Firman. Bononien. Paduan. Peruſin. Senen. & Maceraten. prædictarum, ac quarumvis aliarum Univerſitatum & Gymnaſiorum, etiam publicorum, Provinciæque noſtræ Marchiæ Anconitanæ, & totius ſtatus Eccleſiaſtici, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, decretis, & etiam novis reformationibus, legibus, tam Pontificiis quàm Imperialibus, Regiis, Ducalibus & municipalibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis & eorum ſuperioribus & perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentibus, in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam in vim contractus inibi ſtipulati & jurati, ac etiam ſtatuti perpetui, & perpetuam legē inducentibus motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet, etiam pluries & iteratis vicibus conceſſis, confirmatis & innovatis, ac etiam in poſterum concedendis, confirmandis & innovandis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè motu ſimili derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 13. Cæterum volumus quod earundem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſuſcriptis, & ſigillo Communitatis ſeu Studii Generalis Univerſitatis Firman. hujuſmodi, aut alicujus Eccleſiaſticæ vel ſæcularis Curiæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

*Tranſumptorum fides.*

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1585. Idib. Septemb. Pont. noſtri anno 1.

*Dat. P. A. 1. die 15. Sept.*

---

## De electione Prælatorum Congregationis S. Bernardi in Italia Monachorum Ordinis Ciſtercien. regularis obſervantiæ, de cætero fienda ex univerſo numero Sacerdotum d. Congregationis, qui minora officia laudabiliter biennio exercuerint. X.

*Aliter in hoc diſpoſuerat Greg. XIII. in ſua conſt.* 54. Romanus, *ubi videas quæ notavi.*

*SIXTUS PAPA V.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Edita An. D. 1585.*

NUper pro parte dilectorum filiorum Abbatis Ciſtercii, Cabilonen. diœceſis, Generalis Ordinis Ciſtercien. necnon Abbatum, Prælatorum, & Conventuum, Monaſteriorum dicti Ordinis fuit nobis expoſitum, quod alias regimen ipſius Congregationis medio tempore, inter unum & alterum Capitulum ſolebat de univerſo ſacerdotum numero provinciæ, auctoritate Apoſtolica illos eligere ad Prælaturas vacantes, quos magis idoneos magiſque dignos judicabat, in qua quaſi poſſeſſione ſic eligendi per longum tempus perſeveraverit, donec de anno 1579. fel. recordat. Gregor. Papa XIII. prædeceſſor noſter, inter alia ſtatuta ad reformationem Monachorum dicti Ordinis pertinentia decrevit & mandavit, ut de cætero Capitulum dictæ Congregationis fieret de triennio in triennium, & in primo futuro Capitulo pro qualibet Provincia tot Sacerdotes quot eſſent in ea Prælaturæ, & inſuper alii quatuor ſacerdotes habiles ad Prælaturas exercendas, in quaque provincia approbarentur, qui etiam ad Viſitatoris majoris officium ſimiliter approbati eſſe intelligerentur, quodque ii tantum ad Prælaturas & Viſitatoris majoris officium hujuſmodi approbari deberent, qui officia minora, nempe Cellerariatus & Priora-

*Congregatio conſuevit ad Prælaturas eligere viros magis idoneos ex univerſo numero ſacerdotum.*

tus

tus dignè gradatim, ſaltem per biennium in quolibet officio fideliter exercuiſſent, atque ut ſemel approbati, ſemper ſtabiles fore cenſerentur. Præterea ut deficiente approbatorum hujuſmodi numero, ſive per obitum illorum, ſive per privationem ob commiſſa delicta, in proximè futuris Capitulis & non aliter, alii in illorum locum ſufficerentur: itaque ſemper numerus quatuor tantum, extra Prælaturas à quolibet Capitulo haberetur. Et ſi intra triennium aliquem Prælatorum decedere, aut à Viſitatoribus vel à Capitulo ob aliqua demerita privari contingeret, alius extra numerum approbatorum prædictorum, minimè aſſumi poſſet, ac aliàs prout in prædictis prædeceſſoris noſtri literis latiùs fuit expreſſum.

*Sed comperto quod ejuſmodi decretum eſt Congregationi damnoſum.*

§. 1. Sed quia ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ab eo tempore, uſu & experientia compertum eſt, hujuſmodi ad quatuor tantum ſimul nominatos reſtrictiori Univerſitati dictæ Congregationis nequaquam expedire, tum quia dicti quatuor electi poſtquam ſecuri ſunt ſe omnino futuros Prælatos, ab obedientia, & diſciplina regulari non parum recedunt, & quaſi immunes & exempti à communibus religionis oneribus eſſe prætendunt: tum quia alii multi ſacerdotes ejuſdem Congregationis, qui habiles & inclinati ad laudabilia religionis opera eſſent, videntes ob aliorum jam factam electionem ſe excluſos, nec poſſe ad gradus majores aſpirare, animum deſpondent, nec curant ulterius progredi: quod haud dubiè in magnum totius Congregationis damnum redundare dignoſcitur, præſertim cum contingere poſſet, ut durante electione quatuor approbatorum hujuſmodi ſecundum caſuum & temporum varietatem, vel omnes, vel pars eorum vita decedant, ſeu etiam aliqui interim minus idonei, alii verò magis capaces & utiles Congregationi detegantur: unde fieret, ut deficientibus quoquo modo approbatis, in eorum locum ſubrogandi nulla ſupereſſet facultas.

*Fuit huic Pôt. ſupplicatum pro opportuna proviſione.*

§. 2. Quare cum his & aliis juſtis & gravibus cauſis & rationibus adducti, idem Abbas Ciſtercii generalis, qui pridem dictas provincias viſitavit, necnon Prælati & Monachi dictæ Congregationis utriuſque Provinciæ Lombardiæ & Tuſciæ, nobis humiliter ſupplicaverint, ac etiã dilectus filius Aloyſius S. Mariæ in via lata diaconus Cardinalis Eſten. nuncupatus, illorum Protector, pro eis apud nos vehementer interceſſerit, petieritque ut ad majorem ipſius Congregationis profectum & incrementum, bonorumque incitamentum, de opportuno remedio providere ex benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic ideo Pont. illud revocat.*

§. 3. Nos tota re mature diligenterque cognita & diſcuſſa, ut obviàm incommodis & malis inde imminentibus eamus, ſupplicationibuſque hujuſmodi inclinati, prædictum numerum quatuor ſacerdotum in ſingulis provinciis, ad Prælaturas, & ad Viſitatoris majoris officium eligendorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſupprimimus & abolemus, perinde ac ſi literæ Gregorii prædeceſſoris noſtri hujuſmodi ſuper eo non emanaſſent: quæ tamen in reliquis ad reformationem prædictam ſpectantibus ſuum robur obtineant.

*Viroſque magis idoneos ex univerſo Sacerdotum numero, qui minora offi ia per biennium exercuerint eligi mandat.*

§. 4. Statuimuſque & ordinamus, ut poſthac de toto numero ſacerdotum propriæ Provinciæ per regimen ejuſdem provinciæ ſacerdotes magis digni & magis idonei ad quamlibet Prælaturam, & Viſitatoris majoris officium de tempore vacationis ipſius officii vel prælaturæ, arbitrio ipſius regiminis eligantur ex illis, qui officia minora Cellerariatus, & Prioratus dignè gradatim, ut præmittitur, ſaltem per bienniũ in quolibet officio hujuſmodi fideliter exercuerint. Utque etiã tempus, quo quilibet ſacerdos officium Viſitatoris minoris exercuerit, computetur, perinde ac ſi idem ſacerdos per totidem tempus Cellerariatus vel Prioratus officium exercuiſſet. Quare eiſdem Generali, Congregationi, & regiminibus, Abbatibuſque & Monachis d. Ordinis, univerſis & ſingulis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in Domino obſervent, eadem auctoritate præcipimus atque jubemus.

*Clauſula hujus [illegible] præſervativa.*

§. 5. Præſenteſque literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tẽpore de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis vitio ſeu defectu notari, argui, vel impugnari poſſe, ſed illas ſẽper validas, & efficaces exiſtere, ac ſuos integros effectus ſortiri.

*Clauſ. ſublata.*

§. 6. Sicque per quoſcumque Judices, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritumque & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Clauſ. de…*

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationis, Monaſteriorum, regulariumque locorum hujuſmodi ſtatutis, uſibus, naturis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet, etiam Motu proprio, ac iteratis vicibus, & ſub quibuſcumque tenoribus & formis, per quoſcumque Romanos Pontifices præceſſores noſtros, ac etiam nos & Sedem Apoſt. conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tr… ſumptorum.*

§. 8. Volumus autem ut harum exemplis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præſidentis vel Protectoris nunc & pro tempore exiſtentium dictæ Congregationis obſignatis, eandem prorſus fidem adhiberi, quæ adhiberetur, eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P… die 25…*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Septemb. 1585. Pont. noſtri anno 1.

---

## De regimine Studii generalis Valent. ab Alexandro VI. inſtituti, & applicatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, &c. XI.

*Quoad admiſſionem alienigenarum & illegitimorum, ad beneficia in Regno Valentiæ, vide infrà in conſt.* 64. In ſacroſancto, *& conſt.* 84. Cùm cœleſtis.

*Edita An. 1585.*

*SIXTUS EPISCOPUS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

COpioſus in miſericordia Dominus, & in cunctis ſuis operibus glorioſus, à quo omnia bona defluunt, ad hoc nobis, licet immeritis, ſuæ ſponſæ univerſalis Eccleſiæ regimen committere, & noſtræ debilitati jugum Apoſtolicæ ſervitutis imponere voluit, ut tanquam de ſummo vertice montis ad hujus mundi infirma reflectentes intuitum, quid pro hujuſmodi illuſtranda Eccleſia ad fidei orthodoxæ, divinique cultus, & beneficiorum propagationem conferat, quidve ſtatui & profectui, animarumque ſaluti fidelium quorumlibet conveniat, attentius proſpiciamus, fideleſque ipſos ad quærenda literarum ſtudia, per quæ militantis Eccleſiæ reſpublica geritur, divini nominis, ac ejuſdem fidei cultus protenditur, omniſque proſperitas humanæ conditionis augetur, noſtræ ſollicitudinis ope excitemus, ac in id pro noſtri paſtoralis officii debito propenſius incumbamus, ut ſingulæ Studiorum generalium Univerſitates, præſertim in locis Maurorum, & aliorum infidelium, non ita pridem ad Chriſti fidem converſorum progenie refertis conſtitutæ, lectores fide & eruditione probatos, ad aliorum inſtructionem, & ſanæ doctrinæ conſervationem nanciſcãtur, ac eiſdem lectoribus pro ſuis neceſſitatibus, fructuoſique eorum inſtituti proſecutione & exercitio congruæ ſubventionis auxilia favorabiliter ſubminiſtrentur.

*Prælat… Eccleſiaſt… lentin. va… cat.*

§. 1. Dudum ſiquidem omnia officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter

vel

vel ignoranter contingerit attentari. Cum itaque poſtmodum Præpoſitura menſis Februarii in Eccleſia Valent. per liberam reſignationem dilecti filii Thomæ de Borja Canonici Eccleſiæ Toletan. & nuper Præpoſiti menſis Februarii in d.Eccleſia Valent.de illa quam tunc obtinebat in manibus noſtris ſponte factam & per nos admiſſam, apud Sedem præfatam vacaverit & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtĕtibus ſupradictis. Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorũ filiorum Conſulum juratorum, Rationalis & Syndici civitatis Valent.petitio continebat, ex duodecim ſingulorũ menſium Præpoſituris olim in d.Eccleſia Valent.pro totidem Præpoſitis, qui annuatim fructus, redditus & proventus ejuſdẽ Eccleſiæ Valent. Menſæ Capitularis recolligerent, ac inter illius Canonicos pro tempore reſidĕtes, juxta certam taxam ad id præſcriptam ſingulis menſibus diſtribuerent inſtitutis, dicta Præpoſitura menſis Februarii ſola ibidem remanente, omnes aliæ aliorum menſium Præpoſituræ hujuſmodi, pridem Apoſtolica auctoritate perpetuò ſuppreſſæ & extinctæ, illarumque fructus, redditus, & proventus, prædictæ menſæ Capitulari dicta auctoritate etiam perpetuò applicati, & approbati fuerint, ac ex fructuum, reddit
uum, & proventuum menſæ hujuſmodi augmento ipſius Eccleſiæ Valent. Canonici decentem eorum gradum commodè ſuſtinere poſſint.

§.2. Univerſitas verò Studii generalis Valentin. à fel. rec. Alex. Papa VI. prædeceſſore noſtro, ad quarumcumque perſonarum, tam Eccleſiaſticarum quàm ſæcularium, in Theologia, utriuſque juris prudentia, Medicina, & Artibus liberalibus, ac quibuſvis aliis licitis facultatibus inſtructionem & profectum inſtituta, propter illius redditũum & proventuum quingentorum ducat. auri de Cam. ſecundum comm.expen. valor. annuum non excedentium tenuitatem, tantis neceſſitatibus & anguſtiis premitur, ut neque competentem mercedem ſingularum facultatum hujuſmodi lectoribus præſtare, nec multorũ aliorum onerum illi jugiter incumbentium gravitatem ſuſtinere poſſit, & exinde utriuſque juris prudĕtiæ lectiones ibidem ſaltem ex profeſſo, hactenus haberi commodè non potuerint, illiuſque Regni indigenæ, harum uſu & commodo deſtituti, deſideratos in hujuſmodi facultatum ſtudiis progreſſus conſequi nequeant, vel pro illis capeſſendis ad alias longinquas & remotas Studiorũ generalium univerſitates, non ſine magno perſonarum ac rerum ſuarum incommodo & diſpendio ſe transferre cogantur, quin etiã in univerſo Regno Valentiæ, quod præ cæteris Hiſpaniarum Regnis, Maurorum noviter ad fidẽ converſorum multitudine refertũ, ac ſpectatæ fidei & doctrinæ virorũ copia, pro ipſis Mauris & infidelibus ad Religionis & fidei Catholicæ cultum convertendis, ac converſis in eadem religione & fide inſtruendis & confirmandis, maximè indigere dignoſcitur, nullum Seminarium à locorum Ordinariis, juxta formam Conc. Trid. hucuſque inſtitutum exiſtat, ſi dicta Præpoſitura menſis Febr. quæ nullum ampliùs ibidem ſervitium, aut obſequium requirit, perpetuò ſupprimeretur & extingueretur, ac ex illius ſic ſuppreſſæ & extinctæ fructibus, redditibus, & proventibus decem & octo aliæ Præpoſituræ in eadem Eccleſia Valent.pro totidem Præpoſitis Cathedraticis nuncupandis, qui apud eandem Eccleſiam Valentin. reſiderent, ac in illius Choro Miſſarum ſolemnibus & aliis divinis officiis aſſiſterent, quorumque ſex Theologiam, & alii ſex Canonica, reliqui autem ſex civilia jura inibi in totidem publicis d.Univerſitatis Cathedris, eis ad id aſſignandis, pro una videlicet matutinis, altera verò partibus Præpoſitorũ hujuſmodi pomeridianis horis legere & interpretari teneantur, ex hoc profectò nedum ipſius Eccleſiæ Valent. dignitati & decori, ac divini cultus, miniſtrorumque & beneficiorum Eccleſiaſticorum in ea augmento conſuleretur, verùm etiam in ipſa Univerſitate literarum ſtudia peramplius propagarentur, ac doctiſſimorũ, & in hujuſmodi facultatibus exercitatiſſimorum virorũ concurſus, pro ipſis lectionibus habendis, in dies major fieret, eorumque opera, eruditione, & doctrina, tam dicti Regni Indigenæ in patrio ſolo, abſque longo peregrinationis labore, quàm undecumque advenientes, ibidem tanquam uberrimo ſacrarum, ac aliarum optimarum ſcientiarum Seminario in Theologiæ, & utriuſque juris prudentiæ facultatibus hujuſmodi, inſtrui & edoceri, ſeque in illis exercere, ac tandem emeritos gradus & honores conſequi, necnon Reipub. decori & ornamento, ſibique & aliis utiles eſſe poſſent.

*Civitas ergo Valentin. ſupplicat pro conceſſione d.Præpoſituræ, pro Lectoribus dicti Studii, &c.*

§.3. Quare pro parte Conſulum juratorum, Rationalis, & Syndici præfatorum aſſerentium, Univerſitatem prædictam eorum cura & gubernio maximè dirigi, ac illius Profeſſorum, Lectorum, Præceptorum, Bidellorum, aliorumque officialium & miniſtrorum electionem & deputationem, necnon publicarum Cathedrarum hujuſmodi, ac ſalariorum & mercedum aſſignationem, atque diſtributionem, ad ſe & nonnullos alios de ipſorum conſilio exiſtentes, pertinere, ac dictæ Præpoſituræ menſis Febr. fructus, redditus, & proventus, qui omnes pro una, videlicet Petro Ludovico Galcerando, etiam de Borja, Magiſtro militiæ S. Mariæ de Monteſa, & S. Georgii Ciſterc.Ord. in d.Regno Valentiæ inſtitutæ, pro altera verò illorum medietatibus Joan.ſimiliter de Borja, Præceptori præceptoriæ majoris d.Militiæ, ipſius Petri Ludovici nato, ex diſpenſatione Apoſtolica; necnon ſuper eiſdem penſio annua ducentorum ducat. auri de Camera Petro Ferra pariter de Borja Clerico, dilectis filiis, illos & illam annuatim percipientibus d.auctoritate reſervati exiſtunt, quatuor millium & quadringentorum ducat. auri ſimilium ſe ext.prædictam val.ann.non excedere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus præmiſſis ac aliis infraſcriptis annuere, & deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic ideo Pont. petita concedit.*

§.4. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum an.val.ſc.ext. præfatam, etiã beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſẽper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique hodie reſervationẽ medietatis fructuũ, reddituum, & proventuum Petr.Ludou.factã hujuſmodi, quoad ſummam quingentarum librarũ monetæ Valent. dumtaxat eadem reſervatione, quoad reliquã partem medietatis fructuum hujuſmodi, ipſi Petr. Ludov. ſalva & illæſa remanente, ejuſdem Petr. Ludou. ad hoc expreſſo accedente conſenſu, caſſari & extingui, caſſamque & extinctam fore & eſſe decerni, ac prædicto Thom. partem fructuum, reddituum. & proventuum ſuppreſſæ Præpoſituræ menſis Febr. hujuſmodi caſſatæ ſimilem, quæ ad valorem annuum dictarum quingentarum librarum aſcenderet, ex tunc, ita tamen quod omnes & quæcumque aliæ aſſignationes ſibi per d. Petr. Ludov. ex hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus, hactenus quomodolibet factæ, etiam caſſæ & extinctæ eſſent, & eſſe cenſerentur, nec d. Thomas quicquam ultra quingentas libras hujuſmodi à Petro Ludovico & Joan.prædictis, ex fructibus, redditibus, & proventibus eis reſervatis hujuſmodi, quovis etiam alimentorũ vel congruæ ſuſtentationis prætextu prætendere, ac hujuſmodi partem, quæ ad ſummam quingentarum librarum ſimilium dumtaxat aſcenderet, ſimul vel ſucceſſivè, in toto vel in parte, in d.Curia vel extra eam, etiam in mortis articulo, vel alias quandocumque ſibi placeret, etiam abſque aliqua literarum Apoſtolicarum deſuper conficiendarum, ac præſentium inſinuatione, vel præſentatione, in unam vel plures perſonas Eccleſiaſticas, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentes & expectantes, per eundem Thomam nominandas, abſque Præpoſitorum Cathedraticorum prædictorum vel quorumvis aliorum deſuper præſtando vel requirendo conſenſu, transferre valeret, reſervari, concedi & aſſignari, necnon Conſulibus, Juratis, Rationali, & Syndico prædictis, omnes & ſingulas expenſas in ſupplicationis per nos ſuper præſentibus gratiis ſignatæ, ac deſuper conficiendarum, & præſentium literarum expeditione pro tẽpore factas, cujuſcumque ſummæ & quantitatis forent, abſque eo quod quicquam à Thom. & Petro Ludovico, ac Joan. & Petro Ferr.prædictis repetere poſſent, ſolvẽdi & præſtandi licentiam elargiri conceſſimus. Cõſules, Juratos, Rationalem & Syndicum prædictos, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti

terdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictã Præpoſituram menſis Febr. quæ inibi beneficium, ſeu officium ſimplex, aut perſonatus vel adminiſtratio exiſtit, & perſonalem reſidentiam non requirit, ſive præmiſſo ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem d. Thomæ, vel cujuſvis alterius de illa in Rom. Curia vel extra eam, etiã coram notario publico & teſtibus ſpontè factam, aut aſſecutionẽ alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem Apoſt. legitimè devoluta, ipſaque Præpoſitura menſis Febr. diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, d. Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſupprimimus & extinguimus, ac illius & aliarum ſuppreſſarum Præpoſiturarum prædictarũ loco in d. Eccleſia Valent. decem & octo alias Præpoſituras, quæ ibidem ſimplicia officia, ſeu beneficia exiſtant, ac etiã per Canonicos d. Eccleſiæ, ſeu dignitates, aut Capellanias, vel alia ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica ibidem obtinẽtes, etiam unà cum ipſius Eccleſiæ Valent. Canonicatibus & præbendis, ſeu dignitatibus vel Capellaniis, aut aliis beneficiis hujuſmodi abſque diſpẽſatione Apoſtolica obtinere poſſint, pro totidem Præpoſitis, ſex videlicet primariis, & ſex ſecundariis, ac reliquis ſex tertiariis Cathedraticis nũcupandis, qui habitum & inſignia per olim Præpoſitos menſium hujuſmodi deferri ſolita geſtare & deferre, ac ad illorum inſtar ſtallum in Choro, necnon locum in proceſſionibus cæteriſque actibus publicis & privatis omnibus & quibuſcumque, non tamen capitularibus dictę Eccleſiæ Valent. immediatè poſt illius Canonicos, juxta ordinem ad id eis præſcribendũ habere, necnon apud d. Eccleſiam Valent. reſidendo, & divinis officiis intereſſendo, omnibus & ſingulis diſtributionibus quotidianis, tam diurnis quàm nocturnis, aliiſque juribus, obventionibus, & emolumentis, in quibuſcumque rebus conſiſtentibus, & quocumque nomine nuncupatis (non tamen ex fructibus, redditibus, & proventibus aliarum undecim Præpoſiturarum hujuſmodi prædictæ menſæ Capitulari applicatis & appropriatis provenientibus) necnõ privilegiis, indultis, facultatibus, honoribus, præeminentiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, cæteriſque gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus Præpoſiti menſium hujuſmodi, qui pro tempore fuerint, ratione dictarum Præpoſiturarum ſuppreſſarum, apud ipſam Eccleſiam Valent. reſidendo, & divinis officiis intereſſendo, frui, potiri, & gaudere poterant & debebant, pariformiter, & abſque ulla prorſus differentia uti, potiri, & gaudere poſſint & debeant. Et quorum ſex in primis, & alii ſex in ſecundis, ac reliqui ſex in tertiis ſingularum facultatum Theologiæ, & utriuſque juris prudentiæ hujuſmodi Cathedris eis ad id aſſignandis eaſdem facultates, pro una videlicet matutinis, altera verò medietatibus decem & octo Præpoſitorũ hujuſmodi pomeridianis horis, publicè legere & interpretari teneantur auctoritate, & tenore præfatis etiã perpetuò erigimus & inſtituimus. Illiſque ſic erectis, & inſtitutis, pro earum dote, ac illas pro tempore obtinentium ſuſtentatione, omnia, & ſingula fructus, redditus, proventus, jura, obven. & emolumenta ſuppreſſæ Præpoſituræ menſis Febr. hujuſmodi, per dilectos filios Capitulum d. Eccleſiæ Valentin. inter Præpoſitos Cathedraticos præfatos tantummodo, & forma infraſcriptis diſtribuenda & repartienda, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuo applicamus & appropriamus. Quodque omnia & ſingula fructus, redditus, proven. jura, obven. & emolumenta ſuppreſſæ Præpoſituræ menſis Febr. hujuſmodi, deductis prius illius oneribus quibuſcumque, & ſalvis omnibus ſupradictis, in duodecim æquales partes, ac ex eis quinque inter primarios, & aliæ quatuor inter ſecundarios, ac reliquæ tres partes hujuſmodi inter tertiarios Præpoſitos Cathedraticos præfatos proportionabiliter à prædictis Capitulo, ſingulo quoque quadrimeſtri, ut præfertur, dividi & repartiri debeant. Ita tamen, quod eorum ſinguli pro cujuſque lectionis ſibi incumbentis omiſſione, legitimo impedimento ceſſante, ratam partem portionis, quæ illius ratione facto juſto calculo, alias ad ipſos pertineret, omnino amittant, illaque per Cenſorem ſeu Punctatorem ad id pro tempore deputatum retineri, ac pro una Rectori Univerſitatis, & alia ipſi Cenſori ſeu Punctatori, reliqua verò partibus Confraternitati pauperũ Scholariũ d. Univerſitatis irremiſſibiliter applicari debeat. Si verò Rector, aut Cenſor, ſeu Punctator præfati ratam partem eos tangentem acceptare recuſaverint, eadem dictæ Confraternitati cedat.

§. 5. Et quia ſingulis trienniis unus ex Lectoribus Cathedraticis d. Univerſitatis in illius Rectorem per Conſules Juratos, Rationalem, & Syndicum, ac nonnullos alios de eorum conſilio exiſtentes præfatos hactenus eligi conſuevit, & ex longo rerum uſu compertum ſit non expedire, ut dictus Rector à gremio Lectorum Cathedraticorum hujuſmododi aſſumatur, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, pro tempore exiſtentes Conſules Jurati, Rationalis, Syndicus præfati, & alii ad quos electio hujuſmodi pertinet, unum ex Canonicis d. Eccleſiæ Valentin. ſeu aliquam illius Dignitatum obtinentibus, non tamen de gremio Præpoſitorum Cathedraticorum præfatorum exiſtentibus, in Rectorem ejuſdem Univerſitatis de triennio in triennium, cum omnibus & ſingulis honoribus, favoribus, gratiis, prærogatibus, præeminentiis, facultatibus, juriſdictionibus, libertativis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, oneribus, & emolumentis pro tempore exiſtenti Rectori d. Univerſitatis de jure vel conſuetudine, aut ex privilegio, tam Apoſtolica, quàm Imperiali, & Regia auctoritatibus conceſſo, aut alias competentibus & competituris, eligere debeant, ipſeque ſic electus triennio ſui Rectoratus elapſo, in eo continuari ſeu confirmari, aut ad aliud triennium immediatè ſubſequens iterum eligi nullatenus poſſit. Rectoris dii eliga formam ſcribit.

§. 6. Quodque omnes, & ſingulæ Præpoſituræ præfatæ tam hac primavice à primæva erectione hujuſmodi, quàm deinceps, quoties illas & earum quamlibet per ceſſum etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem, aut privationem pro tẽpore exiſtentium Præpoſitorum Cathedraticorum præfatorum, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem præfatam, ac etiam in aliquo ex menſibus in quibus vacantium officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio, & quævis alia diſpoſitio nobis, & dictæ Sedi etiam per conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ regulas reſervata exiſtit, ſeu pro tempore fuerit, aut etiam Ordinariis collatoribus per eaſdem conſtitutiones ſeu regulas, vel literas alternativarum, aut alia privilegia & indulta conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis, ſimul vel ſucceſſivè vacare contigerit, ſex primarum, & ſex ſecundarum, ac ſex tertiarum Cathedrarum Theologiæ, & utriuſque Juris prudentiæ, hujuſmodi lectoribus per Conſules Juratos, ac Rationalem, & Syndicum, necnon alios ad quos electio & deputatio eorundem pertinet, prævio diligenti & rigoroſo examine, ac alias juxta ipſius Univerſitatis inſtituta, & laudabiles conſuetudines eligendis & deputandis, perpetuò affectæ ſint, & eſſe cenſeantur: ac illis nominationem, & electionem Conſulum Juratorum, Rationalis, & Syndici, ac aliorum intervenire debentium, & ſolitorum præfatorum ſine aliquo obſtaculo, ac omni impedimento & tergiverſatione ceſſante (poſtquam in ejus manibus Catholicæ fidei profeſſionem, juxta articulos pridem à Sede præfata propoſitos expreſſe emiſerint) conferantur, & aſſignentur, ac conferri & aſſignari debeant, nec duæ ex eis per unum inſimul ullatenus obtineri debeant. Quodque ſingulæ Præpoſituræ hujuſmodi ſub nullis ſpecialibus vel generalibus, etiam mentalibus, reſervationibus, affectionibus etiam in corpore Juris clauſis, necnon expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, aut aliàs diſponendo, Colla[...] etiam [...] turum [...] modum [...] nit.

vel

vel aliis gratiis præventivis, per nos aut prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, & dictam Sedem, vel ejus Legatos etiam conſideratione, & intuitu, ac contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, ac etiam S.R.E. Cardinalium vel aliorum Principum, & ex quacumque cauſa quantumlibet urgenti pro tempore factis, comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ulla alia ratione, generaliter vel ſpecialiter revelari, nec illorum vacatione per reſignationem etiam ex cauſa permutationis, etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per nos aut pro tempore exiſtentem Rom. Pont. vel Sedem hujuſmodi de illis provideri, aut alias quoquo modo diſponi poſſit, & quæcumque collationes, proviſiones, commendæ, & aliæ diſpoſitiones, quas ex nunc de cætero de Præpoſituris præfatis quibuſvis perſonis alias quam per dictum Rectorem, ad nominationem & electionem Conſulum Juratorum, Rationalis, Syndici ac aliorum jus nominandi & eligendi hujuſmodi habentium, quovis modo etiam per Sedem præfatam fieri contigerit, nullæ, & invalidæ, nulliuſque roboris & momenti ſint, & eſſe cenſeantur, ac pro nullis, & infectis habeantur, nec cuiquam jus ſeu etiam coloratum poſſidendi titulum tribuant. Ad hæc nullus omnino Præpoſitorum præfatorum Præpoſituram per eum pro tempore obtentam in alterius quam dicti Rectoris manibus, & id quidem libere reſignare, aut dimittere, ſeu juri ſibi in eis vel ad illas competēti cedere, nec reſervationi fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, aut quotidianarum diſtributionum ejuſdem Præpoſituræ, ſeu alicujus partis eorum, aut penſionis annuæ ſuper eiſdem conſentire poſſit. Et quicumque ex ipſis Præpoſitis per tres menſes continuos à legendi munere ſibi pro tempore incumbente, legitimo ceſſante impedimento, per Rectorem, Conſules Juratos, Rationalem, & Syndicum prædictos approbando ceſſaverit, ex tunc dictis tribus mēſibus elapſis, Cathedra ſibi aſſignata, & illi affecta Præpoſitura ipſo jure & facto, abſque alia declaratione perpetuo privatus ſit, & eſſe cenſeatur: indeque ſine ſpolii, & attentatorum vitio amoveri, ac Conſules Jurati, Rationalis, & Syndicus cum cæteris in electione intervenire ſolitis, alium in illius ſic privati & amoti locum, ad Cathedram hujuſmodi prævio examine, ac alias modo & forma præmiſſis eligere & deputare, Rector verò prædictus ſic electo & deputato Præpoſituram eidem Cathedræ affectam, tanquam per privationem & amotionem hujuſmodi vacantem, nullo alio facto examine, omnique exceptione & tergiverſatione ceſſante, conferre, & de illa etiam providere, ipſumque in corporalem poſſeſſionē Cathedræ, & illi affectæ Præpoſituræ hujuſmodi, juriumque & pertinen. ſuorū quorumcumque inducere debeat. Quodque ſinguli Præpoſiti prædicti intra ſex menſes à die habitæ per eos poſſeſſionis ſuæ cujuſque Præpoſituræ, duodecim ad minus concluſiones earum facultatum quas lecturi ſunt, corā loci Ordinario, tanquam ejuſdem Univerſitatis Cancellario à Sede prædicta deputato, ac prædictis Capitulo tueri teneantur, alioquin eiſdem ſex menſibus elapſis, omnibus inſignibus ipſis ratione ſuarum Præpoſiturarum hujuſmodi competentibus donec, & quouſque eaſdem concluſiones, ut præfertur, ſuſtinuerint deſtituti remaneant.

*[...]rum ad-[...]ſinis for-[...] ponit.*

§.7. Cæterum ut virtutis æmulatione majores fructus & progreſſus ibidem proveniant, ac cognitæ & ſpectatæ cujuſque doctrinæ convenientia præmia conferantur, quilibet Præpoſitorum prædictorum de inferiori ad ſuperiorem Cathedram, per mutuum concurſum, ſingulo quoque triennio admitti, & ſi rigoroſo examine prævio, magis idoneus repertus fuerit, ad ſuperiorē Cathedram hujuſmodi aſcendere, & eo caſu præpoſituram eidem ſuperiori Cathedræ affectam, tāquam ipſo jure & facto vacantem conſequi, alter vero evictus ad aliam ſibi adjudicandā Cathedram & illi affectam præpoſituram tranſire debeat. Singuli quoque Præpoſiti Cathedratici præfati, examini eorum qui ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magiſterii gradus, in ſua cujuſque facultate pro tempore promovebūtur, intervenire poſſint, ac eandem portionem ex emolumentis inde provenientibus, quam ſinguli alii examinatores, percipere debeant.

*[illegible] diſtributiones quotidianas pro tempore quo legunt, [illegible].*

§.8. Et tam ipſi Præpoſiti quàm dictus Rector, omnibus illis horis, & temporibus, quibus ſuis officiis, & functionibus vacabunt, aut Scholarium diſputationibus, examinibus, promotionibus, aliiſque actibus publicis ſuæ cujuſque facultatis, & profeſſionis aſſiſtent, & intervenient, ad reſidendum in d. Eccleſia Valent. & illius Choro, ac intereſſendum divinis officiis minimè teneantur, & nihilominus diſtributiones quotidianas percipiant & lucrentur cum ea integritate, qua illas perciperent, & lucrarentur, ſi ſtatutis horis & temporibus hujuſmodi in ipſa Eccleſia Valent. & in illius Choro reſiderent & divinis officiis intereſſent.

*Lectoris munus circa lites, & prædicationes.*

§.9. Qui vero Præpoſituras primarum Cathedrarum hujuſmodi pro tempore obtinuerint, quando & quoties à præfatis Capitulo requiſiti fuerint, in omnibus, & ſingulis litibus, cauſis, & negotiis Eccleſiæ Valent. illiuſque Capituli hujuſmodi, tam cōjunctim quàm diviſim, (non tamen contra Univerſitatem Studii generalis, ac Communitatem, & Rempublicam Civitatis Valent. hujuſmodi) advocare, & patrocinari, ac conſilium, & operam fideliter præſtare, Theologi verò verbum Dei in ipſa Eccleſia Valent. prædicare, & concionari gratis, & abſque ulla prorſus mercede debeant, & teneantur, auctoritate, & tenore ſimilibus pariter perpetuo ſtatuimus, & ordinamus.

*Archiepiſcopo & aliis dat facultatem condendi ſtatuta circa Lectorum ſervitia, &c.*

§.10. Necnon pro tempore exiſtentibus Archiepiſcopo Valent. tanquam Cancellario ſeu ejus Vicario, ac Rectori Univerſitatis, necnon Juratis Conſulibus, Rationali, & Syndico Civitatis Valent. cæteriſque jus eligendi hujuſmodi habentibus, ut vocatis, & adhibitis ſecum aliquibus d. Eccleſiæ Valent. Canonicis, literarum ſcientia ac rerum uſu præditis, quos ad hoc duxerint eligendos, ac alias juxta facultatem eis à præfato Alexandro prædeceſſore conceſſam, quæcumque alia ſtatuta, ordinationes, & decreta, ad electionem, deputationem, qualitates, onera, & ſervitia Lectorum Cathedraticorum hujuſmodi pertinentia, ac alias in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Trid. decretis non contraria condere, eaque poſtquam condita fuerint, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, mutare, corrigere, reformare, alterare, moderari, interpretari, ac in toto vel parte revocare, atque alia de novo edere, liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore præfatis de ſpeciali gratia indulgemus.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§.11. Decernentes præmiſſa omnia, necnon præſentes literas, nullo unquam tempore, etiam ex eo quod cauſæ propter quas emanarunt, coram Ordinario loci, etiam tanquam Sedis præfatæ delegato, vel alibi examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac ad id intereſſe habentes vocati non fuerint, neque ipſi illis conſenſerint, aut alio quocumque prætextu, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus vel controverſiam revocari, aut adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, nec ſub quibuſvis unionum, annexionum, incorporationum, ſuppreſſionum, extinctionum, ſeparationum, diſmembrationum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non ſortitarum, aliarumque ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos ſeu alios Rom. Pont. ſucceſſores noſtros, aut Sedem hujuſmodi, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis pro tempore factis, etiamſi de eiſdem præſentibus, ac earum toto tenore & data ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio fiat, comprehendi, ſed tanquam in fidei Catholicæ, & divini cultus favorem, ac publicam utilitatem & ſalutem conceſſa, ſemper valida & efficacia fore, ac quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea erant ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata, ac de novo, etiam ſub data per Conſules Juratos, Rationalem, & Syndicum præfatos, eorumque ſucceſſores, ac alios, quos ipſæ præſentes literæ concernunt in futurum, eligenda, conceſſa eſſe.

*Clauſulas ſublata v... addit.*

§. 12. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum hujus conſtit. deputatio.*

§. 13. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Valentin. & Epiſcopo Oriolen. ac dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Valentin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore exiſtentium Conſulum Juratorum, Rationalis, & Syndici, ac Præpoſitorũ prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ipſoſque Conſules Juratos, Rationalem, & Syndicum, ac Præpoſitos pro tempore exiſtentes, cæteroſque omnes, quos eædem præſentes quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, illis omnibus & ſingulis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, vel quempiam ex ipſis deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiã ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulas contrariorum derogatorias ſubdit.*

§. 14. Non obſtantibus priori voluntate noſtra, & aliis præmiſſis, ac Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis: necnon piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, etiam illa qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatẽ, vel diœc. niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœc. ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede præfata deputati extra Civitatem, vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Eccleſiæ Valent. & Univerſitatis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, ac ipſius Eccleſiæ Valent. Præſuli, pro tempore exiſtenti, necnon Capitulo, Rectoribus, Cõſulibus Juratis, Rationali, & Syndico prædictis, ac quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque ten. & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum inſtantiam, ſeu etiam proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus cõtrariis quibuſcumque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de officiis d. Eccleſiæ Valent. ſpeciales, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidẽ literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque, ad dictam Præpoſituram menſis Febr. volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem officiorum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis ten. habenda ſit de verbo ad verbum in noſtris literis mentio ſpecialis, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadẽ ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. 3. Kal. Novemb. Pont. noſtri anno 1. *Dat. P. A... die 30. O...*

*Anno Incarnationis Dominicæ 1585. die 31. Octobris, Retroſcripti Thomas, per Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Petrum Card. de Deza nuncupatum, reſignationi ad effectum ſuppreſſionis erectionum, & applicationis retroſcriptarum, & Conſules Iurati, Rationalis, & Syndicus Civitatis Valentiæ, per Ioan. Baptiſtam Vives, eorum reſpectivè Procuratores, ac litterarum expeditioni conſenſerunt, &c.* *Publicat...*

*Pro Paride Doria Joan. Baptiſta Zianus.*

---

## Ampliatio Collegii ſeptem Notariorum Sedis Apoſtolicæ antiquitus inſtituti, ad numerum duodecim, cum gratiarum & privilegiorum extenſione pro ipſis ſeptem Notariis. XII...

*Hi Notarii, Protonotarii nuncupantur, ut ſup. in conſt. 4. Pii II.* Cum ſervare, *ubi de ipſorum & Epiſcoporum præcedentia definitio habetur.*

Prædictis ſeptem Notariis hic idem Pontifex exemptionem à gabella pro ſex doliis vini elargitus eſt in alio ſpeciali diplomate ſub die 22. Februarii 1586. expedito, quod hic inſerere conſulto prætermiſi.

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A... 1585.*

*Prœmiu...*

ROmanus Pontifex Chriſti Vicarius, uti prudens paterfamilias providere animadvertens in agro Dominico multam meſſem eſſe, ut opus Domini rectè & ſine confuſione adimpleatur, ſingulis curas partitur, & officia diſtribuit, & ea nonnunquam pro felici ipſius agricultura & directione adauget, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

*Collegium Protonotariorum inſti... fuit ad ... Eccleſiæ ... ſcriben...*

§. 1. Hinc eſt quod Nos volentes Collegium Notariorum Sedis Apoſtolicæ de numero participantium, quod olim per felic. record. Clementem I. Antherum etiam I. & Julium ſimiliter I. prædeceſſores noſtros, ad res Martyrum, & quæcumque ad Eccleſiam pertinerent fideliter deſcribenda, & deſcripta Scriniis Eccleſiæ recondenda inſtitutum, ordinatum, & deſtinatum fuit, ad Romanæ Eccleſiæ decorem, & ornamentum (ut par eſt augere) dictis, & aliis rationalibus de cauſis animum noſtrum moventibus.

*Quod ... Pontif. ... extendit ... 12.*

§. 2. Ultra ſeptem Notariorum de numero participantium officia ad præſens in d. Collegio exiſtentia, quinque alia ſimilia officia, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus pro duodecim Notariis. Ita quod deinceps quinque alii viri per Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pont. eidem Collegio Notariorum adſcribendi, & deputandi, unà cum ex nunc exiſtentibus Notariis unum corpus, Collegium integrum, & indiſtinctum conſtituant, & efficiant, & duodecim officia pro duodecim Notariis, omni prorſus inter eos ſublata differentia, omnino ſimilia & æqualia, in omnibus & per omnia, ejuſdemque juris, poteſtatis, juriſdictionis & auctoritatis exiſtant.

*Omne... iiſdem ... & pri... pariſ... exornat.*

§. 3. Ipſumque Collegium ſic auctum & inſtitutum, & in unum corpus prorſus redactum; & duodecim Notarii prædicti pro tempore exiſtentes, eiſdem privilegiis, exemptio

exemptionibus, facultatibus, prærogativis, & gratiis quibuſcumque ubique indifferenter potiantur, utantur, & gaudeant, quibus antea ipſum Collegium, & ſeptem illius Notarii quovis modo, conjunctim, vel ſeparatim potiebantur, utebantur, & gaudebant, necnon redditus, proventus, emolumenta, & omnia alia ſingula, tam ex communi miſſa, quàm alibi quocumque tempore debita, & debenda, ordinaria, extraordinaria æqualiter percipiant, ac munera, functiones, & officia, tam publica, quàm privata ſemper ſortiantur, & obtineant, exerceant, & aſſequantur, prout priùs ante auctionem ad duodenarium numerum hujuſmodi Collegium ipſum, & illius ſeptem Notarii habebant, percipiebant, & obtinebant, perinde ac ſi à principio Collegium prædictum ſic auctum, ac cum antiquo confuſum, unitum, & incorporatum, & illius officia pro 12. Notariis inſtituta fuiſſent. Statuentes quod perpetuis futuris temporibus d. Collegium habeat duodecim Notariatuum officia inter ſe promiſcua, & confuſa, ita quod quinque Notarii eidem Collegio adſcribendi cum aliis ſeptem nunc exiſtentibus omnino pares, & æquales exiſtant, & nullum inter eos diſcrimen, neque differentia prioritatis, potioritatis, & antiquioritatis adſit, quo poſteriores à prioribus, vel alter ab altero diſcernantur, ita quod adveniente vacatione, ſive antiquorum, ſive augmentatorum, ſemper in ſupplicatione exprimatur quod unum duodecim ex officiis Notariorum vacat, alioquin Notarii nequaquam admittere teneantur.

§. 4. Et inſuper ut duodecim Notarii prædicti onera ſibi incumbentia ſupportare, & juxta ipſorum qualitatem, & dignitatem decentius ſe ſuſtentare valeant, providere volentes, redditum annuum mille nongentorum, & octoginta ſcut. monetæ ex fructibus, redditibus, & proventibus Dohanæ, & Theſaurariæ noſtri patrimonii, per pro tempore exiſtentem Dohanerium, & Theſaurarium ejuſdem patrimonii ſingulis menſibus pro rata maſſæ communi dicti Collegii perſolvendum, ita quod liceate idem Collegio, & duodecim illius Notariis poſthac, una cum aliis ipſius Collegii redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ibi hucuſque aſſignatis, ſeu in futurum aſſignandis, aut quovis modo proveniendis, illum percipere, exigere, & levare, ac inter eos æquis portionibus diſtribuere, & dividere, motu, & auctoritate ſimilibus perpetuò applicamus, illumque cum omnibus aliis redditibus, & emolumentis confundimus. In recompenſam vero d. annui redditus Dohanæ, & Theſaurariæ prædictis affictum, ſeu redditũ annuum terræ noſtræ Bladæ Viterbienſis diœc. qui eſt ſcut. mille centum, & octoginta, & alia octingenta ſcuta ſimilia ex reſiduo gabellæ civitatis noſtræ Spoletanæ, d. ſummam ſcutor. mille nongentorum, & octoginta conſtituentia, etiam pro majori ipſius Dohanerii, & Theſaurarii cautela perpetuò concedimus, & aſſignamus. Decernentes prædicta omnia, & ſingula ab omnibus ad quos ſpectat prorſus obſervari, & adimpleri debere, & præſentes literas vim validi, & efficacis contractus inter Sedem, & Cameram Apoſt. ac noſmetipſos, & ſucceſſores noſtros Rom. Pont. ex una, & Collegium, ac ſingulos duodecim Notarios hujuſmodi, illorumque ſucceſſores, vel cauſam ab eis habentes, ex altera partibus ſolemniter, & legitimè ſtipulati perpetuo obtinere, dictâque Cam. ad eoſdẽ Notarios omnes & ſingulos in juribus prædictis tuẽdos, & ab omni incommodo, læſione, lite, cauſa, & controverſia immunes, indemnes, & exemptos conſervandos teneri, & obligatam eſſe.

§. 5. Et ſic per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper bis à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Et pro prædictis omnibus, & ſingulis firmiter obſervandis, & adimplendis, ac pro potiori Collegii duodecim Notariorum prædictorum, tam pro pecuniis, quas pro Cameræ, & Sedis prædictarum occurrentibus neceſſitatibus jam ſolverunt, & in poſterum ſolvent, quam pro fructibus, redditibus, & proventibus ſibi aſſignatis, quæ nunquam in ſortem principalem computari volumus, ac damnis, expenſis, & intereſſe paſſis, factis, patiendis, & faciendis, omnia & ſingula d. Cameræ bona mobilia, & immobilia, jura, actiones, & emolumenta, ac redditus, proventus, præſentia & futura, ita quod liceat propria ipſius Collegii auctoritate, nullo alio à Nobis, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice deſuper expectato mandato, licentia, ſeu decreto, dictorum bonorum, redditunm, ſeu proventuum pro dictis pecuniis, damnis, expẽſis, & intereſſe, poſſeſſionem capere, & retinere, Motu, & auctoritate ſimilibus obligamus, & hypothecamus.

*Executoris hujus Bullæ deputatio, & facultates.*

§. 7. Quocirca Venerabili fratri noſtro Alexandro Epiſcopo Oſtienſi Card. Farneſio nuncupato, ejuſdem S.R.E. Vicecancell. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, faciat quinque Notarios prædictos ſic auctos, ſi & poſtquam per Nos, aut pro tempore exiſtentem Romanum Pont. ad id deputati fuerint, ad quinque officia hujuſmodi adinſtar aliorum ſeptem Notariorum, abſque aliqua prorſus differentia, eorumque liberum exercitium, necnon honores, onera, ſalaria, & emolumenta, juxta præſentium tenorem, & continentiam admitti, eiſque de emolumentis prædictis integrè reſponderi, ac eaſdem præſentes literas ab omnibus ad quos ſpectat in futurum, inviolabiliter obſervari. Non permittens Collegium, & duodecim Notarios prædictos, ſeu eorum aliquem, à quoquam deſuper moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuras, & alias de quibus ei videbitur pœnas compeſcendo, adhibito etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula contrariorum derogatoria.*

§. 8. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac noſtræ Cancellariæ regula de non tollendo jure quæſito, necnon Cameræ, & Collegii prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis Cameræ, Collegio, & Notariis prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorũque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficiẽter expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcũque.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A. 1. die 16. Nov.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. 16. Kal. Decemb. Pont. noſtri anno 1.

*Admiſſio in Cam. Apoſt.*

*Die 15. Ianuarii 1580. Ex decreto in Cam. Apoſt. facto admiſſa, & regiſtrata fuerunt prainſerta Litera Apoſtolica.*

*Andreas Martini.*

## *Sequuntur Privilegia pro ſupradictis ſeptem Notariis antiquioribus.*

*Edita An. D. 1585.*

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

LAudabilis Sedis Apoſt. rectitudo, quæ in ſuis actibus provida circumſpectione dirigitur, non immeritò eos gratia, & favore proſequitur, quos ſibi operoſæ eorum diligentiæ ſtudium continuo impendere cognoſcit, ac ea quæ illis per prædictam Sedem conceſſa fuiſſe dicuntur, ut firmiora perſiſtant, Romanus Pontifex in eadem Sede conſtitutus libenter approbat, & confirmat, aliaſque deſuper diſponit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Collegium 7. Notariorum Sedis Apoſt. alias inſtitutum fuit.*

§. 1. Sanè cum ſicut accepimus Collegium ſeptem Notariorũ de numero participantium nuncupatorum, olim per fel. rec. Clem. I. Antherum etiam I. & Julium ſimiliter I. Rom. Pont. prædeceſſores noſtros ad martyrum geſta, & quæcumque ad Romanam Eccleſiam pertinerent fideliter deſcribenda, & deſcripta recondenda, ordinatum, & inſtitutum fuerit, ipſiſque in ſeptem Urbis regionibus diviſis, tam à prædictis, quàm aliis Romanis

Pontificibus, etiam prædeceſſoribus noſtris, ut creditur, quamplurima privilegia, honores, gratiæ, præeminentiæ, & prærogativæ conceſſa fuerint, ipſique Notarii abinde citra, omnibus Romanis Pontificibus præfatis, tam in eorum capella, quàm in aliis publicis locis, ubi iidem Pontifices interfuerint, uti illorum Prælati domeſtici inſervierint, & ad diverſas legationes, & officia miſſi, illa laudabiliter exercuerint.

*Cui hic Pont. confirmat emolumenta, & privilegia aliàs conceſſa.*

§. 2. Propterea non ſolùm prædictum Collegium in ſua antiquitate, & nobilitate, ut par eſt, conſervare, ſed etiam majoribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, *Motu proprio, non ad dictorum* Notariorum, ſeu alicujus eorum, vel etiam alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra liberalitate Collegio hujuſmodi, eiſdemque ſeptem Notariis nunc, & pro tempore exiſtentibus, & eorum cuilibet omnia, & ſingula privilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, favores, facultates, præeminentias, decreta, declarationes, & indulta quæcumque, per quoſcumque Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros ipſi Collegio, & illius Notariis conceſſa, quatenus ſint in uſu, & Concilii Tridentini decretis minimè contraria, nec ſub ullis revocationibus comprehenſa, necnon omnia, & ſingula redditus, jura, emolumenta quæcumque d. Collegii per ipſos ſeptem Notarios hucuſque habita, & percipi ſolita, ſicuti ea juſtè, & pacificè poſſident, Apoſt. auctoritate tenore præſentium confirmamus, illaque eis de novo concedimus, & innovamus.

*Doctorandique facultatem concedit.*

§. 3. Ac nunc, & pro tempore exiſtentibus Notariis de dicto numero, & eorum cuilibet, quoſcumque qui in Jure canonico, & civili, ſeu altero eorum per diligentem examinationē per ſe adhibitam, & aſſumptis ſecum duobus, aut tribus illius ſcientiæ, & facultatis Doctoribus, ſciētia, & moribus idonei, & ſufficientes fuerint, in utroque, ſeu altero jurium hujuſmodi; quos verò in Theologia, non tamen alicujus Ordinis regulares, ſeu artibus, vel medicina, aut alia licita facultate ſtuduiſſe, ac per ſimilem examinationem duorum, aut trium, & per eos eligendorum Doctorum, ſeu Magiſtrorum facultatis in qua ſtuduerunt, coram eis, vel aliquo eorum habendam ad Magiſtrorum, ſeu Doctorum eorundem atteſtationem eis faciendam peritos, ac ſcientia, & moribus præfatis, ad hoc idoneos, & ſufficientes eſſe repererint, de eorundem Doctorum, ſeu Magiſtrorum, quoad præmiſſa omnia conſilio, & aſſenſu in Theologia, ſeu artibus, vel medicina, aut alia licita facultate hujuſmodi ad Baccalariatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magiſterii gradus promovendi, & illis in eis legendi, & alios actus ad perſonas in hujuſmodi gradibus conſtitutas quomodolibet pertinentes faciendi, auctoritatem concedendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis, qui eiſdem auctoritatibus, facultatibus, & privilegiis, ac ſi hujuſmodi gradus in aliqua etiam famoſa Univerſitate ſuſcepiſſent, præterquam quoad habilitatem ad Cathedrales Eccleſ. utantur, & gaudeant conferendi.

*Notarios etiā creandi.*

§. 4. Notarioſque, & Tabelliones publicos creandi, ac creatos de Tabellionatus, & Notariatus officiis hujuſmodi per pennam, & calamare, ut moris eſt, recepto prius ab eis ſolito juramento, inveſtiendi.

*Spurios legitimandi ad ſucceſſionem bonorū etiam Eccleſ.*

§. 5. Cum ſpuriis, baſtardis, manſeribus, inceſtuoſis, & aliis ex quovis illicito, & damnato coïtu procreatis, ut in parentum, & aliorum bonis, tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, ſine tamen præjudicio venientium ab inteſtato, aut ex fideicommiſſo, vel alia de jure valida diſpoſitione, & citra bona emphyteutica, & feudalia, Eccleſiaſtica, aut ex fructibus, aliiſque rebus Eccleſiaſt. confecta, vel per Eccleſiam acquiſita, necnon derogationem conſtitutionis fel. rec. Pii Papæ V. ſimiliter prædeceſſoris noſtri in illegitimos emanatæ, ſuccedere, & quoſcumque actus legitimos exercere, & ad quoſvis honores, dignitates, & officia, publica, vel privata aſſumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, ac ſi de legitimo matrimonio procreati eſſent, liberè, & licitè valeant diſpenſandi.

*Statuta pro Collegio condendi.*

§. 6. Necnon ſtatuta, & ordinationes d. Collegii proſperum ſtatum concernentia condendi, & pro tempore condita reſtringendi, ampliandi, & quoties expedire videbitur, in totum, vel partem delendi, & alia de novo ordinandi, eaque ſub pecuniariis eidem Collegio applicandi, & aliis etiam ſuſpenſionis à perceptione emolumentorum diſtribuendorum arbitrio d. Collegii pœnis, per deputandos per ipſum Collegium exigendis, obſervari faciendi, auctoritate, & tenore præſentis tribuimus facultatem, & poteſtatem.

*Famil. Papæ, & Prælati domeſtici declarantur.*

§. 7. Eoſdemque Notarios de numero hujuſmodi veros, & indubitatos familiares, continuos commenſales, ac Prælatos domeſticos noſtros, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. exiſtere, eiſdemque privilegiis, & gratiis, quibus veri, & intimi familiares utuntur, potiuntur, & gaudent, necnon ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æque principaliter, *ſine ulla differentia* uti, potiri, & gaudere poſſe.

*Panem ... & locum Cavalc. habeant.*

§. 8. Ac illis panem honoris ejuſdem bonitatis, & qualitatis, prout eiſdem intimis familiaribus, & dilectis filiis Cam. Apoſt. Clericis dari conſuevit, dandum, ac ipſis, & eorum cuilibet, obitus, & coronationis Rom. Pontificis temporibus veſtes lugubres ratione obitus, & violaceas ratione Coronationis hujuſmodi aſſignandas eſſe, & in Cavalcatis Pontificalibus duos ex ipſis Notariis equitare cum mantellonibus immediatè poſt Prælatos aſſiſtentes, ſi voluerint, liberè poſſe decernimus.

*Literæ ... gratis ... expediuntur.*

§. 9. Eiſdemque Notariis pro tempore exiſtentibus, ut ſingulæ pro eorum quolibet literæ Apoſtolicæ, etiam ſub plumbo, ſuper omnibus, & ſingulis quorumcumque, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, vel quorumvis Ordinum regularium, beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiamſi Canonicatus, & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, & dignitates ipſæ in Cathedralibus, etiam Metropolitan. poſt Pontificales majores, vel Collegiatis, aut aliis Eccleſiis principales fuerint, & ad dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujuſmodi conſueverint qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ac etiam ipſarum Cathedralium, vel Metropolitan. aut Patriarchalium Eccleſiarum proviſionibus, commodis, ac fructuum, reddituum, & proventuum Eccleſiaſticorum, necnon penſionum annuarum ſuper eiſdem fructibus, redditibus, & proventibus, reſervationibus, & aliis gratiis, etiam per Cameram, vel Cancellariam Apoſtolicam gratis expedire poſſint, de ſpeciali gratia indulgemus.

*Emolum... hic aſſig... nu(n)quam ... diminua...*

§. 10. Et inſuper, quod pro ſingulis quarumcumque Cathedralium, Metropolitan. & Patriarchalium Eccleſiarum, necnon monaſteriorum, cæterorumque beneficiorum pro tempore facien. expeditionibus, quarum ratione taxa d. Collegio ſolvi ſolet, ſemper eidem Collegio jura prædicta omninò ſolvi debeant, ita quod in quibuſcumque gratiis, & mandatis à nobis, & pro tempore exiſtente Rom. Pont. emanandis, etiamſi per ea expeditiones hujuſmodi, ſive per Cameram, ſive per Cancellariam, aut viam ſecretam gratis ubique fieri conceſſum ſit, nihilominus jus ſemper integrum, & illæſum prædicto Collegio reſervatum eſſe cenſeatur, nec expeditio fieri poſſit, niſi priùs ſolutis juribus præfati Collegii, quodque nullo modo, nulloque tempore præmiſſis, quamquam per nos, & ſucceſſores noſtros prædictos ſpecialiter, & expreſſè ex quavis cauſa illis derogatum fuerit, derogatum eſſe prætendi valeat, quinimò jura ipſa dicto Collegio integrè, ut præfertur, ſolvi debeant, auctoritate, & tenore præmiſſis, etiam perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

*Licen... ferendi ... pro ipſis ... eorum ... liaribus.*

§. 11. Præterea eorundem ſeptem Notariorum, & cujuſlibet eorum conſanguineis, affinibus, & familiaribus continuis commenſalibus actu inſervientibus, quod quælibet arma, non tamen brevioris menſuræ, alias prohibita, tam per Urbem, quàm totum Statum Eccleſiaſticum hujuſmodi, abſque aliqua ſpeciali licentia deferre poſſint, quibuſvis prohibitionibus, & bannimentis nequaquam obſtantibus, à quibus ſemper exempti, & excepti ſint, & eſſe cenſeantur, ipſorumque liſtis deſuper dandis miniſtri juſtitiæ Urbis, & locorum ſtatus hujuſmodi credere, & acquieſcere debeant.

*Facult... ſtandi de acq... ex bon... cleſiaſti... proditi... bus mil...*

§. 12. Iiſdemque Notariis, & eorum cuilibet, ut de quibuſcumque eorum bonis, mobilibus, & immobilibus, per eos tam ex Eccleſiis, aut aliis beneficiis Eccleſiaſticis, & hoſpitalibus, vel aliis piis locis, cujuſvis etiam privilegiati Ordinis, ſeu Militiæ exiſtentibus, per eos obtētis,

ac

ac obtinendis, aut alias quomodolibet, licitè tamen acquiſitis, & acquirendis, etiamſi juxta piæ mem. Sixt. IV. Jul. II. Leonis X. & aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum deſuper expeditas literas immobilia bona non poſſederint, etiam in dicta Romana Curia, & extra eam teſtari, & de eis inter quaſcumque perſonas utriuſque ſexus, non tamen illegitimas, aut alias incapaces, gratis & abſque alicujus compoſitionis ſolutione diſponere, teſtari, codicillari, & ea etiam inter vivos erogare, concedere, & donare, ac teſtamenta, diſpoſitiones, & conceſſiones hujuſmodi, etiam dimiſſo Notariatus officio uſque ad ſummam duorum millium ducatorum auri de Camera, quoad bona Eccleſiaſtica, & aliis beneficiis prædictis acquiſita, facere, libere, & licitè valeant plenam, & liberam auctoritate & tenore prædictis concedimus licentiam, & facultatem.

*...ptio à ...ctione ...ariorū. ... dedit ... Leo X. ... cit.*

§. 13. Eoſdemque Notarios à quorumcumque Ordinariorum locorum, & illorum omnium judicum juriſdictione, poteſtate, ſuperioritate, & dominio, ita ut Ordinarii, & alii prædicti eorumque officiales, & Vicarii, ac quicumque alii Judices nullam in eos, etiam ratione delicti contracti, aut rei de qua agi contigerit, ſuperioritatem, poteſtatem, juriſdictionem, vel dominium valeant exercere, aut excommunicationis, vel alias ſententias, cenſuras, & pœnas proferre, niſi de noſtro, ſeu pro tempore Romani Pontificis mandato, ipſique in flagranti aliquo delicto deprehendantur, penitus eximimus, & totaliter liberamus, ac noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ juriſdictioni, & poteſtati dumtaxat immediatè ſubjicimus. Inhibentes locorum Ordinariis, & aliis cujuſcumque qualitatis, & dignitatis Judicibus, ne prædictos Notarios aliquo colore, vel cauſa, niſi de noſtro pro tempore exiſtentis Romani Pontificis mandato, vel in flagranti delicto, ut præfertur repertos, aliquo modo moleſtare, inquietare, capi facere, proceſſare audeant, vel præſumant, irritum & inane decernentes quicquid, ſi ſecus ipſi, aut eorum quiſpiam præſumpſerit attentare.

*...ultas ...di unum ...r. um.*

§. 14. Quodque dicti ſeptem Notarii Collegialiter congregati, unum Notarium quolibet anno ſine Notariorum prædictorum participantium præjudicio, & abſque exemptionibus, & privilegiis ipſis ſeptem Notariis conceſſis, ita quòd illis non gaudeant, creare.

*... eorum ... ignaturis.*

§. 15. Necnon qui ex dictis ſeptem Notariis utriuſque juris Doctores fuerint, utriuſque Signaturæ Referendariorum numero adſcribantur, & unus ex eis antiquior in Signatura gratiæ ſemper aſſiſtere poſſit.

*... actibus ... Conſi-*

§. 16. Ac in quibuſcumque actibus in conſiſtorio publico pro tempore faciendis, unus ſit accerſendus Notarius, qui & alii ibi præſentes Notarii ſi rogentur inſtrumentum ad perpetuam rei memoriam conficiant, cui omnibus aliis inſtrumentis, & ſcripturis quibuſcumque acta publica, quibus intervenerint concernentibus, unius ex eiſdem Notariis manu ſubſcriptis, ac ſuo ſigillo munitis, abſque teſtibus, plenaria fides in judicio, & extra ubique locorum omnino adhiberi debeat.

*...nizatio- ...que SS.*

§. 17. Et cum Notariatus officia hujuſmodi ad res Martyrum deſcribendas antiquitus, ut præfertur, inſtituta ſint, quod unus eorundem Notariorum in Canonizatione Sanctorum, ac etiam in fabricando deſuper proceſſu conjunctim unà cum uno ex cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus intervenire, & procedere.

*...ſiſtoriis ...cis, & ...llis.*

§. 18. Illiſque omnibus, & eorum ſingulis Conſiſtoria publica, & Capellæ à Curſoribus intimari, ac eis Capella, & omnibus actibus Candelas, Agnus Dei, & palmas ejuſdem qualitatis, & quantitatis, prout Epiſcopis aſſiſtentibus de more fieri ſolet.

*...tas Co-...tionis ...ant.*

§. 29. Necnon aureas, argenteaſque monetas in die Coronationis cujuſlibet Romani Pontificis dictæ Cameræ Clericis dari ſolitas, eiſdem ſeptem Notariis, & eorum ſingulis in ſignum honoris diſtribui, & dari.

*... quando ...ant.*

§. 20. Duoque ex illis ſi Princeps, & eorum Oratores, & Patriarchæ, necnon Archiepiſcopi, & Epiſcopi aſſiſtentes deſint, à Magiſtris cæremoniarum ad noſtram, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis caudam deferendam cæteris Prælatis in illis actibus in quibus ad ipſos ſpectat, & Baronibus poſtpoſitis aſſumi.

*...ificalibus*

§. 21. Et qui ex eis in Presbyteratus ordine conſtituti fuerint, in Miſſis ſolemnibus mitra, & quibuſcumque aliis Pontificalibus inſignibus, etiam in Cathedralibus Eccleſiis, de illorum tamen Præſulum, ſi præſentes ſint, ſi verò abſentes, abſque illorum conſenſu, etiam illis irrequiſitis extra dictam Curiam uti.

*quando utantur.*

*Altareque portatile.*

§. 22. Necnon quilibet eorum ſeptem Notariorum nunc, & pro tempore exiſtentium, ut ſibi habere liceat Altare portatile cum debita reverentia, & honore, ſuper quo in locis ad hoc convenientibus, & honeſtis, etiam non ſacris, ac etiam ordinaria, vel Apoſtolica, ſeu utraque auctoritate, ex quavis cauſa interdictis, ſeu etiam tempore ceſſationis à divinis, dummodo cauſam interdicti hujuſmodi non dederit, etiam ante diluculum, & etiam circa meridiem in illius, & domeſticorum, & familiarium ſuorum præſentia Miſſam per ſe, vel quemcumque ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis regularem Sacerdotem idoneum, ab Ordinario approbandum, celebrari facere, illique intereſſe, & eam audire liberè, & licitè valeat.

*Post decennii etiam dimiſſo officio Notarii remanent.*

§. 23. Quodque iidem nunc, & pro tempore exiſtentes ſeptem Notarii, & eorum ſinguli, qui jam per decennium officium Notariatus hujuſmodi obtinuerint, quique in futurum ſaltem per prædictum tempus à die quo in Collegium eorundem Notariorum admiſſi fuerint computandum illud obtinuerint, ſi fortè illud reſignaverint, nihilominus Notarii ſint, & vocentur, eiſdemque honoribus, præeminentiis, antelationibus, privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, aliiſque omnibus præmiſſis ad quinquennium tantum utantur, perinde ac ſi in dicto Collegio adhuc eſſent; qui tamen Rochettum, præterquam extra Urbem non deferant, nec locum in Capella habeant, alios tamen Prælatos immediatè poſt Notarios incedendo, præterquam cauſarum dicti Palatii Auditores, & Cameræ Apoſtolicæ Clericos, procedant, auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus pariter, & indulgemus.

*Executorum hujus Bullæ deputatio, & facultates.*

§. 24. Mandantes dilectis filiis Vicecancellario, Camerario, Summatori, & dictæ Cameræ generali Auditori, Clericis, Theſaurario, ac ejuſdem Urbis Gubernatori, Senatori, necnon Legatis, Vicelegatis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & Gubernatoribus quarumcumque Civitatum, Caſtrorum, & locorum dicti Status Eccleſiaſtici per Collegium dictorum ſeptem Notariorum pro tempore exiſtentium, & eorum ſingulos eligendis, ut eorum ſinguli per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate noſtra dictis ſeptem nunc, & pro tempore exiſtentibus Notariis in præmiſſis omnibus, & ſingulis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, faciantque eos, & eorum ſingulos quoties pro ipſorum parte ſuper hoc fuerint requiſiti, omnibus & ſingulis præfatis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, & eorum aliquem, per quoſcumque deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, inquietari, aut impediri. Contradictores quoſlibet & rebelles, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, & pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò valida, & efficacia exiſtere, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, ac ab omnibus obſervari, & ſic & non aliter per eoſdem Cardinales, & Auditores, alioſque Judices, & Commiſſarios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clausula contrariorum derogatoria.*

§. 25. Non obſtantibus Sanctæ memoriæ Symmachi, & Innocentii IV. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum contra exemptos editis, & prædictis, aliiſque Apoſtolicis, ac in generalibus, provincialibus, & ſynodalibus, & præſertim Trident. non tamen quoad exemptionem ab eo ſublatam, Conciliis editis generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, legibus, ſtatutis noſtris, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, vel aliis Extravagantibus quibuſcumque editis, generalibus conſtitutionibus, privilegiis quoque, indultis, &

& literis Apoſtolicis, quibuſcumque Romanæ Curiæ officialibus, Collegiis, eorumque perſonis per quoſcumque prædeceſſores noſtros, etiam motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis declarationibus, & decretis, etiam talibus quod illis nullatenus, vel niſi de eorum quorum intereſt, expreſſo conſenſu, & fratrum noſtrorum conſilio, etiam conſiſtorialiter habito, aliiſque modis, & formis ibi traditis uſquequaque ſervatis derogari poſſit, etiamſi inter alia caveatur expreſsè, quod ſi eis derogari contingat, derogatio hujuſmodi non valeat, niſi talis intentio derogandi aliquibus perſonis tunc expreſſis per diverſas in forma Brevis literas cum intervallo unius menſis, ſeu alterius temporis eis præſentata prius, & intimata, ac inſinuata fuerit, ac aliis quomodolibet conceſſis, & concedendis. Quibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmiſſorum omnium harum ſerie ſpecialiter & expreſsè motu pari derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu pro tempore exiſtentis Decani, ac antiquioris ex dictis ſeptem Notariis ſubſcriptis, & præfati Collegii ſigillo munitis, eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

*Dat. P. An. 1. die 5. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. Nonis Februarii, Pont. noſtri anno 1.

*Admiſſio, & regiſtratio in Cam. Apoſt.*

*Die 14. Aprilis 1586. præſentes literæ Apoſtolicæ præſentatæ fuerunt in plena Camera Apoſtolica, & die 18. ejuſdem, Camera ipſa referente Reverendiſſimo D. Alexandro Gloriērio dictæ Cameræ Clerico, & Iudice ad id dicta die 14. ſpecialiter deputato, citato prius Magnifico D. Ioannebernardino Piſcina ipſius Cameræ generali Commiſſario, illas admiſit. & regiſtrari mandavit, prout regiſtratæ fuerunt libro primo ſignaturarum Sanctiſſ. Domini Noſtri penes me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium.*

*Tydæus de Marchis.*

---

XIII. Inſtitutio Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Fr. Chordam per Fratres ejus Ordinis geſtari ſolitam, devotè deferentium, cum indulgentiarum conceſſione, & alias Confraternitates aggregandi poteſtate.

*Quoad Indulgentias, vide novam conſtitutionem Pauli V. mox edendam, quam firmatam vidi ſub die 2. Martii 1607. Et quoad facultatem aggregandi, vide formam traditam à Clem. VIII. infrà in ſua conſt. 115.* Quæcumque.

*Edita A. D. 1585. & 1586.*

*S I X T V S  E P I S C O P V S, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

Ex ſupernæ diſpoſitionis arbitrio gregi Dominico præſidentes, inter curas multiplices quas ex Paſtoralis officii miniſterio nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium Chriſti fidelium, præſertim ſub ſuavi Religioni jugo, & vexillo Altiſſimo famulantium animarum ſalus cum divini cultus incremento proveniat, ipſoſque Chriſti fideles, ut eorum vota ad id faciliùs concurrant, ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus, in apricum eis adducendo, juſtos variis ſignis, & miraculis coruſcantes invitamus, & confovemus, ac alias deſuper diſponimus, prout ad eorundem Chriſti fidelium ſpiritualem devotionem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*B. Franciſcus*

§. 1. Cum itaque B. Franciſcus, à quo Ordo dilectorum filiorum fratrum Minorum inſtitutus fuit, quique inter cæteros in numerum Sanctorum cooptatos, ſignis, & miraculis maximè claruit, ita vixerit, ut penè omnes ad ſui devotionem & imitationem pertraxerit, multique ex ipſis Chriſti fidelibus chordam ſimilem ei, qua ipſe dum in hoc ſæculo verſaretur, cinctus erat, hodie deferant, quin etiam plures ejus laudabile inſtitutum amplexi, & ſub ſuavi jugo Religionis ab eo inſtitutæ, diverſiſque Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ Prælatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, poſtea ad ſummi Apoſtolatus apicem evectis illuſtratæ militantes, tantumque virum imitati, in numerum eorundem Sanctorum relati fuerint.

*Ordinis ... norum ... tuor, ... culis ... & Sancto... numero ... ſcriptus ... à Greg. IX. ejus conſ. ... Mira.*

§. 2. Nos qui etiam à teneris annis ſingularem devotionis affectum erga ipſum S. Franciſcum, cujus corpus ſub Altari Maiori Eccleſiæ domus Fratrum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Aſſiſien. quæ inibi inſignis, maximeque celebris, & diverſis privilegiis decorata exiſtit, requieſcit, ſub habitu dicti Ordinis ſui incedentes geſſimus, cupientes domum, & Eccleſiam hujuſmodi amplius decorari, pietatiſque & Chriſtianæ charitatis opera ubique cum divini cultus augmento, ac ad ejuſdem S. Franciſci honorem, & venerationem, animarumque ſalutem exerceri, fideleſque ipſos ad faciendum ea per quæ ad æternam beatitudinem valeant facilius pervenire, mediis opportunis excitare, infraſcriptum fratrem Clementem magiſtrum Generalem, ac ſingulares perſonas Conventus domus prædictæ à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certa ſcientia, in Eccleſia domus, & ad Altare hujuſmodi, unam Archiconfraternitatem utriuſque ſexus Chriſti fidelium, qui Chordam per ejuſdem Ordinis Fratres geri ſolitam, ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur, ſub invocatione ejuſdem Sancti Franciſci, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus. Ut autem ipſa Archiconfraternitas Confratrum Chordigerorum præfatæ chordæ, numero in dies magis ampliata decoretur, ipſique Confratres ad piorum operum exercitium propenſiores reddantur, ac ad Eccleſiam, & altare hujuſmodi devotionis cauſa confluant, quo per hoc ſe majora cœleſtis gratiæ dona cognoverint adipiſci, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi.

*Hic Pr... dem Ord... profeſſor ... decorand... Eccleſiam ... qua requ... cit corpus Sancti, ... deles ad ... jorem dev... tionem ex... tandum A... chiconfra... nitatē C... digerorū ... git in d. ... cleſia.*

§. 3. Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac præfatam chordam, quæ prius à ſuperioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reverentiam, & memoriam ejuſdem S. Franciſci gerentes, ſacraque Communione refecti, præfatam Archiconfraternitatem ingrediuntur, die prima illorum ingreſſus, ac in mortis ipſorum articulo, Nomen Jesu ore, vel corde invocantibus, ſi etiam verè pœnitentes, & confeſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem.

*Indulgent... Confratri... elargitur ... die ingreſ...*

§. 4. Et inſuper eidem Archiconfraternitati, illiuſque Confratribus, omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, Archiconfraternitati Confalonis B. Mariæ Virginis in Eccleſia S. Luciæ de Urbe inſtitutæ, necnon prædicto Ordini, ac Illius fratribus, & perſonis quandocumque, & per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam per nos conceſſas, quoad illas tantum, quæ hactenus revocatæ non fuerunt, motu, & auctoritate, ac tenore ſimilibus, etiam perpetuò concedimus, & elargimur, ac communicamus.

*Aliaſque ... dulg. Fratr... Conventua... lium, & C... fraternita... Confalonis. Tu adv... ad not. i... rub.*

§. 5. Poſtremò dilecto filio Fratri Clementi Bontadoſio, nunc & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quaſcumque Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti fidelium Chordigerorum hujuſmodi, in quibuſcumque Eccleſiis domorum tam Minorum Conventualium,

*Generali Mag. Conventualiū ... facultatem aggregandi alias Confraternitates. Tu vide ... infra.*

ventualium, quam Capuccinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratrum prædictorum, in quibuſcumque mundi partibus & locis pro tempore erigendis, & inſtituendis, erigendi, & inſtituendi, illaſque poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint, præfatæ Archiconfraternitati per præſentes erectæ & inſtitutæ, cum omnibus & ſingulis indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus aggregandi, ac ipſas Indulgentias illis, & earum Confratribus communicandi, pariterque concedendi, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem damus, & concedimus, prout nos eaſdem omnes Confraternitates ex tunc, poſtquam erectæ & inſtitutæ fuerint, ipſi Archiconfraternitati per præſentes erectæ & inſtitutæ hujuſmodi aggregamus, præfataſque Indulgentias, illis & earum Confratribus communicamus, & concedimus.

§.6. Decernentes eaſdem præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis, ſeu quopiam alio defectu notari, impugnari, vel retractari, aut revocari ullatenus poſſe, neque debere, ſed ſemper & in perpetuum validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri debere.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac Regula noſtra de indulgentiis adinſtar non concedendis, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergò, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. 13. Kal. Decemb. Pont. noſtri anno 1.

*Sequitur extenſio d. conſtitutionis.*

*SIXTVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

DIvinæ charitatis altitudo eminentiſſima, & ſummi amoris Seraphici inexhauſta bonitas, &c.

Omittitur relatio ejuſdem bullæ.

§. 1. Ne autem de præmiſſorum validitate ullo unquam tempore dubitari contingat, noſtram denuo in præmiſſis auctoritatem interponere, ipſiuſque Archiconfraternitatis auctoritatem extendere, ac pium dictorum Confratrum Chordigerorum propoſitum ampliùs promovere, eoſque ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus proſequi cupientes, ſupplicationibus dicti Clementis hac in parte inclinati, inſtitutionem hujuſmodi Apoſtolica auctoritate præfata, tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem. Ipſam Archiconfraternitatem in caput omnium Confraternitatum Chordigerorum hujuſmodi ubilibet inſtitutarum & inſtituendarum, etiam perpetuò auctorirate & tenore præmiſſis erigimus, & inſtituimus.

§.2. Omneſque & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones & relaxationes, Religioni & Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi per quoſcumque Roman. Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos conceſſas, quoad eas dumtaxat, quæ hactenus non ſunt revocatæ, nec ſunt ullis revocationibus comprehenſæ, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Illaſque Archiconfraternitati & Confratribus Chordigerorum hujuſmodi, ſub eiſdem modo & forma, quibus illæ religioni & fratribus præfatis conceſſæ fuerunt, dummodo (ut præfertur) non fuerint revocatæ, etiam perpetuò concedimus, elargimur, & communicamus. Necnon de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, utriuſque ſexus Confratribus Chordigerorum hujuſmodi, præter Indulgentias Religioni præfatæ conceſſas, in mortis articulo, necnon quoties proceſſionibus Archiconfraternitatis Chordigerorum hujuſmodi, ſingulis menſibus fieri ſolitis interfuerint, eiſdem quidem Confratribus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem perpetuò concedimus.

§.4. Aliis verò non Confratribus, qui proceſſionibus hujuſmodi interfuerint, centum [illegible] de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Ac præfatis Confratribus, qui aliis dictæ Archiconfraternitatis proceſſionibus, aut dum B. MARIÆ, vel quodvis aliud divinum officium per ipſos Confratres Chordigeros recitabitur, interfuerint, ac quoties Sanctiſſimum Chriſti corpus, dum infirmis defertur, vel defunctum ad ſepulturam aſſociaverint, aut alicui miſerabili perſonæ ſubvenerint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu aliquod horum fecerint, toties centum dies de eis injunctis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis etiam miſericorditer in Domino relaxamus. Eiſdemque Confratribus Chordigeris, ut Indulgentias & peccatorum remiſſiones præfatas per modum ſuffragii, pro fidelibus qui in gratia Dei deceſſerint, conſequi, & impartiri valeant.

*fratrib. aliis tribuit.*

*Revocationem tibi indicavi rubr.*

§. 5. Necnon quaſcumque Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti fidelium Chordigerorum hujuſmodi, in quibuſcumque Eccleſiis domorum, tam Minorum Conventualium, quàm de Obſervantia, & Capuccinorum nuncupatorum fratrum præfatorum, in quibuſcumque mundi partibus, & locis pro tempore erigendas, & inſtituendas, poſtquam erectæ & inſtitutæ fuerint, Archiconfraternitati illorum aggregandi, illiſque omnes, & ſingulas eorum Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & relaxationes communicandi & concedendi, plenam liberamque facultatem præfato, ac pro tempore exiſtenti Generali dicti Ordinis Minorum Conventualium, auctoritate & tenore præfatis concedimus.

*Alias Confraternitates aggregandi facultatem concedit.*

*Tu quod hoc vide bull. 125. Clem. VIII. Quæcumque.*

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra de Indulgentiis adinſtar non concedendis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. cæteriſque contrariis quibuſcumque, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

*Clauſ. derog.*

§. 7. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo pro tempore exiſtentis Miniſtri, vel Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium hujuſmodi, vel cujuſvis perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Canonici alicujus Cathedralis Eccleſiæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur ubique locorum & gentium, in judicio & extra, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Fides tranſumptorum.*

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ 1586. 4. Nonas Maii, Pont. noſtri anno 2.

*D. P. A. 2. die 7. Maii.*

---

## XIV. Juriſdictio Conſulum Artis Lanæ in Urbe, & privilegia mercatorum ejuſdem Artis.

*Hanc juriſdictionem primò conceſſit Pius V. in ſua conſt.* 43. Ut ad Artis, *ubi notavi.*

*SIXTVS PAPA V.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Edita A. D. 1585.*

CUm alias conſiderantes artem Lanæ, quam in multis Italiæ civitatibus inſignibus, in decus & ornamentum illarum, publicamque utilitatem exerceri accepimus, ejus eſſe induſtriæ ut facilè omnes omnis generis perſonæ ex ea, & ejus exercitio vivere, & manuteneri poſſent, cupienteſque exercitium hujuſmodi in hanc noſtram Urbem introducere, ſeu jam alias introductum, hodie tamen penè extinctum renovare, ut ſic pauperes & miſerabiles perſonæ, etiam vagabundæ utriuſque ſexus hujus noſtræ Urbis haberent in quo ſe exercerent, & exercendo victum ſibi compararent, Dilectum filium noſtrum Proſperum, tituli S. Clementis Presbyt. Card. de Sanctacruce nuncupatum, deſuper deputaverimus.

*Hic Pont. ad renovandam Artem Lanæ in Urbe, Cardinalem Sanctacrucium deputavit.*

§. 1. Et dilecti filii Alexander Capoccfalus, & Fenizius Alfanus, mercatores lanæ, ſeſe eidem obtulerint, & paratos eſſe dixerint id onus, & hanc curam artis lanæ, & illius exercitium in dictam Urbem introducendi, & ut panni cujuſcumque generis conficiantur curandi ſuſcipere, & ſub his conditionibus, capitulis, & ſtatutis nimirum.

*Qui cum hominibus d. Artis convenit [illegible].*

§. 2. Quod per Cameram noſtram Apoſt. duodecim

*Camera [illegible]*

millia ſcuta eis mutuo [illegible] in contanti ( idoneè per eos cauto de illis infra decem annos proximè venturos reſtituendis ) darentur.

*Alia bis mille Arti donet.*

§.3. Et propterea alia mille ſcuta ex pecuniis ejuſdem Cameræ ad ſatisfactionem, & ſeu commoditatem eorundem Alexandri, & Fenizii pro ædificio purgamenti, vulgo dicti il Purgo, quod dudum tempore Pontificatus fel. recor. Pii PP. V. prædeceſſoris noſtri, propè fontem Trivii de Urbe cœptum fuit, tincturæ, ac inſtrumentis ad dictam artem neceſſariis ſtatim exponerentur, nec ipſi Alexander, & Fenizius ad horum mille, nec aliorum mille ſcutorum, quæ tempore prædicto pro eodem ædificio à dicta Camera data fuere, aliter reſtituere tenerentur, ſed ipſa bis mille ſcuta commodo, & beneficio dictæ artis omnino cederent.

*Statuta Artis confirmet.*

§.4. Et ſtatuta Collegii, ſive ſocietatis Mercatorum artis lanæ hujuſmodi, necnon ſtatuta, & alia præmiſſa ipſis confirmarentur.

*Præferantur mercatores Artis in bonis debitorum diſcuſſis mercatoris Ripæ.*

§. 5. Nec qui de dicta Arte eſſent, tenerentur pro eorum creditis concernentibus materiam & exercitium lanæ, atque tincturæ, ejuſque membra decoctis debitoribus cum aliis creditoribus diſcutere, ſed ſemper præferantur, prout, & quemadmodum Mercatores Ripæ præferuntur.

*Conſules hujus temporis ad triennium confirmentur.*

§.6. Dictique Alexander, & Fenizius, ac pro tempore exiſtentes Conſules dictæ artis lanæ ad tres annos proximos, & continuos confirmarentur, ut ſic melius & commodius ipſi formam, & modum introducendi artem, & exercitium lanæ, atque tincturæ cum ſuis annexis, & dependentiis tradere, ac ſtatuta Collegii, ſive Societatis prædictæ ad uſum, & obſervantiam reducere.

*Pecunia penes eos exiſtat.*

§.7. Nec prædicta duodecim millia, & alia mille ſcuta ipſis Alexandro, & Fenizio, per ſuccedentes eis Conſules, aut alios quoſcumque dictæ artis auferri poſſent.

*Conſules utantur voto Aſſeſſoris in pœnis afflictivis.*

§.8. Quodque Conſules hujuſmodi pro tempore exiſtentes quemcumque in ulla afflictiva pœna, etiam in cauſa criminali, vel mixta abſque voto aſſeſſoris ipſorum, ex omnibus qui de dicta arte extiterint, ad tempus eis bene viſum eligendi condemnare nequirent.

*Conſules dent lanam omnibus hic exercitio vacantibus.*

§. 9. Econtrà vero dicti Alexander, & Fenizius obligati eſſent dare lanam omnibus iis, qui voluerint tali exercitio vacare, obſervando ſtatuta, ac præſtita cautione de reſtituendo valore lanæ in termino ab ipſis Conſulibus ſtatuendo, ut ſic capitale, & corpus perpetuò eidem Cameræ conſervaretur.

*Certam pannorum qualitatem ſingulis annis conficere debeat.*

§.10. Inſuper tenerentur prædicti Alexander, & Fenizius ſtatim habitis pecuniis incipere, facere, & conficere, ac fieri & confici facere hic in Urbe pannos cujuſcumque generis, & in ſpecie conficere, & fabricare ſingulis annis, excepto primo anno dictorum decem, quolibet reliquorum novem annorum, centum petias pannorum, ut dicunt mixtorum, & quinquaginta pannorum exquiſitorum, alias finorum, & viginti quinque ſtameggiatorum nigrorum guadi de ſeptuaginta in octoginta, ut vocant. Pannorum verò monachinorum etiam vigintiquinque petias, & totidem raſciæ, ac petias quinquaginta ſajettæ. Non poſſent autem ullo modo pro pannis ſtameggiatis, monachinis, raſciæ, & ſajettis hujuſmodi, lanam ex pellibus pecorum evulſam, quam alias appellant pelatam, adhibere, ſub pœna amiſſionis ipſorummet pannorum, & quinquaginta ſcutorum pro qualibet petia, & in fine cujuſcumque anni docerent in Camera Apoſtolica ſe hujuſmodi pannos confeciſſe ſub reſtitutionis illico faciendæ earum pecuniarum, quas receperint, & aliis pœnis ad beneplacitum dictæ Cameræ, ſeu præſidentium ipſius infligendis. Et caſu quo monachini, & raſciæ non ita expeditè venderentur, poſſent de licentia tamen eorundem præſidentium Cameræ Apoſtolicæ tales pannos, ſeu confectionem ipſorum intermittere, & alios conficere, ita ut pecuniæ non remanerent inutiles, & pauperes haberent in quo ſe ad vitam ſuſtentandam exercerent. Cum hoc tamen quod dicti Alexander, & Fenizius teneantur continuo habere in eorum fundacho monachinos, raſciam, & alios pannos exquiſitos, Romæ confectos, & elaboratos, & alias, ut in ipſis capitulis, conditionibus, & ſeu ſtatutis plenius dicitur contineri. Quæ omnia per dictum Proſperum Cardinalem ut ſupra à nobis deputatum, approbata, & confirmata fuerunt.

*Et mod... Pont. ... tiones ... ctas, & ... ſtatuis C... Trid. ... traria ... mat.*

§. 11. Propterea nos exercitium hoc magis, ac magis promoveri peroptantes, ac dilectos filios Collegium, ſeu ſocietatem Mercatorum artis lanæ dictæ Urbis ad id excitare, eoſdemque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ac capitula, conditiones, & ſtatuta hujuſmodi rata habentes, illorumque omnium tenores, & quaſitates pro expreſſis habentes, & Alexandrum, & Fenizium, ac mercatores prædictos, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, capitula, & conditiones, ac nova hujuſmodi, necnon vetera Collegii prædicti ſtatuta, ordinationes, felix regimen & gubernium ipſius Collegii, ſeu ſocietatis concernentia, ac alias licita & honeſta, nec ſacris Canonibus, aut Concilio Tridentino contraria, quæ deſcripta ſunt in quodam ejuſdem Collegii libro in membrana manu ſcripto, & coopertuis ligneis corio rubro tectis compacto, cum quatuor non cartulatis, ſic incipien. Cùm hoc ſit, quod ex forma cujuſdam ſtatuti, ac finien. in hunc modum, & onera ſuſtinendo recipiant & honores, & aliis 150. cartis, ſeu foliis cartulatis, ut præfertur, ſcriptis, & ſic pro rubrica incipien. Incipiunt ſtatuta Mercatorum artis lanæ, & deinde hæc verba ſubjunguntur. In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ad honorem, &c. Quæ quidem verba nigro colore ſive atramento ſunt ſcripta, in fine autem ejuſdem libri, videlicet ultimo fol. ſubſequens Notarii recognitio finem facit. Die 21. Januarii 1574. D. Horatius Fuſcus Notarius medio juramento, tactis, &c. recognovit prædicta ſtatuta eſſe univerſitatis artis lanæ Urbis in forma, auctoritate Apoſt. per præſentes perpetuò approbamus, & confirmamus, ſupplentes ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui deſuper intervenerint.

*Conſuli... conce... cultatem ſtatuta ... tandi & ... noſcendi ... ſas concer... tes artem ... na, etia... quoad He... bræos.*

§.12. Ac inſuper, nunc & pro tempore exiſtentibus dicti Collegii Conſulibus, ut in eorum Congregatione ſtatuta & ordinationes prædicta, toties quoties pro rerum, & temporum qualitate expediens fuerit, reformare, corrigere, & in toto vel in parte mutare, & de novo condere. Ac de omnibus & ſingulis cauſis, tam civilibus quàm criminalibus, ſeu mixtis, etiam ratione præteritorum lanæ artem concernentibus, juxta prædicta ſtatuta, & ordinationes in futurum recognoſcere, eaſque decidere, & terminare, ac etiam pœnas per dicta ſtatuta contra non obſervantes illa, aut alias impoſitas augere, ſeu mutare liberè & licitè valeant. Ita quod cauſæ prædictæ per modernos, & pro tempore exiſtentes d. Urbis Gubernatorem, Senatorem, & Conſervatores, alioſque Capitolinos Judices, & cæteros etiam majores Magiſtratus quovis prætextu vel colore reaſſumi non poſſint. Quodque dum ipſi Conſules in unum convenerint, aut totum Collegium prædictum congregabunt, pro negotiis d. artis lanæ licentiam à dilectis filiis dictæ Urbis Conſervatoribus petere minimè teneantur, concedimus, & facultatem, eoſdemque ad hunc effectum in Judices ordinarios idoneos & competentes, coram quibus ſolis, qui dictam artem lanæ exercuerint, etiam pro creditis etiam ab Hebræis conſequendis, non autem coram Urbis prædictæ Vicario, aut ejus Vicegerente, nunc & pro tempore exiſtente, vel quoquam alio conveniri, & ipſos Hebræos convenire debeant, perpetuò conſtituimus, ac deputamus.

*Clauſul... ſervant...*

§. 13. Decernentes præſentes literas ſemper & in perpetuum ab omnibus ubique inviolabiliter obſervari, ac ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, Sedeque Apoſtolica pro tempore emanatis revocationibus ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & ad quorumvis inſtantiam, & etiam Motu proprio conceſſis comprehendi, ſed ſemper ab aliis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de novo etiam ſub data per eoſdem Collegium,

Collegium, ſeu ſocietatem eligenda conceſſis, ac validas & efficaces eſſe cenſeri.

§. 14. Et ſic per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*...fula de-...uria.* §. 15. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. necnon tam dictæ Urbis, quàm aliarum quarumcumque Civitatum, & locorum dicti Status noſtri mediatè vel immediatè ſubjectorum, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. quibuſvis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac clauſulis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & ad verbum expreſſa mentio habenda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Decembris 1585. Pont. noſtri anno 1.

---

## XV. De Viſitandis certis hic ſtatutis temporibus, Sanctorum Petri & Pauli de Urbe liminibus, &c. ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Primatibus.

*Iſti Prælati Romano Pont. aut Congregationi Cardinalium ſuper Interpretatione & executione Conc. Trid. inſtituta, de Statu ſuarum Eccleſiarum rationem reddunt, ut infrà in conſtit.* 74. Immenſa, *in* §. *Congr.* 8.

An. D. 1585. *S I X T V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

ROmanus Pontifex, Beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor, in altiſſima militantis Eccleſiæ ſpecula divina diſpoſitione collocatus, ex credito ſibi Apoſtolicæ ſervitutis officio omnium Eccleſiarum ſollicitudinem habere, totiuſque Dominici Gregis, qui unius ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ per univerſum Orbem terrarum diffuſæ, ſacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Hujus verò tam gravis & ingentis oneris angelicis planè humeris formidandi, magnitudinem, ut facilius ferre poſſet, venerabiles fratres ſuos Catholicos Epiſcopos in partem ſuæ ſollicitudinis advocavit, qui tanquam ſeniores in populo Dei, pleni ſapientiæ ſpiritu, in ſua quiſque paſtorali vigilia excubantes, illius ſupremi in terris paſtoris immenſos labores ſublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo reſidet poteſtatis. Nimirum, ut Epiſcoporum opere, & adjumento, ubique locorum gregis ſibi commiſſi vultum agnoſceret, & ſpiritualium ovium morbos intelligeret, curationeſque adhiberet, atque ex ſui muneris officio perdita requireret, abjecta reduceret, confracta alligaret, infirma conſolidaret, pinguia, & fortia cuſtodiret: denique aſſiduis paſtorum vocibus admonitus, de toto Eccleſiarum ſingularum ſtatu certior redderetur, ne quicquam omninò illum lateret, earum rerum quas ad Dei gloriam augendam, ad Chriſtianam religionem propagandam, ad animarum ſalutem procurandam neceſſariò eundem ſcire, atque intelligere oportet, ut omnibus cognitis & examinatis, pro ea quæ ſibi à Chriſto Domino tributa eſt, ſumma poteſtate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia ædificet, alia deſtruat, quemadmodum ex rerum & temporum conditione ſalubriùs in Domino viderit expedire.

*...copi, &c. antiquo ...ituto certemporibus* §. 1. Ob quas ſanè cauſas jure optimo, & Spiritus Sancti inſtinctu, à ſanctiſſimis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris jam ab antiquiſſimis temporibus inſtitutum eſt, & per multas ætates magno Eccleſiæ Dei commodo obſervatum, ut ſinguli Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, certis præſcriptis temporibus per ſe ipſos, vel per certum eorum Nuntium, omni occaſione ſepoſita, Beatiſſimor. Apoſtolor. Petri & Pauli, qui hanc Almam Urbem ſuo ſanguine conſecrarunt, limina, tanquam fidei petram, & totius ſacerdotalis unitatis fontem jurejurando ſe viſitaturos pollicerentur, atque ita S. R. E. matris ſuæ complexu recreati, & paterno Summi Pont. colloquio roborati, ad Eccleſias ſuas regendas alacriores & inſtructiores redirent. *limina Apoſt. viſitare ...*

§. 2. Cæterùm hæc tam ſalutaris, atque neceſſaria conſtitutio, partim hominum negligentia, partim antiqui humani generis hoſtis aſtutia, variis etiam inſurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta prætexentibus, in grave animarum ſuarum periculum, & quibus præſunt Eccleſiarum detrimentum. Nec verò dubitandum eſt, quod ſine maximo animi mœrore commemorare non poſſumus, pernicioſiſſimas hæreſes, quibus multis jam annis, hominum peccatis ita promerentibus, Eccleſia vexatur, & Chriſti Domini veſtis dilaceratur, ex ejuſmodi ſaluberrimæ viſitationis intermiſſione partim ortas eſſe, partim latenti progreſſione magnum incrementum accepiſſe. Nam ſi celeriter in ipſo naſcentis mali initio, ab ipſis Epiſcopis pro rei gravitate ad Romanum Pontificem relatum eſſet, ſanè illius providentia & auctoritate ſtatim venenatæ ſtirpes ex agro Domini evulſæ eſſent, & diabolici ignis ſcintillæ ſubito oppreſſæ, atque reſtinctæ, in tot flammas & luctuoſa incendia non erupiſſent. *Sed variis ex cauſis hoc inſtitutum refriguit.*

§. 3. Hæc, atque alia graviſſima incommoda, cum primū ad ſummi Apoſtolatus apicē, meritis licet imparibus, Deo ita volente, vocati ſumus, attentiùs conſiderantes, non ſolùm ex intimis animi ſenſibus indoluimus, ſed ſtatim de adhibendo remedio, divina gratia adjutrice, cogitare cœpimus. Urget enim nos Dei amor, & acres animo noſtro ſtimulos dies nocteſque ſubjicit, quemadmodum in tremendo illius judicio, adminiſtrationis noſtræ rationem reddamus. Nam ſi huic tanto malo, quod magis quotidie ingraveſcit, non occurramus, non poſſumus nobis ipſis non valde timere, cum crebrò in mentem veniant, & quaſi aures noſtras perſonent ſacræ illæ voces, comminationis, & terroris plenæ: Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & ſanguinem ejus de manibus tuis requiram. Et quod Petro à Domino dictum eſt: Confirma fratres tuos. Et illud Apoſt. Pauli, quod tanto magis ad nos pertinet quanto majorem præter cæteros, paſtoralis officii curam ſortiti ſumus: Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Quocirca eorundem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſimulque modum & temporum ſpatia Eccleſiarum earundem Præſulibus, pro cujuſque intervallo, & locorum diſtantia moderantes, hac perpetua conſtitutione ſancimus, decernimus, & mandamus, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, per univerſum terrarum Orbem conſtituti, à nobis deinceps ordinandi, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus conſecrationis ſuſcipiant, ſeu eis conſecratis pallium de B. Petri corpore ſumptum tradatur, aut ſi ad aliam Eccleſiam transferantur, antequam illius regimini & adminiſtrationi ſe immiſceant, ſi quidem præſentes in Curia fuerint, in manibus S.R.E. Diaconi Card. ordine prioris, ſi verò abſentes, in manibus Antiſtitis, qui ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum pallium hujuſmodi à Sede Apoſt. delegabitur, jurent juxta formulam in libro Cancell. Apoſt. quinterno appellato, nuper deſcriptam, ſe Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina, ſtatutis hac noſtra conſtitutione temporibus, perſonaliter, ac per ſe ipſos viſitaturos, ac nobis & ſucceſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum paſtorali officio, deque rebus omnibus, ad ipſarum quibus præſunt Eccleſiarum ſtatum, ad Cleri & Populi diſciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ ſunt, ſalutem quovis modo pertinentibus, & viciſſim mandata Apoſtolica recepturos, & quamdiligentiſſimè executuros. *Hic ideo Pont. ... Prælatis ad Eccleſiam promovendis, aut transferendis, quod limina Apoſtolorum ſtatutis hic temporibus viſitare jurent, & etiam Pont. de ſtatu ... officio rationem reddere, & mandata Apoſt. diligentiſſimè exequi.*

§. 4. Quod

*Ut legitimè impediti, per certum nuntium ad implebunt.*

§. 4. Quod ſi legitimo impedimento detenti fuerint, jurent ſe prædicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad id ſpeciale mandatum habentem, & de gremio ſuorum capitulorum, aut alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, ſeu alias perſonatum habentem, aut ſi hujuſmodi hominem Eccleſiaſtica dignitate, & perſonatu præditum non habeant, per diœceſanum Sacerdotem, & ſi Clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum, ſæcularem vel regularem ſpectatæ, probitatis, & religionis, de ſupradictis omnibus plenè inſtructum. De hujuſmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem per ſupradictum nuntium tranſmittendas.

*Idem Pont. hortatur, ut opera ipſorum Epiſcoporum, aut aliorum, à Sede Apoſt. auxilia & ſubſidia petant.*

§. 5. Quin etiam Principes temporales, ſi quid pro eorum pietate, & erga hanc Apoſtolicam Sedem obſervantia, Romano Pontifici voluerint ſignificare, eoſdem, ſive Epiſcopos, ſive alios qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuntios ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus, & rebus firmandis, ac ſtabiliendis, & cum Dei & ſanctæ religionis cauſa, ſine qua tutò conſiſtere haud poſſunt, conjungendis, opportuna ſinceræ charitatis officia, conſilia, atque ſubſidia expectare certò poterunt.

*Tempus præfinitur omnibus Prælatis ad explendũ hoc viſitationis officium.*

§. 6. Ad hoc autem debitum viſitationis officium commode explendum ſupradicti omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſc. & Epiſc. Itali videlicet, vel ex Italicis Inſulis, unde in Italiam commodius trajici poteſt, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alii adjacentium Provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ & Græcarum, quæ è regione ipſis Italiæ & Siciliæ oris ſunt, tertio anno, Germani verò, Galli, Hiſpani, Belgæ, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni & cæteri omnes, qui in Europa ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, ac omnium Inſularum maris mediterranei, quarto anno, & qui intra Europæ fines ſunt his Provinciis remotiores, ac etiam Africani littoribus noſtris adverſi, ac inſularum maris Oceani Septentrionalis & Occidentalis Europæ & Africæ citra continentem novi Orbis, tam qui nunc ſunt, quam qui ad Catholicam fidem per miſericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno; Aſiatici vero & qui extra Aſiam, & in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, & Septentrionalibus, tam in Inſulis quam in continentibus, & denique in quibuſlibet mundi partibus decimo anno iter ſuſcipiant, & Deo concedente perficiant. Idemque inſtitutum tertio quoque, quarto, quinto, & decimo anno repetant & obſervent. Hæc autem annorum ſpatia tempore ſuſcepti muneris conſecrationis, vel pallii traditionis, aut tranſlationis, ut præfertur, incipiant. Quæ ne longius differatur, Volumus quod tempus qualecumque excurſum alicui ex ſupradictis Præſulibus, qui ſive morte præventus, ſive alia quacumque de cauſa ob non finitum tempus ei præſcriptum, dicta limina non viſitaverit, ita illius ſucceſſori effluxiſſe, & excurriſſe intelligatur, ut termino ipſo juxta prædeceſſoris ſui jusjrandum completo debitam tunc viſitationem quamprimum conficere teneatur.

*Obedientiam Prælatis indicit.*

§. 7. Hi vero ex ſupradictis Antiſtitibus, qui hactenus ab hac ſancta Sede ordinati ſunt, aut dictum pallium ab ea ſuſceperunt, aut ad aliam Eccleſiam tranſlati ſunt; prout cuique diſtantia locorum, & temporum intervalla præſcripta ſunt, ad ſupradicta omnia obſervanda à die publicationis præſentis conſtitutionis omnino teneantur. Jubemus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ ſupradictis omnibus Antiſtitibus, præſentibus, & futuris, ut viſitationem prædictam ſibi ſuiſque Eccleſiis adeo utilem ac neceſſariam, juxta præſcriptam formulam omninò conficiant.

*Inobedientibus pœnas imponit.*

§. 8. Si vero, quod abſit, non egerint, eos ab ingreſſu Eccleſiæ, ac etiam ab adminiſtratione tam ſpiritualium quam temporalium, necnon à perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum, à Capitulis eorum, omni exceptione, & mora ceſſante, interim liberè exigendorum, & in opus fabricæ, ſeu ornamentorum Eccleſiæ emptionem, prout major exegerit neceſſitas, inſumendorum, ipſo facto tandiu ſuſpenſos eſſe volumus, donec à contumacia reſipiſcentes relaxationem ſuſpenſionis hujuſmodi à Sede prædicta meruerint obtinere.

*Clauſ… contrar… derogat… appon…*

§. 9. Non obſtantibus privilegiis, Abſolutionibus, indulgentiis & aliis conceſſionibus de non viſitandis liminibus ejuſmodi, quibuſcumque Eccleſiarum Prælatis & per quoſcumque Rom. Pont. ac etiam nos & dictam Sedem ex quibuſvis cauſis, perpetuò, vel ad tempus conceſſis, extenſis & innovatis, quæ omnia contra præmiſſa cuiquam nolumus ſuffragari, aliiſque contrariis quibuſcumque. Cæterum nos ſaluti & conſcientiæ ſecuritati eorum Præſulum, qui ad hujuſmodi viſitationem obligati, eam contra jusjurandum hucuſque diſtulerunt, conſulere volentes, eos ſingulos à perjurii reatu, & à Canonicis, Apoſtoliciſque omnibus ſententiis, quas propterea incurrerunt, auctoritate præſentium abſolvimus, quos tamen pro exceſſu hujuſmodi eleemoſynam, quantam & cui, vel quibus eorum Confeſſarius ſtatuerit applicandam, volumus erogare.

*Exempli… di jubet.*

§. 10. Quia vero difficile nimis eſſet præſentes literas quocumque illis opus perferri, volumus quoque, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus adhibeatur fides, quæ eiſdem præſentibus, etiam in d. quinterno deſcribendis haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

*D. P. A… 10. Dec…*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1585. Kal. Jan. Pont. noſtri anno 1.

*Publicat…*

*Anno à Nativitate Domini 1585. Indict. 13. die verò 20. menſis Dec. Pont. Sanctiſſ. D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ affixa fuerunt in valvis ſeu portis S. Ioan. Lateran. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ, per nos Ioannem Freyle, & Nicolaum Taglietttum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## Innovatio feſtivitatis S. Nicolai de Tolentino, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, duplici officio die 10. menſis Septembris celebrandæ. XV…

*Canonizationem hujus Sancti, & ſuæ feſtivitatis primævam inſtitutionem fecit Eug. IV. ut ſup. in ejus conſt. 17.* Licet.

*Edita A… 158…*

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium*

SAncta Romana univerſalis Eccleſia, quos Omnipotens Deus ſicut Sol in conſpectu ſuo fulgentes in Cœlo coronat, pro cultu & admirabili honore per anni circuitum, die ut plurimum, qua eos ad cœleſtia regna migrare contingit, in terris voluit venerari, ut eorum Chriſti fideles glorioſa memoria incenſi, & exemplis inflammati per exercitium bonorum operum piis etiã ſuffragiis adjuti, divinæ Majeſtatis gloriam in Sanctis ſuis agnoſcere, & ipſius beneficia promereri facilius valeant.

*S. Nicol… virtutib… miracul… rus fuit…*

§. 1. Ad hunc itaque laudabilem Sanctorum numerum S. Nicolaus Tolentinas, de cujus vita, converſatione, & ſancta obdormitione in Domino Tolentinates gloriantur, regularia S. Auguſtini Eremitarum inſtituta amplexus, cum tanta vitæ puritate, & integritate contendit, ut ipſius viri ſanctitas longè lateque per diverſas mundi regiones ad Indos uſque Occidentales propagata, diffuſaque ſit.

*Joan. XX… & Innoc… illius ca… zationem… perunt, & … gen. IV. … cit.*

§. 2. Hunc itaque miraculorum ſignis, in quo inexhauſta Dei benignitas in vita ac poſt mortem operari voluit, adducti, fel. rec. Joan. XXII. & Innocent. VI. primo in numerum Sanctorum referre concurrerunt, & deinde piæ mem. Eugen. IV. Rom. Pont. prædeceſſores noſtri eorundem Sanctorum Catalogo ſolemni ritu adſcripſit.

*Poſtea … ſchiſma … ſavit.*

§. 3. Poſt cujus relationem inter numerum Sanctorum celeberrimum maximumque illud miraculum extitit, quod Eccleſia Rom. jam per annos amplius quinquaginta ſchiſmatum diſſidiis graviter afflicta, hujus Beati viri meritis & interceſſione ſublatis erroribus, pacem, præter ſpem, ſummam conſecuta eſt.

*Hic Pont… lius feſt… duplici o… agi jub…*

§. 4. Quare nos qui Eccleſiæ Firmanæ, in cujus diœc. oppidum

oppidum S. Angeli, ubi Sanctus ipſe Nicolaus eſt ortus, conſiſtit, in minoribus conſtituti præfuimus, nomen & ſanctitatem ipſius B.Nicolai dignis, quantum noſtra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac præſenti noſtra conſtitutione mandamus, ut ejuſdem B.Nicolai Confeſſoris glorioſi dies feſtus 4. idus Septemb. agatur, duplicique poſthac, & proprio, & ubi propria non erunt, de Communi Confeſſorum non Pontificum officio per cunctas totius Chriſtiani Orbis Eccleſias ſingulis annis perpetuis futuris temporibus celebretur, & in Kalendario Romano cum duplicis feſti adjectione inſcribatur. Sicubi verò feſtus B.Nicolai dies ſupradictus, ex fidelium devotione ſeu conſuetudine, præcepto aut indulto Apoſt. majori aliqua celebrari conſueverit obſervantia, ea omnino ibidem retineatur.

§.5. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in toto Orbe terrarum conſtitutis, ut faciant in ſuis quiſque Eccleſiis, provinciis, civitatibus, & diœceſibus, præſentes noſtras literas ſolemniter publicari, & ab Eccleſiaſticis perſonis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, omnino obſervari, quamvis in ultimis Breviarii & Miſſalis reformationibus adnotatio hujus ſolemnitatis poſita non fuerit.

§.6. Volumus quoque, ut præſentium exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum & gentium adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ 1585. 10. Kal. Januarii, Pont. noſtri anno 1.

*Anno à Nativitate Domini 1585. indict. 14. die verò 28. menſis Janu. Pont. S. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis ſeu portis Eccleſiarum S. Ioan. Lateran. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium in ipſis valvis dimiſſæ, per nos Ioannem Freile, & Nicolaum Taglietum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

VII. Contra exercentes artem Aſtrologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, libroſque legentes vel retinentes.

*De ejuſmodi divinationum ac ſortilegiorum materia extant plures prædeceſſ. conſtitut. indicatæ ſuperius in conſt. 1. Innoc. VIII.* Summis.

Contra Aſtrologos Judiciarios de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſt. ſeu vita Rom. Pont. aut ejus conſanguineorum judicia facientes, vel ipſos Aſtrologos deſuper conſulentes, cum innovatione hujus ſanctionis, conſt. edidit S.D.N. Urb. VIII. quam habes 4. tom. n. 113. *Inſcrutabilis.* Qui poſtea prohibuit omnes libros hac de materia tractantes, vel aliter prohibitos, licentiaſque illos habendi & legendi revocavit in conſt. ſeq. 114. *Apoſtolatus.*

An. D. 1585. *SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

COeli & Terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad juſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem, etſi homini, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit, mentem dederit, quæ non ſolum divino fidei lumine illuſtrata, myſteria illa cognoſceret, quæ humanam intelligentiam ſuperant, ſed etiam naturæ ſuæ vi, magno licèt cum labore, præclara multa inveſtigaret, atque intelligeret, tamen ut ſuperbum animal homo non altum ſaperet, ſed timeret, & immenſam Conditoris ſui majeſtatem humi ſtratus veneraretur, ſibi ſoli eorum quæ eventura ſunt, ſcientiam & futurarum rerum cognitionem reſervavit. Solus enim ipſe, cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt, & ad internas hominum cogitationes penetrat, & conſequenter eorum actiones intuetur, ſolus ipſe, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculos poſita habet, ſolus denique omnia & ſingula quæcumque totius temporis decurſu, & ſæculorum ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia diſpoſuit, quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec dæmones ipſi præſentire poſſunt. Quare idolorum in futuris annuntiandis falſitatem & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Iſaïam illis verbis: Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos: & in novo teſtamento Chriſtus Dominus diſcipulorum ſuorum de futuris eventibus paulò cupidius inquirentium, interrogationem gravi illa reſponſione retudit, qua etiam omnium fidelium ſuorum curioſitatem coërcuit: Non eſt veſtrum ſcire tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nec verò ad futuros eventus & fortuitos caſus prænoſcendos (futuris eventibus ex naturalibus cauſis neceſſario vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullæ ſunt veræ artes aut diſciplinæ, ſed fallaces & vanæ improborum hominum aſtutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio vel auxilio omnis divinatio dimanat, ſive quod expreſsè ad futura manifeſtanda invocentur, ſive quod ipſi pravitate ſua, & odio in genus humanum occulto, etiam præter hominis intentionem ſe ingerant & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum pernicioſis vanitatibus & fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, & omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & aliis quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt, in hujuſmodi futurorum contingentium & fortuitorum eventuum inquiſitione & præcognitione, diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, ut ſua fraude ac dolis miſeros homines à via ſalutis avertat, & laqueo damnationis involvat. Quæ cum ita ſint, nonnulli hæc fideliter & religioſè ut debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipſi & alios in errorem mittentes, tales in primis ſunt Aſtrologi olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarii vocati, qui vanam falſamque ſyderum & aſtrorum ſcientiam profitentes, divinæque diſpoſitionis ordinationem, ſuo tempore revelandam prævenire audaciſſimè ſatagentes, hominum nativitates ſeu genituras ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac judicant futura, ſive etiam præſentia & præterita occulta, atque ex puerorum ortu & natali die, ſive quavis alia temporum & momentorum vaniſſima obſervatione & notatione, de uniuſcujuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, divitiis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliiſque proſperis, & adverſis caſibus & eventibus præcognoſcere, judicare, & affirmare temerè præſumunt, non ſine magno periculo erroris & infidelitatis, cum S. Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, eum qui hæc obſervat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem & baptiſmum prævaricaſſe affirmet, ut illos merito Apoſtolus arguat atque increpet illis verbis: Dies obſervatis & menſes & tempora & annos, timeo vos ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis. Hi igitur leviſſimi & temerarii homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam, grave fidelium ſcandalum & Chriſtianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus, & quæcumque proſperè vel adverſè obventura ſunt, ac actus humanos, ea denique quæ cum ex libera hominum voluntate proficiſcantur, aſtris ſyderibuſque adſcribunt, eiſque eam facultatem, vim, ſeu virtutem & efficaciam tribuunt ſignificandi futura & ad præcognita ita inclinandi, ut ſic omnino nec aliter eventura ſint, atque ob eam cauſam de iis rebus omnibus judicia facere, prognoſtica, prædictiones, & præcognitiones ſibi aſſumere, & palam venditare non dubitant, quibus pauci rudes & imperiti, aliique nimis creduli & imprudentes tantam fidem præſtant, ut ex hujuſmodi judiciorum, & prædictionum præſcripto,

pto, aliquid certò eſſe credant, aut ſperent, quorum ſanè & mendacium magiſtrorum temeritas, & infelicium diſcipulorum credulitas magnopere deploranda eſt, qui vel divinis literis admoniti non intelligunt hominis præſtantiam, cui Cœli & Stellæ, & clariſſima Cœli ſydera, Sol & Luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſerviunt; ſic enim Moyſes populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat: Ne forte elevatis oculis ad Cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores, ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt. Sed quid ſydera mirandum eſt homini ſervire? nonne nobiliſſimæ intelligentiæ Angeli, ipſi, omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? nam rationales oves ita diligit Deus, ut non ſolum Epiſcopos, quemadmodum à S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinaverit, ſed etiam Angelos deſtinaverit. Præclarè etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid adverſus Angelorum cuſtodiam & tutelam aſtra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſint comparanda? Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt eximii Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſſimi Pontificis Magni Gregorii ſententia qui Priſcillianiſtas hæreticos unumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum naſci putantes, magno rerum & verborum pondere confutat. Abſit, inquit, à fidelium cordibus, ut aliquid eſſe Fatum dicant, vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creavit adminiſtrat: neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt, & ſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur. Utinam inſani homines hæc ſaperent & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Neque enim quæ Chriſtiana & verà pietas repellit ac damnat, tanto ſtudio inveſtigarent, iiſdemque miſerè ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines & curioſi vel impii & irreligioſi, qui futurarum & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxiè habere ſtudent, ut ob eadem prænoſcenda, & inveſtiganda in divinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliiſque ſortilegiis & ſuperſtitionibus, non ſine Dæmonum ſaltē occulta ſocietate, aut tacita pactione, operā dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarū jactu uti non verentur. Alii vero aliquas priſtinæ & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ idolatriæ reliquias retinētes, quibuſdā auguriis, auſpiciis, ſimilibuſve ſignis, & vanis obſervationibus ad futurorū divinationem intendunt. Alii autem ſunt, qui cum Morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inferno, qui ſimiliter ad occultorum divinationem, ad inveniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta & veneficia adhibent, circulos & diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones invocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliave ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obſequia præſtant, cultum venerationemve tribuunt, aut annulum vel ſpeculum, aut parvas phialas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, ut putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel ſympaticis, & phantaſticis mulieribus Dæmones de futuris, vel occultis rebus aut factis exquirunt, ut merito ab his, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendaceſque referant reſponſiones. Alii quoque præſtigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phialis ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis, etiam benedictis ſub nomine Angeli Sancti & Albi, Diabolum omnium malorum ſatorem ſupplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum Architectum orant, ut ſimiliter futura vel occulta quævis per ſpectra, & apparentes imagines, & phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacii Diabolo aliis incantationibus, aut variis ſuperſtitioſis obſervationibus, futurorum, & occultorum hujuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumeravimus, conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum quod Dæmonis præſtigiis ac dolis tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illuſi ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in ſeipſis conſiderare antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſario conſequitur, ut Aſtrologi & alii prædicti qui hujuſmodi futura prænuntiare aut prænoſcere quocumque modo niſi Deo revelante audent, injuſtè atque imprudenter, quod Dei eſt ſibi aſſumant, & uſurpent. Sic fit, ut dum ab eis quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, divina majeſtas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioſo Chriſti ſanguine redemptis, peſtis atque exitium importetur.

§.2. Et licèt jampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto ſacri generalis Tridentini Concilii confecto, illud inter cætera conſtitutum fuerit, ut Epiſcopi diligenter providerent ne hujuſmodi Aſtrologiæ judiciariæ libri, tractatus & indices legerentur vel haberentur, qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, aut iis actionibus quæ ab humana voluntate pendent certò aliquid eventurum affirmare audent, permiſſis tamen judiciis, & naturalibus obſervationibus, quæ navigationis, agriculturæ, ſive medicæ artis juvandæ gratia conſcripta fuiſſent; libros vero omnes & ſcripta Geomantiæ, Necromantiæ, ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus rejici & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum & abuſuum prædictorum extirpationi uſque adeo proviſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli inſidiis, divinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur.

*Ordi… ideo … fuit … modi … libros … partis, … tirpa… cta na…*

§.3. Nos igitur, qui pro noſtro paſtoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conſervare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum divina gratia adjutrice poſſumus ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis vel perditis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim ubi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & providentia, ab omni erroris labe integram atque incorruptam, ut par eſt, retineri. Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac hujuſmodi illicitarum divinationum & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Chriſtiano populo merito dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt, Non eſt augurium in Jacob, neque divinatio in Iſraël. Hac perpetuo valitura conſtitutione, Apoſt. auctoritate ſtatuimus & mandamus, ut tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumque dictæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem magicam in poſterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm contra alios utriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas divinandi artes, ſive ſcientias exercent, profitentur & docent aut diſcunt, quive hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera & delicta, ut præfertur, faciunt aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi

*Hi… Pont. … logos … rios, M… mation… vinatio… ab O… riis, & … quiſi… ſi vere … ri man…*

&

& Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos ſeverius Canonicis pœnis,& aliis eorum arbitrio animadvertant.

§.4. Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus hujuſmodi judiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac ut ſupra in memorato Indice interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis, à quibuſcumque Chriſti fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta hujuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter iidem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere poſſint.

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.6. Ut autem præſentes noſtræ literæ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in valvis Baſilicarum S. Joan. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, ſeu appendi, eiſque detractis ipſarum exempla etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui.

§.7. Et inſuper univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet conſtitutis, per hæc committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum notitiã habuerint, in ſuis, & ſingulis parochialibus Eccleſiis, dum in eis populi multitudo ad divina cõvenerit, deinde verò ſemel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari ſermone publicẽt, aut publicari faciãt.

§.8. Quia vero difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit deferri, volumus ut earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac parvo ſigillo Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Eccleſiaſticæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. Nonis Januarii, Pont. noſtri anno 1.

*Anno à Nativitate Domini 1586. Indict. 14. die verò 9. menſis Februarii, Pont. Sanctiſſ. D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ Apoſt. affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis ſeu portis S. Ioan. Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ per nos Ioannem Freyle, & Nicolaum Taglietum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## VIII. Quod feſtum S. Antonii Luſitani, de Padua nuncupati, ſub die 13. menſis Junii duplici officio de cætero celebretur.

*Hunc Sanctum canonizavit Gregor. IX. ejuſque feſtivitatem inſtituit, ut ſupr. in ejus conſtit. 4.* Cum dicat.

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

IMmenſa divinæ ſapientiæ altitudo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, dignata eſt olim per Prophetam revelare, Deum in Sanctis ſuis laudari velle. Quod nos ad corun-



dem Sanctorum memoriam debita ſolemnitate celebrandam eo magis invitat, quia dum eorum merita recenſentur, virtutum quoque exempla fidelibus imitanda proponuntur, ut per ea fideles ipſi gradientes, ad cœleſtem beatitudinem eorundem Sanctorum ſuffragiis adjuti facilius valeant pervenire.

*S. Antonii de Padua merita, & laudes recenſentur.*

§.1. Quapropter nos conſiderantes quod inter multos ſanctitate, & doctrina præclaros viros, qui S. Franciſci veſtigia ſecuti fuerint, B. Antonius Ulyſſiponenſis, Patavinus nuncupatus, eximiæ ſanctitatis vir fuit, qui ab ineunte ætate mundum, ejuſque illecebras veluti venenum aſpidum fugiens, Deo ſe dicavit, ipſiuſque Seraphici Franciſci inſtitutum, magna cum ſpe, deſiderioque martyrii religiosè eſt complexus, in ſuſcepta vitæ diſciplina progrediens, cooperante Domino, mundi, carnis, & diaboli humani generis hoſtium egregiis dimicationibus triumphum reportavit, divina propterea imbutus ſapientia, multiſque ac variis provinciis peragratis, maxima hominum ab eo, qui lux, via, veritas, & vita èſt, aberrantium copia præclaris Chriſtianorum virtutum exemplis illuſtravit, ac verbi Dei, quod velut imber de cœlo deſcendens, terramque inebrians facit eam germinare, pia fœcundaque prædicatione mentes hominum ſalutaribus præceptis fœcundavit, multoſque ad Catholicæ doctrinæ lucem, & verbis, & conſequentibus ſignis perduxit, ac demum diverſis in vita, & poſt obitum miraculis clarus, ad permanentem illam, nullique mutationi obnoxiam patriam, recto atque incitato curſu evolavit, ubi in æternis cœleſtis regni manſionibus Beatus perfruitur.

*Canonizatio ejuſdem refertur.*

§.2. Ipſe autem à fel. rec. Gregorio Papa IX. prædeceſſore noſtro, Sanctorum quos Catholica veneratur Eccleſia, Catalogo ſolemni ritu adſcriptus, in cælo pro ipſa ſemper Eccleſia apud Deum, unà cum omnibus Sanctis ejuſdem gloriæ conſortibus aſſiduè, & pro peccatoribus intercedit.

*Inſtitutio duplicis officii.*

§.3. Quare ut ejuſdem beati viri qui Ordinis ipſius S. Franciſci profeſſor fuit, memoria à fidelibus crebrius recolatur, celebrique totius Eccleſiæ veneratione celebretur: Nos & divinis illius meritis adducti, & præcipuè erga illum noſtræ devotionis ſtudio excitati, hac præſenti conſtitutione præcipimus, & mandamus, ut ejuſdem Beati Antonii de Padua nuncupati confeſſoris glorioſi dies feſtus Idibus Junii, quo die ex hoc collachrymabili ſæculo ad cœleſtem patriam abiit, ſolemniter peragatur, ac ſub duplici minori, & proprio officio, atque ubi propria non erunt, de Communi Confeſſorum non Pontificum poſthac perpetuis futuris temporibus in omnibus univerſi Orbis Eccleſiis ritè celebretur, & in Kalendario cum duplicis feſtis adjectione inſcribatur: ſicubi verò dies ſupradictus ex fidelium devotione, ſeu conſuetudine aut præcepto, vel indulto Apoſtolico majori obſervantia, etiamſi duplici majoris in die feſti, & duplici minoris per octavam, ut apud Fratres ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci, celebrari conſueverit, id omnino ibidem retineatur.

*Juſſio eam obſervandi.*

§.4. Præcipientes omnibus, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis, ac quorumcumque regularium locorum, & Ordinum ſuperioribus, quatenus in ſuis quiſque Eccleſiis, provinciis, civitatibus, & diœceſibus, ac regularibus locis præſentes literas ſolemniter publicari, & ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis, tam ſæcularibus, quàm quorumvis Ordinum regularium ſecundum ritum S. R. E. officium perſolventibus, omnino obſervari faciant, ſi in Breviarii, & Miſſalis reformationibus nuper editis præfata ſolemnitas appoſita non fuerit.

*Fides tranſumptorum.*

§.5. Quoniam autem difficile eſſet eaſdem præſentes ad ſingula Orbis loca pervenire, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis, & exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 1. die 14 Janu.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1586. 19. Kal. Februarii, Pont. noſtri anno 1.

XIX. Innovatio indulti Capitulo ſacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ de Urbe conceſſi, dandi licentiam in ejus locis erigendi loca pia, accedente licentia Ordinariorum, quibus ſubjecta remaneant.

*Hac Lateranenſis Eccleſia ſupremum locum obtinet ſuper omnes Vrbis & Orbis Eccleſias, & centenaria gaudet præſcriptione, ut videre eſt ſupra in Greg. XI. conſt.* 1. Super, *ubi aliorum Pontificum Bullas indicavi.*

*Edita An.D. 1586.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS.*
*Dilecti filii, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Proœmium.*

SI cunctas per Orbem terrarum diffuſas Eccleſias in eorum juribus, & privilegiis libenter conſervare ſtudemus, multo magis, & ampliori ſollicitudine erga ſacroſanctam Baſilicam noſtram Lateranenſem de Urbe, quam Summi Romani Pontifices illorum Patriarchium eſſe voluerunt, id facere tenemur, ac proinde quæ ab eiſdem pro decore, & commodo illius, necnon divinis obſequiis ibidem inſiſtentium emanarunt, ſi quandoque revocata fuiſſe conſtat, quantum cum Deo poſſumus, adhibito moderationis remedio innovare congruum cenſemus.

*Bonifac. IX. ſtatuit quod quilibet in locis ad Eccleſiã Lateran. ſpectantibus loca pia erigere poſſet, illaque ſub mero, & mixto imperio & diſpoſitione Capituli, & Archipresbyteri extarent. Sed Bonifacii Bullam hic non habes.*

§. 1. Sanè cum dudum fel. rec. Bonifacius Papa IX. prædeceſſor noſter, qui ſingularem devotionis affectum ad eandem gerebat Baſilicam, cujus Archipresbyteratum dum minori officio fungebatur, ex conceſſione Apoſtolica obtinuerat, conſiderans ex quorundam Romanorum Pontificum declaratione ipſam omnibus aliis Urbis, & Orbis Eccleſiis anteferri, volens propterea ſpecialis alicujus prærogativæ privilegio eam decorare, tunc Archipresbytero, & Capitulo, ſingularibuſque perſonis, & Miniſtris illius, ac aliis quibuſcumque perſonis utriuſque ſexus, ut in quibuſvis feudis, terris, poſſeſſionibus, & locis ad eorundem Archipresbyteri, & Capituli menſam Capitularem ſpectantibus, diœceſani loci, aut alterius licentia minimè requiſita, Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, officia, & alia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, vel ſine cura, necnon Conventus, Hoſpitalia, & pia loca quæcumque fundare, conſtruere, inſtaurare, erigere, ædificare, & toties quoties placeret, valerent (jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & alias cujuſlibet in omnibus ſemper ſalvo) auctoritate Apoſtolica indulſerit, ſtatuens, & ordinans, quod poſtquam prædicta fundata, conſtructa, erecta, ædificata, & dotata eſſent, permanerent, ac eſſent, & eſſe deberent, cenſerenturque immediatè ſubeſſe ſub ipſorum Archipresbyteri, & Capituli dominio, protectione, juriſdictione, defenſione, auctoritate, & poteſtate, ac eorum plenum jus, dominium, merumque, & mixtum imperium, necnon inſtitutio, deſtitutio, collatio, proviſio, præſentatio, & quævis alia diſpoſitio ad ipſos ſolùm, & in ſolidum pertinerent in perpetuum atque ſpectarent, prout ejuſdem prædeceſſoris literis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

*Pius IV. in-dulta revocavit, ut ſup. in ejus conſt. 57.* Regimini.

§. 2. Et ſicut nuper expoſuiſtis, Capitulum, & Canonici ipſius Baſilicæ, qui poſtmodum fuerunt literis patentibus à ſe ſub hoc eorum titulo, & nomine tantum expeditis, licentias, & facultates Eccleſias, Monaſteria, cæteraque prænarrata fundandi, inſtaurandi, erigendi, & faciendi diverſis, etiam ſub præſtatione, & ſolutione cenſus perpetuò in recognitionem directi dominii annuatim ſibi facienda conceſſerint, atque concedere continuaverint, donec recol. mem. Pius Papa IV. itidem prædeceſſor noſter motu ſuo proprio, omnia & ſingula privilegia, facultates, & indulta, per eum, & Sedem Apoſtolicam, ſive Romanos Pontifices prædeceſſores, erigendi, & inſtituendi Eccleſias, Capellas, Capellanias, Oratoria, Altaria, Societates, & Confraternitates, illaque in grancias, vel membra recipiendi, nobis & certis aliis tunc expreſſis, in ſpecie, vel genere quomodolibet conceſſa caſſaverit, irritaverit penitus, & aboleverit, aliaque ſtatuerit, & ordinaverit, prout literis ſuis hac de re promulgatis, quarum pariter tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur, humiliterque ſupplicaveritis, ut adverſus hujuſmodi caſſationem, & abolitionem vos reſtituere dignaremur.

§. 3. Nos moti tam prænarrata Bonifacii Papæ prædeceſſoris conſideratione, quam præclara memoria Imperatoris Conſtantini, cujus morbum ſuſcepto hic olim baptiſmo divina gratia ſanavit, veſtris hujuſmodi ſupplicationibus benignè annuentes, prænarrataſque Bonifacii Papæ literas cum omnibus, & ſingulis decretis, clauſulis, & aliis in eis contentis, Apoſtolica auctoritate (modificationibus infraſcriptis ſemper ſalvis) harum noſtrarum ſerie revalidantes, & innovantes, voſque ad illarum priſtinum uſum adverſus ſupradictas Pii IV. literas revocatorias reſtituentes, & plenariè reintegrantes, ex ſpeciali gratia indulgemus, quod perpetuis futuris temporibus, literis veſtris patentibus, ſub ſolitis titulo, & nomine ſupradictis, etiam abſque præſentium noſtrarum inſertione expediendis, licentiam & facultatem liberas quibuſlibet bene viſis, in fundis, terris, & locis menſæ veſtræ Capitularis, ac alias juxta earundem Bonifacii Papæ prædeceſſoris literarum formam, quæcumque Monaſteria, Prioratus, Conventus, Eccleſias, dignitates, perſonatus, officia, & alia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, vel ſine cura, necnon Hoſpitalia, & alia pia loca fundandi, erigendi, ædificandi, dotandi, ac alia quomodolibet in illis contenta faciendi, quæ quidem dominio, protectioni, juriſdictioni, defenſioni, ac poteſtati veſtris immediatè ſubſint, necnon earundem plenum jus, dominium, merumque, & mixtum imperium, inſtitutio, inſuper deſtitutio, collatio, proviſio, præſentatio, & quævis alia diſpoſitio ad vos ſolum, & in ſolidum perpetuò ſpectet, dummodo Epiſcoporum, in quorum Civitatibus, ſeu diœceſibus illa fuerint, licentia expreſſa ad hoc accedat, Eccleſiæque, & alia, ut præfertur, fundanda, erigenda, ædificanda, & dotanda atque illa pro tempore obtinentes, libertatis, immunitatis, & exemptionis privilegium aliquod à juriſdictione, & ſuperioritate ipſorum Epiſcoporum, aliterve contra formam decretorum, & ordinationum ſacri Concilii Tridentini propterea non acquirant, licentiam & facultatem liberas, ut prius in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi literæ hujuſmodi revocatoriæ nullatenus emanaſſent, concedere valeatis.

*Hic modo innova... dultum ... nif. IX. ... ſum, ... modific... quod ... licētia ... nariorum loca erig... cum ... ſubſimi... Ordina...*

*Ad hoc ... inf. con... Clem. V...* Quoni...

§. 4. Non obſtantibus dicti Pii IV. literis revocatoriis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, in contrarium quomodolibet, etiam iteratis vicibus, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda eſſet, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Clau... derog...*

§. 5. Volentes quod harum noſtrarum exemplis à Notario publico ſubſcriptis, & ſigillo Capitulari obſignatis, eadem prorſus fides ubique, in judicio, & extra adhibeatur, quam originales literæ ipſæ facerent, ſi exhiberentur.

*Fi... ſumpt...*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Januarii 1586. Pont. noſtri anno 1.

*D. P. ... die 16...*

X... Prohibitio tranſeundi ab Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, ad Fratres Capuccinos.

*Tranſitum hujuſmodi inter Capuccinos, & Fratres Minimos S. Franciſci de Paula interdixit etiam Pius V. ut ſup. in ejus conſt.* 45. Sedis.

Alia de Capuccinis, & eorum Regula notavi ſup. in conſt. 21. Clem. VII. *Religionis.* Et de toto Ordine notavi ad conſt. 5. Honor. III. *Solet.*

*SIXTVS*

## SIXTUS PAPA V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

PRo ea, quam præcipuam gerimus erga S. Franciſcum devotione, illius familiam univerſam paterno amore complectentes, ea ſtudemus de medio tollere, quæ diſſidii inter ipſos Religioſos, ejus regulam ſectantes, occaſionem præbent, aut iis qui levitate animi minus conſtantes perſiſtunt in obedientia cui ſe ipſos dicaverunt, ab ea ſe ſubtrahendi viam aperiunt.

§. 1. Sanè jampridem fel. rec. Paulus Papa III. & Julius etiam III. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri juſtis de cauſis adducti prohibuerunt, ne ullo modo fratres de Obſervantia, ſine ſuorum Generalium vel Provincialium licentia in ſcriptis habita, ad Congregationem Capuccinorum ſe transferre, ſive ab ipſis Capuccinis recipi, aut in illorum domibus retineri poſſent, vel deberent, certis etiam gravioribus pœnis adjectis, prout in illorum literis plenius continetur.

§. 2. Quare nos quoque eorundem prædeceſſorum exempla ſecuti, toto negotio cum quibuſdam ex venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus communicato, ac diligenter conſiderato, literarum hujuſmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, de eorundem Cardinalium conſilio, etiam de novo Auctoritate Apoſtolica, per præſentes diſtrictius interdicimus, tam ipſis Capuccinis, ne quemquam eorundem Fratrum de Obſervantia, poſt emiſſam profeſſionem regularem juxta inſtituta ejuſdem Ordinis de Obſervantia, ad eos quovis habitu, & quacumque de cauſa tranſeuntem, ſine noſtra, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis licentia ſpeciali, per literas Apoſtolicas expreſſam, & in ſpecie, non autem per clauſulas generales idem importantes, præſentis prohibitionis mentionem & derogationem continentes, aut eorundem Generalis, vel Provincialium miniſtrorum Fratrum de Obſervantia licentia in ſcriptis, ut præfertur, obtenta, admittere, recipere, & retinere, quam Fratribus de Obſervantia prædictis, nec quiſquam eorum ad Congregationem Capuccinorum ſine hujuſmodi licentia ſe transferre in futurum præſumant.

§. 3. In ſingulos vero Capuccinorum Superiores Provinciales, Miniſtros domorum, Guardianos, Vicarios, ſeu Præſides, necnon ipſos Fratres de Obſervantia, qui in præmiſſis quoquo modo contravenerint, excommunicationis ſententiam ferimus, eoſque omnibus & quibuſcumque dignitatibus, adminiſtrationibus & officiis per eos pro tempore obtentis auctoritate præſentium privamus, & ad futura, ac quoſcumque actus legitimos exercendos inhabiles eſſe volumus eo ipſo. Decernentes receptiones, admiſſiones, & retentiones quaſcumque de illis ex quavis cauſa ſine dicta licentia faciendas, nulla omnino firmitate ſubſiſtere, neminemque penitus ulli voto, aut promiſſioni, etiam juramento, aliave ſolemnitate roboratis, obligare poſſe.

§. 4. Præſenteſque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari ſeu impugnari, aut ſub prætextu quod contra alias Apoſtolicas, ac canonicas ſanctiones jampridem uſu receptas (quod ſcilicet unicuique regulari ad arctiorem regulam & religionom tranſeundi, petita dumtaxat, ac etiam non obtenta ſuperiorum licentia, tranſitus liberè & licitè permittatur) aut alio quovis prætextu, ſeu quæſito colore, in jus & controverſiam revocari aut invalidari, ac ad terminos juris reduci non poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere.

§. 5. Sicque in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices & Commiſſarios ordinarios, & delegatos, ac S.R.E. Cardinales, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Mandantes univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, ut quando, ubi, & quoties opus fuerit, ac pro parte alicujus ex fratribus de Obſervantia hujuſmodi fuerint requiſiti, præſentes literas ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant quemquam ex prædictis, ſi qui forſan in poſterum ſe de facto transferre præſumpſerint, contra earundem præſentium continentiam & tenorem, in aliqua domo ſeu loco ipſorum Capuccinorum admitti, recipi, & retineri. Contradictores quoſlibet & rebelles, eiſque auxilium vel favorem, directè vel indirectè quomodolibet præſtantes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus ſententias & cenſuras ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis ac Ordinis & Congregationis Capuccinorum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon facultatibus, diſpenſationibus & indultis, ipſi Congregationi Capuccinorum, eorumque Superioribus & perſonis, aut domibus quibuſcumque recipiendi, vel retinendi fratres de Obſervantia, etiam ſuorum Superiorum licentia petita dumtaxat, & non obtenta, aut non petita tranſeuntes, tam expreſsè & principaliter quam per communicationem ad inſtar aliorum Ordinum & Congregationum quorum gratiarum & indultorum ipſi forſan Capuccini principes effecti ſunt, etiāſi pariformiter, & æquè principaliter ipſa communicatio & extenſio facta fuerit per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores aut ſucceſſores noſtros, etiā Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac de eorundem Cardinalium conſilio pro tempore conceſſis, approbatis & innovatis, quæ omnia, ac deſuper confectas literas, proceſſuſque habitos per eaſdem, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, abrogamus, caſſamus & annullamus. Aut ſi ipſis Capuccinis, eorumque Prælatis & Superioribus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod literis revocatoriis, ſub quacumque formula editis nullatenus, vel niſi modis & formis in hujuſmodi indultis contentis parêre, & ob non paritionem aliquas ſententias, cenſuras & pœnas incurrere, aut alias interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem etiam quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Quæ omnia volumus nemini contra prædicta in aliquo ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſula derogatoria.*

§. 8. Volumus autem ut præſentium exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ejuſve Curiæ ſigillo obſignatis eadem fides ubique in judicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Januarii 1586. Pont. noſtri anno 1. *Dat. P. An. 1. die 28. Ian.*

---

Confirmatio & ampliatio indultorum ac indulgentiarum Roſariii B. Mariæ Virginis. Et facultatis Magiſtri Generalis & Vicarii Ordinis S. Dominici, in erigendis Capellis & inſtituēdis Confraternitatibus Roſarii, pro quibus aliæ etiam gratiæ & indulgentiæ conceduntur. XXI.

*Indulgentiæ hujus Confraternitatis præſervatæ fuerunt à Paulo V. & comprobatæ in ejus conſt. data die 20. Septembris 1608. mox publicanda. De Roſario autem, ſive Pſalterio notavi ſup. in conſt. 18. Sixti IV.* Ea quæ.

*Edita An. D. 1585.*

## *SIXTVS PAPA V.*

***Ad perpetuam rei memoriam.***

*B. Maria Virginis merita & laudes.*

DUm ineffabilia meritorũ inſignia, quibus Dei Genitrix B. Virgo Maria Regina cœlorum glorioſa, ſedibus prælata ſydereis, tãquam ſtella matutina prærutilat, devotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, & inter arcana pectoris revolvimus, quod ipſa utpote mater miſericordiæ, mater gratiæ & pietatis, humani generis amica & conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum culpa prægravantur, ſedula exoratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, & maternis lactavit uberibus intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut Eccleſias, & Capellas, ac Confraternitates in ejus honorem erectas & inſtitutas, gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, ac indulgentiarum muneribus decoremus, ac per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros eiſdem Confratribus conceſſas indulgentias, & privilegia, noſtræ approbationis munimine roboremus, eaſque innovemus, prout ſalubrius cognoſcimus expedire.

*Pſalteriũ ſeu Roſarium B. Virg. à S. Dominico inſtitutum.*

§. 1. Attendentes itaque quam Religioni noſtræ fructuoſum fuerit ſanctiſſimi Pſalterii, Roſarii nuncupati, glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, Almæ Dei genitricis inſtitutum, per beatum Dominicum Ordinis Fratrum Prædicatorum auctorem, Spiritu ſancto, ut creditur, afflatum, excogitatum, quantaque exinde mundo provenerint, & in dies proveniant bona, & quod propterea utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitates ſub invocatione Roſarii ejuſdem B. Mariæ Virginis in diverſis Orbis Eccleſiis, in Capellis & Altaribus canonicè ſint inſtitutæ.

*Hoc idem habetur in conſt. 80. Pii V. Inter.*

*Sodalitas Roſarii gratias & indulg. à multis Pont. obtinuit.*

§. 2. Earumque Confratres ac Sorores à quamplurimis, & præſertim fel. rec. Urbano IV. & Joanne XXII. ac Sixto etiam IV. necnon Innocentio VIII. & Alexandro VI. ac Julio II. & Leone X. ac Adriano VI. & Clem. VII. & Paulo III. ac Julio etiam III. ac Paulo IV. Pio etiam IV. ac Pio V. & poſtremò Greg. XIII. Romanis Pont. prædeceſſoribus noſtris, ac nonnullis Sedis Apoſtolicæ, cum poteſtate Legati de latere, Nuntiis, nedum confirmationem & augmentum earundem Confraternitatum, ſed etiam indulgentias, ac privilegia & indulta meritò obtinere meruerint.

*Hic Pont. omnes gratias, indulgentias & indulta confirmat, & innovat.*

§. 3. Nos dictorum prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, ac eodem, quo ipſi prædeceſſores noſtri, devotionis affectu divinitus excitati, necnon dilecti filii noſtri Michaëlis tituli B. Mariæ ſuper Minervam presbyt. Card. Alexandrini nuncupati ſupplicationibus inclinati, ſingularum literarum prædictarum tenores & formas præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, omnia & ſingula privilegia, immunitates, & exemptiones, conceſſiones, indulta, indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, omnibus & ſingulis Confraternitatibus dicti Roſarii ubicumque terrarum canonice inſtitutis, earumque Confratribus & Sororibus, tam per dictos prædeceſſores noſtros & Sedem prædictam, ſeu illius Nuntios, cum poteſtate Legati de latere conceſſa, elargita, & confirmata, ac cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis deſuper confectas literas prædictas, & vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet emanatas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, perpetuo confirmamus & approbamus, illaque omnia & ſingula, prout per ipſos prædeceſſores noſtros, & alios prædictos conceſſa fuerunt, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inviolabiliter obſervari debere decernimus, omneſque & ſingulos tam juris quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

*Confirmavit etiam Paul. V. ut dixi in rub.*

*Et innovat.*

§. 4. Et potiori pro cautela omnes & ſingulas indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones ac relaxationes, exemptiones, facultates, conceſſiones, aliaque privilegia & indulta prædicta, omnibus & ſingulis Confraternitatibus dicti Roſarii, in quibuſvis Eccleſiis, & Capellis, ac Altaribus ubicumque terrarum canonice erectis, earumque Confratribus & Sororibus, necnon officialibus & miniſtris eiſdem modo & forma, quibus per eoſdem prædeceſſores noſtros, & dictæ Sedis Nuntios conceſſa fuerunt, dicta auctoritate Apoſtolica de novo concedimus & innovamus, ac omnibus & ſingulis Confraternitatum Roſarii hujuſmodi Confratribus & Sororibus, nunc & pro tempore exiſtentibus ſuffragari debere, eoſque illis perpetuò uti, potiri, & gaudere poſſe decernimus & declaramus.

*Faculta[s] inſtitu[endi] Confra[ternitates] Roſarii [conce]dit Ma[giſtro] & [Vicario] gen. Ord. Domini[canorum] deputan[dis].*

§. 5. Et inſuper ut omnibus & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, per Magiſtrum & Vicariũ generales dicti Ordinis Prædicatorum, & eorum quemlibet pro tempore deputandis, in quibuſvis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis ubicumque exiſtentibus, ut in eorundem Prædicatorum vel aliorum Ordinum, Monaſteriorum, ſeu domorum Eccleſiis, Capellis, & Oratoriis, & etiam in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus nullæ Confraternitates ejuſdem Roſarii adhuc erectæ exiſtunt, de Superiorum & Ordinariorum licentia Confraternitates ejuſdem Sanctiſſimi Roſarii, ad Dei & ejuſdem B. Virginis laudem & gloriam erigere & inſtituere liberè & licitè poſſint & valeant, plenam & liberam licentiam & facultatem dicta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus.

*Eiſque [conce]ſſis o[mnes] gratias [& in]dulta [Confr.] Roſarii [con]fraternit[atibus] [concef]ſa elarg[it].*

§. 6. Ac poſtquam erectæ fuerint, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, conceſſionibus, indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum remiſſionibus, ac relaxationibus, & gratiis quibuſvis aliis ejuſdem Roſarii Confraternitatibus, earumque Confratribus ac Sororibus, per prædictos & quoſcumque alios Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros, ac etiam nos & Sedem prædictam ejuſque Nuntios & etiam de latere Legatos hactenus quomodolibet conceſſis ac concedendis, & quibus Confraternitates hujuſmodi, earumque Confratres & Sorores quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & æquè principaliter, in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi illis ſpecialiter & expreſsè ac nominatim conceſſa fuiſſent, uti, potiri, & gaudere liberè & licitè poſſint, pariter concedimus & indulgemus, ac privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, conceſſiones, indulgentias etiam plenarias, ut præfertur, conceſſas & conceſſa, ad ipſas Confraternitates erigendas, illarumque Confratres & Sorores pro tempore exiſtentes perpetuò extendimus & ampliamus.

*Confra[tribus] qui ali[as in]dulg. his [...] ciat ac [...] att.*

§. 7. Ut autem animarum Chriſti fidelium Confraternitatum, tam erectarum quàm per fratres deputandos hujuſmodi erigendarum, eaſdem Confraternitates ingredi volentium ſpirituali conſolationi peramplius conſulatur, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus ſingularum Confraternitatum Roſarii hujuſmodi, tam hactenus erectarum quàm in poſterum erigendarú, ut præfertur ubicumque, nunc & pro tempore exiſtentibus, & in dictis Confraternitatibus pro tempore deſcriptis & deſcribendis, itinerantibus vel navigantibus, ac ſervientibus, totum Roſarium, infirmis verò, aut alias legitimè impeditis, tertiam ejus partem devotè recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Eccleſia ſtatutis confitendi & communicandi firmum propoſitum habentibus, qui Capellam B. Mariæ Roſarii in Eccleſia ipſius B. Mariæ ſupra Minervam de Urbe ejuſdem Ordinis Prædicatorum inſtitutam, vel alias Eccleſias, ſeu Capellas ubicumque dicta Confraternitas canonicè fundata fuerit, iis diebus, quibus feſta myſteriorum ejuſdem Roſarii celebrantur, viſitare, & proceſſioni, quæ prima Dominica cujuſlibet menſis fieri ſolet, intereſſe non potuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem auctoritate & tenore prædictis concedimus & elargimur, illiſque omnes & ſingulas indulgentias & peccatorum remiſſiones, etiam plenarias, aliis Confratribus & Sororibus, Capellas ſeu Eccleſias Roſarii hujuſmodi dictis diebus viſitantibus, ac dictæ proceſſioni intereſſentibus, ſpecialiter vel generaliter conceſſas, & in futurum concedendas, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi dictas Capellas ſeu Eccleſias dictis diebus perſonaliter viſitarent, & proceſſionibus hujuſmodi intereſſent, auctoritate & tenore prædictis communicamus, ac communicatas eſſe, ſpecialiter vel generaliter decernimus & declaramus.

§. 8. Quia

§.8. Quia verò difficile foret præſentes literas ad ſingula quæcumque loca, in quibus expediens foret, deferri, volumus, & etiam Apoſtolica auctoritate prædicta decernimus, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

§.9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Januarii 1586. Pont. noſtri anno 1.

XII. Innovatio Feſtivitatis S. Januarii Epiſcopi & Martyris, & Sociorum ejus, die 19. Septemb. ſimplici officio celebrandæ.

*S I X T V S E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

PIa Sanctorum Patrum Providentia inſtitutum eſt in Eccleſia Dei, & poſteris traditum, ut complurium martyrum inſignium memoria ſtatis diebus, ſolemnibuſque cæremoniis, atque anniverſariis ſacris in cunctis Eccleſiis recolatur. Ita enim & illis honor debitus tribuitur, & fideles ad eorum imitanda exempla pro ſuo quiſque modulo invitantur.

§.1. Proinde nos operæ pretium duximus efficere, ut ſanctorum martyrum Januarii Epiſcopi & ſociorum ejus qui poſt vincula & carceres glorioſa martyrii corona propter Chriſti nominis confeſſionem ſunt donati, jucundam recordationem diu intermiſſam renovando, plebem Dei hilaremus, cujus quidem B. Januarii ſanctitatem Deus omnipotens multis, iiſque clariſſimis editis miraculis ad noſtram uſque ætatem in Neapolitana potiſſimum civitate, in qua ejus corpus ſepultum religiosè aſſervatur, celeberrimè apud omnes gentes teſtatam eſſe voluit, adeò ut non immerito, tum in divinis officiis, tum in ipſo ſacrificio ab univerſo fidelium cœtu eorum commemoratio fieri debeat, prout ante novam reformationem Romani Miſſalis & Breviarii fieri conſueverat.

§.2. Hac igitur noſtra perpetuo valitura conſtitutione præcipimus, ut eorundem ſanctorum Januarii & ſociorum ejus dies feſtus, 13. Kal. Octobris, in totius Orbis terrarum Eccleſiis ſimplici officio de communi plurimorum martyrum celebretur, ac decernimus, ut in novo etiam quo nunc utimur, ſicut antea in veteri Kalendario ad eum diem ſanctorum eorundem nomina, & Simplicis nota adſcribatur.

§.3. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in univerſo Orbe conſtitutis, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, provinciis, civitatibus, & diœceſibus præſentes noſtras ſolemniter publicari faciant, ab omnibuſque Eccleſiaſticis perſonis, & ſæcularibus omnino obſervari, licet adnotatio hujus celebritatis in poſtremis Breviarii & Miſſalis reformationibus fuerit prætermiſſa.

§. 4. Volumus autem ut præſentium exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarn. Dominicæ 1586. Kal. Februarii, Pont. noſtri anno 1.

*Anno à Nativitate Domini 1586. Indict. 14. die verò 10. menſis Februarii, Pont. Sanctiſſ. D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ Apoſt. affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis ſeu portis S. Ioan. Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Freyle, & Nicolaum Taglierrum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

XXIII. Renovatio Pontificalium Capellarum, in Baſilicis, certiſque Almæ Urbis Eccleſiis, Dominicis Quadrageſimæ, & Adventus, aliiſque ſtatis ſolemnibus diebus celebrandarum.

*S I X T V S E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1586.*

EGregia Populi Romani pietas magnis Sanctorum Patrum laudibus celebrata, poſteaquam terrarum Princeps civitas, beatiſſimis Apoſtolis Evangelii lucem annuntiantibus, ſuave Chriſti jugum accepit, & per B. Petri Sedem verè caput Orbis terræ effecta, latiùs cœpit præſidere poteſtate divina, quam dominatione terrena, præclara adhuc ſingulari Dei benignitate religioſæ antiquitatis monimenta conſervat. Inter quæ vetus admodum eſt ab Apoſtolicis uſque ducta temporibus, ſacrarum Stationum conſuetudo, in quibus fidelium multitudo ad Apoſtolorum ſepulchra, & fortiſſimorum Martyrum memorias conveniens, hymnis & canticis ſpiritualibus Deum in ſanctis ſuis mirabilem laudabat, & ſalutaribus immaculatæ Hoſtiæ ſacrificiis placabat, & adverſus multiplices antiqui hoſtis oppugnationes, tanquam in caſtris Dei, Statione tutiſſima conſiſtebat.

*Stationum conſuetudo antiquiſſima eſt.*

§. 1. Quam memoriam à majoribus acceptam, nunc etiam Roma antiquiſſimis Urbis Baſilicis, & Martyrum Eccleſiis viſitandis, ſtatis Dominicis, aliiſque ſolemnibus, in primis verò ſacro Adventus Domini, & Quadrageſimæ tempore, magna populi frequentia anniverſaria celebritate devotè obſervat. Nos autem, quibus pro noſtra Paſtorali ſollicitudine, nihil optabilius eſt quam animas Chriſto lucrari, tam pium ac ſalutare inſtitutum, non ſolum retinere cupimus, ſed etiam ornare, ac omnis Religionis officio propagare ſummopere ſtudemus, his præſertim luctuoſis Chriſtianæ Reipub. temporibus, quæ ad placandam Dei iram, ad deteſtabiles hæreſes extirpandas, ad pacem & tranquillitatem Eccleſiæ obtinendam, ad vitia & peccata hominum corrigenda, crebriora pœnitentiæ & pietatis opera, ac multiplicatas Sanctorum cum Chriſto regnantium preces & interceſſiones maxime requirunt, ſed potiſſimum Sanctorum omnium Reginæ, Dei noſtri Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ Chriſtiani populi Advocatæ, cæleſte patrocinium deſiderant.

*Roma hanc ſtationū conſuetudinem retinet, & obſervat, antiquas Baſilicas, & Eccleſias devote certis temporibus viſitans.*

§. 2. Et vero cum multis antiquis & religioſiſſimis Eccleſiis, quas majorum pietas magnifice extruxit, hæc Alma Urbs ornatiſſima ſit, tum illæ potiſſimùm intra, atque extra mœnia poſitæ ſeptem Baſilicæ, quas veteri inſtituto fideles pia ac ſalutari peregrinatione obire ſolent, magnam jure optimo, non ſolum apud Cives, ſed apud externos populos venerationem habent, ſunt enim antiquitate, Religione, ſanctorum Martyrum venerandis Reliquiis, ſacris indulgentiis, & denique myſtica ſeptenarii numeri ratione celeberrimæ: nam quemadmodum Joan. Apoſtolus admirabilem illam Apocalypſim ſeptem Aſiæ Eccleſiis ſcribens univerſam Eccleſiam adumbravit, quam Deus cœleſtibus Spiritus ſancti donis perficit, & in qua una habitat & requieſcit, ita Romæ ſeptem Eccleſiæ magno ejuſdem numeri myſterio ſunt inſtitutæ, ut totius Eccleſiæ unio, & perfectio in ipſo capite unde omnium Eccleſiarum unitas dimanat, illuſtrius appareret.

*Septem præſertim Baſilicas in Urbe admod. celeberrimas.*

§.3. Quod cum ita ſit, ſane non poſſumus non dolere, nunquam fere noſtris quidem temporibus apud eas, una Vaticana excepta, Pontificales Capellas celebrari, cum tamen primarias illas Urbis Baſilicas toto terrarum Orbe illuſtres à Summo Rom. Pontifice, & ſacro Cardinalium Collegio ita interdum adiri debere, ut ibi quoque divina Miſſarum officia ſolemniter fiant, & ipſarum Eccleſiarum majeſtas, in quibus divinæ gratiæ redundāt, & Pontificalis officii ratio, & majorum noſtrorum exempla id à nobis omnino requirere videantur. Notum eſt enim ex Eccleſiaſticæ antiquitatis monimentis, veteres illos ſanctiſſimos Pontifices prædeceſſores noſtros, in his Baſilicis frequenter admodum divina officia cum Clero & Populo obiviſſe, quod duorum præſertim Beatiſſimorum Pontificum, quos ob ſanctitatem & rerum

*In quibus antiqui Pontifices divina celebrare ſolebant.*

geſtarum gloriam merito magnos appellamus, Leonis & Gregorii ſermones complures, divina quadam ſpiritus eloquentia pleni, inter ipſa Miſſarum ſolemnia ad populum habiti, apertè declarant.

*Hic itaque Pont. ad ipſarum Baſilicarum venerationem, & populi devotionem augendam in eiſdem Baſilicis ſolemnes Miſſarum Capellas Pontificales, in futurum celebrari decrevit, uno ex Card. Miſſam cantante.*

§.4. Quare cum ſeptem ſint, Paſchali connumerata, Quadrageſimæ Dominicæ, & rurſum quatuor illæ Adventus, cum Natali, Circumciſione, & Epiphania Domini, ſeptenarium item numerum conficiant, in quibus omnibus celebritatibus Capellæ in Apoſtolico Palatio, aut in Baſilica Vaticana, de more fieri ſolent, decrevimus de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum, verbo cum eis ea de re in Conſiſtorio noſtro ſecreto maturè facto, ad Dei & Sanctorum gloriam, & Eccleſiarum ipſarum venerationem, ac fidelis populi devotionem augendam, ſenectuti noſtræ nequaquam parcentes, ſed paſtoralis officii munus exequentes, tametſi graviſſimis pro univerſæ Eccleſiæ cura occupationibus diſtineamur, in eiſdem Baſilicis ſolemnes Miſſarum Capellas facere, uno ex S.R.E. Cardinalibus Miſſam celebrante, idque quotieſcumque in eiſdem Baſilicis Capella Pontificalis fiet, ritu perpetuo obſervabitur. Sermo item tempori accommodatus, ad divinas Sanctorumque laudes prædicandas, & audientium pietatem inflammandam, de more ſemper habebitur, ut duplicatio ſeptenarii numeri, ſacroſancta ſacrificia, & ſeptem Capitalium peccatorum veniam, & ſeptiformem ſancti Spiritus gratiam Chriſtiano populo à Deo impetrent.

*Et ideo ad dd. Baſilicas vias aperuit, ut dicitur eiſd. inf. in conſtit. 66.* Decet.

§.5. Ad quas quidem venerandas Baſilicas ut commodius & decentius adiri poſſit, atque ut in eis frequentius celebrandis populi religio augeatur, jam vias latas & directas patefecimus.

*Et modo in locum Eccleſiæ S. Sebaſtiani ad hujuſmodi celebrationes incommodæ, Eccleſiam S. Mariæ de Populo ſubrogat.*

§. 6. Cæterum cum Eccleſia S. Sebaſtiani mart. vetuſtiſſima illa quidem, & religioſiſſima, cum propter loci diſtantiam, tum etiam anguſtiam, aliaque incommoda, minus idonea ſit ad Pontificalium miſſarum celebrationem. Decrevimus in ejus locum Eccleſiam S. Mariæ quæ de Populo dicitur, ſubſtituere, non ſolum amplitudin. & loci commoditate opportunam, ſed magna etiam Religione venerabilem: ſæpe enim & pluribus locis ad ſanctiſſimam illam gratiarum matrem, & miſericordiæ parentem recurrendum eſt, ut ibi potiſſimum ubi populi nomine inſignita, & ubi multa illius clementiæ extant monimenta, precibus noſtris invocata pro populo oret, pro clero interveniat, & pro devoto fœmineo ſexu intercedat. Nec verò Eccleſiæ S. Sebaſtiani ſua privilegia & indulgentias adimimus, quæ etiam in altera novem Eccleſiarum viſitatione, quas pia multorum fidelium devotio luſtrare ſolet, ſuo loco atque ordine permanebit. At vero Eccleſiæ S. Mariæ de populo eaſdem ita indulgentias concedimus, quemadmodum nec ulla ſtationum tranſlatione aut mutatione, in Quadrageſima, ſive in Adventu, cæteriſque diebus quicquam detrahimus, ſed gratias gratiis cumulamus, ut apud plures Eccleſias majore pietatis zelo Deo, & ſanctis ejus honor & cultus tribuatur. Ipſas verò Pontificales Capellas hoc ordine diſtribui volumus.

*Capellarumque in dictis ſeptem Eccleſiis celebrandarum ordinem hic ſubmiſit.*

§.7. In Quadrageſima, Dominica prima ad S. Mariam de Populo, ſecunda ad S. Paulum, tertia ad S. Laurentium extra muros, quarta ad S. Crucem in Hieruſalem, quinta ad S. Mariam majorem, ſexta in Palmis ad S. Petrum, Dominica Paſchæ ad S. Joannem in Laterano, ubi populo ſolemniter benedicemus. In Adventu verò, Dominica prima ad S. Laurentium, ſecunda ad S. Joannem, tertia ad S. Crucem in Hieruſalem, quarta ad Sanctum Paulum, in Natali Domini ad S. Mariam majorem, ad præſepe Domini more antiquiſſimo, in Circumciſione Domini ad S. Mariam de Populo, in Epiphania ad S. Petrum.

*Aliaſque Capellas aliis feſtivitatibus Sanctorum, quorum nomini ipſæ Baſilicæ dicatæ ſunt, celebrari jubet.*

§.8. Præterea cum feſti anniverſarii dies advenerint, ſanctorum illorum, quorum nomine Baſilicæ ipſæ Deo dicatæ ſunt, apud eas pariter Pontificias Capellas faciemus, nimirum in Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis ad S. Mariam majorem, de more, in ejus Nativitate ad S. Mariam de Populo, in Inventione S. Crucis ad S. Crucem in Hieruſalem, in Natali S. Petri in Baſilica ejus Vaticana, in Converſione S. Pauli in ejus Baſilica, in Natali S. Joan. Baptiſtæ in Baſilica Lateran. in die feſto Sancti Laurentii martyris in ejus Baſilica extra Muros. Miſſam item Annuntiationis Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, Pontificalem Capellam faciemus apud Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam, doteſque de more pro maritandis puellis diſtribuemus, in tribus verò celebritatibus, hoc eſt in die Aſcenſionis Domini, quo etiam die Romanus Pontifex populo ſolemniter benedicit, item Pentecoſtes, & omnium Sanctorum, Pontificales Capellæ fient in Baſilica S. Petri, in die verò feſto Sacratiſſimi Corporis Chriſti poſt Miſſam ſolemnem, quæ de more in Capella Palatina habebitur, erit Pontificalis proceſſio, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ repoſitio in eadem Baſilica Vaticana, cæteris Feſtis ſolemnibuſque diebus, Miſſæ in Capella Palatii Apoſtolici de more celebrabuntur.

*Aliamque Ca[...] in prima Quadrag. [...] Eccl. S. [...] na Card. [...] jore Pœni[...]tiario Mi[...] cantante [...]lebrari, [...]reſque ſu[...] ſum Pa[...] nedicti, [...] ſpargi [...]mit.*

§.9. Ut igitur hunc ſacrum, ſolemnemque ritum Pontificales Capellas apud nobiliſſimas Baſilicas celebrandi, ſanctiſſimorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, & venerandæ vetuſtatis memoriam renovantes, felicius ac religioſius inchoëmus, quarta proxima feria in capite jejunii Eccleſiam S. Sabinæ mart. non modo de more ſuperiorum Pontificum adibimus, ſed Cardinale Majore Pœnitentiario, ut mos eſt, Miſſæ ſacrum faciente, una cum Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Card. in eadem Eccleſia conſiſtemus, ſacroſque cineres à nobis ſolemni more benedictos, ſupra capita ad pœnitentiæ teſtificationem ſpargemus, ac deinde ſequentibus Dominis diebus, ad Baſilicas & Eccleſias ſupra notatas, Miſſarumque celebrationem cum ſacro Cardinalium Collegio, & aliorum Prælatorum præſentia conveniemus, idemque ſuo tempore in Adventu cæteriſque feſtis diebus, Deo auctore, præſtabimus. Quem ritum ſtatum atque ſolemnem, & nos quandiu diſponente Domino vixerimus, perpetuo annis ſingulis obſervare ſtatuimus, & à ſucceſſoribus noſtris ſervari optamus, ac ſane etiam pro eorum pietate, & rei condecentia ſperamus.

*Hortatur Chriſti[...] ut in [...] Quadrag[...] jejunio, [...] & lacrym[...] vertantur [...] Dominum.*

§. 10. Quod igitur ab omnibus Chriſti fidelibus acceptabili Quadrageſimæ tempore, quod jam advenit, ubique terrarum faciendum eſt in toto corde ſuo, in jejunio, & lacrymis convertentur ad Dominum, id quidem Romæ, ubi Religionis eſt domicilium, ubi ſacrarum indulgentiarum theſauri uberius diſpenſantur, ubi innumerabilium Martyrum, quorum ſacra corpora apud nos magno Dei munere requieſcunt, peculiari patrocinio ſublevamur, multo certe impenſius & devotius faciendū eſt, atque ut re ipſa fiat, pro noſtra erga hanc Almam Urbem paterna & præcipua charitate, omnes in Domino etiam atque etiam hortamur, zelo incenſi domus Dei, quam decet ſanctitudo, Satanæ aſtutias non ignorantes.

*Stationales que Eccl[...] verò p[...]tes, & [...] pièque [...]tent.*

§. 11. Illud quoque vehementius admonemus, ut omnes & ſinguli ſtationales Eccleſias, cum omni timore & tremore, ut vere pœnitentes, caſtè & piè adeant, nemini dantes ullam offenſionem, ne illis in locis, iiſque diebus, quibus aliorum temporum culpæ opiis operibus & caſtis jejuniis redimendæ ſunt, inter ipſa martyrum ſepulchra Deus ad iracundiam magis provocetur, ſed contra potius hujus Civitatis pœnitentia eleemoſynis, orationibus, ſanctorumque interceſſionibus placatus pater miſericordiarum Deus, nobis & cunctis populis curæ noſtræ commendatis (omnes enim unum ſunt in Chriſto) propitius & placabilis efficiatur, & quorum fides Apoſtolico ore laudata eſt, & in univerſo mundo annuntiatur, eorum etiam modeſtia & diſciplina ad pietatis & ſanctitatis exemplum omnibus nationibus proponatur.

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. 8. Idus Februarii, Pont. noſtri anno 1. *Dat. P. [...] die 13. F[...]*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Papa ſ[...]*

Ego Jac. Card. Sabellus Epiſc. Portuen. *Cardd. ſcriptio[...]*
Ego Joan. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgii.
Ego Joan. Franciſcus Card. de Gambara, Præneſtin.
M. Sitic. Gard. ab Altaëmps.
Ego Joan. Aval. Card. de Arag.
Ego M. Antonius Card. Columna.
F. Mic. Bo. Card. Alex.

Nic.

Mic. [illegible] Sens.
Jul. Ant. Card. S.Severinæ.
P. Card. Cæſius.
Ego Hier.Card.Ruſticuccius.
Ego Joan. Hier. Card. Albanus.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
P. Card. Deza.
Ego Joan. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Joan. Bapt. Card. S.Marcelli.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vinc. Card. Montis Regalis.
Ego Scipio Card. Lancellottus.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Ego Joan. Baptiſta Card. Sanctacrucius.
Ego Fed. Card. Cornelius.
Ego Hippolytus Card. Papien.
Ego Dominicus Card. Pinellus.
Ego Decius Card. Azzolinus.
Ego Hip. Card. Aldobrandinus.
Phil. Vaſt. Card. Cam.
Alex. Card. de Montealto.

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1586. indictione 14. die verò 15. menſis Februarii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiarum S.Ioan. Lateran. & S.Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Calliſtum Brunettum, & Ioannem Freile ejuſdem S. D. N. Papæ Curſ.*

---

XIV. Lauretani Oppidi Provinciæ Picenæ in Civitatem ſublimatio, ejuſque Collegiatæ Eccleſiæ, in Cathedralem & Epiſcopalem erectio.

*A.D. 1586.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

PRo excellenti præeminentia Sedis Apoſtolicæ, in qua poſt beatum Petrum Apoſtolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen auctoritate conſtituti ſumus, in exiguæ militantis Eccleſiæ agro novas Epiſcopales Sedes, Eccleſiaſque plantare dignum arbitramur, ut per hujuſmodi novam plantationem popularis augeatur devotio, divinus cultus efflorcat, & animarum ſalus ſubſequatur, ac humilia loca dignioribus titulis, & condignis favoribus illuſtrentur, necnon propagatione novæ Sedis, honoratique Præſulis aſſiſtentia & regimine, cum Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & orthodoxæ fidei profectu & exaltatione, Populi ipſi propoſitum eis æternæ felicitatis præmium facilius adipiſci.

§. 1. Conſiderantes itaque Oppidum Lauretanum in provincia Piceni ſitum nullius diœceſis, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum, in toto Orbe celeberrimum, & in eo unam inſignem Collegiatam Eccleſiam ſub invocatione B. Mariæ Virginis Dei Matris fundatam excellere, in cujus medio ineſt illud ſacrum cubiculum divinis myſteriis conſecratum, in quo Virgo Maria nata fuit, & ibidem ipſa ab Angelo ſalutata, Salvatorem Mundi de Spiritu ſancto concepit, miniſterio Angelorum illuc tranſlatum, & ad dictam Eccleſiam ob miracula quæ in dies Omnipotens Dominus, interceſſione & meritis ejuſdem B. Mariæ Virginis in eodem cubiculo operari dignatur, Chriſti fideles ex omnibus mundi regionibus, devotionis & peregrinationis cauſa confluere.

§. 2. Et propterea cupientes Oppidum & Eccleſiam hujuſmodi dignioribus titulis & nominibus decorare, habita ſuper hoc cum Fratribus noſtris deliberatione matura, ut eorum conſilio & aſſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad ejuſdem Omnipotētis Dei laudem & gloriam, & ipſius B. Mariæ Virginis honorem, necnon Chriſti fidelium devotionis augmentum, Oppidum in Civitatem Lauretanam nuncupandam, Eccleſiam verò in Cathedralem, ſub eadem invocatione, pro uno Epiſcopo Lauretano nuncupando, qui juriſdictionem Epiſcopalem habeat & exerceat in ſpiritualibus, cum menſa Epiſcopali, arca, ſigillo, aliiſque inſignibus & honoribus ac privilegiis, quibus alii Epiſcopi de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet in eiſdem ſpiritualibus utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet poſſunt, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo erigimus & inſtituimus, illaſque ſic erectas, necnon Epiſcopum Lauretanum pro tempore exiſtentium, ac ipſius Eccleſiæ Capitulum, dictæ Sedi immediatè perpetuo etiam ſubjicimus, & ſub protectione Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſuſcipimus. Necnon cum nuperrimè unionem olim de Eccleſia Recanatenſi, & Eccleſia Maceratenſi eadem auctoritate perpetuo factam, de conſilio & poteſtatis plenitudine ſimilibus diſſolverimus, & Venerabilem fratrem noſtrum Galeatium Epiſcopum Maceraten. à vinculo quo dictæ Eccleſiæ Recanatenſis, cui tunc ratione unionis hujuſmodi præerat, tenebatur, abſolverimus, ac in dicta Eccleſia Recanatenſi nomen & titulum Cathedralis, necnon Sedem, dignitatem, & menſam Epiſcopales ſuppreſſerimus, ipſamque Eccleſiam Racanatenſem in Collegiatam reduxerimus, Civitatem tamen Recanatenſem titulum & denominationem civitatis propterea non amiſiſſe, ita ut illius inhabitatores, cives denominari, & privilegiis civium uti poſſent, decernendo Caſtrum Ficardi ab Anconitana, & S.Mariæ de Caſſiano ab Auximana, & Montis Luponi oppida, à Firmana diœceſibus, quibus in ſpiritualibus ſubjecta ſunt, auctoritate & tenore præmiſſis ſimiliter perpetuo diſmembramus, concedimus & ſeparamus, illaque diſmembrata & ſeparata, ac illorum incolas & habitatores, ab omni juriſdictione, poteſtate & ſubjectione Anconitan. & Auximan. ac Firman. Epiſcoporum pro tempore exiſtentium, necnon ſolutione decimarum eiſdem Epiſcopis per eos debitarum, ex tunc de cætero facienda, itidem perpetuo eximimus & liberamus.

§. 3. Necnon ipſa, ac civitatem Recanaten. prædictam, illiuſque & Caſtri Ficardi, ac oppidorum prædictorum territoria, pro diœc. d.Epiſcopi Lauretani, illos vero, necnon civitatis Lauretanæ Eccleſiaſticas perſonas pro clero, & habitatores pro populo, auctoritate & tenore præmiſſis, ſimiliter perpetuo concedimus & aſſignamus. *Diœceſis deſignatio.*

§. 4. Ac pro Epiſcopi Lauretani pro tempore exiſtentis dote, quam ſummam duorum millium ſcutorum dictæ provinciæ conſtituere debere declaramus, omnia & ſingula fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta, in quibuſvis rebus & actionibus, & ubique locorum conſiſtentia & provenientia, & ad quamvis ſummam aſcendentia dictæ menſæ Epiſcopalis Racanaten. ſic ſuppreſſæ & extinctæ, & quæ ad illam quomodolibet ſpectant & pertinent, ac ante illius ſuppreſſionem & extinctionem hujuſmodi quovis jure ſpectabant & pertinebant, ſpectareque & pertinere poterant, necnon Caſtri Ficardi, & oppidorum territoriorum hujuſmodi decimas Anconit. & Auximan. Epiſcopis ſolvi ſolitas, reſiduum verò dictorum duorum millium ſcutorum pro dote dictæ Eccleſiæ Lauretanæ conſtitutorum hujuſmodi, ex tot prædiis & poſſeſſionibus dictæ domus Lauretanæ per dilectum filium noſtrum Philippum S. Angeli in foro piſcium diac. Card. Vaſtavillanum nuncupatum, dictæ domus protectorem, ejus arbitrio declarandis & aſſignandis, etiam perpetuò concedimus & aſſignamus. *Dotis duorum mill. ſcut. pro Lauretano Epiſcopo aſſignatio.*

§. 5. Necnon in dicta Eccleſia Lauretana, in qua unus Archipresbyteratus, qui ante erectionem hujuſmodi inibi principalis exiſtebat, pro uno Archipresbytero, ac una Præpoſitura pro uno Præpoſito, ac unus Decanatus dignitates, pro uno Decano, necnon duodecim Canonicatus, & totidem præbendæ pro duodecim Canonicis, ac etiam duodecim Beneficiatis, & totidem clericatus, nuncupata perpetua ſimplicia beneficia, pro totidem perſonis eidem Eccleſiæ Lauretanæ deſervientibus, erecta & fundata exiſtunt, unum Archidiaconatum, qui inibi dignitas major poſt Pontificalem Eccle- *Dignitatum ejuſdē Eccleſiæ inſtitutio.*

ſiam pro uno Archidiacono, qui in choro & Capitulo ipſius Eccleſiæ Lauretanæ, ac proceſſionibus aliiſque actibus capitularibus primum locum, ac primam vocem ante obtinentes alias dignitates prædictas habeat, auctoritate & tenore præmiſſis, etiam perpetuò erigimus & inſtituimus. Ac Præpoſituræ in Primiceriatum pro uno Primicerio, Decanatus vero dignitatum hujuſmodi denominationes, in Theſaurariam pro uno Theſaurario commutamus, necnon Archipresbyteratum ſecundam pro uno Archipresbytero qui ſecundam, & Primiceriatum tertiam pro uno Primicerio qui tertium, ac Theſaurariam quartam inibi dignitates pro uno Theſaurario, qui quartum locum in choro, Capitulo, proceſſionibus & actibus prædictis, aut Canonicos prædictos habeant, necnon Canonicatus & præbendas, cæteraque beneficia prædicta, alias juxta collationes & proviſiones de illis eorumque poſſeſſoribus factas, pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ Lauretanæ remanere declaramus.

*Juſpatronatus ad præſentandum Archipresb. reſervatio pro hujus Pont. Familia Peretta.*

§.6. Ac inſuper Motu proprio, non ad alicujus deſuper nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate Familiæ noſtræ de Perettis de Monte alto juſpatronatus, & præſentandi perſonam idoneam ad Archipresbyteratum prædictum, quoties illum per obitum aut reſignationem, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem prædictam vacare contigerit, Epiſcopo Lauretano pro tempore exiſtenti, per eum ad præſentationem hujuſmodi inſtituendum, auctoritate & tenore prædictis pariter perpetuò reſervamus, concedimus & aſſignamus.

*Clauſula derogat.*

§.7. Non obſtantibus noſtra de non tollendo jure quæſito, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Lauretan. Recanaten. Maceraten. Auximan. Anconitan. & Fiman. Eccleſiarum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis earumque Præſulibus, Capitulis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam motu ſimili & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè, cæteriſque quibuſcumque motu ſimili derogamus.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A. 1. die 17. Mart.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. 16. Kal. Aprilis, Pont. noſtri anno 1.

---

## XXV. Approbatio Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis, in Hoſpitalibus & extra degentibus, Romæ nuper inſtitutæ, cum habitus aſſignatione.

*Iſta Congregat. ſui Regulam conſtituit, quam confirmavit, & privilegia conceſſit Gregor. XIV. inf. in ejus conſt.*17. Illius. *Et eam poſtea declaravit, & reformavit Clem. VIII. inf. in ſua conſt.*75. Superna.

Quod Clerici profeſſi in hac Congregatione ad Sacerdotium deſtinati, poſſint in Domibus novitiatuum, vel aliis diſtinctis Domibus habitare, & donec Preſbyteri ordinentur, de illarum perpetuis redditibus vivere, indulſit Sanctiſſ. D. N. Urbanus VIII. ut in conſtit. 10. *Sacroſanctæ*, inf. tom. 4. Et de electione Præfecti Generalis, Conſultorum, & Arbitri horum Clericorum, ſtatuit in alia conſtit. 75. [illegible], d. tom. 4.

*SIXTUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. 1586.*

*Inſtitutio Societatis Miniſtrantium infirmis.*

EX omnibus Chriſtianæ charitatis officiis, quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro JESU CHRISTO vel maximè placere credimus, per quæ pauperes Chriſti, infirmi, & in hoſpitalibus exiſtentes in neceſſitatibus ſuis ſpiritualibus & corporalibus adjuvantur. Quod genus officii dilectus filius Camillus de Læliis presbyter Theatin. diœc. & alii ejus ſocii, quàm Deo gratum, & ſaluti animarum neceſſarium eſſe intelligentes, hiſce diebus erga pauperes Chriſti, in hoſpitalibus Urbis noſtræ exiſtentes, non minori affectu quam mater erga quem unice educavit filium demonſtrarunt, quotidie hos modò cum omni qua decet manſuetudine & charitate ad patientiam, alios ad ſacramentorum Eccleſiaſticorum ſuſceptionem commonendo, alios in articulo mortis conſtitutos conſolando, & denique ad bene moriendum die noctuque hortando demonſtrare non ceſſant. Idemque præſtare intendunt, tempore etiam, quod abſit, peſtilentiæ.

*Petitio confirmationis Papa.*

§.1. Hi itaque Camillus & ſocii, inſimul & in communi ſub paupertate, caſtitate, & obedientia, ita tamen, ut voto adſtricti non ſint, vivere, & Altiſſimo, ac ejus pauperibus famulari proponentes, unam inter ſe Societatem ſeu Congregationem, ſub vocabulo ſeu nomine Miniſtrantium infirmis, cujus principale inſtitutum eſt, ſpeciali quodam charitatis fervore infirmis prædictis inſervire, ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito inierunt, ſperantes ex hoc multis incommodis & periculis, in quæ ſæpenumero dicti infirmi ob defectum talium miniſtrorum inciderunt, obviam iri, ac ſalutem animæ & corporis, multaque Chriſti fidelibus commoda parari.

*Confirm. dictæ inſtitutionis.*

§.2. Nos eorum ſupplicationibus inclinati, ac de hujuſmodi pro propoſito, & vivendi modo, quo ipſi intendunt uti, plenè, etiam ex relatione dilectorum filiorum noſtrorum S. R. E. Card. ſuper conſultatione & cauſis Epiſcoporum ac regularium, ac viſitatione Apoſtolica deputatorum informati, ex certa noſtra ſcientia, Congregationem ſub vocabulo ſeu nomine Societatis Miniſtrantium infirmis, per unum majorem miniſtrum ſeu ſuperiorem (qui presbyter eſſe, ac per eandem Congregationem de triennio in triennium per majorem partem ſuffragiorum eligi debeat) regendam & gubernandam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem.

*Licentia eleemoſynas colligendi in miniſtrandique infirmis & audiendi eorum confeſſiones.*

§. 3. Et quia dicta Congregatio proprietate rerum temporalium carere inſtituit, Nos pariter Camillo & præfatis, ac pro tempore exiſtentibus ipſius Congregationis ſociis, & aliis ab eis deputatis & deputandis, quod eleemoſynas ubicumque, præterquam intra Eccleſias, monaſteria & pia loca, colligere, ac in dictæ Congregationis communes uſus convertere, Vicarii Urbis, ſeu cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita. Dictaque pietatis opera erga quoſcumque infirmos, in quibuſcumque hoſpitalibus, ſeu aliis dictæ Urbis locis à dictorum Hoſpitalium, ſeu locorum præfectis, vel adminiſtratoribus vocati, ſeu de eorum licentia vel conſenſu exercere, ipſeque Superior vel major Miniſter, qui, ut præfertur, presbyter eſſe debet, & alii ejuſdem Congregationis presbyteri, dummodò alias ſint idonei, & ab Urbis Vicario approbati, infirmorum & ægrotantium in dictis hoſpitalibus & locis exiſtentium cõfeſſiones audire (ſine præjudicio eorundem hoſpitalium aut locorum, vel eorum officialium, ſeu adminiſtratorum) liberè & licitè valeant, tenore præſentium facultatem concedimus & indulgemus. Ita tamen, ut tam Superior quam alii dictæ Congregationis ſocii, ipſius Congregationis inſtituta, & ordinationes jam factas & pro tempore faciendas, (dummodo illa, quandiu ab Apoſtolica Sede approbata non fuerint, per ipſius Congregationis protectorem

tectorem reviſa & approbata ſint) in communi ex dictis piorum eleemoſynis vivant.

§ Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Martii 1586. Pont. noſtri anno 1.

*Sequitur aſſignatio habitus.*

*SIXTVS PAPA V.*
*Ad futuram rei memoriam.*

...ta A. D. 1586.

CUm nos nuper, &c. ut ſupra. Ipſique Camillus & ſocii pro feliciori dictæ Societatis, ſeu Congregationis directione piè deſiderent, ſicuti eorum inſtitutum ab aliis diſtinctum eſt, ita eorum habitum ab aliis diſtingui.

§. 1. Nos tenores dictarum literarum præſentibus pro expreſſis habentes, de conſilio dilectorum filiorum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſtatu Regularium dicta auctoritate deputatorum, Camillo & aliis prædictis, ac pro tempore exiſtentibus Superiori, & perſonis dictæ Congregationis, Crucem ex craſſiori panno fulvi coloris, (qui vulgò Tane appellatur) ſuper eorum veſtibus à latere dextero perpetuo deferendi licentiam & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus.

§. 2. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 26. Junii 1586. Pont. noſtri anno 2.

---

XVI. Confirmatio conſtitutionis Pii V. de non infeudandis & alienandis Caſtris & locis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

*Hanc conſtit. Pii V. habes ſup.* Admonet. *ubi ejus extenſiones & declarationes ibi indicavi. Et hic Pontifex die decimo ſexto Januarii 1589. ex decreto in Conſiſtorio habito (quod hic ponere non curavi) declaravit ſub d. bulla Pii V. comprehendi etiam gubernia locorum Sedis Apoſt. ultra triennium, affirmans idem ſtatuiſſe Gregor. XIII.*

Vide addita ad conſt. 1. Leon. I. ſup. tom. 1.

*SIXTVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

QUanta Apoſtolicæ Sedis dignitati detrimenta, & ejus ſubditis incommoda, ex Civitatum, Terrarum, & locorum Status Eccleſiaſtici diſtractione obvenerint, aſſidua mentis noſtræ cogitatione revolventes, Paſtoralis ſolicitudinis nobis divinitus commiſſæ zelo urgemur illorum conſervationi ſolertioris diligentiæ ſtudio incumbere, & quæ propterea à prædeceſſoribus noſtris maturo conſilio, ac optima ratione ſunt ſancita, approbationis noſtræ robore communire. Alias ſiquidem à felic. record. Pio Papa V. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Pius Epiſcopus, &c.

Omittitur tenor hujus conſtit. quia habetur ſuprà.

§. 1. Et deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam prædeceſſor noſter, literas prædictas Apoſtolica auctoritate approbavit & confirmavit, prout in ipſius Gregorii prædeceſſoris literis deſuper confectis pleniùs continetur.

§. 2. Quocirca ne literæ Pii prædeceſſoris hujuſmodi labentis temporis curſu valeant labefactari, ſed eo validius ſubſiſtant, quo multiplici firmitatis vinculo ſæpius fuerint ſtabilitæ, veſtigiis ipſorum prædeceſſorum inhærendo, eaſdem literas Pii V. prædeceſſoris, & in eis contenta quæcumque ex certa ſcientia noſtra, auctoritate prædicta tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac etiam innovamus, eaſque inviolabilis firmitatis robur obtinere, ac perpetuò obſervari debere volumus & mandamus.

Nulli ergo omnino, &c.

Dat. Rom. apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. 15. Kal. Aprilis, Pont. noſtri anno 1. — Dat. P. A. 1. die 18. Martii

*Anno à Nativitate Domini 1586. indictione 14. die verò primo menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno primo, retroſcripta literæ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis ſeu portis Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, & Sancti Petri Principis Apoſt. de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſt. per nos Catherinum Menandi, & Nicolaum Taglietum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſores.* — Publicatio.

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

XXVII. Annuorum redituum conceſſio Archiconfraternitati Beatæ Mariæ Virginis Confalonis de Urbe nuncupatæ, cum facultate ubique eleemoſynas colligendi, ad Chriſtianorum redemptionem ab infidelium captivitate.

*Hoc piiſſimum redemptionis opus huic Archiconfraternitati delegavit Greg. XIII. in ſua conſt. 69.* Chriſtianæ. *Et alia quæ eandem concernunt Archiconfraternitatem, attende ſup. in ejuſdem Gregor. conſtit.* 38. Paſtoris.

*SIXTVS EPISCOPVS,* — Edita A. D. 1586. & 1588.
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm benigna mater Eccleſia filios ſuos, qui in teterrima infidelium captivitate conſtituti, non ſolùm corporum, ſed etiam animarum diſcrimen patiuntur, adeo intimis miſericordiæ ſuæ viſceribus complectatur, ut pro illis in libertatem reducendis, facultates ſuas libenter exponat, ſacriſque rebus & pretioſis vaſis materna liberalitate non parcat: Nos qui ipſius Eccleſiæ adminiſtrationem curæ noſtræ divina diſpoſitione commiſſam gerimus, magnopere adſtrictos eſſe cognoſcimus, ut eorundem Captivorum, qui in baptiſmatis fonte Chriſtum induerunt, templumque Dei facti ſunt, miſerandis calamitatibus & tormentis, quibus in odium Chriſtiani nominis ſæviſſimè excruciantur condolentes, illorum libertatem dilectione ac religione ipſa procuremus, & quæ propterea pie facta fuiſſe comperimus, ut firmiora perdurent, confirmanda & innovanda fore cenſeamus, ac ne tam pium opus quod cæteris corporalibus miſericordiæ operibus antecellit, & in quo uno ferè omnia quaſi per compendium ſimul exercentur, neceſſariis ſubſidiis deſeratur, operarias manus interponendas, Chriſtique fidelibus agros uberes, in quibus charitatis ſemina mittant, meſſem in regno cœlorum ampliſſimam expectaturi, toto cordis affectu offerendos eſſe judicavimus, illos ſpiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus invitantes, ut ad tantæ & tam ſalutaris operationis exercitium vehementius excitentur, promptioreſque reddantur, & piis eorum eleemoſynis redempti, gratiarum Deo referant actiones. — Proœmium.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. record. Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter, qui miſerorum Captivorum, & præſertim eorum, qui ſuæ & Sedis Apoſtolicæ temporali ditioni ſubjecti erant, oppreſſionibus, ne langueſcente carnis infirmitate, ac verbi Dei prædicatione, & ſacramentorum ſolatio deſtituti, deſperationi ſuccumbentes, ad ſuſceptæ in baptiſmo fidei deſertionem (uti non rarò, proh dolor, ſolet contingere) inducerentur, ſuccurrere volens, redimendorum Captivorum opus jamdiu in alia Orbis loca diffuſum, etiam in Alma Urbe ſalubriter inſtituit, illiuſque onus univerſum, quod magnam — Gregor. XIII. Redimendorum captivorum ſtatus Eccleſiaſtici opus in Urbe inſtituit, & Archiconfraternitati Confalonis commiſit, ut in eius bulla cit. in rubr.

magnum eſſe intelligebat, curæ & ſollicitudini venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, antiquitate & nobilium virorum copia admodum inſignis, Motu proprio impoſuit, ad hoc ut ipſa Archiconfraternitas, illiuſque Cuſtodes & Confratres pro tempore exiſtentes, quoſcumque Chriſti fideles dictæ Urbis, ac Provinciarum, Civitatum, Terrarum & locorum dictæ ditioni mediatè & immediatè ſubjectorum, in dira infidelium ſervitute detentos redimerent, eleemoſynaſve & oblata quæcumque in omni loco eidem ditioni, ut præfertur ſubjecto, quærerent & acciperent, prout in ejuſdem prædeceſſoris litteris deſuper confectis plenius continetur.

*Qua ſedulò tam pio operi ſtudere cœpit.*

§.2. Cum autem, ſicut accepimus dilecti filii Magiſter Hieronymus Avila Juris utriuſque Doctor, literarum Apoſtolicarum Corrector & Abbreviator, ac in utraque Signatura noſtra Referendarius & Prælatus noſter domeſticus, Paulus Matthæus, Carolus de Maximis, & Ulyſſes Lancerinius Patricii Romani, moderni ipſius Archiconfraternitatis Cuſtodes, & alii Confratres maximo pietatis zelo ducti in hujuſmodi tam pio opere ſe pro viribus exercere intendentes, ac eorundem Captivorum nedum liberationem, ſed etiam ſpiritualem conſolationem & animarum ſalutem quærentes, Redemptores inter quos duos Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum profeſſores, qui non ſolum Captivos redimerent, ſed illos ſpiritualiter eorum confeſſiones audiendo, & Sacramenta Eccleſiaſtica illis miniſtrando juvare, afflictis ſolatium præbere, debiles in fide conſolidare, dubios & vacillantes confirmare, & eos qui doctrina indigerent erudire, ac denique ubi majus periculum immineret, ibi ſeſe diligentiores Chriſti miniſtros exhibere poſſent & deberent, Algerium de ipſius prædeceſſoris licentia miſerunt. Illi autem profecti, ac de eorundem Captivorum libertate, & animarum ſalute ſolliciti, verbo & exemplo eos illuminantes, multa ad proximorum utilitatem & ædificationem, ac fidei Catholicæ exaltationem, Domino cooperante, in medio nationis pravæ & perverſæ fecerunt, qui demum peſtis contagione affecti cum maximo Captivorum gemitu & dolore ac lachrymis obdormiverunt in pace.

*Hic Pont. dictam inſtitutionẽ Redemptionis captivorum confirmat.*

§.3. Nos igitur, illius qui ſui pretioſiſſimi ſanguinis effuſione genus humanum de manibus adverſarii quærentis quem devoret, eripere dignatus eſt, exemplo edocti, ac de ſtatu filiorum more pii patris cogitantes, cupienteſque ut hujuſmodi Redemptionis opus, etiam in Urbe, & toto Statu Eccleſiaſtico hujuſmodi ſic feliciter inceptum, ab eiſdem Cuſtodibus & Confratribus in Domino provehatur, ipſique Cuſtodes & Confratres Redemptores, ac alios religioſos ad eaſdem infidelium partes proficiſci faciant, ne filii Status Eccleſiaſtici in ſervitute degentes, qui alios concaptivos de tenebris & umbra mortis educi quotidie rident, ſe ſolos ibi perpetuæ oblivioni traditos & derelictos exiſtiment, Cuſtodes & Confratres prædictos, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac literarum Gregor. prædeceſſoris hujuſmodi tenores etiam veriores, præſentibus pro expreſſis habentes. Motu proprio, non ad Cuſtodum & Confratrum prædictorum, ſeu alicujus eorum, aut alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, ac ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Inſtitutionem & erectionem Redemptionis Captivorum hujuſmodi per eundem prædeceſſorem, ut præfertur factas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerunt in eiſdem, ſupplemus. Et nihilominus hujuſmodi opus Redemptionis Captivorum in dicta Urbe, totoque Statu Eccleſiaſtico, ut præfertur, mediatè & immediatè ſubjecto, quod Redemptio Captivorum Sedis Apoſtolicæ, & Status Eccleſiaſtici, mediatè & immediatè ſubjecti Archiconfraternitatis Confalonis nuncupetur, de novo auctoritate & tenore prædictis perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Commi[…] dicta Rede[…]ptionis eid[…] Archicon[…]ternitati […]rum concu[…]*

§.4. Illudque ſic erectum & inſtitutum ſolerti curæ & ſollicitudini ejuſdem Archiconfraternitatis, quam ſingulari dilectione proſequimur, & cujus Confratres laudabiles charitatis effectus continuo producere non ceſſant, committimus & demandamus. Ita quod ipſius Archiconfraternitatis nunc & pro tempore exiſtentes Cuſtodes, & Confratres, ac ab eis deputati, quoſcumque Chriſti fideles ejuſdem Status, in infidelium ſervitute detentos redimere, & propterea in dicta Urbe, ac omni, & quocumque alio loco dictæ ditioni mediatè, & immediatè ſubjecto, eleemoſynas, & oblata quæcumque quærere, & accipere.

*Facultas […] deputandi q[…]ſtores in St[…] Eccleſiaſt. […] colligend[…] eleemoſyn[…] pro dicta […]demptione […]dulget.*

§.5. Ac ad id Quæſtores probos quot eis videbitur deputare, qui eleemoſynas, oblationes, legata & quæcumque alia ſubſidia hujuſmodi in toto Statu prædicto, ut præfertur ſubjecto, pro hujuſmodi Redemptione, & cauſis ad eam pertinentibus perquirant, pecuniaſque inde congerendas penes publicum mercatorem, fide & facultatibus idoneum, deponant, donec illæ in Redemptionem Captivorum hujuſmodi, arbitrio ipſorum Cuſtodum, & Confratrum erogentur, liberè, & licitè poſſint, & valeant.

*Fratribus […] Sſiſſ. Trin[…]tis, & a[…] eleemoſyn[…] hujuſmodi […] Statu Ecc[…]ſiaſt. quær[…] vel recip[…] prohibet.*

§.6. Volentes, & ita decernentes, quod tam in dicta Urbe, quàm in quibuſvis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, caſtris, & locis ipſi ditioni, ut præfertur ſubjectis, nulli etiam Sanctiſſimæ Trinitatis, ac beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ſeu aliorum quorumvis Ordinum profeſſores, ſeu quicumque alii, etiam prætextu quorumcumque privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum, ac quorumvis aliorum conceſſionum, & gratiarum, eiſdem ſeu quibuſvis aliis Ordinibus vel perſonis quomodolibet conceſſorum, & pro tempore concedendorum, tam pro Redemptione generali, quàm particularium perſonarum, eleemoſynas ſeu etiam ſponte oblata, aut alias quomodolibet quærere, & accipere ullo modo poſſint, neque debeant, præfati tamen Sanctiſſimæ Trinitatis profeſſores, in Urbe ac toto Statu Eccleſiaſtico, ut præfertur, ſubjecto hujuſmodi, in illis locis in quibus eorum Ordinis regulares domos habent, & pro tempore habebunt, ad eorum victum neceſſaria tantum, nulla tamen Redemptionis Captivorum facta mentione, in aliis verò civitatibus & locis extra dictum Statum, ut præfertur, mediatè, & immediatè ſubjectum, etiam eleemoſynas pro Captivis redimendis petere, & accipere valeant privilegiorum ſuorum vigore, quibus ac aliis juribus, & actionibus, & præſertim ratione monaſterii, & hoſpitalis Sancti Thomæ in Formis in monte Cælio, ac Eccleſiæ, & domus Sancti Stephani in Trullo de dicta Urbe, eidem Ordini competentibus, quoad hoc nullo modo præjudicare intendimus, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Diſtrictius inhibentes prædictorum ac quorumvis aliorum Ordinum profeſſoribus & aliis quibuſvis perſonis, etiam quantumvis privilegiatis, ne eleemoſynas, & oblata, ſive legata pro Redemptione Captivorum, in Urbe ac toto Statu Eccleſiaſtico, ut præfertur, ſubjecto hujuſmodi quærere aut accipere, ſeu in hujuſmodi Redemptionis opere quomodolibet ſe intromittere audeant ſeu præſumant.

*Redditus […] peditionũ […] deſcriptar[…] eidem Ar[…] confratern[…]tĩ aſſignat.*

§.7. Inſuper pro majori ipſius Redemptionis ſubventione, ex omnibus, & quibuſcumque facultatibus ſeu licentiis teſtandi de bonis Eccleſiaſticis, quibuſvis perſonis per nos, & Sedem prædictam quomodolibet concedendis (non tamen Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec aliis, quibus ſimiles facultates, gratias, & abſque alicujus compoſitionis ſolutione, de mandato noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis concedentur) ducatum unum auri in auro pro quolibet centenario. Si verò hujuſmodi facultates fuerint uſque ad quamcumque ſummam, ſolvatur ſimiliter ducatus unus pro quolibet centenario, habita ratione compoſitionis Datario pro tempore exiſtenti perſolvendæ. Ac pro ſingulis abſolutionibus ab homicidii reatu, tam in Dataria noſtra, ſeu per Breve expediendis, quàm toto

Statu

Statu Eccleſiaſtico immediatè ſubjecto, à quibuſvis Legatis, Vicelegatis, vel Gubernatoribus, quibuſvis perſonis quomodolibet concedendis, etiamſi gratis concedantur, ducatos duos ſimiles. Necnon pro ſingulis conceſſionibus, ſeu licentiis, alienandi vel permutandi bona Eccleſiaſtica, ſeu illarum confirmationibus, quibuſvis perſonis quomodolibet concedendis, quorum bonorum annuus redditus valorem quinque ducatorum ſimilium non excedat, ducatum unum, ſi vero eundem valorem exceſſerint ducatos duos. Ulterius pro ſingulis plumbis omnium, & quarumcumque literarum Apoſtolicarum ſub plumbo, tam per Cancellariam, vel Cameram, aut viam ſecretam, quàm per minoris gratiæ, & contradictarum officia quomodolibet, etiam gratis expendendarum, julium unum monetæ currentis eidem Archiconfraternitati, ita ut illius Cuſtodes & ab eis deputati pro tempore exiſtentes, taxas, ac julium hujuſmodi à quibuſvis perſonis illas, & illum nunc, & pro tempore habentibus, ſeu ſolvere debentibus, propria auctoritate exigere, ac de exactis quietare, & in Capitulorum Sedis, & Status prædictorum Redemptionem convertere liberè, & licitè valeant, etiam perpetuo, auctoritate, & tenore prædictis, gratioſè concedimus, & elargimur. Necnon taxas & julium hujuſmodi ex nunc eidem Archiconfraternitati ſimiliter perpetuò applicamus, & approbamus, ac applicatas, & applicatum, necnon appropriatas, & appropriatum fore, & eſſe volumus, atque decernimus. Diſtrictè præcipientes modernis, & pro tempore exiſtentibus Datario, ſecretariis, plumbatoribus, ac tam in Dataria quàm Secretaria, & plumbo noſtris Officialibus, Expeditoribus, Legatis, Vicelegatis, vel Gubernatoribus prædictis, illiſque in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, ne ſupplicationes, Motus proprios, Brevia, ſeu alias patentes literas ſuper facultatibus teſtandi, abſolutionibus, licentiis alienandi, ſeu illarum confirmationibus, aut alias quaſcumque literas Apoſtolicas hujuſmodi expediant, ſeu partibus relaxent, niſi prius integrè eidem Archiconfraternitati de illis ſecundum præmiſſa ſatisfactum fuerit. Alias gratiæ ipſæ nullius ſint roboris, & nihilominus ipſi officiales, expeditores, plumbatores, ſeu miniſtri taxas, & julium hujuſmodi eidem Archiconfraternitati, ut præfertur, debitas, & debitum de eorum proprio ſolvere teneantur & obligati exiſtant.

*…etiam …enti… diſpo… ad fa… d. Archiconfrater… pro Redem… fieri …clarat.*

§.8. Necnon ut quæcumque, & qualiacumque bona, etiam emphyteutica eidem Archiconfraternitati pro Redemptione Captivorum prædictorum, tam inter vivos quàm mortis cauſa, ſeu teſtamento, vel codicillis dari, concedi, ſeu relinqui liberè poſſint, dummodo ipſa Archiconfraternitas ad eadem onera, ad quæ donator, ſeu teſtator hujuſmodi occaſione bonorum eorundem tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipſe donator, ſeu teſtator etiam impoſuerit omnino teneatur. Et ſi ad certum numerum generationum, aut nominationum eadem bona conceſſa fuerant, ipſa Archiconfraternitas non perpetuo, ſed per viginti annos pro qualibet generatione ſeu nominatione hujuſmodi bona prædicta tenere, illaque locare, & diſlocare, ac illorum redditus in Redemptionem Captivorum hujuſmodi convertere poſſit, quæ finitis ipſis annis, ad eorum directos dominos devolvantur, etiam perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

*…ta in … Eccle… (non tamen … aliqua … perſona, … regulari … pro Re… tione ca… rum, Re… ni pra… appli…*

§.9. Declarantes quod quæcumque legata, & aliæ diſpoſitiones pro Redemptione Captivorum à quibuſvis perſonis, tam in Urbe quàm in toto Statu Eccleſiaſtico, mediatè & immediatè ſubjecto, non tamen in favorem certæ perſonæ, ſeu alicujus regularis loci, vel Sanctiſſimæ Trinitatis, aut Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Ordinum hactenus facta, & non mercede ſoluta, & pro tempore quomodolibet facienda cenſeantur, & intelligantur facta fuiſſe, & eſſe ad favorem Redemptionis Captivorum, Sedis, & Status prædictorum, illaque ab eis ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, Cuſtodibus, ſeu ab eis Deputatis prædictis ad effectum præmiſſorum realiter & abſque alia exceptione ſolvi omnino debeant.

*…ſiaſticis …nis (ter…*

§.10. Inſuper omnibus, & ſingulis, ac quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſeu beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, ut de illorum bonis, mobilibus, & immobilibus, ac ſe moventibus, etiam ex fructibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac alias quomodolibet, etiam propriis labore, & induſtria acquiſitis, uſque ad ſummam trecentorum ducatorum ſimilium in ejuſdem Archiconfraternitatis pro ipſa Redemptione, ſeu in aliarum quarumcumque, etiam extranearum (non tamen incapacium, & de jure prohibitarum) perſonarum favorem diſponere, ipſaque bona uſque ad dictam ſummam, tam ex teſtamento, quàm donatione inter vivos, aut alia quavis diſpoſitione Archiconfrat. ſeu perſonis prædictis relinquere, dummodo ſi in aliorum, ut præfertur, quàm in ipſius Archiconfraternitatis favorem diſpoſuerint, tertia pars dictorum bonorum ad eandem Archiconfraternitatem deveniat, alias diſpoſitiones hujuſmodi nullæ ſint eo ipſo, licentiam, & facultatem impartimur.

*…tia parte Archiconfraternitatis ſoluta) uſque ad ſumma 300. diſponere poſſe indulget.*

§.11. Præterea eidem Archiconfraternitati, illiuſque Cuſtodibus, ſeu ab eis deputatis, quod in quibuſcumque Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuſvis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus Eccleſiis, ac in quibuſcumque Maritimis, & aliis Portubus, tam dictæ Urbis, quàm provinciarum, civitatum, oppidorum, caſtrorum, & locorum quorumlibet totius Status Eccleſiaſtici, mediate, & immediatè ſubjectis, capſæ pro colligendis fidelium eleemoſynis pro ipſa Redemptione tenere, & manutenere, ac à dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtente noſtro Vicario in ſpiritualibus generali in dictæ Urbis, illiuſque diſtrictu, ac ab aliis locorum Ordinariis, illorumque Vicariis, & officialibus, in eorum civitatum, & diœceſum Eccleſiis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum regularibus, etiam quantumcumque privilegiatis, & exemptis, necnon à Gubernatoribus, & aliis officialibus, & miniſtris, in dictis portubus, ac aliis benevitis locis, contradictione ſeu reclamatione quibuſcumque poſtpoſitis, perpetuò manuteneri facere liberè valeant, ipſique locorum Ordinarii, ac noſter, & eorum Vicarii, & Officiales, Gubernatores, & miniſtri omnino debeant, & teneantur, nec ſuper præmiſſis dicta Archiconfraternitas; illiuſque Cuſtodes, & Deputati prædicti ab aliquo quovis prætextu impediri poſſint, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus.

*Capſas ad colligendum eleemoſynas in Statu Eccleſ. deponendi facultatem d. Archiconfr. concedit.*

*Quinimò etiam extra Statum ut hic inf. ſequitur.*

§.12. Hortamur denique, & per Redemptionis humani generis ſacramentum obteſtamur univerſos, & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, & alios Eccleſiarum Prælatos, necnon Rectores parochialium Eccleſiarum, ac noſtrum in dicta Urbe, illiuſque diſtrictu eorumque Vicarios, & officiales, ac cæteras Eccleſiaſticas, ſæculares, & quorumvis Ordinum regulares perſonas, nunc, & pro tempore exiſtentes, quatenus huic operi faveant, illudque per ſeipſos vel alium, ſeu alios, etiam adhibitis verbi Dei concionatoribus, in ſuis quiſque Eccleſiis, plateis, & locis, ac ubicumque opus fuerit, etiam ſæpe, & ſæpius, ac quoties pro parte Cuſtodum prædictorum, ſeu ab eis deputatorum, aut alicujus eorum requiſiti fuerint, omnibus Chriſti fidelibus publicent, atque denuntient, illoſque ad conferendum eleemoſynas, oblationes, & legata prædicta, omni ſtudio, & charitate accendant, & efficacibus hortationibus inducant.

*Ordinarios, & alios hortatur, ut huic operi faveãt.*

§.13. Et inſuper ſupradictos omnes locorum Ordinarios, ac alios juriſdictionem exercentes vehementer ſuademus, quod aliquam portionem pœnarum delinquentibus imponendarum, tam pio operari applicent, ut miſeris & afflictis Captivis, quorum animarum periculum imminet, copioſius ſuccurratur. Cæterum ut pium hoc opus ſalubribus inſtitutis dirigatur, Cuſtodibus & Confratribus prædictis quæcumque ſtatuta, ordinationes, & decreta, licita & honeſta, ac ſacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis non contraria, ac ab eodem noſtro Vicario approbanda, ad fauſtum & incolumem ſtatum ipſius operis ritè & rectè inſtituendum condere, ac condita quoties opus fuerit mutare & alterare, aliaque de novo etiam ab eodem noſtro Vicario approbanda edere, cæteraque in præmiſſis quomodolibet neceſſaria & opportuna facere, exequi & exercere, licentiam tribuimus & facultatem.

*Pœnaſque delinquentiũ in aliqua parte huic operi applicent.*

§.14. Ut

*Indulgentiasque hic expreſſas Archicōfraternitati, & aliis ei aggregandis Confraternitatibus, earumque perſonis reſpectivè concedit.*

§. 14. Ut autem tam ipſius Archiconfraternitatis, illique aggregatarum, & pro tempore agregandarū Confraternitatum utriuſque ſexus Confratres, nunc & pro tempore exiſtentes, quam alii Chriſti fideles in hujuſmodi inſtituto alacrius perſiſtant, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Archiconfraternitatis, & Confraternitatum prædictarum Confratribus, ac aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui Orationi quadraginta horarum quandocumque ab eadem Archiconfraternitate & ſingulis Confraternitatibus prædictis haberi contigerit, verè pœnitentes & confeſſi, ac ſacra communione refecti devotè interfuerint, & ibi pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, Captivorum in fide Catholica conſtantia, ac hujus inſtituti progreſſu & augmento, pias ad Deum preces effuderint, bis in anno quolibet plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. In aliis vero vicibus, quibus hujuſmodi oratio habebitur, centum annos. Ac tam Archiconfraternitatis, quàm ſingularum Confraternitatum prædictarum Confratribus, & aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui Captivis prædictis, dum ad Urbem veniunt proceſſionaliter obviam iverint, vel illos ad viſitandum limina Apoſtolorum, aut aliam dictæ Urbis Eccleſiam pro gratiarum actione eorum liberationis proceſſionaliter comitati fuerint, vel ipſas proceſſiones, ſeu earum alteram aſſociaverint, & ut præfertur, oraverint, pro qualibet proceſſione hujuſmodi decem annos & totidem quadragenas. Necnon, tam Confratribus, quam aliis Chriſti fidelibus prædictis, qui in hoc pio negotio operam ſuam quoquo modo poſuerint, quocumque die quo id fecerint, etiam decem annos, & decem quadragenas. Illis verò, qui eoſdem Captivos, tam in itinere poſt eorum liberationem, dum omnes ſimul ad Urbem veniunt, quā in ipſa Urbe hoſpitio exceperint, ac fraterna in Dño charitate tractaverint & adjuverint, illiſque inſervierint, quoties id fecerint, ſimiliter decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam miſericorditer in Domino relaxamus.

*Quoad indulgentias vide quod notavi in rubr. conſt. 38. Gregor. XIII.* Paſtoris.

*Clauſula præſervativa.*

§. 15. Præſentibus, quas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum, conceſſionum & indulgentiarum revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, ac aliis contrariis diſpoſitionibus, quavis auctoritate, etiam per nos & pro tempore exiſtentes Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, ac Sedem eandem, aut aliàs ex quacumque quantumvis urgentiſſima, ac neceſſaria cauſa, etiam in favorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Urbe, Cruciatæ Sanctæ, vel expeditionis contra infideles, ac etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, in genere vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet factis & emanatis nullatenus unquam comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtētes ipſius Archiconfraternitatis Cuſtodes eligenda, conceſſas fore & eſſe ac cenſeri. Ipſiſque Cuſtodibus & Confratribus, ac aliis ſupradictis ſuffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus duraturis, etiam Archiconfraternitati, & ſingulis Confraternitatibus ac aliis fidelibus prædictis, pro præmiſſis peragendis, aut alias aliqua alia indulgentia, perpetuo vel ad tempus nondum elapſum duratura, per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem eandem conceſſa fuerit. Et ne præſentes literæ ſub revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, ac aliis diſpoſitionibus prædictis comprehendantur, ipſique Cuſtodes & Confratres, ac ab eis Deputati ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo à quoquam moleſtentur ſeu perturbentur, eaſdem præſentes nullo unquam tempore, etiam ad quorumvis inſtantiam, ex quacumque cauſa revocari, ſuſpendi, alterari, limitari, aut ad juris terminos reduci, vel illos contra eas in integrum reſtitui, neque eaſdem literas de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari poſſe, nec cauſam, ſeu cauſas propter quam, ſeu quas illæ emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam à dicta Sede delegatis, vel aliis quibuſvis judicibus verificari debere, neque propterea, aut ex eo quod intereſſe habentes, ſeu prætendentes ad hoc vocati non fuerint, per ſubreptionem obtentas præſumi, & viribus carere.

*Decretu[m irr]itans.*

§. 16. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Execu[tores] hujus c[ons]tutionis [de]putantu[r,] facultat[e]...*

§. 17. Et nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Ravennaten. & Bononien. Archiepiſcopis, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, Motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cuſtodum, vel Confratrum, ſeu ab eis deputatorum prædictorum, aut alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus ſemper & ubique, firmiter & inviolabiliter obſervari, ſuoſque plenarios & integros effectus in omnibus & per omnia ſortiri, ac debitæ executioni demandari. Necnon Cuſtodes, Confratres & Deputatos, ac illorum Quæſtores prædictos, cæteroſque omnes, quos literæ ipſæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes quemquam ipſorum per quoſcumque ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores, moleſtatores, & perturbatores quoſlibet, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, eorum & cujuſlibet ipſorum arbitrio imponendas, ac eidem Redemptionis operi applicādas pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, quacumque appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos enim illis, & eorum cuilibet, omnes & ſingulos ſua in præmiſſis quomodolibet intereſſe putantes, etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè & extrajudicialiter de non tuto acceſſu citandi, eiſdemque, ac quibus, & quoties opus fuerit, ſub omnibus vel diſſimilibus ſententiis, cenſuris, & pœnis inhibendi, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ipſos ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe declarandi, illaſque etiam ſæpius aggravandi, & interdictum Eccleſiaſticum apponendi, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, plenam, & liberam auctoritatem, & tenore præmiſſis concedimus facultatem. Ac ut tam ſalutare opus in dies augeatur, univerſos & ſingulos Reges, Duces, Marchiones, Comites, & Principes ſæculares, & alios Dominos, ac Magiſtratus temporales Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & locorum quorumlibet, illorumque communitates, Univerſitates, & homines rogamus, requirimus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, eiſdem in remiſſionem peccatorum injungentes, quod in præmiſſis, cuſtodibus, Confratribus, Quæſtoribus, & Deputatis prædictis, ac cuilibet ipſorum aſſiſtant, ſuumque favorem, & auxilium præſtent, ac illos, & eorum quemlibet à malignorum incurſu defendant, nulliſque moleſtiis, datiis, gabellis, & actionibus quibuſcumque affligi, ſeu prægravari aliquo modo ſinant, atque permittant, impedientes etiam temporalibus pœnis afficiant.

*Cla[uſulæ] derog[atoriæ].*

§. 18. Non obſtantibus quatenus opus ſit, una de jure quæſito non tollendo, & altera Cancellariæ noſtræ regulis, per quam voluimus quod in literis indulgentiarum apponatur clauſula, quod ſi Eccleſiæ, aut Eccleſiis, vel perſonis, quibus indulgentiæ conceduntur, aliqua alia indulgentia foret conceſſa, de qua inibi ſpecialis mentio facta non eſſet, hujuſmodi literæ eſſent nullæ, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur ne quis extra ſuā civitatem vel diœceſim ad

judicium

judicium evocetur,ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati extra Civitatem vel diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere audeant, vel præſumant,& in cõcilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Conciliis quoque univerſalibus, etiam facultatum quæſtuandi revocatoriis, necnon prohibitionibus deſuper factis, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, piorum locorum, Collegiorum, & aliarum Confraternitatum, necnon Sanctiſſ. Trinitatis, & *B. Mariæ de Mercede* Redemptionis Captivorum, aliorumque Ordinum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. illis eorumque ſuperioribus, & perſonis, ac Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus & aliis officialibus, & miniſtris, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Urbe, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam ad quorumvis inſtantiam, aut etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum,& nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè, ad effectum omnium præmiſſorum, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, & ad plenum derogatum eſſe volumus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſt. non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*...ns tran-...orum.* §.19. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, ſigillo ejuſdem Archiconfraternitatis munitis, illiuſque Secretarii manu ſubſcriptis eadem prorſus fides, in judicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino, &c.

*...p. A. 1. ...Mart.* Dat. Rom. apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. Kal. April. Pont. noſtri anno 1.

*Sequitur extenſio d. facultatis colligendi eleemoſynas pro ejuſmodi Redemptione.*

*...An. D. ...86.*

*S I X T V S   E P I S C O P V S,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...mptionis ...vorum ...piiſſi-...* CUm adeo pium Redemptionis captivorum opus cæteris miſericordiæ operibus antecellat, ut captivum redimendo omnia quaſi per compendium adimpleri videantur, quodque omnium maximum eſt, à periculo abnegandæ fidei Chriſti fidelium animæ liberentur, ac propterea tantæ pietatis operi ita faveant omnia jura, ut non qualiacumque profana ſive temporalia bona, ſed argentum, aurum & ſacra templi vaſa pro redimendis captivis diſtrahi venundarique decernant. Qui enim eſt adeo durus & humanæ conditionis prorſus oblitus, ut ſine maximo gemitu & lachrymis conſiderare poſſit, quot ærumnas, quot infirmitates, quot vincula, & tormentorum genera, Chriſti fideles in dira infidelium captivitate detenti, fame & ſiti, frigore, & nuditate penè conſumpti continuo patiantur.

*...or. XIII. Sodali-...* §.20. Nos hæc omnia cogitantes, & dolenter examinantes, tanti doloris contemplatione accenſi, redimendorum captivorum opus alias per fel. rec. Gregorium Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum in Alma Urbe, ac toto Statu Eccleſiaſtico mediatè & immediatè ſubjecto erectum & inſtitutum, ac curæ & ſollicitudini venerabilis Archiconfraternitatis Confalonis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ impoſitum & demandatum confirmavimus, & approbavimus, ac etiam de novo ereximus, diverſaſque tam ſpirituales quam temporales gratias, facultates, & indulta pro ipſius operis incremento & ſubventione, eidem Archiconfraternitati conceſſimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. *...tati delegavit & hic Pont. approbavit & extendit ut ſup.*

§.21. Unde tunc exiſtentes ipſius Archiconfraternitatis Cuſtodes, & alii Confratres, cupientes in agris uberibus dicti operis charitatis ſemina mittere, meſſem ampliſſimam in Regno Cœlorum expectaturi, ex Algerii, & aliis Africæ partibus ducentos & ultra pauperes captivos non ſine maximis laboribus, & nummaria quantitate ſingulari ac præcipua pietate & charitate redemerunt, illoſque poſtquam ad Urbem venerunt, ad venerandam ipſius Glorioſiſſimæ Virginis Confalonis imaginem in Baſilica B. Mariæ Majoris exiſtentem, dum in Capella Pontificali ejuſdem Baſilicæ coram Nobis, & Sacro Cardinalium Collegio ac multis Prælatis divina peragebantur, proceſſionaliter ad agendum gratias humani generis Redemptori cum maxima Populi frequentia, & Chriſti fidelium ingenti lætitia aſſociarunt, quibus ad pedes noſtros in eadem Capella provolutis Dei benedictione lætantes benediximus. *Sodalitas ideo multos captivos redemit.*

§.22. Quare nos eorundem Cuſtodum, & Confratrum ſingularem pietatem plurimum in Domino commendantes, ac pro his gratias agentes Deo, volenteſque ut tam pium opus fidelium eleemoſynis ſubveniatur, ac latius diffundatur, & propagetur, & nedum ipſius Archiconfraternitatis confratres, verum etiam omnes, & ſinguli quarumcumque Confraternitatum eidem Archiconfraternitati hactenus aggregatarum, & pro tempore aggregandarum Confratres, aliique utriuſque ſexus Chriſti fideles in hujuſmodi pio opere ſe exercere, illudque eleemoſynis, ac ope & operibus augere contendant, atque procurent, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, eidem Archiconfraternitati, illiuſque nunc & pro tempore exiſtentibus Cuſtodibus & Confratribus, ut nedum in dicta Urbe, ac toto Statu Eccleſiaſtico, ut præfertur ſubjecto hujuſmodi, ſed etiam extra dictum Statum eleemoſynas, & oblata quæcumque pro redemptione captivorum quærere & accipere, ac ad id Confraternitates eidem Archiconfraternitati hactenus aggregatas, & pro tempore aggregandas, illarumque Confratres ac alios quæſtores, quot eis videbitur deputare, qui eleemoſynas, obligationes, legata, & quæcumque alia ſubſidia pro hujuſmodi redemptione & cauſis ad eam pertinentibus perquirere liberè & licitè poſſint & valeant, Apoſt. auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem, ac omnimodam poteſtatem perpetuò concedimus & impartimur, eiſque deſuper ſpeciali gratia indulgemus. *Hic propterea Pontifex eidem dat facultatem etiam extra Statum Eccleſiaſtic. pro d. opere colligendi eleemoſynas.*

§.23. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinariis, & Eccleſiarum Prælatis, ac dilectis filiis illorum officialibus, & Vicariis, necnon Abbatibus, Prioribus, Capitulis, Conventibus, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, & illorum Vicariis, ac quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium Generalibus, Provincialibus, & aliis ſuperioribus, ac verbi Dei concionatoribus, & quibuſvis aliis, tam exemptis quàm non exemptis Eccleſiaſticis perſonis, tam in Urbe, & toto Statu Eccleſiaſtico hujuſmodi quàm per univerſum orbem Chriſtianum conſtitutis, quatenus omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles ad conferendum eleemoſynas, oblationes, & legata omni ſtudio, & charitate accendant, & efficacibus hortationibus inducant, ſuaſque literas ad id favorabiles, & hortatorias abſque alicujus præmii, vel mercedis exactione tradant. *Epiſcopiſque & aliis mandat ut eidem faveant.*

§.24. Præſentibus, quas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum, & facultatum revocationibus, *Clauſula hujus conceſſionis præſervativa.*

limitationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam & per nos & pro tempore exiſtentes Rom. Pont. ſucceſſores noſtros, ac Sedem eandem, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet pro tempore factis, & emanatis, nullatenus unquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè integratas, ac de novo etiam ſub poſteriori data per pro tẽpore exiſtentes Cuſtodes & Confratres præfatos eligenda, conceſſas fore, & eſſe ac cenſeri, ipſiſque Cuſtodibus, Officialibus & Confratribus, ac aliis prædictis ſuffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus duraturis.

*Clauſula derogatoria.*

§. 25. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. Mendicantium & non Mendicantium Ordinibus, Archihoſpitalibus, Hoſpitalibus ac locis piis, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Urbe, Cruciatæ Sanctæ, & aliis quibuſcumque contra præmiſſa, aut aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 26. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, ac ipſius Archiconfraternitatis pro tempore exiſtentium Cuſtodum, & Secretarii manibus ſubſcriptis, ejuſdemque Archiconfraternitatis ſigillo munitis eadem prorſus fides, in judicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 3. die 23. Apr.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Aprilis 1588. Pont. noſtri anno 3.

---

## XXVIII. Moderatio conſtitutionis editæ à Pio V. quoad electionem Viſitatoris generalis, & exemptionem Fratrum Tertii Ordinis de pœnitentia S. Franciſci, à ſuperioritate Miniſtrorum Provincialium Fratrum Minorum de Obſervantia in Italia.

*De hoc Ordine dixi ſup. ad conſt. 32. Leon. X.* Inter. *ibi videas.*

*Edita An. D. 1586.*

*SIXTUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmani Pontificis providentia circumſpecta, nonnunquam ea, quæ per prædeceſſores ſuos rationabilibus & honeſtis ſuadentibus cauſis, pro quibuſcumque Eccleſiæ Ordinibus vel in ſua integritate continendis, vel ad inſtitutum revocandis ſtatuta & ordinata fuerunt, ex aliis non minus juſtis cauſis moderatur & revocat, prout id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Pius V. edidit reformationem hujus Ordinis ſup. in conſt. 63. Eiſi eſt.*

§. 1. Alias ſiquidem fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, officia Miniſtratus, & Viſitatoris generalis Tertii Ordinis S. Fr. de pœnitentia nuncupati, perpetuo extinxit & abolevit, ac Miniſtrum, Viſitatorem, & Vicarium generalem ejuſdem Ordinis officio, uſu, & exercitio omninò interdixit, Edictoque prohibuit, ne ullus Miniſter, Vicarius & Viſitator generalis de dicto Ordine haberetur.

*Eumque ſuppoſuit Ordini de Obſervantia.*

§. 2. Inſuper univerſos & ſingulos Fratres, Sorores, profeſſos, & converſos, necnon Domos, Monaſteria, & loca virorum & mulierum, ac cuſtodias, & Provincias per univerſum orbem conſtitutas, gregemque ipſum univerſum Tertii Ordinis utriuſque ſexus, Generali & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum minorum de Obſervantia nuncupatorum, prout in eorum Provinciis conſiſtebant; ita perpetuò ſuppoſuit, ut Miniſter Generalis in univerſo Ordine, Provincialis vero Ordinis Minorum de Obſervantia in ſuis quiſque Provinciis plenum jus, liberamque auctoritatem in ſpiritualibus, & temporalibus, & juriſdictionem omnimodam haberet, Domos omnes, ac Monaſteria, & loca quæcumque, necnon perſonas utriuſque ſexus, tam in capite quàm in membris viſitandi, & corrigendi, vagantes, & quoſcumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, Ordinibus, officiis & adminiſtrationibus deponendi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, & reſtituendi, ac etiam ſuper iis, & cæteris omnibus Ordinem ipſum, illiuſque Domos, & perſonas utriuſque ſexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen regulæ, & ſacris Canonibus, & literis tunc deſuper confectis non contrariis, ſtatuendi, mutandi, innovandi, & exequendi, quemadmodum illis erat in ſuo proprio Ordine attributum, ac alia ſtatuit, & ordinavit, prout in ipſius prædeceſſoris literis, ſub data videlicet 5. Nonas Julii, Pont. ſui anno 3. deſuper confectis, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, plenius continetur.

*Hic Pont. moderatur innovat q… ad Fran… Italia, … electionem … ſitatoris … ralis, &c.*

§. 3. Nos itaque, quibus nuper innotuit, quod Fratres Tertii Ordinis hujuſmodi ſub obedientia Magiſtri generalis, & Provincialium Fratrum de Obſervantia prædictorum manentes, nihil in vinea Domini profecerunt, immò in eodem Tertio Ordine varii abuſus tam circa Regulæ obſervationem, quàm etiam Fratrum dictæ Regulæ tranſgreſſorum, & aliàs delinquentium caſtigationem irrepſerunt. Ac conſiderantes, quod ſi Fratres ipſi Tertii Ordinis eorum Viſitatorem Generalem juxta ſua regularia inſtituta, ut ante literas dicti prædeceſſoris faciebant, eligere poſſent, & ſic electo tanquã eorum ſuperiori obedirent, præmiſſis, & aliis malis, quæ occurrere poſſent, plurimùm conſultum foret. Propterea ex his & aliis cauſis animum noſtrum moventibus, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine ipſos Fratres Tertii Ordinis adverſus literas dicti prædeceſſoris (illis quoad Protectoris deputationem in ſuo robore permanentibus,) in priſtinum & eum, in quo antequam ipſæ literæ emanaſſent erant, ſtatum reſtituentes, & plenariè reintegrantes, eiſdem Fratribus Tertii Ordinis per univerſam Italiam exiſtentibus, quod perpetuis futuris temporibus juxta eorum regularia inſtituta ſingulo triennio Capitulum generale dicti Tertii Ordinis convocare, & celebrare, ac in eo Viſitatorem generalem, & alios Miniſtros, & Officiales (non tamen Commiſſarium generalem) eiſdem modo, & forma, quibus antequam literæ prædictæ emanaſſent, conſueverant, eligere, eumdemque Viſitatorem generalem peracto triennio hujuſmodi in alio Capitulo generali poſtea faciendo confirmare liberè & licitè valeant, perpetuò Apoſtolica auctoritate concedimus, & indulgemus.

*Hæc m… tio eſt for… extenſa e… ad Prov… Dalmat… Juſtipoli… Clem. V… ejus conſ… eam vid…*

§. 4. Decernentes Viſitatorem ſic electum omnimodam poteſtatem, auctoritatem, juriſdictionem, & ſuperioritatem in omnes & ſingulos dicti Tertii Ordinis Fratres, & Miniſtros, & Officiales, per univerſam Italiam conſiſtentes, eorumque domos & loca, ac res & bona habere, necnon Fratres & Miniſtros, ac officiales Tertii Ordinis hujuſmodi ei ſic electo, tanquam vero Superiori morem gerere, ejuſque mandatis ſalubribus obedire teneri, ipſoſque per Miniſtrum Generalem, ac alios Fratres de Obſervantia, quo minus ad electionem prædictam, prout ante dictas literas faciebant, procedere valeant, nequaquam impediri, aut moleſtari poſſe. Et ita per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogator.*

§. 5. Non obſtantibus literis prædictis, quibus, ac omnibus aliis quæ præmiſſis obeſſe poſſent, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod dictus Viſitator eligendus, infra duos menſes à die ſuæ electionis computandos confirmationem electionis hujuſmodi à Miniſtro Generali de Obſervantia petere omnino teneatur, qua petita,

ac

& non obtenta, vel denegata, idem Viſitator Tertii Ordinis Apoſt. auctoritate confirmatus cenſeatur, quodque dictus Miniſter de Obſervantia per ſe ipſum dumtaxat, unà cum duobus aliis ſui Ordinis profeſſoribus, poſſit ſingulo quadriennio poſt Viſitationem à Viſitatore Tertii Ordinis hujuſmodi factam, & non ante, Tertium Ordinem, ac Fratres, Domos, loca, res, & bona prædicta viſitare, eaque tam in capite, quàm in membris prout opportunum fuerit, juxta regularia inſtituta dicti Tertii Ordinis corrigere, & moderari.

§. 6. Ac quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, dictique protectoris, aut Viſitatoris Tertii Ordinis hujuſmodi ſigillo munitis, aut manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Martii 1586. Pont. noſtri anno 1.

---

XIX. Reformatio Officii, & emolumentorum Secretarii Domeſtici Summi Rom. Pont. Cum indultorum Collegii Secretariorum conceſſione, & ampliatione.

*De Inſtitutione, & Extenſione d. Collegii, & d. Officio hujus Secretarii, & emolumentorum elargitione, vide ſup. in Bull. 12. Innoc. VIII.* Non debet.

*SIXTVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

ROm. Pont. providentia circumſpecta ea nonnunquam alterat, & immutat, quæ rerum, temporum, ac perſonarum qualitate penſata, vel evidens ſuadet utilitas, vel cogit neceſſitas reformari. Induſtrios quoque, & doctrina probitos viros honoribus, & favoribus proſequitur opportunis, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

§. 1. Sanè licèt alias fel. rec. Innoc. Papa VIII. prædeceſſor noſter Collegium dilectorum filiorum Secretariorum Apoſtolicorum inſtituerit, & certo tunc expreſſo probatorum virorum numero, qui & Rom. Curiæ decori atque ornamento eſſent, ac expedititioni Brevium, & aliarum literarum Apoſt. quæ per Secretarios Apoſtolicos expediri conſueverant, accuratiùs, & diligentius attenderent, conſtare voluerit, eidem Collegio, & Secretariis diverſos annuos redditus, & emolumenta, inter ſingulos Secretarios pro tempore exiſtentes æquis portionibus dividenda, & diſtribuenda aſſignaverit, & in quinterno ejus manu ſubſcripto adnotari mandaverit. Ita tamen, quod liceret ipſi Innocentio, & pro tempore exiſtenti Rom. Pont. ultra numerum ab eo tunc præſcriptum, unum Secretarium, Domeſticū nuncupandum habere, qui ſua, & Rom. Eccleſiæ negotia ſecreta, aut Orthodoxæ fidei ſtatum concernētia dumtaxat expedire poſſet, & deberet, quique duabus integris portionibus dictorum emolumentorum ultra numerum Collegarum faciendis contentus, ab omnibus, & ſingulis aliis emolumentis, & expeditionibus Officiū Secretariorum quomodolibet concernen. penitus abſtineret.

§. 2. Et rec. mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, poſt diverſos alios Rom. Pont. etiam prædeceſſores noſtros, tunc ſuos, literas Innocentii prædeceſſoris præfati approbaverit, & confirmaverit, ac etiam innovaverit, aliaque etiam de novo conceſſerit, voluerit, & ordinaverit, prout in ipſorum Pii, & Innocentii prædeceſſorum præfatorum literis plenius continetur.

§. 3. Nihilominus temporis ſucceſſu, multiplicato Secretariorum domeſticorum numero pro Romanorum Pontificum arbitrio, ipſi Secretarii domeſtici præter dictas duas portiones, diverſa alia emolumenta ſeorſum à Collegio percipere conſueverunt, necnon Collegii incuria, ſeu forſan per deſuetudinem effectum fuit, ut nonnulla alia ex emolumentis præfatis, his præſertim quæ in quinterno dicti Innocentii notata reperiuntur, à debitoribus non exigantur.

§. 4. Cum autem Nos circa Officium Secretariatus domeſtici, quod dilectus filius Joannes Baptiſta Canobius clericus Bononien. pro nutu, & voluntate noſtra nunc exercet, novam rationem inire conſtituiſſemus, Collegium præfatum, in quo virtutibus, experientia, ac uſu rerum, & negotiorum ad Romanam Curiam confluentium, & ad dictum Officium pertinentium inſignes viri connumerantur, ſe nobis obtulit ipſius Officii, cujus ratione pleraque ad ipſum Collegium ſpectantia emolumenta exigi conſueverunt, ac eorum quæ in eo geruntur, curam omnem, cogitationemque ſuſcipere, idque munus qua decet fidei integritate, per idoneos, & peritos, ab ipſo Collegio electos, & per Nos approbatos viros obire, &c. Nos igitur, &c. ipſumque Collegium & Secretarios gratioſo affectu proſequi volentes, ſingularum Innocentii, & Pii, aliorumque prædeceſſorum præfatorum literarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad dicti Collegii, aut alicujus pro eis Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, & ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Officium Secretariatus domeſtici, quod dictus Joannes Baptiſta, ut præfertur exercebat, penitus, & omnino perpetuò ſupprimimus, & extinguimus, ita quod nullo unquam tempore per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, & Sedem Apoſtolicam in Statum priſtinum reſtitui, aut reintegrari valeat.

*Hic igitur Pontif. d. officium Secretariatus domeſtici nunc ſupprimit, ejuſque curā Collegio concedit.*

§. 5. Curam autem, & exercitium dicti ſuppreſſi Officii, ac cuſtodiam Regiſtrorum, Brevium, & literarum Apoſtolicarum, via quæ ſecreta appellatur, expeditarum, & pro tempore expediendarum, in manſionibus Palatii Apoſtolici in Vaticano, quas dictus Joannes Baptiſta, ſuique famuli, & Scriptores habitant, aſſervandorum, deinceps per unum, ex numero dicti Collegii Secretarium, aut aliam æque idoneam perſonam, à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente approbandum, ſeu approbandam, ad ipſius Collegii nutum, & liberum arbitrium nominandum, & deputandum, ac removendum, juxta ipſius Collegii præſcriptum haberi, & adminiſtrari, ipſaſque manſiones, in octo cubicula partim infra, partim ſupra diſtributas, quibus per duas portas patet ingreſſus, & ab uno Dataria Apoſtolica, ab altero manſiones Subſtituti ipſius Datarii cohærent, cum cella vinaria, ſub Officio Regiſtri ſupplicationum, & aliis ſuis pertinentiis per Secretarium, aut perſonas à Collegio præfato deputandas inhabitari volumus, & mandamus, curamque & exercitium hujuſmodi, & Regiſtrorum cuſtodiam, manſionumque præfatarum uſum, & habitationem, Collegio, & perſonæ ab eo deputandæ hujuſmodi, ex nunc perpetuò concedimus, & aſſignamus.

*Facultatem dictum Secretarium domeſticum à Pont. approbandum deputandi, &c. Manſioneſque in Palatio Apoſt. aſſignavit.*

§. 6. Et inſuper unam integram ex duabus portionibus emolumentorum dicti Collegii, extra numerum, ut præfertur faciendis, & Secretario domeſtico olim ab Innocentio prædeceſſore præfato aſſignatis, ab ipſo Officio Secretariatus domeſtici, etiam perpetuò diſmembramus, & ſeparamus, illamque, necnon quatuor alias partes cibariorum, pro victu, & alimento quotidiano Secretarii, aut perſonæ, ut præfertur, ad curam, & exercitium hujuſmodi deputandæ, ac trium famulorum, & unius equi, eiſdem modo & forma, quibus præfato Joanni Baptiſtæ dari hactenus conſueverunt, Collegio præfato, pro Secretario, vel perſona deputanda hujuſmodi perpetuo concedimus & aſſignamus, & per eos, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, dari, præſtari, & aſſignari volumus, & mandamus.

*Unam ex duabus portionibus ab Innoc. VIII. reſervatis pro Secretario domeſtico, prædicto Collegio concedit.*

§. 7. Necnon medietatem omnium, & ſingulorum aliorum emolumentorum, quæ hactenus præfatus Joannes Baptiſta Canobius pro ſe, & aliis duobus Secretariis domeſticis percipere, exigere, & levare conſuevit, ita ut alia medietas emolumentorum hujuſmodi, unà cum altera ex dictis portionibus pro uno, vel duobus, aut pluribus Secretariis domeſticis ſalva remaneat, ſive illa ratione taxarum literarum Apoſtolicarum via, quæ ſecreta appellatur expediendarum, ſive cedularum propoſitionum Eccleſiarum, aut Monaſteriorum, vel ſententiarum à Romano Pontifice pro tempore latarum, aut inveſtiturarum ab eo quomodolibet factarum percipiuntur,

*Medietatem emolumentorum quæ Secretarius domeſticus ſeorſum à Collegio percipere conſuevit, eidem Collegio tribuit.*

tur, ſeu quovis alio nomine nuncupentur, Collegio præfato pariter concedimus, & aſſignamus.

*Licentiam quoque dat Collegio poſſeſſionem prædictorum propria auctoritate capiendi.*

§.8. Ita quod liceat ipſi Collegio, per ſe, vel alium, ſeu alios ejus nomine præfato atque exercitii, & integræ portionis hujuſmodi, necnon manſionum, regiſtrorum, portionum, cibariorum, & aliorum emolumentorum præfatorum poſſeſſionem propria auctoritate vigore præſentium apprehendere, ſeu forſan interim apprehenſam perpetuo retinere, nec deſuper à Secretario domeſtico, uno, vel pluribus (pro quo, ſeu quibus altera dumtaxat integra portio emolumentorum ex duabus illi ab Innocentio prædeceſſore præfato aſſignatis, ac reliqua medietas aliorum emolumentorum ſupradictorum ſalvæ remaneant) quomodolibet moleſtari poſſit.

§.9. Ita tamen quod Collegium Secretariorum, ſeu ad exercitium hujuſmodi Deputatus, ipſis Secretariis domeſticis rationes, & computa oſtendere, & reddere teneantur.

*A Collegio deputandus computa Secretariis oſtendat.*

*Secretarii domeſtici ne ſe ultra hic contenta ingerant.*

§.10. Ipſis Secretariis domeſticis pro tempore exiſtentibus, & ſive unus fuerit, ſive plures, ſub mille ducatorum auri, & aliis arbitrio noſtro pœnis, eo ipſo pro qualibet vice, qua contravenerint, incurrendis, diſtrictius inhibentes, ne aliquas literas in forma Brevis, aut etiam ſub plumbo expedire audeant, vel præſumant, præter illas, quæ Rom. Pontif. pro tempore exiſtentis, & Romanæ Eccleſiæ negotia ſecreta, aut orthodoxæ fidei Statum concernent, & emolumentis ſibi ut ſuprà remanentibus contenti, nihil aliud, etiam occaſione eorum hujuſmodi Officii, à quoquam percipere poſſint, ſed quicquid lucri ex ſupradictis taxis Bullarum per viam ſecretam expediendarum, & quibuſvis aliis regaliis prædictis percipietur, ad Cuſtodem Brevium, ſeu emolumentorum ab eodem Collegio deputandum deſtinent, ac omnino tranſmittant, quæ quidem omnia, & ſingula, ut inviolabiliter obſerventur, ſub eiſdem pœnis præcipimus, & mandamus.

*Collegii facultas deputandi, & removendi tres perſonas ad ſcribendum Brevia, & regiſtrandum Bullas ſecretas, & cibaria dictis ſcriptoribus aſſignantur.*

§.11. Præterea eidem Collegio liberam tribuimus facultatem, & auctoritatem nominandi, eligendi, & deputandi tres idoneas perſonas pro ſcribendis literis in forma Brevis per dictum Deputatum expediendis, & tam illis, quam literis Apoſt. via quæ appellatur ſecreta, expeditis, regiſtrandis, dictaſque perſonas ad ipſius Collegii nutum removendi, & alias remotarum, recedentium, vel decedentium in locum ſubrogandi, & deputandi, quibus ſic electis, & deputatis perſonis ſingulas portiones cibariorum, ex Palatio Apoſt. prout illas hactenus habuerunt, & percipere conſueverunt, iiſdem auctoritate, & tenore perpetuò concedimus, & aſſignamus, ac ab iis, ad quos ſpectat, dari, concedi, & præſtari volumus, & mandamus pari auctoritate, & facultate præfato Collegio attributis hujuſmodi loca perſonis ab eo electis perpetuò, vel ad tempus, ex nunc prima vice, & deinde quotieſcumque loca ipſa pro tempore vacare contigerit, pro pretio inter ipſum Collegium, & perſonas hujuſmodi convento vendendi, ſeu pignorandi, vel alias, de locis ipſis diſponendi, ac pretium hujuſmodi in dicti Collegii uſus, & utilitatem convertendi.

*Taxaſque ab Innoc. VIII. dicto Collegio aſſignatas hic Pont. de novo aſſignat, eaſque ſingulis ſex menſibus incipiendo à die 1. Julii 1586. ſolvi præcipit.*

§.12. Inſuper omnes, & ſingulas taxas Officiorum Rom. Curiæ, & quarumvis Terrarum, Provinciarum, Communitatum, & locorum totius Status Eccleſiaſtici in quinterno Innocentii prædeceſſoris præfati adnotatas, & deſignatas, & Collegio præfato applicatas, & aſſignatas, etiam ſi de præſenti non ſolvantur, pro quibus Collegium ipſum debitam recompenſam, in genere, vel ſpecie non conſtiterit recepiſſe, ipſi Collegio eiſdem modo, & forma, quibus per dictum Innocentium aſſignatæ, & applicatæ fuerunt, de novo applicamus, & aſſignamus, & per Officiales, & Miniſtros Urbis, & Provinciarum, ac Communitatum, Terrarum, locorum, ac præſertim per Almæ Urbis, & Civitatis noſtræ Bononien. (poſt tamen præſentes, qui pro tempore extiterint Gubernatores, & eorum Locatenentes) necnon tam præſentes, quàm pro tempore exiſtentes Provinciæ noſtræ Marchiæ Theſaurarium, etiam ratione propriæ ejus taxæ, etiam de præterito, non obſtante decreto ad Motum proprium piæ memoriæ Gregorii Papæ XIII. etiam prædeceſſoris noſtri, ſuper prætenſa concordia inter Collegium præfatum, & dilectum filium [illegible], ad cujus commodum pro pecuniis ab ipſo [illegible] ſolutis hujuſmodi conceſſio [illegible], ac Cameram Apoſtolicam [illegible] jecto, & quoſvis alios, integre, & abſque ulla diminutione, juxta formam quinterni, & literarum Innocentii prædeceſſoris hujuſmodi, ſingulis ſex menſibus in principio, ſub pœnis in literis dicti Innocentii contentis, incipiendo à prima Julii poſt datam præſentium, & ſucceſſivè ſingulis ſex menſibus in principio perſolvi volumus, & mandamus, ſine tamen præjudicio quorumcumque jurium dicto Collegio pro præteritis taxis competentium, præſertim reſpectu litium hue uſque motarum.

*Taxaſque aliorum [...] rum poſt [...] blicatione[m] quinterni [In]nocent. [...] Sedi Ap[oſt.] incorpora[...] concedit.*

§.13. Inſuper quoque eidem Collegio liberam tribuimus facultatem, & auctoritatem ſingula quæque Officia quarumvis Provinciarum, Terrarum, Communitatum, & locorum Rom. Eccleſiæ, poſt publicationem quinterni ab Innocentio prædeceſſore confecti quomodolibet incorporatorum, & in poſterum incorporandorum, juxta facultatem ab eodem Innocentio prædeceſſore Collegio prædicto attributam, & cum conſilio dilecti filii Benedicti Juſtiniani moderni, & pro tempore exiſtentis Theſaurarii Generalis, taxandi, taxaſque impoſitas hujuſmodi ab illis erigendi, & recipiendi, modo, & forma ab ipſo Innocentio prædeceſſore quoad alios præſcriptis, quas quidem taxas de novo imponendas, ipſi Collegio perpetuò etiam applicamus, concedimus, & aſſignamus.

*Secreta[rii] Doctores [...] annum [...] habitu [Præla]torum in[ce]dentes, [...] que Sig[naturæ] Referend[arios] eſſe decer[nit].*

§.14. Ut autem Collegium ipſum præcipua aliqua honoris, & dignitatis prærogativa à Nobis etiam decoretur, & qui pro tempore fuerint Secretarii Apoſt. de numero participantium, per amplius honorentur, ſingulos Secretarios de numero præfato præſentes, & futuros, qui in utroque jure, aut in decretis ad doctoratus gradum in aliqua publica Univerſitate fuerint promoti, vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum exceſſerint, ſi habitu Prælatorum juxta Innocentii prædeceſſoris præſcriptum incedere voluerint, ex nunc, prout ex tunc, & è contra poſtquam habitum Prælatorum ſuſceperint, eo ipſo, abſque alia approbatione, & admiſſione, Referendarios perpetuos utriuſque Signaturæ noſtræ, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis creamus, conſtituimus, & deputamus, ac creatos, conſtitutos, & deputatos fuiſſe, & eſſe declaramus, & nuntiamus, eiſque, & eorum cuilibet de omnibus, & ſingulis privilegiis, emolumentis, immunitatibus, præeminentiis, facultatibus, gratiis, & indultis, aliis utriuſque Signaturæ Referendariis quomodolibet conceſſis, & quibus ipſi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, concedimus, & indulgemus.

*Secret[arius] ex dicti[s Re]ferendar[ius] antiquio[r] ſingulis Signatur[is in]terveni[re] ſe conc[edit].*

§.15. Ille verò Secretariorum eorundem, qui antiquior, Doctor, & Referendarius fuerit, ut ſingulis noſtris, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis Signaturis, nomine Collegii Secretariorum eo ipſo intervenire valeat, pariter indulgemus. Quod ſi ab Urbe abſens, vel aliàs impeditus fuerit, vel antiquior Secretarius alia ratione, vel cauſa dictæ Signaturæ intervenire habuerit, qui poſt illum erit antiquior Secretarius, & Referendarius indulto hujuſmodi eo ipſo potiatur.

*Habitu[m] deſigna[t] in Cap[ella] [lo]cum aſ[ſignat].*

§.16. Cumque Secretarii ipſi, qui clerici erunt, noſtri, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis ſint Prælati domeſtici, & familiares, ac continui commenſales, teneanturque juxta præſcriptum Innocentii prædeceſſoris præfati, niſi in majori fuerint dignitate conſtituti, Notariatus habitum ſuſcipere, & deferre, ne quod ornamento, & decore Romanæ Curiæ providè inſtitutum eſt, negligentia, & deſuetudine abrogetur, præſentium auctoritate volumus, ſingulisque Secretariis præfatis præſentibus, & futuris præcipimus, & mandamus, quatenus qui clericali militiæ adſcribi voluerint, vigintiquinque annis majores, habitum, & inſignia deferant Notariorum Apoſtolicorum, etiam ſi voluerint, violacei coloris: qui verò fuerint primæ tonſuræ dumtaxat clerici, in aliis ordinibus nondum conſtituti, ſeu ſæculares, etiam conjugati, veſtibus utantur, ſi eis placuerit, etiam violaceis, prout Cubicularii Apoſtolici de honore nuncupati. Habeant etiam qui Notarii fuerint Sedis Apoſtol. locum in

Capel

Capellæ, & aliis actibus publicis, in quibus cum cappis & rocchettis interfuerint ) eorum dignitati congruentem, quem ipsi [illegible].

§. 17. Et [illegible] Pii prædecessoris præfati [illegible] confirmatione, & approbatione [illegible] & aliorum Pontificum [illegible], tunc suorum, rebusque aliis [illegible] authoritate, tenore, scientia, & [illegible] plenitudine similibus approbamus, & [illegible] perpetuæ, & inviolabilis firmitatis [illegible] & singulos tam juris [illegible] supplemus.

[illegible], & in eis contenta quæcumque, de [illegible] obreptionis, aut nullitatis vitio, seu in[illegible] quopiam alio defectu notari, vel im[illegible] Nos, vel Rom. Pont. pro tempore existen[illegible] revocari, limitari, moderari, seu ad juris [illegible] non posse, neque debere, sed validas, & [illegible] perpetuò existere, ac dicto Collegio, & Secreta[illegible] tempore existentibus in omnibus, & per omnia [illegible] perpetuò suffragari, ac vim validi, initi & stipulati [illegible] inter Nos, & Sedem, ac Cameram Apost. ex [illegible] & Collegium præfatum ex altera partibus, habere [illegible] que Collegium ad verificationem, seu justi[illegible] præmissorum, vel partis eorum, aut ad regi[illegible] vel adnotationem præsentium in Camera, [illegible] constitutionem piæ mem. Pii Papæ IV. etiam præ[illegible] noſtri faciendam, nimimè teneri, nec ob non re[illegible] hujusmodi præsentes nullitatis, aut invali[illegible] vitio subjacere, sed valere, & ipsi Collegio, & Secretariis suffragari debere, perinde ac si in ipsa Camera registratæ fuissent, constitutione præfata non obstante.

§. 19. Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices & Commissarios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate judicari, definiri & interpretari debere, & quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, &c.

§. 20. Non obstantibus præmissis, ac Pauli II. & Pii etiam II. & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis de bonis Ecclesiasticis non alienandis, quatenus adsint, & nostra de non tollendo jure quæsito in Cancell. Apost. publicata, necnon statutis quavis firmitate roboratis, & consuetudinibus, exemptionibus, immunitatibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apost. Provinciis, Communitatibus, Terris, & locis præfatis, illarumque incolis, & personis quomodolibet concessis, & quibus forsan potiuntur, & gaudent, quomodolibet contrariis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis haberi volentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque cõtrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. Aprilis 1586. Pont. nostri anno 1.

---

## XX. Quod Festum S. Petri Martyris duplici officio de cætero celebretur.

*Hunc Sanctum canonizavit, ejusque festum pro die 29. mensis Aprilis instituit Innoc. IV. sup. in ejus const.* 11. Magnis.

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

INvictorum Christi militum numerus ingens propriam vitam contempsit, præ studio tuendæ, propagandæque Christianæ fidei, ideoque immarcescibili gloriæ corona donatus in cœlo, jure, & pia veneratione colitur, & celebratur in terris, sed non minus ad ejusdem fidei firmitatem profuit B. Petri Martyris virtus, qui pro Catholica Religione strenue militans eam conservavit ac defendit, adversus dolos atque insidias inimicorum, occulto veneno longè plus nocentium quam sit hostium infesta oppugnatio, qui aperto impetu nefarium Ecclesiæ Dei bellum indicunt.

§. 1. Quare ex promissione Omnipotentis Dei nomine facta fortiter pugnantibus, cum eorum laudes cantet Ecclesia, est etiam invicti hujus martyris concelebranda solemniter memoria. Is enim præclarus Ordinis Prædicatorum alumnus, inexplebilem extirpandæ hæreticæ perfidiæ cupiditatem jam inde à puero tota penitus mente combibit: quàm remirari debemus singulare erga illum Dei beneficium, cum credibile non sit, sine divina ope potuisse eum hæreticorum parentum domestica exempla tam sanctè detestari. — *S. Petrus Martyr. Ord. Prædicatorum professor fuit.*

§. 2. Immò vero imitatione accensus Beati Patris Dominici, ut ille perpetuis & concionibus, & disputationum congressibus, officioque Inquisitionis, quod ei primum prædecessores nostri Innocentius III. & Honorius III. commiserant, contra hæreticos mirabiliter se gessit, ita ipse cum nullum iis perditionis filiis monendis locum in omni sermone unquam reliquisset, cum in obeundo inquisitoris munere sibi literis Apostolicis commisso, mira quadã diligentia illos insectari, atque urgere non destitit. — *Inquisitorisque officio functus, & hæreticos mirabiliter persecutus.*

§. 3. Demum vero eorum in se odiis concitatis arripuit summa constantia, atque animi magnitudine oblatam sibi divino permissu martyrii occasionem, cujus quidem martyrii antea piis precibus ac votis à Deo expetiti præcipuo desiderio exarserat. Quamobrem post B. Dominicum non immerito Princeps appellari debet sacrosancti officii Inquisitionis, cum ipse primus illud suo sanguine consecraverit, quo factum est ut etiam nostris potissimum, hujusque sanctæ Sedis ministris, qui in hæc turbulenta & calamitosa tempora inciderunt, seu potius sunt divina providentia reservati, quasi facem prætulerit, ac viam commonstrarit, quam ejus exemplo ingressi, audeant quæcumque pericula pro munere commisso fortiter subire, ac sanguinem ipsum, si ita res ferat, vitamque pro Catholica fide gloriosè profundere. — *Martyriique quæ ... suscepit sanguinem pro fide Christi effundendo.*

§. 4. Dignam itaque Pont. munere cogitationem suscepturi videmur, si sancti hujus viri memoriam majori veneratione recolamus: ita enim fiet ut ei de Ecclesia Dei optime merito honor debitus tribuatur. Deinde ut ejus in officio Inquisitionis successores ad prosequenda fortissimi Ducis vestigia incitentur. Præcipuè verò decet, ut ad conciliandam nobis cœlestem gratiam imploremus illius opem, quem propter initam ante actæ vitæ sanctitatem, castimoniam, innocentiam martyrio consummatam, apud Deum maximè gloriosum intelligimus, & satis compertum est ejusdem Ecclesiæ amantissimum esse, pro qua gravissimos labores dies noctesque perpessus est. Quare hac nostra perpetua constitutione mandamus, ut ipsius sancti viri dies festus 3. Kal. Maii per omnes totius Orbis terrarum Ecclesias, duplici officio de communi unius Martyris, ubi proprium deest, celebretur, ac decernimus ut in Kalendario ad eum diem S. Petri Martyris nomen, cum specificatione Ordinis Prædicatorum, ac duplici nota adscribatur. — *Jussio ejus festi duplici officio celebrandi.*

§. 5. Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in universo terrarum Orbe constitutis ut faciant in suis quisque Ecclesiis, provinciis, civitatibus, & diœcesibus præsentes nostras solemniter publicari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis, secularibus & quorumcumque Ordinum regularibus omnino observari. — *Et hanc bullam publicandi & observandi.*

§. 6. Volumus quoque, ut præsentium exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. — *Fides transumptorum.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. Id. Aprilis, Pont. nostri anno 1. — *Dat. P. An. 1. die 13. Apr.*

---

## XXXI. De decies centenis millibus nummûm aureorum in Arce Sancti Angeli repositis, & nullo unquam tempore, nisi in præscriptis casibus detrahendis.

*Alia centena millia idem Pontifex in 2. anno ſui Pont. & alia in 3. Simili modo repoſuit, ut infrà in ejus conſt. 69. & 80. Ejuſque, bullas quiſque Pontifex initio ſui Pontific. confirmavit.*

*Edita An. D. 1586.*

*S I X T V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Plurimis de cauſis neceſſe eſt, Sedem Apoſtol. aliquem Theſaurum habere.*

AD clavum Apoſtolicæ ſervitutis in puppi Militantis Eccleſiæ non meritis noſtris, ſed divinæ voluntatis diſpoſitione, difficillimis his temporibus conſtituti, non ſolum præſentes fluctus, quibus Beati Petri navicula ſæpius jactatur, mente pervigili circumſpicimus, ſed procul etiam atque à longè impendentes tempeſtates non ſine magna animi ſollicitudine proſpicimus, eaſque conſilio & vigilantia, quantum cum Domino poſſumus, præcavere, ac vitare ſtudemus. Circunſtant nos undique multorum generum pericula, mala inteſtina quotidie magis ingraveſcunt, bello ardent Provinciæ, Hæretici implacabili odio inflammati in nos rapiuntur, hoſtis teterrimus & potentiſſimus Turca, alter Aſſur virga furoris Domini cervicibus noſtris ſemper imminet, quique communes ſunt Catholicæ Religionis, & Chriſtiani nominis inimici, iidem Romanam in primis Eccleſiam & Apoſtolicam hanc Sedem fidei petram, & fidelium omnium matrem acerbiſſimè oderunt, ejuſque auctoritatem, amplitudinem, ſtatum convellere, quod Deus avertat, ac labefactare, vehementer atque avide concupiſcunt. Et nos quidem dubios rerum eventus, & occulta diſcrimina, quæ non ſine cauſa timere cogimur, ſæpe numero expendentes, non in nobis ipſis ſpem collocamus, neque carnem ponimus brachium noſtrum, ſed oculos in cœlum ſuſtollimus ad cuſtodem Iſraël, eumque ipſum qui nunquam dormit, neque dormitat, ſæpè cum lacrymis excitamus, ut aliquando à ſomno exurgens mari & ventis imperet, & tranquillitatem faciat: ſed tamen ab eodem, in quo ſpes omnes noſtræ reſident, edocti ſumus noctu vigilandum eſſe patrifamilias, ne fures domum perfodiant, ſervumque ſupra ejus familiam conſtitutum, non ſolum fidelem eſſe debere, ſed prudentem, nec temere tentandum Dominum, ut in iis quæ conſiliis noſtris & ratione gubernari poſſunt, non tam divinam opem, quæ ſemper expetenda eſt, quàm miracula requirere videamur. Quare ad humanæ prudentiæ ſubſidia ita confugimus, ut in Deo potiſſimum ſperemus, ad cujus gloriam, atque ad S.R.E. utilitatem, populorumque noſtrorum quietem & defenſionem omnia dirigimus. Nam cum illius vicem in terris, licet immeriti geramus, qui Rex pacificus & Sacerdos eſt in æternum, utraque poteſtate Sacerdotali & Regali, eorum præcipuè commodis & incolumitati conſulere debemus, qui ſub peculiari tutela, & ditione hujus ſanctæ Sedis ſunt conſtituti, in quo quidem paſtoris etiam officium exercemus, ut præclare nos admonet Beatiſſimus Pontifex Gregorius, à quo paſtores objurgantur, qui de externa gregis utilitate non ſunt ſolliciti. Paſtores, inquit, ſic erga interiora ſtudia ſubditorum ſuorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant.

*Hæc ideo Pöt. decies centena millia aureorum nummûm in primo anno ſui Pont. hinc inde licitè, & abſque alicujus oneris impoſitione collegit.*

§. 1. Quod igitur à nobis Paſtoralis providentiæ debitum requirit providere cupientes, ne aliquando repentina aliqua & improviſa vi, quod ſuperiorum temporum luctuoſa monent exempla, nos, ſucceſſoreſve noſtri, & populi nobis ſubjecti opprimantur, neve ad dubios caſus à pecunia omnino imparati ſimus, quæ in ipſo motu & trepidatione difficulter admodum, non ſine magno civitatum & Provinciarum incommodo conficitur, quibus parcere cupimus, & quod gravius eſt, jam ſera, & inopportuna diligentia ſæpius fruſtrà & inutiliter conficitur, quæque ſi in tempora curata & præparata ſit, ad copias aliaque præſidia comparanda, magno uſui & adjumento eſſe poteſt, ob eas cauſas decrevimus certam pecuniæ ſummam, benedicente Domino, nullo noſtrorum extraordinario onere congeſtam, ſed præter alias rectè colligendæ pecuniæ vias noſtra etiam parſimonia, frugalitateque Pontificia comparatam, hoc eſt ad decies centena millia aureorum nummûm ſeponere, tanquam ſactum Eccleſiæ Romanæ peculium, & præcipuum ærarium, quod bonorum immobilium inſtar ſit, atque ad certos caſus hac noſtra ordinatione præſcriptos erogandum fideliter, integreque reſervatum ac præclarè paratum ipſa Sedes Apoſtolica, Eccleſiaque Romana habeat. Etenim inter omnia præſidia ac firmamenta, [illegible] Reipublicæ defenſionem & conſervationem [illegible] judicio putantur, magnam ſapi[illegible] & facultatem pecuniæ tribuit ver[illegible] Utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis pro[illegible] tegit ſapientia, ſic protegit pecunia. [illegible] conſilio à veteris teſtamenti patribus [illegible] animadvertimus, cum in Dei etiam templo [illegible] auri argentique copiam, ingentemque theſaurum [illegible] tates reſervatum eſſe, ſacris libris & Re[illegible] bæorum teſtatum ſit. Habuit etiam Chriſtus [illegible] loculos, & quæ à fidelibus oblata erant [illegible] ut Eccleſiæ neceſſitatibus ſubveniret, ſicque [illegible] tuit Eccleſiaſticæ pecuniæ ſervandæ, inquit Sanctus Auguſtinus: habet etiam Eccleſia aurum, ait Beatus Ambroſius, ut cum neceſſe eſt illud tunc non ſervet, ſed ſervatum eroget, & ex eo tempore, quo prima Chriſtianæ Religionis jacta fuerunt fundamenta, Sanctus Sixtus prædeceſſor noſter, & Martyr, Levitæ Laurentio, qui martyrio inſignis fuit, Eccleſiæ theſauros tradiderat aſſervandos, quos idem Chriſti athleta fortiſſimus, ex manibus Tyranni, qui præter Chriſtianorum innocentem ſanguinem, & aurum Eccleſiæ ſitiebat, in pauperes celeriter diſtribuendo eripuit.

*Et mo[...] Arce S. [...] geli pro [...] Apoſt. [...] dio rep[...] Deoque [...] ejus Vir[...] Mariæ [...] & Apoſt[...] tro & P[...] dicat, [...] que pro[...] (præter[...] in caſib[...] hic exce[...] prohibet.*

§. 2. His itaque rationibus & cauſis aliiſque ad Dei gloriam atque Eccleſiæ utilitatem ſpectantibus nos adducti, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, habita ſuper hoc cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto matura conſultatione, de eorum conſilio, & unanimi aſſenſu hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, atque ordinatione, ſupradictam à nobis ſimul congeſtam pecuniæ ſummam, in Pontificia Sancti Angeli arce, certo ſanctiori ærarii loco, quem eo nomine conſtituimus, in quibuſdam certis deſignatis ſervitiis collocamus, reponimus, aſſervamus atque aſſignamus, eamque ita collocatam & aſſervatam, Chriſto Domino, cujus in terris vices gerimus, Beatiſſimæ Virgini Dei genetrici Mariæ, ac Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, ea lege offerimus atque dicamus, ut inde, ne nobis quidem eam, neque totam, nec verò partem aliquam etiam minimam promi unquam liceat, præterquam ſi pro recuperatione Terræ ſanctæ, & generali contra Turcas expeditione bellum aliquando ſuſcipiendum erit, tuncque etiam poſtquam Chriſtianus exercitus comparatus erit, ac mare ad ipſorum Turcarum fines trajecerit. Si præterea tanta Annonæ, & rei frumentariæ inopia ſit, ut fames populo interitum allatura videatur, aut ſi peſtilentiæ lues graſſetur. Si manifeſtum periculum immineat, ne aliqua ex Chriſtianis Provinciis ab infidelibus, & Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus occupetur, tuncque ſubſidii tantum ferendi cauſa. Si bellum contra ſtatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Italia inferretur, tuncque dumtaxat cum juſtus atque integer exercitus in ipſos etiam Eccleſiaſticæ ditionis fines pervaſerint, vel prope jam ſit, ut qui loca finitima invaſerunt, ad occupandum Civitates & loca ditionis Eccleſiaſticæ irrumpant. Si belli ſumptus faciendus erit pro Civitatis, quæ temporali ditioni S. R. E. ſubjecta, ab ipſius obedientia (quod Deus avertat) defecerit, recuperatione & conſervatione, aut pro Civitate, ac ditione, quæ ad Sedem Apoſtolicam devolveretur, recuperanda & conſervanda. Si quando quis in eam ſe intruderet ſeu occuparet, aut occupationis & intruſionis periculum inſtaret atque urgeret. In his autem omnibus caſibus præſcriptis ac permiſſis, in quibus aliqua pecuniæ portio, ſemel aut ſæpius ſumi licebit, id ſemper moderate fiat, eaque cautio ratioque adhibeatur, ut omnino ſaltem integra medietas conſtitutæ hujus ærarii pecuniæ remaneat. Præterea conſenſum duarum ſaltem ex tribus partibus Cardinalium, qui Conſiſtorio interfuerint præſtari, decretumque ipſum eorundem Cardinalium conſentientium ſubſcriptione roborari volumus.

*Hi caſ[...] alios eti[...] ad ma[...] rationem [...] bentes ex [...] ſequunt[...] mox hic [...] declarat[...]*

*Tu autem de bull[...] rubr. in[...] tas.*

§. 3. Extra

§.3. Extra hos autem præſcriptos caſus, omnem hujus pecuniæ Deo ut ſupra dicatæ vel omnino, vel aliqua ex parte amovendæ, aut erogandæ potestatem à nobis prorſus abdicamus, abdicatamque planè eſſe volumus. Statuentes quemadmodum ſupra dictum eſt, ut inſtar bonorum immobilium Eccleſiæ ſit & habeatur, eamdemque ſic aſſervatam & repoſitam, ac Deo dicatam, nos integram conſervaturos eſſe, ac perinde omnino atque res, & bona Eccleſiæ immobilia nos habituros eſſe promittimus, juramus & vovemus. Cujus rei ſervandæ vinculo, ſicut nos adſtringimus, ita ſucceſſores etiam noſtri ſe eodem devinctos eſſe noſcant, tum boni publici cauſa, quod ſummo ſtudio procurare debent, tum Pontificalis muneris religione, qua obſtrictos non modo non reſcindere, ſed inviolatè obſervare oportet quæ à prædeceſſoribus utiliter ſanctèque conſtituta eſſe vident: Tum denique divinæ juſtitiæ lege, ex qua intelligant ſe, prout divinæ literæ, exemplaque ſignificant, ac patrum documenta declarant, graviſſimas pœnas daturos eſſe, ſi rem Deo dicatam aliter ac præſcriptum eſt, diſpenſarint.

§.4. Cujus rei non minus inſigne, quam tremendum exemplum in Machabæorum hiſtoria memoriæ traditum eſt de impio atque audaci Heliodoro; qui cum pecuniam à ſacro templi Dei ærario auferre moliretur, armato quodam equite, aſpectu terribili ſubito divinitus apparente, equi calcibus impetitus à duobus quoque juvenibus, Dei item juſſu apparentibus flagellis verberatus, ac plagis graviſſimis affectus eſt. At vero nos religioſa eorum conſcientia, Pontificiaque charitate confiſi, non modo non dubitamus, ſed plane ſperamus fore, ut ærarium hoc noſtrum, quod noſtra Pontificali ſollicitudine partum, ac Deo dicatum ad neceſſarios præſcriptos caſus reſervavimus, ita diligentiſſimè reſervent, ut nos maximè facturos eſſe profeſſi ſumus, ac profitemur.

§.5. Si vero alii caſus aliquando inciderint, qui etiam majorem ex ærario promendæ pecuniæ rationem haberent, nolumus tamen, quod de his certis caſibus conſtituimus & præſcripſimus, ullo unquam tempore, nec etiam dum Sedes Apoſtolica per obitum Romani Pontificis vacaverit, ad illos qui majoris rationis vim habere viderentur, extenſionem fieri, aut ullo modo de illis interpretari licerè. Sed noſtram hanc ordinationem, conſtitutionemve ad literam intelligi debere decernimus. Nam ſucceſſoribus noſtris æquè ac nobis etiam, ſi qui alii caſus inciderint in quibus magnæ etiam impẽſæ inſumẽdæ aliquando erunt pecuniæ, opes aliunde non deerunt, quibus conſervata hac in hoc à nobis conſtituto & ſancito ærario ſumma, occurri neceſſitatibus incidentibus poterit. Etenim ſi à nobis, qui in hoc ipſo Pontificatus noſtri ingreſſu multis difficultatibus oppreſſi, ad ſublevandam Annonæ inopiam ad exules facinoroſoſque homines publicæ quietis perturbatores coërcendos, atque ob Baſilicas religioſiſſimas, & toto terrarum Orbe celeberrimas reficiendas, atque inſtaurandas, cultumque divinum in hac Alma Urbe, quæ Chriſtianæ religionis Sedes eſt & domicilium, novis etiam ſacris ædificiis, atque ornamentis amplificãdum, tum etiam ob ſalubris & copioſæ aquæ ad loca Urbis acclivia, quæ illa maximè indigent operoſam deductionem, aliaſque graviſſimas ob cauſas, multiplices & maximas impenſas ſubire coacti ſumus, ærarii hujus pecunia, noſtra ſedulitate & diligentia repoſita, & ad certos præſcriptos caſus reſervata non eſſet ſed in varios alios uſus à nobis juſto arbitratu noſtro erogaretur, nullus quidem locus juſtæ adverſus nos querelæ ſucceſſoribus noſtris relinqueretur, & nihilominus pro neceſſitatibus, etiam quæ derepente inciderent, ſumptus ſubire & eis providere cogerentur. Propterea iis durum videri nullo modo debet, ſi conſervata ærarii prædicti ſumma, quæ faciliorem ad alios nummos ſibi cõparandos viam munit, aliunde pecuniam ſumere debeant, quam in ſumptus pro temporum varietate neceſſarios erogent.

§.6. Immò verò illud rationi valde conſentaneum eſt, ut quã inde pecuniæ partem in præſcriptis illis caſibus ſumpſerint, eam integram cum primum ſumptus in iis faciendi occaſio ceſſaverit, planè in ipſum ærarium unde acceperunt reſtituant ac reponant.

§.7. Et vero ut ob cauſas tantum ſupra plane præſcriptas ex eodem ærario pecunia juſtè legitimeque ſumatur, ad illius cuſtodiam ſex claves adhiberi jubemus, quarum tres Cardinalibus item tribus, qui ordinum capita dicuntur, quique in Romana Curia præſentes adſint, illis vero abſentibus, tribus aliis, qui in eiſdem ordinibus eis proximi erunt, eorumque locum eo tempore geſſerint, ſigillatim aſſignentur, quarta S.R.E. Camerario, quinta Decano Clericorum Cameræ Apoſtolicæ, à quo illam aliis tradi non liceat, niſi præſentibus & conſentientibus ejuſdem Cameræ Clericis duobus, ſexta denique Theſaurario generali. Claves vero duæ portarum ærarii hujus ſic à nobis conſtituti, altera Collegii Cardinalium Decano, eoque abſente antiquiori in ordine Cardinali in Urbe exiſtenti, altera noſtro & pro tempore exiſtenti Romani Pontificis Theſaurario ſecreto aſſervandæ tradantur, qui omnes jurabunt, ſe neque claves daturos, neque extractioni præfatæ pecuniæ conſenſuros, niſi in caſibus ſupraſcriptis, & tunc niſi conſenſu duarum partium Cardinalium, ut ſupra interveniente.

*Claves ſex ad cuſtodiam dictæ pecuniæ inſtitutas ſex perſonis hic nominatis aſſignat, præſtito juramento de obſervandis præmiſſis ſub pœna excommunicationis.*

§.8. Volumus inſuper ejuſdem Caſtri S. Angeli nunc & pro tempore Præfecto juramentum deferri, atque ad illud præſtandum in manibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii teneri ſe non permiſſurum, quavis juſſione, & quibuſvis clauſulis munita non obſtante, ex ærario per nos conſtituto aliquam pecuniarum quantitatem auferri, niſi forma per nos tradita obſervata. Si verò contra hoc juramentum fecerint, pecuniæque ex ærario partem aliquam vel minimam contra hujus ordinationis, conſtitutioniſque noſtræ præſcriptum ſumi, promi, detrahique permiſerint, anathematis pœnam ipſo facto ſubeant.

*Præfectus Caſtri S. Angeli præmiſſa ſervare jubetur.*

§.9. Id quoque ſtatuimus & ſancimus, ut omnes & ſinguli, tam ſæculares quavis dignitate, etiam Ducali, aut Regia fulgentes, quam Eccleſiaſtici, cujuſvis ordinis & dignitatis, etiam Epiſcopi vel Archiepiſcopi vel Cardinales qui de pecuniis ex eodem ærario, præter caſus & formam ſupra præſcriptos, ſumendis, amovendiſve tractarint, conſuluerint, inſinuarint, ſuaſerint, aut ſuadere tentarint, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, à qua niſi ab ipſo Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi nequeant, ac præterea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Sedique Apoſtolicæ iidem rebelles, læſæque majeſtatis rei eſſe cenſeantur, omnibuſque Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis per eas quomodolibet obtentis Eccleſiaſticis beneficiis eo ipſo privati, cum ad illa, tum ad alia in poſterum obtinenda inhabiles exiſtant. Quod ſi aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames etiam remaneant, nec vero unquam iis ad honores, gradus, dignitateſque in poſterum aditus pateſiat.

*Contravenientes pœnas hic dictas incurrunt.*

§. 10. Volumus autem quod ſicut omnes & ſinguli Cardinales præſentes conſtitutiones hujuſmodi quantum in eis erit obſervare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, aut abſolutionem à juramento præſtito non petere, nec oblatam aut conceſſam acceptare in conſiſtorio noſtro ſecreto promiſerunt & jurarunt, idem per abſentes Cardinales à Conſiſtorio in habitatione eorum & à Romana Curia, ut quandocumque ad eandem Curiam ſe contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in aſſumptione pilei promitti & jurari debeat, promiſſionem & juramentum hujuſmodi in formula juramenti per eoſdem Card. præſtari ſoliti, adjungi & inſcribi debere, ac contrafacientes pœnam perjurii & perpetuæ infamiæ juris & facti eo ipſo incurrere decernimus.

*Cardinales omnes in aſſumptione vel acceſſu ad Curiam obſervationem hujus bullæ curent.*

§.11. Præterea quod ipſi Cardinales occurrente Apoſtolicæ Sedis vacatione, in Conclavi quando de obſervandis felicis recordat. prædeceſſorum noſtrorum Julii Secundi literis ſuper electione Romani Pontificis, & Pii Quinti ne Civitates & loca Sanctæ Romanæ Eccleſiæ infeudentur, & aliis conſtitutionibus juramentum præſtare ſolent, etiam de inviolabiliter præſenti conſtitutione noſtra, per quemlibet eorum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & poſtmodum idem ad ſummi Pontificatus faſtigium aſſumptus, poſt ejus aſſumptionem hoc ipſum promittere ac jurare, & deinde poſt coronationem

*In Conclavi iidem ipſi Cardd. & etiam P. M. poſt coronationẽ juramẽ promittant.*

ronationem ſuam promiſſionem & juramentum hujuſmodi per literas ſuas ſpeciales harum confirmatorias reiterari debeat. Quod ſi illud à Pontifice, quod credendum non eſt, recuſabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Conſiſtorio ſecreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita Ordinum apud eum omni cum inſtantia, inſtantiſſime pro præſentium obſervatione petere & rogare, ac obteſtari non ceſſent. Quod ſi ſemel atque iterum enixè rogatus ejuſmodi juramentum præſtare diutius etiam diſtulerit, tum demum omnes ſinguloſque Cardinales ea lege adſtringimus, ut in ſingulos annos quinquies, in die ſcilicet Natali Domini, in Paſcha Reſurrectionis, in feſto ſolemni S. Petri, die præterea Anniverſario Creationis & Coronationis ipſum Pontificem inſtanter, inſtantius, atque inſtantiſſimè rogent, orent, obſecrent, atque obteſtentur, ut de ſancito hoc ærario, quod Deo obtulimus & dicavimus, ad præſcriptum cuſtodiendo ſervandoque ſanctè juret, idque ut omnino efficiat tamdiu quoad plene effecerit diligentiſſimè curare ſtudeant, ſtatuimus & ordinamus.

*Hæc bulla in Conclavi legatur, & in quinterno Cancellariæ deſcribatur.*

§. 12. Has vero noſtras literas in libellum redigi, & poſt prædictas Julii Secundi & Pii Quinti literas, quæ in ipſo Conclavi legi ſolent, aliiſque conſtitutionibus Apoſtolicis adjungi, & in quinterno etiam Cancellariæ Apoſtolicæ una cum aliis conſtitutionibus noſtris deſcribi, & in valvis Baſilicæ B. Petri Principis Apoſtolorum, & in Cancellaria noſtra Apoſtolica, ac in acie Campi Floræ publicari.

*Tranſumptis credatur.*

§. 13. Earumque tranſumptis & exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem fidem ubique haberi, in judicio & extra, quæ præſentibus haberetur, volumus & jubemus.

*Si ſucceſſores contravenerint, agi poterit contra eorũ & Cardd. conſentientiũ conjunctos.*

§. 14. Si quis autem fortaſſe noſtrorum ſucceſſorum, id quod minimè credimus, huic noſtræ conſtitutioni omnino, aut aliqua ex parte derogare, aut contra ſtatuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut ſupra ſancitum eſt, in idem ærarium non reſtituerit, admonemus poſt derogantis, aut contra ſtatuentis, contraque facientis obitum liberum eſſe ſucceſſoribus ea derogatione, & quibuſvis aliis, quæ contra ſtatuta ſunt non obſtantibus, pro pecunia contra hujus conſtitutionis præſcriptum ſumpta ac deprompta recuperanda adverſus Pontificis derogantis, & contrafacientis, & Cardinalium idem conſentientium poſteros, ſeu conjunctos omnes, quibus ab ipſo Pontifice aut Cardinalibus bona quovis titulo, vel quavis ratione obvenerint agere, & poſſeſſionem bonorum, quæ ad ipſos poſteros pervenerint, adipiſci, retinerique, donec quicquid pecuniæ depromptum eſt, id omne in ærarium referatur & reſtituatur, atque ipſa bona, ſi quo modo, ut ſupra dictum eſt, à forma per nos conſtituta recedi contigerit, hujuſmodi obligationi atque oneri obnoxia & addicta eſſe volumus, ſingulis quæ in noſtris literis adverſari poſſent, vel quoquo modo obeſſe penitus remotis, ac non obſtantibus.

*In hoc aliquid eſt mutatum in bulla cit. in rubr.*

*Sanctio pœnalis.*

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, collocationis, repoſitionis, aſſervationis, aſſignationis, oblationis, dicationis, abdicationis, promiſſionis, juramenti, voti, profeſſionis, ſanctionis, adſtrictionum, decretorum, ſtatutorum, ordinationis, juſſionum, admonitionis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. A. 1. die 21. Aprilis.*

Dat. Rom. apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. 11. Kal. Maii, Pont. noſtri anno 1.

*Papa ſubſcr.*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, promitto, voveo, & juro.

*De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.*

*Cardd. ſubſc.*

Ego A. Cardinalis Farneſius Epiſcopus Oſtien. Vicecancellarius promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus Cardinalis Sabellus Epiſcopus Portuen. promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes Antonius Cardinalis S. Georgii Epiſcopus Tuſculanus, promitto, voveo, & juro.

Ego Joan. Franciſcus Card. de Gambara Epiſc. Prænestin. promitto, voveo, & juro.

Ego M. S. Card. ab Altaemps, promitto, voveo, & juro.

Ego Innicus Avalus Card. de Aragonia, promitto, voveo, & juro.

Ego Marcus Antonius Card. Columna, promitto, voveo, & juro.

Ego P. Card. [illegible], promitto, voveo, & juro.

Fr. Michaël Bonellus Card. Alexandrinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Ludovicus Madrucius, promitto, voveo, & juro.

Ego N. Card. Senonenſis, promitto, voveo, & juro.

Jul. Antonius Card. Sanctæ Severinæ, promitto, voveo, & juro.

P. Card. Cæſius, promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Card. Ruſticucius, promitto, voveo, & juro.

Ego Joan. Hieronymus Card. Albanus, promitto, voveo, & juro.

Ego Philippus Boncompagnus Card. Sancti Sixti, promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Card. Simoncellus, promitto, voveo, & juro.

Ego P. Card. Deza promitto, voveo, & juro.

Ego Antonius Card. Caraffa, promitto, voveo, & juro.

Ego Joan. Antonius Card. Sanctorum Quatuor, promitto, voveo, & juro.

Ego Joan. Baptiſta Cardin. Sancti Marcelli, promitto, voveo, & juro.

Ego Vincentius Card. Montis Regalis, promitto, voveo, & juro.

Ego Scipio Cardin. Lancellotus, promitto, voveo, & juro.

Ego Henricus Cardin. Cajetanus, promitto, voveo, & juro.

Ego Federicus Cardinal. Cornelius, promitto, voveo, & juro.

Ego Dominicus Cardin. Pinellus, promitto, voveo, & juro.

Ego Decius Cardinal. Azzolinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus, promitto, voveo, & juro.

Ego Ferdinandus Card. de Medicis, promitto, voveo, & juro.

Ego Philippus Vaſtavillanus, promitto, voveo, & juro.

Ego Franciſcus Cardinal. Sfortia, promitto, juro, & voveo.

Ego Alexander Cardinal. Montaltus, promitto, juro, & voveo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1586. Indict. 14. die verò 3. menſis Maii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 2. retroſcripta literæ Apoſt. affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis ſeu portis S. Ioan. Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ per nos Claudium Mongeat, & Nicolaum Taglietum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

XXX

Confirmatio Congregationis B. MARIÆ Fulienſis ſtrictioris obſervantiæ Monachorum Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti, cum gratiarum elargitione.

*Hujuſmodi gratias ampliavit, aliaque conceſſit privilegia hic idem Pontif. in conſt. 70.* Super: *& Clem. VIII. infra in ſua conſt. 12.* Paſtoralis, *& latius extendit Paul. V. in ejus conſt. 23.* Divina.

*Inſuperque*

*Inſuperque prædictus Clemens præcellentiam reſpectu Fratrum Mendicantium his Monachis dedit in conſt.* 56. Regis. *Et eoſdem ad alium Ordinem tranſeuntes, ad iſtam Congregationem redire vetuit in alia ſua conſt.* 107. Pio noſtro. *Ac poſtremò idem Paul. V. operi conficiendi Agnus Dei hos Monachos præfecit, in ſua conſt.* 43. Romanum.

*An. D. 1586.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

RElígioſos viros, qui divino ſpiritu afflati, arctiorem quam ab initio profeſſi fuerint, ac priſcis Sanctorum Patrum moribus magis ſimilem vitæ rationem ſibi ipſis ſuapte ſponte præſcribunt, in ſuo laudabili propoſito confovere, & ita alios ad eorum imitanda veſtigia incitare, pro Paſtorali officio divinitus commiſſo plurimum ſemper intendimus.

§. 1. Sanè cum ad Nos nuper perlatum fuerit, in veſtro Monaſterio, ſublatis quibuſcumque pravis abuſibus, inſtitutionem & diſciplinam monaſticam in longè meliorem formam reſtitutam & reintegratam, Voſque Religionis & pietatis amore ita incenſos exiſtere, ut non ſolum ab eſu carnium quibuſcumque temporibus, etiam ab Eccleſia permiſſis, & à potu vini abſtineatis, ſed etiam in laboribus, jejuniis, orationibus, carnis maceratione & mortificatione, aliiſque pœnitentiæ operibus exercendis, ſtrictiorem & ſeveriorem quàm reliqui Monachi S. Benedicti Ciſtercienſis Ordinis regulam obſervare ſtudeatis.

§. 2. Nos veſtram hanc piam & ſalutarem intentionem plurimùm in Domino commendantes, quo magis pacato & tranquillo animo in humilitatis ſpiritu divinis obſequiis inſiſtere, piumque inſtitutum proſequi abſque impedimento poſſitis, veſtris ſupplicationibus inclinati, ritus, mores, vitæ normam, & reformationem ad arctiorem regularis diſciplinæ obſervantiam in iſtud Monaſterium nuper introductam, dummodo ſacris Canonibus & Conc. Trid. decretis, ac ſupradictæ S. Benedicti regulæ jampridem auctoritate Apoſt. approbatæ, conſona ſint, auctoritate præſentium approbamus & confirmamus, illaque præſentium literarum patrocinio communimus, vobiſque ac illis qui perpetuis futuris temporibus in iſto Monaſterio regularem profeſſionem emiſerint, ut ea obſervare licitè poſſitis, licentiam concedimus.

§. 3. Interdicimus etiam dilectis filiis Abbati Monaſterii Ciſtercii, Cabilonenſis diœceſis, cæteriſque Superioribus pro tempore exiſtentibus ejuſdem Ordinis, ne vos, aut eos qui poſthac erunt in iſto Monaſterio recepti, & ad profeſſionem admiſſi, ad relaxandum & remittendum aliqua ex parte rigorem iſtius obſervantiæ, utendumque indultis & diſpenſationibus Apoſt. quibus vetuſtam veſtri Ordinis, & primævam inſtitutionem, illiuſque auſteritatem diverſi noſtri prædeceſſores manſuetudine quadam temperarunt, & laxiorem, honeſtam tamen, vivendi normam promiſerunt & benignè indulſerunt, quovis prætextu aut quæſito colore, invitos cogere vel compellere, aut vos in præmiſſis moleſtare, aut impedire audeant vel præſumant. Quod ſi quid tale attentaverint, aut vobis injungere, præcipere, & mandare præſumpſerint: Vos, ac pro tempore futuros iſtius Monaſterii Abbatem & Monachos ad obediendum talibus illorum præceptis & juſſis minimè teneri decernimus. Ita ut nihilominus, etiam illis contradicentibus, abſque alicujus pœnæ vel cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu in hoc veſtro inſtituto perſeverare liberè & licitè valeatis.

§. 4. Cæterum volumus, ut in reliquis, quæ præmiſſis veſtris arctioribus inſtitutis, & diſciplinæ regulari non erunt contraria, eorum viſitationi, correctioni, omnimodæ juriſdictioni, & ſuperioritati, ſicuti hactenus fuiſtis, & in poſterum vos, veſtrique ſucceſſores ſubjecti ſitis, & ab illorum obedientia nequaquam tali occaſione recedatis.

§. 5. Quod ſi unquam controverſia, dubitatio, ſeu diſcordia exorta erit ſuper præmiſſis, utrum ſcilicet veſtri mores, veſtrumque vivendi genus prædictæ S. Benedicti regulæ adverſentur, talis controverſiæ cognitionem, definitionem, & deciſionem, Nobis dumtaxat & Rom. Pont. pro tempore exiſtenti reſervamus.

*Cognitionem dubii circa vivendi normam oriundi ſibi reſervat. Contrariis quibuſcumque derogat.*

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. ac in Conciliis etiam generalibus editis, & prædictorum, ac aliorum quorumvis Ordinum & monaſteriorum juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. illorum Superioribus & generalibus, cæteriſque perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores pro expreſſis habentes, ad effectum præſentium dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die quinta Maii 1586. Pont. noſtri anno 2. *Dat. P. A. 2. die 5. Maii.*

---

## Approbatio declaratio, & extenſio conſtitutionum editarum à Pont. prædeceſſoribus, circa ſolutionem Annatarum, Communium, & Quindenniorum de beneficiis Eccleſiaſticis R. Cam. Apoſt. debitorum. XXXIII.

*De hac materia, ultra ea quæ ſunt in extravagantibus, extant in hoc opere Paul. II. conſt* 6. Decet. *Innoc VIII. conſt.* 3. Apoſtolicæ. *Jul. II. conſt.* 4. Romani. *Clem. VII. conſt.* 33. Cum ſicut. *Jul. III. conſt.* 20. Cupientes. *Pauli IV. conſt.* 11. Incumbentia, *& conſt.* 17. Decens, *necnon Pii V. conſt.* 38. Apoſtolicæ.

*SIXTVS PAPA V.* *Edita An. D. 1586.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſtit.*

CAmeræ noſtræ Apoſtolicæ, & Collegii Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, & officialium Romanæ Curiæ, de annatis & quindenniis participantium indemnitati, prout tenemur, conſulere, & eorum jura illæſa præſervare volentes, ea quæ propterea à prædeceſſoribus noſtris providè ſtatuta fuerunt & ordinata, ut inviolate obſerventur, confirmationis noſtræ munimine roboramus & innovamus, & aliàs deſuper diſponimus, prout rationi conſentaneum eſſe, & in Domino conſpicimus expedire.

*Confirmatio Bullarū Pauli II. III & IV. & Pii V. & aliorum Pontificum.*

*Has bullas indicavi hic in rubr.*

§ 1. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, quaſcumque, tam ſub plumbo quàm in forma Brevis, & Motus proprii literas fel. rec. Pauli Secundi, & ejuſdem hominis Tertii, Pauli Quarti, ac Pii Quinti, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſuper ſolutione annatarum communium, quindenniorum, & aliorum jurium, ratione proviſionum, & ſeu unionum perpetuarum, quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, per Sedem Apoſtolicam factarum & faciendarum, editas, confirmatas, & innovatas, cum omnibus clauſulis, decretis, derogationibus, ac cenſuris & pœnis in illis contentis, necnon omnia & ſingula per quoſcumque Judices, Executores, & Commiſſarios, in præmiſſis & circa ea quomodolibet geſta, & executa, ac inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, necnon illis perpetuæ & irrefragabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti, ac ſolemnitatum, & alios defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, atque illas & illa, quatenus opus ſit, innovamus.

*Extenſio ad quaſcumque uniones beneficiorum hic non expreſſorum in rubr.*

§. 2. Præterea quoniam quindenniorum uſus, & ſolutio ratione beneficiorum unitorum conſtituta ſunt, quia illorum vacatio amplius non ſperatur, & ut propterea damnum ex hoc Cameræ Apoſt. & Collegio Cardinalium, & Romanæ Curiæ officialibus prædictis emergens ſarciatur: Nos attendentes, quod tantundem detrimenti Cameræ, Collegio, & officialibus præfatis, ex unionibus quæ ab Ordinariis locorum, & aliis fiunt, provenit, ac propterea æquum eſſe cenſentes, ut quod in unionibus per Sedem Apoſtolicam factis obtinet, illud idem,

&

& fortius in unionibus per ipſos Ordinarios factis & faciendis obſervetur, licetque in conſtitutionibus & literis prædeceſſorum præfatorum comprehendi videatur, tamen, ut cuivis dubitandi occaſio præcidatur, Motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & declaramus, quod uniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & ſubmiſſiones, de quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus quàm regularibus, etiamſi Monaſteria Monialium, & Hoſpitalia fuerint, quæ tamen tempore ipſarum unionum cura, Conventu & Hoſpitalitate caruerint, & quorum ſingulorum, vel ſi plura beneficia unicis literis comprehenſa ſint, quorum quodlibet annuus valor vigintiquatuor ducatos auri de Camera, ſecundum communem exiſtimationem non excedat, dummodo tamen omnium inſimul illum tranſcendat, cuicumque Eccleſiæ, Monaſterio, Collegio, domui, Societati, Congregationi, Ordini, Militiæ, Hoſpitali, Seminario, aut alii loco pio, tam per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos, necnon Sedis præfatæ Legatos, Nuntios, & alios quoſcumque ſubdelegatos, & alias quomodolibet auctoritate Apoſtolica, quàm per quemcumque loci Ordinarium, in qualibet mundi parte hactenus factæ & faciendæ, etiamſi manualia, & de jure patronatus laïcorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, Baronum, Comitum, & aliorum nobilium & illuſtrium illa beneficia fuerint, ſub dictorum prædeceſſorum conſtitutionibus ac declarationibus omnino comprehendantur & includantur, ac ab omnibus comprehenſæ & incluſæ cenſeantur. Et propterea omnia & ſingula Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Collegiatarumque Eccleſiarum Capitula, Congregationes, Societates, Univerſitates, Collegia, Seminaria, Hoſpitalia, Monaſteria, & pia loca hujuſmodi, & quivis alii, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes & ſubmiſſiones hujuſmodi factæ reperientur, aut poſthac fient, quantumcumque exemptæ & privilegiatæ exiſtant, etiamſi ſe ſuperinde in Cam. Apoſt. non obligaverint, dummodo beneficia ipſa poſſideant, ad ſolutionem quindenniorum præfatorum eidem Cameræ, & Collegio & officialibus, ratione unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & ſubmiſſionum præfatarum ſingulis quindecim annis, à die quo illæ ſuum ſortitæ fuerint effectum, juxta tenorem literarum prædeceſſorum præfatorum ſuper hoc editarum faciendam teneri, & obligatos eſſe, & ad id per ſententias, cenſuras & pœnas in ipſis literis contentas cogi & compelli poſſe.

*Decretum irritans.*

§. 3. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritumque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Judicis deputatio & facultates, in cauſis & exigentiis annatarum, &c.*

§.4. Mandantes dilecto filio Magiſtro Alexandro Glorierio, Clerico dictæ Cameræ, quem ſuper cognitione & deciſione cauſarum, tam occaſione præmiſſorum quam annatarum beneficiorum pro tempore vacantium, per illorum proviſos dictis Cameræ, Collegio & officialibus debitarum & debendarum, pendentes movendas judicem deputavimus, ac aliis in ejus locum, per nos vel ſucceſſores noſtros ſubrogandis judicibus, ut pro faciliori indagatione unionum præfatarum, omnia & ſingula Cathedralium, etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Eccleſiarum Capitula, Collegia, necnon tam virorum quam mulierum ſæculares & quorumvis Ordinum regulares Congregationes, ſeu Collegia, Seminaria, & pia loca, eorumdemque Prælatos & Procuratores, ad judicandum & profitendum medio juramento, omnia & ſingula Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, Parochiales Eccleſias, & alia quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi manualia, & de jure patronatus, ut præfertur, fuerint, quæ ipſa Collegia, Seminaria, Congregationes, & alia pia loca præfata poſſideant, illorumque annuos veros valores, ſub privationis, & aliis in literis in forma Motus proprii Pauli IV. & Pii V. prædeceſſorum hujuſmodi contentis ſententiis, cenſuris, & pœnis in Romana Curia & extra eam moneant & requirant. Dantes eis plenam & liberam facultatem pro eorundem quindenniorum & jurium exactione, omnes & ſingulos illorum debitores ſub ſingulis præfatis, & præſentibus noſtris literis comprehenſos, etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè de non tuto acceſſu, tam in dicta Curia quàm extra eam citandi, monendi, & requirendi, ac eis & aliis, quibus & quoties opus fuerit, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis, Alexandri & ſubrogandorum præfatorum arbitrio ferendis, ſtatuendis, moderandis & applicandis, ac etiam privationis beneficiorum unitorum, etiam ſimili edicto inhibendi, ipſoſque debitores ad judicandum beneficia unita, & ſolvendum quindennia decurſa, etiamſi ad id in Cam. Apoſt. non ſe obligaverint, conſtito tamen de ſortito effectu unionum per ſimiles ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam interdicti, tam localis quam perſonalis appoſitionem, per Alexandrum, & ſubrogandos præfatos, quoties opus fuerit, ferendas & promulgandas, necnon fructuum, reddituum, & proventuum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ ipſi debitores poſſidebunt, pro quantitate eorum debiti ſequeſtrationem, & alia opportuna juris & facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii ſæcularis cogendi & compellendi, ac in præmiſſis omnibus & ſingulis, etiam ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, ac alias more Camerali procedendi, ac eos qui ſententias, cenſuras & pœnas præfatas, ut præmittitur incurrerint, ab eiſdem cenſuris & pœnis, prævia ſatisfactione abſolvendi & liberandi, aliaque faciendi, gerendi & exercendi, quæ in præmiſſis neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna.

*Clauſ...*

§.5. Non obſtantibus quacumque centenaria, etiam completa, & etiam majori à jure ſtatuta præſcriptione, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon privilegiis, exemptionibus, indultis, & literis Apoſt. Capitulis, Congregationibus, Collegiis, Seminariis, Hoſpitalibus & aliis piis locis præfatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarũ derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, etiã conſiſtorialiter, & ex cauſa initi contractus, aut alias quomodolibet cõceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorũ ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis, quæ prædeceſſores præfati in ſingulis eorum literis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſ... rum fi...*

§.6. Volumus autem, ut præſentiũ tranſumptis, etiã impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſt. conſtitutæ munitis eadẽ prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P... die 14.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 14. Maii 1586. Pont. noſtri anno 2.

---

## Confirmatio & nova conceſſio gratiarum & privilegiorum Ordini Ciſtercienſi, ejuſque Abbatibus, Monachis, & Monaſteriis à Greg. IX. Innoc. IV. Sixt. IV. Innoc. VIII. Pio IV. Pio V. Greg. XIII. & aliis Sum. Pont. conceſſorum. XXX

*Inſtitutionem hujus Ordinis, & omnia ipſum concernentia inſpice ſup. in Paſchalis II. conſt.* 1. Deſiderium.

Similes autem Statutorum Ordinis, & privilegiorum confirma

confirmationes habes ſup. in Pii IV. conſt. 70. *In eminenti*, & in Greg. XIII. conſt. 18. *Superna*.

*An. D. 16.*

## *SIXTUS PAPA V.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

POntifex Romanus primarias Chriſti Dei & Domini noſtri in terris gerens vices, ſicut totius Dominici gregis paſcendi curam & onus ſuſtinere dignoſcitur, ita in eos quos gravius laborare, & ſuo præcipuo auxilio indigere perſpexerit, propenſius & favorabilius incumbere debet. Cum primis verò Religioſorum Monachorum, qui mundanis abjectis illecebris in ſpiritu humilitatis Altiſſimo famulantur, paternam curam gerere, nutantemque illorum ſtatum quantum ex alto conceditur, celeri ac ſalubri munimine fulcire.

§. 1. Sane ſicut pro parte dilecti filii Edmundi à Cruce Abbatis Monaſterii Ciſtercii Cabilonen. diœc. totius Ordinis Ciſtercien. Generalis, necnon dicti Ord. Capituli generalis nobis fuit expoſitum, quod Ciſtercienſium Monachorum Ordo à Divo Roberto inſtitutus, & à Divo Bernardo illuſtratus, cæteriſque eorum ſucceſſoribus propagatus, multorum virorum ſanctimonia præcellens, tam à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, quàm etiam ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, & aliis Principibus, tot & tantis privilegiis, gratiis, & favoribus meruit decorari, ut nullo quovis temerario auſu, nullaque temporis diuturnitate privilegia, exemptiones, & gratias hujuſmodi à quoquam violari, aut modo aliquo infringi poſſe viderentur. Sed tamen ea eſt quorundam hominum improbitas, taliſque rerum humanarum cōditio, ut niſi ſæpius eadem iterentur, & legum pœnis fulciatur, hujuſmodi hominum audacia, & temporis injuria optimæ leges & privilegia conculcentur. Quo factum eſt ut quemadmodum eadem expoſitio ſubjungebat, multi piæ mem. prædeceſſores noſtri, præcipuè verò Paſchalis Secundus, Calliſtus etiam Secundus, Eugenius Tertius, Alexander Tertius, Lucius ſimiliter Tertius, Honorius etiam Tertius, Gregorius Nonus, Innocentius IV. Alexander etiam IV. Urbanus IV. Clemens IV. Gregorius Decimus, Nicolaus Quartus, Bonifacius VIII. Clemens V. Joan. Vigeſimus ſecundus, Benedictus Duodecimus, Clemens Sextus, Urbanus Quintus, Joan. Vigeſimus tertius, Martinus Quintus, Eug. Quartus, Nicol. V. Calliſtus Tertius, Pius Secundus, Sixtus Quartus, Innocentius Octavus, Leo Decimus, Pius Quartus, Pius Quintus, & Greg. Decimuſtertius Romani Pontifices privilegia, prærogativas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conſervatorias, facultates, & alias gratias Monaſterio, ſeu Abbati Ciſtercii, necnon Firmitatis, Pontiniaci, Clarevallis & Morimondi, Cabilonen. Antiſiodoren. & Lingonen. reſpectivè diœceſum, quatuor ipſius Monaſterii Ciſtercii filiabus appellatis, totique Ordini Ciſtercien. & Capitulo generali ejuſdem conceſſerint & indulſerint.

§. 2. Inter cætera verò Gregorius Nonus ne ullus Epiſcopus, aut quælibet alia perſona cujuſcumque dignitatis & præeminentiæ exiſtat, regularem electionem Abbatum ipſius Ordinis impedire, aut in ea ſe quomodolibet ingerere.

§. 3. Innocentius Quartus eiſdem Epiſcopis, ne Monachos & Abbates Religionis ejuſdem, etiam ratione cujuſcumque delicti, cauſa fidei dumtaxat excepta, ad ſua judicia & tribunalia trahere.

§. 4. Sixtus Quartus, Commendatariis Monachorum numeri taxationem, & novitiorum receptionem & benedictionem in monaſteriis commendatis prohibuit, atque ejus rei curam penes Abbates, alioſque Ordinis Superiores remanere voluit.

§. 5. Innocentius Octavus ne quiſquam ex Abbatibus & monachis ipſius Ordinis, in habitu & vivendi ritu longo uſu paſſim recepto ſe ab aliis difformare præſumeret.

§. 6. Pius Quartus, Pius Quintus, & Gregorius Decimuſtertius, Commendatariis eiſdem eorumque miniſtris, cæteriſque perſonis ſæcularibus, quovis titulo ipſius Ord. Monaſteriorum fructus atque proventus percipientibus, ne templa & alia loca regularia, & ad monachorum uſum deſtinata, Abbatiarum hujuſmodi, & monaſteriorum quomodolibet occuparent, aut profanarent, neve in illis mulieres cujuſcumque conditionis introducerent, nec ſeſe in bonis per Monachos pro tempore decedentes relictis, illorumve ſpoliis quomodolibet intromitterent, aut bona ipſa ſibi appropriarent, reſpectivè ſtatuerunt, mandarunt, & diſtrictius præcipiendo vetarunt. *Greg. conſt. 18. Superna.*

§. 7. Ac etiam alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri alias & aliter in favorem Ordinis ejuſdem ſtatuerunt, ordinarunt, conceſſerunt, indulſerunt, prohibuerunt, & inhibuerunt, prout in ſingulis tam prædictorum quàm aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum literis, ſub quacumque forma & data reſpectivè (quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis) expeditis & emanatis, latius dicitur contineri. *Nonnulli alii Pont. quadam alia Ordini conceſſerunt.*

§. 8. Quare ipſius Ordinis Ciſtercien. afflicto ſtatui paterno affectu, & ex paſtoralis officii nobis ex alto injūcti munere providere volentes, Motu proprio, non ad Abbatis Ciſtercii ipſius Ord. generalis, nec alterius cujuſque pro eo, ſive toto Ordine ipſo nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera & ſpontanea voluntate, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædicta omnia & ſingula privilegia, prærogativas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conſervatorias, facultates, indulta & alias gratias Ciſtercii, & quatuor filiarum nuncupatarum prædictis Monaſteriis & Ordini univerſo, ejuſque Capitulo generali, Definitoribus & aliis Superioribus quibuſcumque per ſupradictos, & alios quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros conceſſa & innovata, conceſſaſque & innovatas, præſertim verò ipſas literas Gregorii IX. Sixti IV. Innocentii VIII. Pii IV. Pii V. & Gregorii XIII: per quarum auſu temerario contemptam à multis obſervationē ejuſdem Ordinis convellitur immunitas, regularis ſtatus periclitatur, uniformitas decoloratur, confirmamus, roboramus & approbamus, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, & quatenus opus ſit, concedimus & indulgemus, vetamus, prohibemus, & inhibemus, ac etiam ſolemnitatum, etiam ſubſtantialium, & quoſcumque alios defectus, ſi qui in ſingulis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis prædictis, vel aliis quibuſcumque quomodolibet intervenerint, motu & ſcientia ſimilibus eodem præſentium tenore ſupplemus. Decernimus omnia & ſingula in ipſis privilegiis & indultis, ac præſentibus noſtris contenta, & comprehenſa, quatenus ſint in uſu, & ſacris canonibus, præcipuè verò Concilii Trid. decretis non adverſentur, perpetuò valida, & efficacia, ac firma & ſtabilia fore & eſſe, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus & ſingulis, quos tangunt, ſeu tangere poterunt quomodolibet in futurū inviolabiliter obſervari debere. *Hic modo Pt. ſſ. omnia cōfirmat, & quatenus ſint in uſu, & Concilio Trident. non contraria, innovat.*

§. 9. Ac præſentes noſtras, etiam ex quavis cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, ſeu impugnari, & aliàs quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus unquam poſſe, ſed eas ſemper & perpetuò valere, & tenere, ac viribus ſubſiſtere, necnon eis, quos, vel quorum favorem concernunt & concernent, omninò ſuffragari. *Clauſulas præſervativas appoſuit.*

§. 10. Sicque per quoſcumque Judices, etiam cauſarum ſacri noſtri Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. etiam Legatos de Latere, & quacumque poteſtate & dignitate fulgentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritumque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. *Clauſulam ſublata, &c. addit.*

§. 11. Quocirca omnibus noſtris, & dictæ Sedis Legatis ac Nunciis ubicumque exiſtentibus, ac quorumcumque locorum Ordinariis, necnon Ordinis præfati Conſervatoribus, ac dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ipſorumque ſingulis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte P. Generalis, Abbatum, Procuratoris Generalis, Vicariorum, Viſitatorum, & aliorum præfatorum, *Executores deputat.*

ſeu

ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ipſiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Patrem Generalem, Abbates, Procuratorem Generalem, Vicarios, Viſitatores, & alios prædictos confirmatione, approbatione, adjectione, ſuppletione, conceſſione, ſtatuto, ordinatione, invocatione, præcepto, interdicto, revocatione, abolitione, ac ſui Generalis voluntatibus, mandatis, decretis noſtris, aliiſque præmiſſis pacificè frui & gaudere, ac præſentes literas ab omnibus, quos illæ concernunt inviolabiliter & inconcuſſe obſervari, non permittentes P. Generalem, Abbates, Procuratorem Generalem, Vicarios, Viſitatores, Superiores, ac alios prædictos deſuper contra licentiam earundem, præſentiumque tenoré quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per prædictas, ac alias ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§. 12. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſanctæ memoriæ Bonif. Papæ VIII. pariter prædeceſſoris noſtri de una, & in Cõcilio generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus cõſtitutionibus, necnõ quibuſlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus, & decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Legatis, Nuntiis, & Ordinariis prædictis, ac aliis quibuſvis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum veriores tenores, formas, datas, & decreta in eis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, necnon omnibus illis, quæ in literis Pii IV. Pii V. & Greg. XIII. ac aliorum prædictorum expreſſum fuit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fidem exemplis dari jubet.*

§. 13. Cæterum quia difficile foret eaſdem præſentes ad diverſa loca, Provinciaſque circumferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Abbatis Generalis, aut alicujus ex aliis Superioribus Ordinis hujuſmodi munitis plena, & indubia, ac ea prorſus fides ubique etiam in judicio adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. A. 1. die 17. Maii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Maii 1586. Pont. noſtri anno 2.

---

## XXXV. Quod Eremitæ S. Romualdi Montis Coronæ Ordinis Camaldulenſis ſub Regula S. Benedicti, alterius Ordinis Religioſos recipere poſſint. Ipſi verò ad alium etiam Eremi Camaldulenſis tranſire nequeant.

*Ad hoc vide notata ſupra in Clem. VII. conſt. 24.* Veſtrum.

### SIXTVS PAPA V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. 15[...]*

EA eſt Congregationis Eremitarum ſancti Romualdi Ordinis Camaldulen. Montis Coronæ auſteritas, & obſervantia, ut quemadmodum non ſolum relatu aliorum, ſed propriis etiam interdum oculis vidimus, & percipimus, merito, & verè eam ſub ſtrictiori regula cuſtodiri, quàm omnes aliæ, quæ in tota Italia reperiuntur, dici, & cenſeri poſſit.

§. 1. Quo etiam fit, ut nonnulli parum cauti, & conſtantes, ac minus fortes ad reſiſtendum pravis tentationibus, ab ipſa Congregatione ad alios Ordines ſe tranſferre non verentur, cum magno plurimorum ſcandalo, & animarum ſuarum periculo.

§. 2. Hinc eſt quod nos his malis occurrere, eandemque Congregationem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, omnes gratias, indulta, & privilegia eidem Congregationi, & illius Eremitis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſuper recipiendis quibuſcumque quarumvis Religionum, & Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium Religioſis ad ipſos tranſire volentibus conceſſa, rata, & firma eſſe volentes, & quatenus opus ſit auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovantes, omnibus & ſingulis Eremitis prædictæ Congregationis nunc, & pro tempore exiſtentibus, & cuilibet eorum in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis majoris eo ipſo incurrendæ, à qua nullus præter Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium impendere poſſit, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, necnon apoſtaſiæ, reatus, ſuſpenſionis à divinis, aliiſque arbitrio Majoris ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentis moderandis, infligendis, & declarandis pœnis, ne ad alios quoſcumque Ordines, nec etiam ad ſacram Eremum ejuſdem Camaldulen. Ordinis Aretin. Diœc. ſine expreſſo conſenſu, & licentia ab eodem Majore pro tempore exiſtente ſupradictæ Congregationis in ſcriptis petita, & obtenta, tranſire, & tranſmeare audeant, vel audeat, eiſdem auctoritate, & tenore interdicimus, & prohibemus.

§. 3. Volumus etiam quod ultra ſupradictas pœnas, qui contrafecerint, perſonaliter capi, & apprehendi, nec non incarcerari, puniri, & etiam ad redeundum cogi, libero prædicti Majoris pro tempore exiſtentis arbitrio poſſint, & valeant.

§. 4. Eidemque Majori pro tempore exiſtenti prædicta omnia, & ſingula, per ſe, vel aliũ, ſeu alios ſibi bene viſos faciendi, exercendi, & effectualiter, ac omnino exequendi & brachii ſæcularis auxilium, ſi opus fuerit, invocandi omnimodam, plenam, amplam & abſolutam auctoritate Apoſtolica prædicta tenore præſentium licentiam, auctoritatem, & facultatem concedimus & impartimur.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon indultis, privilegiis, & exemptionibus aliis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus, Eremis, & Eremitoriis quibuſcumque, quocumque modo, & ſub quibuſvis verbis, & clauſulis conceſſis, & iteratis etiam vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc habenda foret, illorum omnium tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate prædicta earundem tenore præſentium quas perpetuis futuris temporibus valere decernimus, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. die 9.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 9. Julii 1586. Pont. noſtri anno 2.

---

## XX[...] Confirmatio, & extenſio Juriſdictionis Conſulum Artis Piſtorum, & Præfecti Annonæ Almæ Urbis, in rebus ipſam Artem tangentibus, ac privilegiorum & gratiarum eorundem Piſtorum.

Hæc

*Hæc Bulla non præjudicat facultatibus Gubernatoris Urbis, quoad recurſum à ſententiis dictorum Conſulum, ut hic Pontifex (me Gubernatoris Locumtenente tunc inſtante) declaravit die 9. Octobris anni 1586. quam non pono, quia eſt ſimilis Bulla 61. Gregor. XIII. quam habes ſupra, & regiſtrata etiam eſt apud acta Notariorum Civilium d. Gubernatoris.*

*An. D. [1]586.*

*S I X T U S   E P I S C O P U S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

COeleſtis Pater ad hoc nos univerſalis Eccleſiæ Rectorem conſtituit, & à nobis oves ſuas paſcendas commiſit, ut omnibus perſonis, præcipuè Rom. Curiam ſequentibus, ne indebitis moleſtiis afficiantur, ſed pro earum qualitate juſtitia miniſtretur, quantum cum Deo poſſumus ſalubriter provideamus, & ea quæ pro ipſarum perſonarum facili regimine, & gubernatione à noſtris prædeceſſoribus provida conſideratione emanarunt, ut eo firmius illibata perſiſtant, quo frequentius Apoſtolico fuerint ſtabilita præſidio, noſtræ approbationis munimine, dum à nobis petitur, roboremus.

§.1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis Piſtorum Urbis noſtræ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs poſtquam fel. rec. Leo Papa X. prædeceſſor noſter, &c.

§.2. Et deinde per recol. mem. Julium Papam III. &c.

Omittitur relatio Bullæ 18. Iul. III. quia ipſam habes ſupra, & quia ibi relata Bulla Leon. ideo hic omittitur ejuſdem relationis repetitio.

§.3. Cum poſtmodum antiqua Statuta ipſius Urbis de mandato ſanctæ mem. Gregorii Papæ XIII. &c.

Omittitur etiam relatio Bullæ Gregorii XIII. quia eſt ſupra, *Almam.*

§.4. Cum autem, ut eadem petitio ſubjungebat, plerique dubitent, aliqua artis Piſtorum hujuſmodi ſtatuta, & præſertim illud quo diſpoſitum eſt, quoſcumque artem prædictam exercere, & clibanum habere volentes, priuſquam ad hoc admitti poſſint, ad ſolutionem trium ſcutorum pro una Conſulibus artis hujuſmodi, & reliquis duabus partibus Hoſpitali B. Mariæ de Laureto de dicta Urbe applicandorum teneri, per prædictas literas Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi declarationis, & reintegrationis juriſdictionum artium, earumque Collegiorum, & Conſulũ hujuſmodi nullatenus reintegrata fuiſſe. Quare pro parte Univerſitatis Piſtorum hujuſmodi nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut literis prædeceſſorum hujuſmodi robur noſtræ approbationis adjicere, aliaque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.5. Nos igitur Univerſitatem Piſtorum hujuſmodi, illiuſque ſingulares perſonas, quarum quietem, & commodum, non minori, quam prædeceſſores noſtri prædicti paternæ dilectionis affectu proſequimur, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon ſingularum literarum prædictarum tenores veriores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, & ordinationes dictæ Univerſitatis, ac ſingulas etiam reintegrationis juriſdictionum literas prædeceſſorum hujuſmodi, ac in eis contenta quæcumque, prædicta auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus.

§.6. Ac inſuper eiſdem nunc, & pro tempore Piſtoribus, ut facilius, & minori cum diſpendio jura ſua conſequi poſſint, in omnibus, & ſingulis eorum cauſis, litibus, controverſiis, & differentiis, ratione panis per eos crediti & rerum ad artem hujuſmodi ſpectantium de cætero movendis, videlicet quæ triginta ducatos auri de Camera non exceſſerint, Conſules pro tempore exiſtentes dictæ artis, contra quoſcumque ejuſdem Urbis Cives, opifices, habitatores, ac alias quaſcumque perſonas ſæculares; in aliis vero uſque ad quãcumque ſummam, Præfectum pro tempore exiſtentem Annonæ Judices, contra quoſcumque S.R.E. Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, Oratores, proceres, & alios Eccleſiaſtica, vel temporali dignitate fungentes, dictæ Urbis originarios, vel exteros, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò conſtituimus, & deputamus, eiſdemque nunc, & pro tempore exiſtentibus Piſtoribus facultatem omnes, qui eis occaſione crediti panis, ac aliarum rerum artem ipſam concernentium debitores fuerint, pro conſequenda ſatisfactione ad judicium, coram Conſulibus, & Annonæ Præfecto Judicibus hujuſmodi evocandi, dictis verò Conſulibus, & Annonæ Præfecto pro tempore exiſtentibus, ſingulas cauſas hujuſmodi ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, manuque Regia, ac ſola facti veritate inſpecta, & prout in exactione pecuniarum pretii grani eiſdem Piſtoribus ab Officialibus ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ pro tempore dati, contra eoſdem Piſtores procedi ſolet, audiendi, cognoſcendi, decidendi, fineque debito terminandi, necnon citandi, & in forma inhibendi, omnibuſque aliis facultatibus neceſſariis, & opportunis, auctoritate, & tenore ſimilibus, etiam perpetuò tribuimus.

§.7. Quodque debita cum ipſis Piſtoribus ratione panis crediti, & aliarum rerum hujuſmodi contracta, ad bonorum, & hæreditatum quarumvis perſonarum, etiam cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentium, coram quibuſvis Judicibus dictæ Urbis, tam Ordinariis, quàm delegatis, & ſubdelegatis pro tempore faciendas diſcuſſiones nullo pacto trahi poſſint. Quinimò ipſi Piſtores pro conſequenda debitorum hujuſmodi ſatisfactione, in omnibus eorum litibus, & cauſis, etiam ſi priores, & potiores creditores non ſint, primum, & potiorem locum obligationibus etiam in forma Cameræ Apoſtolicæ, etiam juramento vallatis, ac privilegiis, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, habere, & obtinere omnino debeant, eiſdem auctoritate, & tenore ſimiliter perpetuò ſtatuimus & ordinamus, necnon ſententiarum, mandatorum exequutivorum, & decretorum per Conſules, & Annonæ Præfectum Judices præfatos pro tempore latarum, & relaxatorum exequutionem, & quovis prætextu, etiam quarumcumque appellationum, recurſuum, inhibitionum, & ſignificationum etiam dotalium, nullo modo impediri poſſe, ſed eaſdem ſignificationes, & inhibitiones per Gubernatorem, & alios dictæ Urbis Judices, ad quos ipſi appellantes, & recurrentes recurſum habuerint, denegandas eſſe, eaſque conceſſas, illicò revocatas, & ipſis recurrentibus minime ſuffragari volumus.

*Piſtorum credita occaſione panis in diſcuſſionibus nõ venire, ed cæteris creditoribus etiã [illegible] obligationes Camerales anterioris eſſe decernit.*

*Hoc ultimum conceſſit [illegible] Greg. XIII. in [illegible]*

§.8. Decernentes à ſententiis, declarationibus, & decretis eorundem Conſulum, ad Conſervatores, & non alios quoſvis judices appellari poſſe, & appellationes non niſi in cauſis, & litibus ſuper majori, quàm decem ſcutorum ſumma vertentibus admittendas eſſe, nec à decem infra recurſus ad aliquos Judices haberi, minuſque concedi poſſe.

*Appellationes à ſent. [illegible] ad conſervatores [illegible] Tu vide quod dixi [illegible]*

§.9. Ac præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, mentiſque, aut intentionis noſtræ defectu notari, aut impugnari nullatenus poſſe. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Urbis ſtatutis, legibus, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Auditori Cameræ, ſeu obligationibus Cameralibus, ac quibuſvis dictæ Urbis Judicibus ordinariis, & extraordinariis, ac delegatis, illorumque tribunalibus, & quibuſvis aliis perſonis, etiam locis piis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorũque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio ha-

*Contrariis derogat.*

benda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A. 2. die 19. Aug.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1586. Kal. Septemb. Pont. noſtri anno 2.

---

XXXVII. Juriſdictio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Iudicis cauſarum Archiconfraternitatis B. Mariæ Virginis de Urbe, Confalonis nuncupatæ, ad Redemptionem Captivorum ab infidelium ſervitute, aliaque pia opera exercenda dudum inſtitutæ.

*Alia quæ hanc Sodalitatem concernunt, notavi ſupra ad conſt. 38. Greg. XIII.* Paſtoris.

*Edita An. D. 1586.*

*SIXTUS PAPA V.*
*Motu proprio, &c.*

*Cauſa conceſſionis.*

Cum ſicut accepimus, venerabilis Archiconfraternitas Confalonis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, ejuſque pro tempore exiſtentes Cuſtodes, Camerarius, Officiales, & Miniſtri, ob lites, quæſtiones, & controverſias civiles, profanas, ſpirituales, meras, & mixtas, per diverſa Urbis Tribunalia occaſione locationum, cenſuum, donationum, hæreditatum, legatorum, dotium, & diverſarum aliarum rerum ejuſdem, tam agendo pro ipſa Archiconfraternitate, quam eam defendendo, vel alias jugiter implicati exiſtant, ex quo ſæpiſſimè quamplura damna, & intereſſe patiuntur, ac impenſa litis valorem rei, de qua ex tempore agitur, ſæpenumero ſuperet.

*Hic Pont. volens Archiconfraternitatem Confalonis ab expenſis litiũ ſublevare, dat facultatẽ ejus Cuſtodibus quatuor Prælatos nominandi Cardinali Protectori, qui ex eis unum eligat judicẽ cauſarum d. Archiconfraternitatis, cum poteſtate eas ſummariè cognoſcendi.*

§. 1. Nos Archiconfraternitatem præfatam, quam ſingulari dilectione proſequimur, & in qua diverſa pietatis, charitatis, & miſericordiæ opera, etiam eleemoſynas pauperibus erogando, ac miſerabilibus Puellis dotes elargiendo, necnon Captivos à duriſſima infidelium ſervitute maxima cum charitate redimendo, continuò impendi ſpectantur, necnon dilectos filios Magiſtrum Hieronymum de Avila V.I.D. literarum Apoſtolicarum Correctorem, & Abbreviatorem, ac in utraque Signatura noſtra Referendarium, Prælatum noſtrum domeſticum, Paulum de Matthæis, Carolum de Maximis, ac Ulyſſem Lanceſinium patritios Romanos, necnon Franciſcum Covarucium ipſius Confraternitatis modernos, & pro tempore exiſtentes Cuſtodes, & Camerarium ab hujuſmodi diſpendiis, quantum cum Deo poſſumus ſublevare volentes, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, moderni, & pro tempore exiſtentes dictæ Archiconfraternitatis Cuſtodes quatuor ex Referendariis utriuſque Signaturæ noſtræ, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, moderno, & pro tempore exiſtenti ipſius Archiconfraternitatis Protectori nominare, & proponere poſſint, & valeant, ad effectum ut ex illis quatuor, unus per eundem modernum, & pro tempore exiſtentem Protectorem eligi, ſeu deputari debeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Ac eidem Referendario ſic pro tempore electo, & deputato, ex nunc prout ex tunc, & è contra, poſt electionem, & deputationem hujuſmodi omnes, & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controverſias inter dictam Archiconfraternitatem, ſive illius Cuſtodes, Camerarium, Officiales, & Miniſtros nunc, & pro tempore exiſtentes, ac quaſcumque alias, tam laïcas, quàm Eccleſiaſticas perſonas, cujuſcumque gradus, ſtatus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtentes, etiam Cardinalatus honore præfulgentes, Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam Virorum, quàm Mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia loca pia, etiam ſi coram nunc, & pro tempore exiſtentibus S.R.E. Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, & ejuſdem Cameræ cauſarum Auditori generali, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore dictæ Urbis, illorumque Locatenentibus, Collateralibus, Judicibus, et Appellationum cauſarum Curiæ Capitolii ejuſdem Urbis Capitaneo, necnon cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ac ejuſdem S.R.E. Cardinalibus, & aliis quibuſcumque Judicibus ordinariis, à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſpecialiter quomodocumque Commiſſariis deputatis, & delegatis, ac deputandis, & delegandis, nunc, & pro tempore motas, & pendentes, ac quomodolibet movendas, & pendendas, de & ſuper quibuſcumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, & illarum diſcuſſionibus, ac quibuſvis aliis diſpoſitionibus, ad favorẽ tam ejuſdem Archiconfraternitatis, quàm Redemptionis Captivorum dictæ Archiconfraternitati per Sedem Apoſtolicam injunctæ factis, ac dotibus, & quorumcumque jurium, & actionum ceſſionibus, aliiſque quibuſcumque inter vivos, ac cauſa mortis, & quaſi contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ, executionibus, revocationibus, bonis, rebus, juribus, & actionibus ipſius Archiconfraternitatis, ejuſque Cuſtodes, Camerarium, Officiales, & Miniſtros præfatos, eorum litis conſortes, tam conjunctim, quam diviſim, & tam active, quam paſſive, tam ſecundario, quàm principaliter intereſſe concernentes, & ad ipſam Archiconfraternitatem, etiam per viam neceſſariæ defenſionis, & alias quomodolibet ſpectantes, & pertinentes, in quacumque inſtantia, quorum omnium ſtatus, & merita, ac Judicum, & collitigantium nomina, cognomina, & qualitates, cæteraque etiam de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habentes, in ſtatu & terminis, in quibus ad præſens reperiuntur, & quandocumque reperientur, harum ſerie ad nos, & Sedem Apoſtolicam advocantes, illaſque omnes, & ſingulas alias, ſimiles, vel diſſimiles cauſas quomodolibet nunc, & pro tempore motas, & pendentes, ac quas dicta Archiconfraternitas, illius Cuſtodes, Camerarius Officiales, & Miniſtri habere, & movere volent contra eaſdem perſonas, Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia æquè, vel magis pia loca, etiam quomodolibet, & qualitercumque privilegiata, & exempta, pro ipſius Archicõfraternitatis rebus, bonis, hæreditatibus, legatis, juribus, & actionibus hujuſmodi, tam agendo pro ipſa Archiconfraternitate, & quacumque perſona ab ea cauſam habente, quam etiamſi contra ipſam Archiconfraternitatem, ad inſtantiam quarumcumque perſonarum qualitercumque qualificatarum, & privilegiatarum, quomodolibet agatur, eidem Referendario, ut præfertur electo, & deputato, unà cum omnibus, & ſingulis eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, & ſola facti veritate inſpecta, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, & abſque tela judiciaria, ac aliquorum terminorum ſubſtantialium obſervatione, aut alicujus Regiſtri, vel extractus confectione, per ſe ipſum, vel in ejus à dicta Urbe abſentia, aut alia ex quavis cauſa, per alium ab eiſdem Cuſtodibus, accedente ut ſupra dicti Protectoris approbatione, durante abſentia, ſeu alias quomodolibet eligendum, uſque ad finalem ſententiarum exequutionem incluſivè, audiendas, cognoſcendas, fineque debito terminandas, ac etiam alibi introducendas, ſeu committendas, reaſſumendas, &c. auctoritate, & tenore præfatis, etiam perpetuò committimus, & mandamus.

*Citat. & inhi… tam in … quàm … & qu… cumque … cibus.*

§. 2. Ipſumque Referendarium, ut præfertur, electum, & deputatum in dictis cauſis, tam pro ipſa Archiconfraternitate, quam contra illam motis, & pendentibus, & in futurum movendis, in Judicem ordinarium, & Apoſtolica auctoritate deputatum, cum facultate eaſdem cauſas uſque ad finem, abſque tamen alicujus propinæ receptione, cognoſcendi, decidendi, atque terminandi, ac etiam cum poteſtate citandi, & inhibendi quos, quibus, ac quoties opus fuerit, etiam per ſe, vel alium, ſeu alios quoſcumque, tam in Romana Curia, quam extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi etiam ſummariè de non tuto acceſſu, eiſdemque & prædictis, ac quibuſcumque aliis ejuſdem Urbis Curiarum, ſeu Tribunalium Judicibus, & perſonis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, cujuſcumque dignitatis, gradus, ordinis,

vel

vel conditionis fuerint, quibus ac quoties opus fuerit, etiam ſub ſententiis, cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis pœnis, prout ſibi videbitur, inhibendi, & in eventum non paritionis contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad declarationem incurſus cenſurarum, & pœnarum hujuſmodi, illarumque aggravationes, & reaggravationes, ac alias prout ſibi melius expedire videbitur, ſeu placuerit, ſervata forma Concilii Tridentini procedendi, ſententiaſque, ſeu mandata, per eum pro tempore latas, ſeu relaxata, debitæ exequutioni demandandi, ſive demandari faciendi.

§. 3. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis quovis prætextu non parentes, per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendi, auxiliumque brachii ſæcularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocandi, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, ac cum aliis facultatibus ad id quomodolibet neceſſariis, auctoritate & tenore prædictis ſimiliter perpetuò facimus, conſtituimus, & deputamus, ſibique plenam, liberam, & amplam ſuper præmiſſis licentiam, & facultatem, atque auctoritatem etiam concedimus, & impartimur.

§. 4. Decernentes quod à pro tempore exiſtentis Referendarii, ut præfertur electi, & deputati ſententiis, mandatis, ordinationibus, & decretis, nullatenus ſuſpenſive appellari, reclamari, de nullitate dici, ſive quomodolibet adverſus illa ad effectum impediendi exequutionem aliquod remedium attentari poſſit. Devolutive autem ſemel tantum liceat appellare, & alia remedia intentare coram alio Judice prædicto pro tempore exiſtenti Protectori, ut præfertur nominando, & ab eo approbando. Secundo autem, vel ulterius ſublata ſit omnis, & quæcumque appellatio, ſed prædictæ duæ ſententiæ plenariam exequutionem obtineant, ac firmæ, & illibatæ permaneant, ac ſi eſſent tres conformes, ac nullitas aliqua, exceptis tribus ſubſtantialibus opponi nullo modo poſſit.

§. 5. Et licet ad inſtantiam quorumcumque hæredum ſive quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modo pendeat commiſſa cauſa diſcuſſionis alicujus hæreditatis, & dictæ Archiconfraternitati, ſeu illius Cuſtodibus, Camerario, Officialibus, & Miniſtris, etiam virtute commiſſionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in præjudicium ipſius Archiconfraternitatis protrahatur, data idonea cautione per dictos Cuſtodes, Camerarium, Officiales, ſeu Miniſtros, de reſtituendo ſummam debitam in eventum ſuccumbentiæ prioribus, & potioribus creditoribus, pro tempore exiſtens Referendarius prædictus eoſdem hæredes, ſive alios quoſcumque debitores, ſeu ipſorum quemlibet, ex quacumque cauſa ceſſionarios, vel ab eis quomodolibet, & ex quocumque titulo cauſam habentes, ad ſatisfaciendum integraliter dictæ Archiconfraternitati de ejus credito, juris, & facti remediis cogat, & compellat.

§. 6. Ac in omnibus, & ſingulis cauſis prædictis ad dictam Archiconfraternitatem, ut præfertur, quomodolibet ſpectantibus, ſingulis diebus, & horis, feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem Dei procedat.

§. 7. Et Notarium actuarium per eoſdem Cuſtodes eligendum, ac ab eis, & eorum arbitrio, ac ad eorum nutum ponendum, & amovendum, quem eis placuerit, habeat, qui teneatur dare idoneam cautionem eiſdem Cuſtodibus in ejus deputatione, de reſtituendo abſque aliqua pecuniarum ſolutione, & fraude, ac omni mora & dilatione, atque exceptione, ſeu excuſatione poſtpoſitis, quoties ab eiſdem Cuſtodibus ab hujuſmodi Notariatus officio amotus fuerit, omnes & ſingulas ſcripturas ad dictam Archiconfraternitatem, ut præfertur, quomodolibet ſpectantes, per eoſdem Cuſtodes, facto de illis inventario, Notário ſucceſſori, ab eiſdem Cuſtodibus deputato conſignandas.

§. 8. Quodque citationes in cauſis prædictis etiam per Curiæ Capitolii, ſeu alios quoſcumque etiam dictæ Archiconfraternitatis Mandatarios, fieri poſſint.

§. 9. Ac quod quicumque Executores Curiarum, ſeu Tribunalium dictæ Urbis, poſſint & debeant exequi, & effectualiter exequutioni demandare omnes, & ſingulas ſententias, decreta, & mandata pro tempore exiſtentis Referendarii hujuſmodi, ſive in ejus abſentia, aut alias ipſo impedito, ab eiſdem Cuſtodibus eligendi, ac ut ſupra, nominandi, ac à Protectore approbandi, quæ non obſtante Regula Cancellariæ ſub ejus parvo ſigillo expediri poſſint.

*omnes exequi debeant mandata prædicti Judicis.*

§. 10. Ac inſuper Archiconfraternitatem prædictam, ejuſque Cuſtodes, Camerarium, Officiales, & Miniſtros, ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum principaliter, ſeu ſecundario alibi, quam coram pro tempore exiſtente Referendario, ut præfertur, electo & deputato conveniri, aut ad alios conveniendum conſtringi non poſſe, & proceſſus, ſententias, mandata, & decreta per alium, ſive alios, tam ordinarios, quam etiam ſpecialiter deputatos, & delegatos Judices, quavis auctoritate fungentes, in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos, in quacumque inſtantia latas, & facta, cum inde ſequutis quibuſcumque, nulla, irrita, & inania, nulliuſque roboris, & momenti fore.

*Alii Judices haſce cauſas non cognoſcant.*

§. 11. Præſentem quoque Motus proprii cedulam ſub quibuſcumque ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, aut conceſſionum revocationibus, ſuſpenſionibus, moderationibus, ſeu limitationibus, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, vel ejus etiam de latere Legatos, & per Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas pro tempore factas, etiam in favorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Urbe nullatenus comprehenſam, ſed ſemper ab illis penitus, & omnino exceptam, ac quoties illæ emanabunt, toties præſentem cedulam in priſtinum robur reſtitutam eſſe, & cenſeri debere, nec eidem cedulæ per quaſcumque clauſulas generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, derogari poſſe, & ſi illi ullo unquam tempore ex aliqua etiam quantumvis neceſſaria, & urgenti cauſa derogari contingat, niſi tenor cedulæ hujuſmodi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſertus, & hujuſmodi derogatio conſiſtorialiter facta, & per trinas diſtinctas literas eundem tenorem continentes tribus ſimilibus diſtinctis vicibus Cuſtodibus, Camerario, & aliis Officialibus Archiconfraternitatis hujuſmodi legitimè inſinuata, & intimata fuerit, eorumque ad id expreſſus accedat aſſenſus, derogationes hujuſmodi nemini ſuffragari debere, & ſi ac quoties illa aliquo alio modo revocari, aut aliàs illi derogari contigerit, toties in priſtinum ſtatum reſtitutam, & de novo etiam ſub poſteriori data, per prædictos Cuſtodes, Camerarium, & Officiales eligenda conceſſam & ſtabilitam eſſe.

*Clauſula præſervativa.*

§. 12. Et ſic per quoſcumque Judices etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E.Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere. Irritum quoque, &c. attentari.

*Decretum irritans.*

§. 13. Volumus etiam, & mandamus quod omnia, & ſingula præmiſſa habeant locum ad favorem quarumcumque pauperum Puellarum, quæ à prædicta Archiconfraternitate dotem habuerint, pro dictarum dotium conſequutione, ac quorumcumque ab eadem Archiconfraternitate redemptorum; ita quod ſint, & eſſe intelligantur ſub dicta juriſdictione in omnibus, & per omnia, ac ſi principaliter cum illis, & quolibet illorum agendo, ſeu defendendo de intereſſe prædictæ Archiconfraternitatis ageretur.

*Declaratio quod [illegible] Judice ſint omnes Redempti, & puellæ ab Archiconfraternitate dotatæ.*

§. 14. Inhibentes expreſſe moderno, & pro tempore exiſtenti Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, aut alias pro tempore Juſtitiæ Signaturam habenti, necnon Regenti Cancellariæ qui pro tempore erit, omnibuſque, & ſingulis Referendariis, ne de cætero ad inſtantiam, & requiſitionem cujuſcumque, ſupplicationem aliquam recipere, referendariare, ſeu proponere Præfecto Signaturæ Juſtitiæ audeant, vel præſumant, & ſimiliter Signaturam facienti non ſignet, ſive avocatoriam, ſive ſimplicis Juſtitiæ, ſive appellatoriam, & ſimilem, neque in initio, neque in medio litis, & ſignatæ nullius ſint roboris, & momenti,

*Præfectus Signaturæ Juſtitiæ Regens que & Referendarii non [illegible]*

momenti, nullamque tribuant juriſdictionem; neque ipſe Iudex, cui fuerint commiſſæ, audeat illarum virtute citare, inhibere, vel quomodolibet procedere; irritum & inane quicquid ſcienter, vel ignoranter ſecus factum fuerit, ipſo jure decernimus, ſalua ſemper noſtra manu propria ſignata, ſine qua omne reſcriptum cenſeatur, & ſit invalidum, & à noſtra voluntate alienum. Et nihilominus Referendarius, ſicut præmittitur, deputatus à prædicta Archiconfraternitate, abſque vitio attentatorum procedere poſſit, & valeat.

*Iudex præfatus cogere poſſit Notarios omnes ad ſibi conſignandũ inſtrumenta concernentia aliquod intereſſe Archiconfraternitatis Redemptionis captivorum.*

§. 15. Et inſuper ne propter difficultatem habendi, ſeu recuperandi Inſtrumenta publica ſuper teſtamentis, ſeu aliis quibuſcumque diſpoſitionibus piorum Chriſti fidelium, per Notarios, & Tabelliones cõfecta, & ſtipulata, in quibus per ipſos Chriſti fideles in ejuſdem Archiconfraternitatis, ſeu Redemptionis Captivorũ fauorem diverſa legata facta, illiſque bona relicta, & erogata fuerint, & de quibus illius Cuſtodes, Camerarius, Official. & Miniſtri prædicti notitiam habere non poſſunt, ipſa Archiconfraternitas varia in temporalibus damna, & detrimenta ſuſtineat, & patiatur, eidem Referendario, ut præfertur, electo, & deputato, omnes & ſingulos, etiã quorumcumque Tribunalium, ac Curiarum dictæ Vrbis, & in Archiuio Romanæ Curiæ & Capitolii deſcriptos Notarios & Tabelliones publicos, etiam quantumcumque privilegiatos & exemptos, qui deinceps perpetuis futuris temporibus quæcumque Inſtrumenta publica ſuper teſtamentis, codicillis, & quibuſvis tam inter viuos quam cauſa mortis diſpoſitionibus pro quibuſcũque vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus conficient aut ſtipulabunt, vel de quibus ipſi Notarii & Tabelliones pro tempore rogati fuerint, in quibus pia legata etiam jure donationis perpetuæ, vel fideicommiſſi, ſeu cuiuſvis alterius diſpoſitionis, aut quocumque alio titulo eidem Archiconfraternitati, ſiue Redemptioni Captiuorum per Chriſti fideles de eorum bonis in toto, vel in parte hactenus quomodolibet facta fuerunt, & in futurum fient, ſeu quæ vtilitatem, vel commodum, aut augmentum bonorum, jurium & emolumentorum Archiconfraternitatis, ſeu Redemptionis Captivorum hujuſmodi, tam coniunctim, quàm diviſim, & tam activè quam paſſiue, ac tam ſecundario, quam principaliter concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, aut in Archiconfraternitatis ſeu Redemptionis Captivorum hujuſmodi vtilitatem ceſſerint, vel cedant, ad dictorum Inſtrumentorum, ſeu illorum particulam intereſſe dictæ Archiconfraternitatis ſeu Redemptionis, vt præfertur, concernentem copiam authenticam & fide dignam, in forma juris valida, & probanti, ſeu inſtrumentum publicum, poſtquã ad id per ipſam Archiconfraternitatem, illiuſque Cuſtodes, Camerarium, Officiales, & Miniſtros, coram eodem Referendario requiſiti fuerint, & poſt teſtatorum obitum, ſub pœna falſi, ac excommunicationis, aliiſque ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiã pecuniariis pœnis, per contrafacientes eo ipſo incurrendis, ac arbitrio ejuſdem Referendarii infligendis, & exequendis, eidem Archiconfraternitati, ſiue illius Cuſtodibus, Camerario, Officialibus, ſeu Miniſtris, ſoluta per eoſdem Cuſtodes, Camerarium, Officiales, ſeu Miniſtros ipſis Notariis, & Tabellionibus mercede, pro ſcriptura ipſius copiæ authenticæ, ſeu inſtrumenti publici tantum, omni mora, & dilatione, aut ſubterfugio ceſſantibus, ac quacumque appellatione, ſeu recurſu poſtpoſitis, realiter, & cum effectu, ac ſine aliqua fraude dandum, tradendum, & conſignandum, auctoritate noſtra moneat, omnibuſque ſibi viſis remediis opportunis, vſque ad omnimodam paritionem cogat, atque compellat.

*Clauſ. derog.*

§. 16. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; necnon Fabricæ prædictæ, ac perſonarum, Vniverſitatum, Societatum, Congregationum, Collegiorum, Monaſteriorum, & Hoſpitalium hujuſmodi, aliorumque quorumcumque piorum locorum, & Ordinum, etiam exemptorum, ac qualitercumque privilegiatorum, etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, conſervatoriis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis, illis ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Iudicibus, Notariis, Tabellionibus, Curiis, ſeu Tribunalibus, eorumque perſonis, & Collegiis quibuſcumque, & Romanæ Curiæ Officialibus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium, etiam in vim contractus, aut aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, necnon Reformationibus noviter factis, & paribus motu, & ſcientia approbatis, etiamſi in eis caueatur expreſſe, quod cauſæ hujuſmodi ad forum, ſeu Curiam Capitolii, & ſeu Auditoris dictæ Cameræ, vel Vicarii, aut aliorum ejuſdem Vrbis Tribunalium reaſſumi debeant, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet diſponentibus. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, & nihil penitus omiſſo, nec per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum expreſſi, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe eiſdem motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus contrariis quibuſcumque. Aut ſi perſonis, Vniuerſitatibus, Societatibus, Congregationibus, Collegiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aliiſque piis locis prædictis, eorumque Adminiſtratoribus, Officialibus, ſeu Miniſtris, vel quibuſvis aliis communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, Curias, & Tribunalia, ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, indultis, ac literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, juriſdictionis ipſius pro tempore exiſtentis Referendarii, vt Præfertur, deputati explicatio, ſiue exequutio impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus, quorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

§. 17. Volumus ſolam præſentis Motus proprii ſignaturam ſufficere, & vbique fidem facere in judicio, & extra. *Sola Si... ra ſuff...*

§. 18. Quodque eadem Motus proprii exempla etiam impreſſa, Notarii publici, ſiue ejuſdem Archiconfraternitatis Secretarii manu ſubſcripta, & ſigillo dictæ Archiconfraternitatis, vel illius Protectoris, ſiue Referendarii pro tempore, vt præfertur, electi, & deputati obſignata, eandem prorſus in judicio, & extra illud fidem vbique faciant, quam ipſe Motus proprius faceret, ſi foret exhibitus, vel oſtenſus, regula contraria quacumque non obſtante. *Fides ... plorum*

Fiat Motu proprio F.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 19. Aug. Anno 2. *D. P. A... 19. Au...*

XXX...

## Juriſdictio S.R.E. Cardinalis Protectoris, & Iudicis cauſarum Collegii Cantorum Capellanorum Romani Pontificis, cum priuilegiorum, & gratiarum conceſſione.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita ... 15...*

IN ſuprema militantis Eccleſiæ Cathedra, nullis noſtris meritis, ſed ſola Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, ad vniverſa per orbem terrarum diffuſa loca cultui dicata divino, proviſionis noſtræ remedia tenemur extendere, præcipue verò circa Capellæ noſtræ Pontificiæ, *Cauſa conſtit...*

Pontificiæ ; cujus cura ſtrictiori jure nobis incumbit, proſperum ſtatum, & felicem directionem, nos conuenit intendere, & providentiæ noſtræ ſtudium propenſius adhibere, vt in ea Miſſarum ſolemnia, & alia divina officia continue decantentur, illiuſque Cantores ad eum numerum qui ejuſdem Capellæ decori, & ſervitio ſatis ſit reducti, congruis facultatibus pro eorum vitæ ſubſidio valeant communiri.

§. 1. Quocirca huic rei ſedulo incumbere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, numerum Cantorum Capellanorum prædictorum qui ad præſens vigintiquatuor exiſtunt, ad numerum viginti vnius dumtaxat, quorum nomina, & cognomina in calce præſentium deſcribuntur, Apoſtolica auctoritate, tenore earundem præſentium reducimus, & retrahimus, reliquos verò tres Cantores Capellanos ibidem non deſcriptos, illarum rationem aliorſum habituri, ab ipſius Capellæ ſervitio, & canendi onere, Cantorumque Capellanorum hujuſmodi numero, & conſortio abſolvimus & amovemus.

§. 2. Necnon in eadem Capella vnum Collegium viginti, & vnius Cantorum Capellanorum, vt præfertur deſcriptorum, loco quorum pro tempore decedentium vel recedentium, alii artis Muſicæ peritia & vocis ſuavitate pollentes, ab aliis de gremio Collegii hujuſmodi exiſtentibus prævio diligenti examine, ac alias juxta laudabilem conſuetudinem hactenus obſervatam eligi debeant, ſic tamen quod dictum numerum viginti & vnius nunquam excedant, & quorum vnus dictæ Capellæ Magiſter exiſtat.

§. 3. Et tam ipſe quam alii pro tempore exiſtentes Cantores Capellani, de gremio Collegii huiuſmodi exiſtentes, ſint & eſſe cenſeantur, provt hactenus ſemper fuerunt, noſtri & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis veri & indubitati Familiares, continui commenſales, ac ex Palatio Apoſtolico ſolitam portionem panis, & vini percipere, & habere debeant, cum maſſa communi ex Monaſterio S. Mariæ de Creſpiano Ordinis S. Benedicti Tarentin. Civitatis ſeu Diœceſis, eidem Capellæ per nos nuper ad vſum & ſuſtentationem ipſorum cantorum Capellanorum dumtaxat dicta auctoritate vniti, ac aliis eiſdem maſſis vſque ad valorem annuum trium millium ſcutorum monetæ aſſignandis, fructibus, redditibus, prouentibus, rebus, & bonis, ac etiam quoad de totidem reddituum annuorum ſumma illi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus proviſum fuerit, ex Cameræ Apoſtolicæ pecuniis eiſdem Cantoribus Capellanis, loco ſalarii, per menſes ſingulos, deducta rata parte fructuum Collegii, & illius maſſæ communis hujuſmodi præſtandis conficienda, ac inter ipſos viginti & vnum Cantores Capellanos proportionabiliter, provt deſuper ab ipſius Collegii Protectore pro tempore exiſten. ordinatum fuerit dividenda, ex qua tamen Diacono, & Subdiacono, qui olim ſubſtitutis nuncupatis in dicta Capella quotidie, non tamen præſentia noſtra miniſtrantibus, ac Scriptori, & cuſtodi Librorum ejuſdem Capellæ congruam portionem loco ſalarii arbitrio ipſius Protectoris aſſignare. Nec de cætero quicquam à S.R.E. Cardinalibus Miſſam in eadem Capella pro tempore celebrantibus, etiam prætextu cujuſcumque conſuetudinis, quantumlibet inueteratæ, petere, & exigere, aut etiam ſponte oblatum recipere debeant, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò erigimus, & inſtituimus.

§. 4. Illique ſic erecto, & inſtituto arcam, ſigillum, aliaque collegialia jura, & inſignia, necnon facultatem, & auctoritatem Magiſtrum dictæ Capellæ de ipſius collegii gremio exiſtentem, qui per quindecim annos eidem Capellæ deſeruierit, vel ſaltem ex antiquioribus perſonis dicti Collegii exiſtat, & quem duæ ex tribus partibus illius Cantorum Capellanorum hujuſmodi ad hoc idoneum judicauerint, cæteroſque officiales, & miniſtros neceſſarios ad tempus deſuper ſtatuendum eligendi.

§. 5. Necnon felici pro ſtatu, regimine, & gubernio dicti Collegii, illiuſque perſonarum, rerum, & bonorum, tam ſpiritualium quam temporalium, ac ſuper electionibus, qualitatibus, oneribus, ſervitiis, & miniſteriis Magiſtri Capellæ, aliorumque officialium, & miniſtrorum ejuſdem Collegii, quæcumque ſtatuta, ordinationes, & decreta ſacris canonibus, & Concilii Tridentini decretis non contraria condendi, & condita quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, in toto vel in parte revocandi, ac alia de nouo edendi, eaque omnia, dummodo Apoſtolica, vel ſaltem ipſius Protectoris pro tempore exiſtentis auctoritate approbata fuerint, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ſub pœnis pecuniariis arbitrio eiuſdem Collegii infligendis, & illis applicandis, obſervari faciendi, concedimus, & elargimur.

*Elargitio exemptionis ab omni ſuperioritate Ordinariorum, & judicum in Urbe & [illegible].*

§. 6. Inſuper collegium prædictum, illiuſque pro tempore exiſtentes particulares perſonas, officiales, & miniſtros, ac eorum res, & bona quæcumque mobilia, & immobilia, præſentia, & futura, cujuſcumque qualitatis & quantitatis exiſtentia, & tam in dicta Vrbe, quam extra eam vbicumque locorum conſiſtentia, ab omni juriſdictione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentis Vicarii, Senatoris, Conſervatorum, & Reformatorum Vrbis, ac Auditoris cauſarum Curiæ dictæ Cameræ, necnon Ordinariorum locorum, aliorumque Iudicum, & officialium quorumcumque, in ipſa Vrbe vel extra eam ubilibet conſtitutorum, etiam perpetuo eximimus, & liberamus, ac ſub Beatorum Petri, & noſtra, Sediſque Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus, ac nobis, & eidem Sedi immediate ſubjicimus.

*Confirmatio & innovatio quorumcumque privilegiorum hactenus conceſſorum.*

§. 7. Omniaque, & ſingula privilegia, exemptiones, libertates, prærogatiuas, facultates, gratias, tam ſpirituales quam temporales, & indulta eiſdem Magiſtro, & Cantoribus Capellanis, in genere vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, & dictam Sedem hactenus quomodolibet conceſſa, approbata, & innovata, quoad ea videlicet quæ decretis prædicti Concilii contraria, & ſub vllis revocationibus comprehenſa non ſunt, approbamus, confirmamus, & innovamus.

*Privilegium quod Cantores de collegio non amoveantur, niſi data eis prius æquivalenti recompenſa, ſi 25. annorum ſpatio deſervierint, vel legitimè impediti fuerint.*

§. 8. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, ut illi ex Cantoribus Capellanis prædictis, qui ſpatio vigintiquinque annorum Capellæ prædictæ deſervierint, ex tunc de cætero ab omni illius onere, & ſervitio ſint, & eſſe cenſeantur excuſati, exempti, & liberati, neque ipſi, nec alii quicumque eorundem Cantorum Capellanorum, quos deinceps gravi ægritudine, aut corporis ſeu vocis imbecillitate, vel alio legitimo impedimento detineri contigerit, ab ipſo Collegio, illiuſque Cantorum Capellanorum numero, & conſortio amoveri, neque alii in eorum locum ſubrogari vllatenus poſſint, niſi eis prius de æquivalenti recompenſa fuerit omnino prouiſum.

*Quodque privilegia Cantorum etiam amotorum perpetua ſunt.*

§. 9. Quodque tam per nos, vt præfertur, amoti, quam deinceps propter hujuſmodi aut ſimilia impedimenta amovendi, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, facultatibus, gratiis, & indultis, quibus alii Cantores Capellani de gremio, & conſortio Collegii huiuſmodi exiſtentes vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æque principaliter, & pariformiter, in omnibus, & per omnia vti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant.

*Deputatio Protectoris d. Collegii cum facultate prædicta omnia ordinandi & gubernandi.*

§. 10. Vt autem ipſius Collegii conſervationi, & bono regimini conſulatur, ipſique Cantores Capellani ab indebitis moleſtiis præſerventur, dilectum filium noſtrum Decium tituli S. Matthæi in Merula preſbyterum Cardinalem Azzolinum nuncupatum, ejuſdem Collegii, & illius particularium perſonarum, rerumque, & bonorum quorumcumque Protectorem, defenſorem, conſervatorem, & Iudicem ordinarium, cujus conſilio & ope omnia ſupradicta, & alia quæcumque, ad electionem Magiſtri Capellæ, aliorumque officialium, & miniſtrorum, necnon receptionem, & admiſſionem Cantorum Capellanorum prædictorum ſpectantia, & alias quomodolibet neceſſaria agantur, ſtatuantur, & ordinentur.

*Jurisdictionemque causas omnes d. Collegij, ejusque personarũ cognoscẽdi summarie, appellationeque remota, &c.*

§. 11. Cum plena, & omnimoda poteſtate, & auctoritate, omnes, & ſingulos dicti Collegii, ejuſque perſonarum, officialium, & miniſtrorum pro tempore exiſtentium cauſas, etiam beneficiales, profanas, meras, & mixtas, tam active quam paſſive motas, & movendas, per ſe ipſum vel ejus Auditorem, aut alium ſeu alios ei bene viſos, excluſive quoad omnes alios Judices, tam ordinarios quam delegatos, etiam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, manuque Regia, & nulla tela judiciaria ſervata, ſed ſola facti veritate inſpecta, ac etiam omni, & quacumque appellatione remota, audiendi, cognoſcendi, decidendi, & fine debito terminandi, ac quibus, & quoties opus fuerit in forma, etiam ſub pecuniariis, & aliis ejus arbitrio infligendis pœnis, & in ſubſidium juris cenſuris Eccleſiaſticis inhibendi, quæcumque mandata etiam exequutiva decernendi, & relaxandi, cenſuras, & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi, ac alia omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea, ac alias quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi, cæteriſque facultatibus ad id requiſitis, quæ etiam ad ipſius Decii Cardinalis in officio Protectoris hujuſmodi ſucceſſores perpetuò ſe extendere auctoritate, & tenore ſimilibus conſtituimus, & deputamus.

*Clausula præservativa.*

§. 12. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula, ac præſentes literas, nullo unquam tempore, ex quavis cauſa, quantumvis legitima, & urgenti, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in jus vel controverſiam revocari, ſeu ad terminos juris reduci poſſe, ſed ſemper valida, & efficacia exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & inviolabiliter obſervari, & Cantoribus, Capellanis, & aliis ſupradictis perpetuò ſuffragari.

*Decretum irritans.*

§. 13. Sicque per quoſcumque Iudices, ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique & in quavis inſtantia judicari, atque definiri debere, necnon irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 14. Non obſtantibus præmiſſis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtylo Palatii, ac Urbis, Cameræ & locorum prædictorum etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac etiam novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis ac Vicario, Auditori, Senatoribus, Conſervatoribus, Reformatoribus, Ordinariis, aliiſque Judicibus, & Officialibus prædictis, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 2. die 1. Sept.*

Nulli ergo omnino hominum liceat, &c.

Si quis, &c.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. Kal. Septembris, Pont. noſtri anno ſecundo.

XXX

## Hortatio ad omnes Chriſti fideles, ut Rhemenſi Collegio pro Catholicis Anglis à Sede Apoſtolica inſtituto, piè, & liberaliter ſubveniant, & ad Imperatorem, Reges, & Principes Chriſtianos, ut Anglos propter Juſtitiam perſecutionem patientes, juvent & foveant.

*Similem hortationem fecit Gregorius XIII. ut ſup. in ejus conſt.* 72. Omnipotens. *Qui jam in Vrbe Collegium pro Catholicis Anglis inſtituit, ut in alia ejus Bulla* 53. Quoniam.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Vniverſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Edita A... 158...*

*Angl... hæretic... immani... execrat...*

AFflictæ, & crudeliter vexatæ Anglorum reliquiæ, communi piorum mœrore ac luctus animo cunctorum mortalium in ſui miſericordiam, & admirationem convertunt. Quocirca nos, qui Pontificii muneris noſtri eſſe putamus, cunctarum Eccleſiarum, etiam quæ Dei beneficio pace fruuntur, curam gerere, multo etiam magis ſolliciti ſumus de ovibus perditis quærendis, & afflictis populis, & perſonis pro viribus ſublevandis, ſævit enim in dies acrius dira hæreticorum immanitas, in eos præcipue Eccleſiaſtici Ordinis viros, qui de ipſa orthodoxa fide vocem paulo liberiorem mittere aut hiſcere audent, ita ut pleriſque novis, & ante hunc diem inauditis tormentorum generibus dilacerati, atque membratim diſcerpti, exquiſitis ſuppliciis trucidentur. At quibus divina benignitas annuit è cruentis impiorum manibus elabi, ii verò quaſi funeſti tantæ cladis nuntii, ad augendam noſtri doloris acerbitatem miſſi, vix aliquod ærumnarum ſuarum ſolatium reperiunt, nam extorres patriis finibus, bonis, ac fortunis ſuis ſpoliati, ſumma rerum omnium egeſtate miſere premuntur, ac diſperſi incertis ſedibus vagantes, externarum, atque ignotarum gentium, ſed fidei ac communionis Catholicæ ſociarum opem implorant. Et cum divitias, & ampla atque opulenta patrimonia poſſiderent, quibus in patria ſecundum carnem abunde affluentes frui poterant, ſi à vera pietate declinaſſent, maluerunt divino ſpiritu ducti ea prædæ, ac direptioni ſacrilegorum domi relinquere, quam fidem negare.

*Angl... Catho... præclar... datio.*

§. 1. Nunquam ergo ſatis Anglorum Catholicorum laudari poteſt conſtantia, dum præ ſtudio Religionis, illi acerbiſſimos cruciatus, & necem, hi vero exilium, mendicitatem, & quæque ultima cenſentur in malis, data optione cunctis hujus ſæculi deliciis, & commodis anteponunt. Neque ſane eſt, quod miſeri exules à ſuis neceſſariis, & amicis in patria relictis opem aliquam expectent, ipſi namque nefariis edictis deterriti, aut paribus depreſſi anguſtiis, ſuas nequeunt miſerias tolerare, nedum aliis adjumento eſſe.

*Collegi... mẽſis pr... tholicis... glis à ... Apoſt.... ti, bon... que. C... ſumm... proven... enarra... comme...*

§. 2. Quare horum calamitatis miſerata Sedes Apoſtolica, per omnes Chriſtiani Orbis partes diſperſis Angliæ populis, iis præſertim qui in Collegium Rhemenſe hac ipſa de cauſa auctoritate Apoſtolica inſtitutum ſe receperunt, ſuperioribus annis cœperat aliquid auxilii ſuppeditare, quod pium inſtitutum nos quoque perſolvendo ex ærario noſtro, in ſingulos menſes certum ſubſidium proſequi non ceſſamus, nec ſine magno fructu, ſiquidem ex ſancto illo Anglorum, illuc pietatis, & Catholicæ diſciplinæ capeſſendæ cauſa profugientium Seminario, multos fere quotidie prodire audimus, qui Deo juvante in Angliam ad confirmandos Catholicorum animos redeuntes, glorioſis, & apud poſteros quoque illuſtribus futuris martyriis, ſuam erga Catholicam fidem, & hanc Sanctam Sedem devotionem uſque ad ſanguinis, & ſpiritus effuſionem teſtentur. Horum autem eximia virtus, & infracti animi robur ſæviſſimos hæreticos urit, ſpemque eis eripit quam de Catholicorum nomine

ad

ad internecionem delendo, aut certe penitus profligando animo conceperunt. Sed cum haud deſinant propterea pios omnes vexare excreſcente in dies exulum numero, idem Collegium Rhemenſe in maximas difficultates eſt adductum, ac ne ipſius quidem ærarii Apoſtolici ingentibus oneribus gravati tenuitas ſufficere poteſt tot neceſſitatibus ſublevandis, cum præſertim nos turbulentiſſimis temporibus ad Eccleſiæ gubernacula vocati, imminentibus undique periculis circumſeſſi, ex toto terrarum Orbe ad nos confluentium fidelium pauperum neceſſitatibus ſuccurrere, pro communi Chriſtianæ Reipublicæ bono ingentes ſumptus facere, & graviſſima onera ſuſtinere aſſidue cogamur.

§. 3. Primum igitur confugimus ad divinam opem implorandam, ut Deus omnipotens cohibeat aliquando effrænatæ tyrannidis in cæde ac ſtrage piorum debacchantis furorem, & nobiliſſimam nationem veræ Religionis ſtudio quondam florentem, ac beatam, & adhuc pro ſua ab hæreticorum intolerabili jugo liberatione, uſque ad ſanguinem glorioſiſſimè concertantem, tali peſte ac pernicie liberet, ac in priſtinam quietem, & tranquillitatem vindicet.

§. 4. Mox imitati fel. record. Greg. Papam XIII. noſtrum prædeceſſorem, ejus exemplo, ut plus ponderis habeat duplicata Romanorum Pontificum commendatio, nos quoque denuo per præſentes univerſos Chriſti fideles enixe obteſtamur, & obſecramus in Domino, cujus cauſa nunc maxime agitur, ut ſublevent Anglorum fidelium, præſertim dicti Collegii Rhemenſis ſupplicum manus tendentium inopiam, pia, & liberali pro ſuarum quiſque facultatum modo eleemoſynarum largitione, nec denegent eis, vel à dilecto filio Guglielmo Alano Rectore ejuſdem Collegii moderno, ac pro tempore exiſtente deputatis, promptum auxilium, ne quos divina miſericordia incolumes defendit ab efferata crudeliſſimæ tyrannidis ſævitia, eos nunc in media Chriſtianorum Republica enectos fame, nudos, macie, & ſqualore confectos, tabeſcere, ac perire ſumma cum ignominia patiantur.

§. 5. Mandamus præterea univerſis, & ſingulis Eccleſiarum Prælatis, & Rectoribus, cæteriſque perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque, ut curent præſentes literas, earumve authentica exempla in ſuis quiſque Eccleſiis, & locis, ac etiam concionibus publicari, ſpectatæque integritatis viros, non autem Quæſtores deligant, qui eleemoſynas, & oblata charitatis ſubſidia colligant, ac ſine lucro, & fraude dicto rectori vel ab eo deputatis fideliter tradant, ex quibus idem Rector modernus, & pro tempore futurus, ubi ejuſdem Collegii neceſſitatibus ſatis eſſe proviſum noverit, cæteris Anglis exulibus diſperſis presbyteris opportune ſubveniat.

§. 6. Demum chariſſimos in Chriſto filios Imperatorem, cunctoſque Reges ac reliquos Principes Chriſtianos, etiam atque etiam rogamus, & monemus, ut eoſdem Angelos exules, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, Chriſtianorum quidem Principum patrocinio digniſſimos, juvent pro viribus, & foveant, vel in eis potius ipſummet Chriſtum, cujus nutu omnia regna, & dominia ſibi ab eo tradita regi meminerint.

§. 7. Et quia præſentes noſtræ literæ ad ſingula loca ubi illis opus eſt deferri nequeunt, decernimus ut earum exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Prælati Eccleſiaſtici munitis eadem ubique fides habeatur, quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*P. An. 1. 3. Sept.* Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnat. Dominicæ 1586. 3. Nonas Septembr. Pont. noſtri anno 2.

---

XL. Quod Fratres Minores Ordinis S. Franciſci de Obſervantia licite retineant loca, quæ etiam ſine titulo poſſident, dummodo Ordinariorum conſenſus accedat, quoad ea quæ poſſident à decem annis citra.

*Alia de his Fratribus videri poſſunt ſupra in conſt. 23. Leon. X.* Ite, *ſup.*

*SIXTUS PAPA QUINTUS,*
*Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Edita An. D. 1586.*

Cum ſicut nobis nuper expoſuiſti, tu annis proxime lapſis pro injuncto tibi Miniſteriatus tui generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia onere, omnes, & ſingulas præfati Ordinis Provincias, tam in Italia quam extra eam exiſtentes viſitaveris, multaſque domos, Eccleſias, & loca Ordinis præfati, ab eorum Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis, & Fratribus retineri repereris, abſque eo quod ipſi Miniſtri, ſeu Guardiani, & Fratres de aliquo Eccleſiarum, & domorum ac locorum hujuſmodi titulo, ſeu conceſſione à Sede Apoſtolica, vel alia legitime habita, & facta docere valeant, cum dictæ conceſſiones aut non obtentæ, vel non expeditæ, ſeu dictarum domorum Miniſtrorum, Guardianorum, ſeu Cuſtodum incuria, ſive etiam ob bella, aut depopulationes, vel alios caſus ſiniſtros, aut alias deperditæ ſint, quamvis domus, & Eccleſiæ, ac loca prædicta ab eorum Miniſtris, ſive Guardianis, & Fratribus bona fide, ac pacifice, & quiete poſſideantur. Tuque nobis humiliter ſupplicaſti, ut pro potiori dictorum Miniſtrorum, Cuſtodum, ſive Guardianorum, & Fratrum conſcientiarum ſecuritate, & cautela, tibi, dictiſque Miniſtris, Cuſtodibus, ſive Guardianis, & Fratribus in præmiſſis de aliquo opportuno noſtro, & Sedis Apoſtolicæ remedio providere de benignitate Apoſtol. dignaremur.

*Generalis Miniſter exponit Pont. quod multa loca & Eccleſias ipſi poſſident, licet de legitimo titulo, ſeu conceſſione, ex cauſis hic expreſſis docere nequeant.*

§. 1. Nos igitur pro noſtri paſtoralis officii munere, tuiſque ſupplicationibus in hac parte inclinati, in præmiſſis opportune, dictarumque domorum, & Eccleſiarum, ac locorum qualitates, & quantitates, aliaque neceſſaria exprimenda hic pro plene, & ſufficienter expreſſis habere volentes, teque ac dictos Miniſtros, Guardianos, ſeu Cuſtodes, & Fratres à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, tibique ac cæteris Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis, & Fratribus dicti Ordinis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut quæcumque loca, domos, & Eccleſias, quæ vos in hanc uſque diem in quibuſcumque Mundi partibus, ac etiam Inſulis, & Regnis novis Indiarum Occidentalium, & Orientalium quomodolibet, ea videlicet quæ à decem annis ſupra, quæ vero à decem annis citta de conſenſu Ordinariorum poſſidetis, libere, & licite ac abſque aliquo conſcientiarum veſtrarum ſcrupulo, aut cenſurarum, & pœnarum incurſu, etiamſi de illorum conceſſionibus à Sede Apoſtolica, vel alias quomodolibet factis, ac fieri neceſſariis nullibi, ut præmittitur, appareat, perpetuo retinere, & poſſidere, ac in eorum quieta, & pacifica poſſeſſione remanere, illamque in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi antequam loca, domos, & Eccleſias hujuſmodi, & eorum ſingula recepta fuiſſent, de illis recipiendis competens, & ſufficiens facultas à Sede Apoſtolica, & locorum Ordinariis, in quorum Civitatibus, & Diœceſibus conſiſtunt, obtenta fuiſſent, continuare valeatis. Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore concedimus.

*Hic itaque Pont. eiſdem concedit, ut ea libere, & licite retinere valeat, dummodo habeat conſenſum Ordinariorum quoad loca quæ habent à decem annis citra.*

§. 2. Necnon Eccleſiis, domibus, & locis prædictis, illorumque Miniſtris, & Guardianis, ſeu Cuſtodibus, & Fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, antelationibus, præeminentiis, indultis, favoribus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus, quibus aliæ dicti Ordinis Eccleſiæ, domus, & loca, quæ à principio de ejuſdem Sedis Apoſtolicæ, & Ordinariorum locorum licentia recepta, & ædificata fuerunt, eorumque Miniſtri, Guardiani, ſeu Cuſtodes, & Fratres, ac aliæ perſonæ, tam de jure, uſu, conſuetudine, privilegio & conceſſione, quàm alias quomodolibet in genere vel in ſpecie utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipſi ſimiliter ac pariformiter, & ſine ulla penitus differentia, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, indulgemus.

*Indulgentiaſque & privilegia eiſdem concedit, quæ conceſſa fuerunt locis, & Eccleſiis à principio licitè receptis, & ædificatis.*

*Ampliatio ſupradicti indulti.*

§. 3. Decernentes inſuper te, ac Miniſtros, Cuſtodes ſeu Guardianos, & Fratres Eccleſiarum, domorum, & locorum prædictorum de cætero ad docendum de facultate ſive licentia recipiendi Eccleſias, domos, & loca prædicta ab eadem Sede, & locorum Ordinariis obtenta, aliàs quam per præſentium oſtenſionem, quas ubique tam in judicio quam extra, præterquam quod ad docendum de dicto conſenſu Ordinariorum, in his quæ poſſidetis à decem annis citra, ſufficere volumus, pro ſufficienti, & plena probatione omnium, & quorumcumque neceſſario probandorum, ad effectum conſequendi præmiſſa, hiſque omnibus plenariè fruendi, minime teneri nec obligatos exiſtere.

*Decretum irritans.*

§. 4. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores, & S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, judicari, definiri & interpretari debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de novis locis per Mendicantes abſque dictæ Sedis licentia non recipiendis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis ſeu copiis, in opere novo, de omnibus domibus, Eccleſiis, & locis prædicti Ordinis, eaque concernentibus prope diem, te auctore in Typographia Romana dilecti filii Dominici Baſæ cudendo, aut etiam ſeparatim imprimendis, & à te, ſeu pro tempore exiſtente Miniſtro, ſeu Commiſſario generali Ordinis præfati ſeparatim imprimendis, ſubſcriptis & ſigillo officii Generalatus, ſeu Commiſſariatus hujuſmodi munitis eadem prorſus ubique fides tam in judicio quàm extra dictis in dicto opere, ac ſeparatim imprimendis adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi originaliter exhibitæ vel oſtenſæ forent.

*Dat. P. An. 2. die 3. Sept.*

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Septembris 1586. Pont. noſtri anno 2.

---

## XLI. Præfinitio numeri, & qualitatum Prælatorum Referendariorum utriuſque Signaturæ Romani Pontificis, cum privilegiorum conceſſione.

*Ampliora conceſſit indulta Paul. III. ſup. in ejus conſt.* 23. Debita, *ubi in apoſtillis notavi eorum ſtatum.*

De officio autem Referendariorum, vide ſup. in Pii IV. conſt. 59. *Cum nuper*, ſup. ubi etiam notavi de materia Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ.

*Edita An. D. 1586.*

*SIXTUS PAPA QUINTUS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Iſte Pont. ex cauſis hic expreſſis.*

Quemadmodum providus agricultor ad uberiorem ejus futuram frugem temporum vices ſollicite obſervat, arbores ordine diſponit, & ne illarum vires latius diffuſæ evaneſcant, nimiam frondium, ramorumque frequentiam comprimit & reſecat, ac ibidem inordinata & indiſpoſita, ſi quæ ſint, ad meliorem formam reducere ſatagit, ita nos agri Dominici curæ, ſuperna diſpoſitione præpoſiti, efficacem & fructuoſam operam in illius cultura impendere credimus, cum ad ea vigilantiæ noſtræ ſtudium ſedulò convertimus, per quæ hujus ſedis Apoſtolicæ dignitates & officia, præſertim noſtram Gratiæ, & Juſtitiæ Signaturam concernentia, tanquam feraces plantæ in ipſo agro Dominico conſitæ, utili & commoda rerum diſpoſitione ſalubriter dirigantur, & ex eorum adminiſtratione ſperati fructus ad Dei gloriam, & illius gregis utilitatem, dictæque Sedis decorem majori in dies cum fœnore proveniant: abuſus verò, qui in illis paſſim abſque perſonarum delectu conferendis irrepſerunt, reſectis & veluti putatis ramis ſterilibus, de medio ſubmoveantur. In quam curam cogitationemque pro officii noſtri debito incumbentes, opportunum, immò neceſſarium eſſe cenſemus, ut ad ejuſdem Signaturæ tam Gratiæ quam Juſtitiæ miniſteria, non niſi cognitæ & ſpectatæ virtutis viri aſſumantur, & proinde illius Referendariorum cœtus nimia præteritorum temporum indulgentia, & quorundam inſtantia ſupra modum, non ſine priſtinæ ſuæ dignitatis diminutione adauctus, reſecata illorum multitudine, ad certum & determinatum numerum, inque compoſitum ordinem redigatur, ne multitudo ipſa rebus gerendis confuſionem & impedimentum afferat, & ſpes uberioris fructus, quæ in eorum muneribus ritè & fideliter obtentis poſita eſſe debet, nos atque ipſos fruſtretur.

*Referendariorum numerum ... tum p...*

§. 1. Itaque opportuna circa hæc remedia adhibere volentes, Motu proprio, &c. & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod nullus deinceps in Referendarium alterius Signaturæ prædictæ, etiam cedentibus vel decedentibus, aut alias deficientibus qui nunc ſunt Referendariis præfatis, omninò admittatur, donec & quouſque omnium Referendariorum hujuſmodi numerus imminutus, & ad centum dumtaxat reductus fuerit. Illo autem ſic reducto & imminuto, præſcriptus centenarius numerus Referendariorum hujuſmodi nullo unquam tempore augeatur. Sed neque inter hos omnes ultra ſeptuaginta Signaturæ Gratiæ Referendarii eſſe poſſint.

*Hic ... augen... trio P...*

*Admi... ad ... uram ... tia qua... præſcr. ...*

§. 2. Nec ullus numero & conſortio Referendariorum Juſtitiæ de cætero adſcribatur, niſi ſit ex legitimo matrimonio, honeſtiſque parentibus procreatus, & clericali charactere inſignitus, ac utriuſque vel alterius jurium Doctor in aliqua Studii generalis Univerſitate promotus, & in Rom. Curia habitu & tonſura clericalibus incedendo, per biennium verſatus, vitæque integritate, ac morum probitate commendatus, & ſaltem in vigintiquinque ætatis ſuæ annis conſtitutus, habeatque in bonis temporalibus, vel beneficiis Eccleſiaſticis unde in ipſa Curia dignitatis ſuæ gradum valeat decenter ſuſtinere.

*Admiſ... que fu...*

§. 3. Porro antequam ad ipſius admiſſionem procedatur, per ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ Præfectum, vocatis, & congregatis ad id ſex antiquioribus Referendariis, ſecretò examinari, & ad hunc effectum ſaltem binas ſupplicationes, ſeu commiſſiones ſibi ab ipſo Præfecto ex tempore porrectas proponere debeat; quod ſi collectis Præfecti & ſex antiquiorum Referendariorum præfatorum ſuffragiis, ſuper quibus eorum conſcientiam oneramus, taliter in hujuſmodi propoſitione ſe habuerit, ut relatione ſuper hoc per dictum Præfectum nobis, aut pro tempore exiſtenti Romano Pontifici facta, meruerit commendari & approbari, tunc & non alias in Referendarium ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ admittatur; præſtito prius per eum in manibus ejuſdem præfecti ſolito juramento.

*Et in eo... ſatos per... niſi a ... uram G... admitti ... declarat...*

§. 4. Ad Signaturam verò Gratiæ nemini pateat aſcenſus, niſi ſaltem triennio in Signatura Juſtitiæ fuerit laudabiliter verſatus, exceptis dumtaxat cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & Cameræ Apoſt. Clericis, quorum quiſque ad utramque Signaturam quovis tempore adſciſci valeat.

*Aſſiſtent... Signat. ... tia num... & ordi... ponit.*

§. 5. Inſuper, quod eidem Signaturæ Gratiæ ſemper decem & octo Referendarii in Curia præſentes, nec legitimo impedimento detenti, duodecim videlicet antiquiores, penes quos ſententiæ dicendæ in ipſa Signatura Gratiæ, ſuo quiſque loco, & ordine, facultas exiſtit, & alii tres, quibus onus libellos ſupplices proponendi incumbit, reliqui verò tres ſucceſſive propoſituri, necnon Theſaurarius generalis, & etiam generalis Auditor cauſarum Curiæ dictæ Cameræ, ac unus ex Palatii Apoſtolici Auditoribus, & unus ex ejuſdem Cameræ Clericis, alternatis vicibus, item noſtri in Urbe Vicarii, & cauſarum Curiæ præfatæ Auditoris Locatenentes, necnon Secretarius Apoſtolicus, ac in eadem Signatura Gratiæ proponendi munus à Referendariorum Decano ad cæteros omnes per turnum, juxta ſuæ cujuſque receptionis & admiſſionis ordinem deducatur.

§. 6. In

§.6. In ſignatura vero Iuſtitiæ circa rationẽ proponendi ibidem ſervari ſolitam, nihil ducimus innovandum.

§. 7. Ne autem, quo quiſque tempore in Signatura tam Iuſtitiæ quam Gratiæ ſit admiſſus, hæſitari contingat, ſinguli Referendarii nunc exiſtentes, quibus ſuum cuique locum & ordinem ſaluum & illæſum eſſe voluimus, intra tres menſes à data præſentium computandos, alii vero in futurum admittendi, ante cujuſque eorum admiſſionem, literas Apoſtolicas ſub plumbo ſuper conceſſione ſui officii Referendariatus hujuſmodi expedire teneantur, quæ noſtri & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Datarii manu ſubſcriptæ, eandem prorſus roboris firmitatem obtineant, quam obtinerent ſi juxta ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ, ſeu dictæ Cameræ per omnes & ſingulos officiales, & alios ad quos literarum Apoſtolicarum expeditio pertinet, rite & legitime forent expeditæ.

§. 8. Cæterum, ut Referendarii præfati ad ſuſcipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde ſpiritualibus & temporalibus gratiis ſe cognouerint vberius eſſe refertos, omnes & ſingulos nunc & pro tempore exiſtentes Referendarios vtriuſque vel alterius Signaturæ hujuſmodi, in noſtros & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis familiares, continuos commenſales gratioſe recipimus, & ab omni juriſdictione Ordinariorum locorum quorumcumque eximimus, & totaliter liberamus, ac nobis & dictæ Sedi immediate ſubjicimus, nobilitatiſque titulo decoramus, ac veros & indubitatos familiares, continuos commenſales noſtros, & pro tempore exiſtentis Rom. Pontif. vt præfertur, liberos, exemptos, & Nobiles eſſe, ſeque tales in quibuſcumque Apoſtolicis, & aliis literis, ſcripturis & actibus, tam publicis quam privatis ſcribere & nominare, ac ab aliis inſcribi & nominari debere decernimus & declaramus: eiſdemque Referendariis nunc & pro tempore exiſtentibus, in ſignum honoris & veræ Nobilitatis, inſignia noſtra gentilitia, vnà cum ſuis armis, & inſigniis geſtare, ac omnibus & ſingulis privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, honoribus & gratiis, quibus alii veri & indubitati Nobiles ex nobilium, etiam Illuſtrium genere, ex vtroque parente procreati, tam in judicio, quam extra vbicumque locorum, de jure vel conſuetudine, ac alias quomodocumque vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum in omnibus & per omnia, perinde ac ſi de Nobilium etiam Illuſtrium genere, vere & non ficte procreati & geniti forent, vti, potiti, & gaudere.

§. 9. Necnon in Monaſteriis per eos in Commendam pro tempore obtentis, quorum præteriti Abbates mitra, & aliis Põtificalibus inſigniis, ex privilegio Apoſtolico, aut alias vti conſueuerunt, etiam mitra, annulo, & baculo, cæteriſque Pontificalibus inſigniis & ornamentis, perinde ac ſi eiſdem Monaſteriis tanquam Abbates præeſſent, etiam vti, necnon poſt Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum ſolemnia, populo tunc intereſſenti ſelemni more, dummodo inibi præſens non ſit aliquis Antiſtes, ſeu dictæ Sedis Legatus, aut ſi præſens fuerit, ad id ejus accedat aſſenſus, benedicere libere & licite valeant.

§.10. Necnon aliquem idoneum Presbyterum, ſæcularem vel cujuſvis Ordinis regularem ab Ordinario approbatum, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui omnium peccatorum de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam remiſſionem & indulgentiam, eis ſacra communione refectis, & in Catholicæ fidei ſinceritate, Romanæque Eccleſiæ vnitate, ac Romani Pontific. Canonice intrantis obedientia perſeverantibus, dicta auctoritate concedere poſſit.

§. 11. Liceatque eiſdem Referendariis, ubi negotiorum & temporum ratio expoſtulabit, Miſſas antequam luceſcat dies, circa tamen Auroram, necnon ſi forſan ad loca Eccleſiaſtico interdicto, tam ordinaria quam Apoſtolica auctoritate ſuppoſita, eos declinare contigerit, in illis ſubmiſſa voce, clauſis januis, & non pulſatis campanis, ac excommunicatis, & interdictis excluſis, in ſui familiariumque ſuorum domeſticorum, & trium aliarum perſonarum eorum arbitrio eligendarum præſentia, dummodo ipſi, & qui præſentes fuerint cauſam non dederint interdicto, neque eis ſpecialiter interdictum fuerit, ſimiliter Miſſas, & alia divina officia per ſeipſos, ſi presbyteri fuerint, vel per proprium, aut alium idoneum Sacerdotem ab Ordinario approbatum celebrare, & celebrari facere, illaque audire, & eis intereſſe, necnon tempore interdicti hujuſmodi ſacram Euchariſtiam, & cætera Sacramenta recipere, ipſiſque dicto tempore decedentibus, eorum corpora Eccleſiaſticæ ſepulturæ, etiam cum funebri pompa, Chriſtiano ritu tradi poſſint.

*Stationes Vrbis dictis Referendariis viſitantibus Eccleſias ab eis eligendas conceditur.*

§. 12. Necnon Quadrageſimali, & aliis temporibus ac diebus Stationum Baſilicarum, & Eccleſiarum dictæ Vrbis, & extra ejus muros, ſi in iis locis in quibus eos etiam Romæ eſſe contigerit, duas Eccleſias, aut vnius vel diverſarum Eccleſiarum eorum arbitrio eligendas viſitauerint, ac ibidem Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſaltem ter devote recitauerint, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur, quas conſequerentur ſi eiſdem temporibus & diebus Stationum Baſilicas, ac Eccleſias Vrbis, & extra ejus muros hujuſmodi ad id deputatas, perſonaliter viſitaſſent.

*Carnibus quando vesci poſſint.*

§.13. Eiſdem quoque ut Quadrageſimali, & aliis temporibus, quibus eſus carnium, ovorum, & lacticiniorum vſus de jure vel conſuetudine eſt prohibitus, eiſdem carnibus, ovis & lacticiniis de conſilio vtriuſque Medici ac ſecretò, & ſine ſcandalo vti, & veſci libere, & licite valeant dicta auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

*Dignitate gaudeant, de qua in capite Statutum [illegible] reſcr. in 6.*

§.14. Præterea cõnſtitutionem fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Sicut dignum, ad eoſdem Referendarios nunc & pro tempore exiſtentes extendimus, ita ut ipſi omnes ſint, & eſſe cenſeantur Eccleſiaſtica dignitate præditi, & juxta diſpoſitionem conſtitutionis hujuſmodi qualificati, etiam ad hoc ut in eorum tanquam perſonarum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutarum manibus penſiones ab iis qui ſufficienti ad hoc facultate ſuffulti fuerint, transferri valeãt, ac tranſlationes penſionum ab ipſis faciendæ hujuſmodi validæ & efficaces exiſtant, ſuoſque effectus ſortiri debeant.

*Clauſulæ præſervativæ appoſitio.*

§.15. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notati, impugnari, invalidari, aut in jus vel controverſiam revocari, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, validaſque & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, obſervari, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Exequutores hujus conſtit. deputat, & facultates concedit.*

§.16. Quocirca univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & quibuſvis aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica; & ubicumque locorum conſtitutis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, aut quoties pro parte Referendariorum prædictorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ipſoſque Referendarios, ac eorum ſingulos illis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores

quilibet

quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulas derogatorias addit.*

§. 17. Non obſtantibus præmiſſis, ac præfati Bonifacii prædeceſſoris de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, necnon Lateranen. etiam nouiſſime celebrati, & præfati generalis, & aliorum Conciliorum, ac piæ memoriæ Innocentii Quarti, Sixti etiam Quarti, Innocentii Octaui, Pauli Secundi, & quorumcunque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, contra exemptos editis, necnon Pii Quarti, ſimiliter prædeceſſoris noſtri, de gratiis intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera regiſtrandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Cameræ præfatæ, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Præſulibus, Capitulis, Abbatibus, Conventibus & perſonis, necnon præfatis locorum Ordinariis per quoſcumque Roman. Pont. prædeceſſores, ac nos, & dictam Sedem ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet, etiam iteratis, & multiplicatis vicibus conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmiſſorum omnium, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptis credi jubet.*

§. 18. Verum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferre, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & alibi, vbi opus fuerit adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli, &c.

*D. P. A. 2. die 22. Sept.*

Dat. Romæ, 10. Kal. Octob. Anno ſecundo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1586. *indictione* 14. *die verò* 16. *menſis Octobris, Pont. Sanctiſſimi D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno* 2. *retroſcripte literæ affixe, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis Baſilicarum S. Ioan. Lateran. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellaria Apoſtolica & in acie Campi Floræ, per me Ioannem Freile, & Nicolaum Taglietttum, Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

XI.

## Communitates Status Eccleſiaſtici pro aliis obligatæ, infra annum ab earum obligationibus liberentur. Et de cætero pro aliis ſe obligare, & earum bona alienare, ac præterquam ratione locationis obligare, vel Oratores ſumptibus publicis ad Pontificem mittere nequeant.

*Confirmatur, & ampliatur Bulla iſta à Clem. VIII. inf. in ejus conſt.* 10. Pro commiſſa, *vbi alia de Ciuitatibus notabo.*

Conſonat conſtitutio 18. Pii IV. ſup. in qua decrevit, Vaſſallorum obligationes pro eorum Dominis eſſe nullas, Dominoſque teneri Vaſſallos ab obligationibus pro eis factis relevare, & pecunias ſolutas reſtituere.

### *SIXTVS PAPA V.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A... 15...*

*Exordi...*

INter varias, ac multiplices ſollicitudines, quas pro communi vtilitate vniverſæ Chriſtianæ Reipublicæ, noſtræ curæ (divina providentia) commiſſæ, dies noctesque ſuſcipimus, id potiſſimum nobis cordi eſt, vt ſubditorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ commodis paterna charitate, & præcipua quadam ac ſingulari vigilantia conſulamus, quod illos quaſi noſtros peculiares eximieque charos, & acceptos, ac præ cæteris dilectos filios, in noſtram clientelam, ac fidem receptos, ſpeciali quadam & propria paterni amoris prærogatiua complecti æquum cenſemus.

*Cauſa conſtu.*

§. 1. Quare cum eos ab omni injuria, & violentia tutos & illæſos defendere, & cuſtodire pro viribus ſtudeamus ſicuti ad id vel ab initio noſtri Pontificatus opportuna remedia, quæcumque potuimus, non ſine magno fructu, Deo annuente, comparavimus, ita etiam nunc eodem erga illos pietatis affectu permoti, duximus omni ſtudio occurrendum dolis callidorum hominum, qui privatis ſuis lucris intenti, plerumque commune bonum, ac publicam noſtrarum Civitatum, & Oppidorum vtilitatem non mediocriter lædunt. Quoniam verò in tota fere ditione, & Statu temporali hujus Sanctæ Sedis prauus inolevit abuſus, vt plerumque ex leuiſſimis, minime neceſſariis, neque vtilibus, ac forſan etiam magnopere damnoſis cauſis, dilecti filii Communitates, ſiue Vniverſitates, & homines eorundem Civitatum, & Oppidorum, reſpectiue, ad inſtantiam, & ſuaſu quorundam, qui priuatim ſuæ rei familiaris ac domeſticæ, etiam cum communi aliorum diſpendio lucrum quærere non erubeſcunt, vniuerſi, ac publico nomine ſe, ſuaque bona obligare, & hypothecare, aut pro aliis fidejubendo, ſeu principaliter pro ſuo intereſſe conſueuerint, & contractus celebrare, magno olim eiſdem Vniverſitatibus, & Communitatibus detrimento, & damno futuros: ſiue etiam expenſas minime neceſſarias, interdum vero prorſus ſuperuacaneas facere, ſicuti jam in multis Communitatibus, & Vniverſitatibus ingenti ære alieno gravatis, ærariiſque earum planè exhauſtis, res ipſa & experientia docuit.

*Cōmuni... pro quib... que perſ... obligat... annum... denunci... nis liber...*

§. 2. Nos propterea indemnitati illorum, & huic malo, antequam latius ſerpat, & graviora afferat damna & incommoda, quamprimum providere cupientes, de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium, præcipimus, & mandamus vniuerſis & ſingulis perſonis, quavis dignitate & auctoritate fulgentibus, pro quarum vtilitate, commodo & intereſſe, directo vel indirecto, aliqua Vniuerſitas, ſeu Communitas cujuſcumque Civitatis, Terræ, Oppidi, Caſtri, Villæ, aut alterius loci noſtræ, & dictæ Romanæ Eccleſiæ ditioni mediate vel immediate in tẽporalibus ſubjecti vel ſubjectæ, vniverſi inſimul ex quacumque cauſa, & quocumque modo fidejuſſiſſe, vel aliàs etiam vti principales obligati hactenus fuiſſe reperientur, vt ipſi, & eorum vnuſquiſque debeant ac teneantur intra annum à die denuntiationis, vel intimationis, in vim præſentium literarum

ſtrerationem eorum cuilibet faciendæ, etiamſi ipſi et eadem Civitate & loco, vel aliunde oriundi ſint, atque inibi vel alibi domicilium habeant, bonaque ſtabilia, cujuſcumque valoris, etiam maximi poſſideant, eaque minimè dilapident, ab hujuſmodi fidejuſſione, & alia quacumque obligatione, reali & perſonali, vel hypotheca generali aut ſpeciali, etiam à modico tempore citra contractis, eaſdemque Communitatem, ſeu Univerſitatem, earumque res & bona penitus exemiſſe & liberaſſe, curentque vel caſſatis penitus, & extinctis ipſis obligationibus & Inſtrumentis deſuper confectis, aut dato alio expromiſſore in locum ipſius Communitatis, vel Univerſitatis, aut alias quoquo modo re ipſa efficere, ut ii in quorum favorem ipſæ Communitates, aut Univerſitates ſe obligaverint, illarum liberationi ſpontè & expreſsè conſentiant.

§. 3. Cujuſmodi conſenſum, ſi nec ipſi in quorum favorem Communitates vel Univerſitates prædictæ ſe ſuaque bona obligaverint, præſtare ullo modo voluerint, & ea fuerit contractus vel obligationis natura, ut neque etiam facta aliqua oblatione, aut ſolutione ad conſentiendum, ipſi inviti cogi, ſeu aliàs obligationes ipſæ caſſari & annullari poſſint, tunc dictæ perſonæ à quibus eædem Communitates & Univerſitates occaſione talium obligationum indemnes relevandæ ſunt, alios fidejuſſores & expromiſſores arbitrio pro tempore exiſtentis Gubernatoris, ſeu Legati, cui ipſa Univerſitas, vel Communitas mediatè, ſeu immediatè ſuberit, de conſervando eaſdem Communitates vel Univerſitates indemnes, præſtare teneantur.

§. 4. Liceatque ipſarum Communitatum ſeu Univerſitatum Magiſtratibus, Procuratoribus, Agentibus, ſeu etiam particularibus perſonis ad præmiſſa, contra quoſcumque vigore præſentium literarum coram quocumque Judice agere & judicio experiri, ac ipſi Judici unica citatione præcedente, mandatum exequutivum in rem & perſonam contra eum, pro quo eſt facta fidejuſſio vel obligatio, ſtatim elapſo prædicto anno, exequendum relaxare, perinde ac ſi eædem perſonæ ad id expreſsè in ſpecie atque efficaciter ſe obligaſſent, etiamſi hoc ipſum naturæ & ſubſtantiæ contractuum, quorum occaſione obligationes hujuſmodi initæ fuerint, omnino repugnet & adverſetur, aut alias ne quis ad extinguendum, & redimendum cenſus ſuper bonis ſuis ſtabilibus venditos, creatos & impoſitos, cogi aut compelli queat, Apoſtolicis conſtitutionibus expreſsè cautum fuerit.

§. 5. Cæterum hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione prohibemus, ne in poſterum ſine noſtra, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel Cameræ Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ulla Communitas, aut Univerſitas ex quacumque cauſa, etiam juſtiſſima, urgentiſſima, & omnino neceſſaria, & in evidentem utilitatem, aut neceſſitatem, bona ſua immobilia, ſeu jura percipiendi quoſcumque fructus, redditus, proventus, ac introitus annuos, diſtrahat, vendat, quovis modo alienet, hypothecet, aut ſuper illis cenſus annuos creet, imponat, ſeu vendat, vel illa alias quam ratione locationis, nec ultra decennium alicui obligationi vel hypothecæ ſubjiciat, aut ſupponat, neque etiam mutui, depoſiti, vel alias quocumque titulo, in rem, nec in perſonam, immediatè, vel per interpoſitam perſonam ſe obliget, aut quoquo modo ære alieno ſe obſtringat.

§. 6. Pro alio verò quocumque incola, ſeu originario, vel forenſi, aut viciſſim, Univerſitas ſeu Communitas una pro altera, nequaquam ex quavis occaſione, vel cauſa unquam fidejubeat, aut tanquam principalis alienæ obligationi quoquo modo accedat.

§. 7. Decernentes nihilominus omnes & ſingulas diſtractiones, alienationes, hypothecas, fidejuſſiones, acceſſiones, etiam cum clauſula, principaliter, inſolidum, necnon uti principales, & tam perſonales quam reales, & alias quaſcumque obligationes, & promiſſiones, ac renuntiationes, & pacta de non petendo liberationem & exemptionem hujuſmodi, in vim ſupradicti noſtri mandati & præcepti, per dictas Univerſitates, ſeu Communitates, earumve Procuratores, aut Magiſtratus, etiam ſpeciale ad id mandatum habentes, etiam in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ, cum Juramento cenſurarum, ac mandati exequutivi, etiam ſuſceptione, & quavis ſubmiſſione, cautela, & promiſſione, etiam jurata, ac de non utendo remedio præſentium noſtrarum literarum ultro & ſponte, ſeu ad preces & inſtantiam, ac commodum vel utilitatem aliorum quocumque modo poſthac faciendas, ſub quibuſcumque verborum formulis, & clauſulis, etiam efficaciſſimis & inſolitis concipiendas, & inſtrumenta deſuper conficienda, etiam guarentigiata, jurata, vel alias ſub dicta forma Cameræ Apoſtolicæ celebranda, nulla, irrita & invalida, nulliuſque roboris vel momenti eſſe, aut fore, nullam fidem facere, neque ullam actionem aut exemptionem, vel officium Judicis, neque obligationem civilem, ſeu naturalem parere, vel ullum omnino effectum aut vires habere poſſe: ſed neque ipſas Communitates & Univerſitates, etiamſi id omne quod geſtum eſt in eorum utilitatem verſum eſſe conſtiterit, ullo modo, aut obligationis, vel juramenti vinculo teneri. Et ita per quoſcumque judicari & definiri debere, irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Ac ne eaſdem Communitates, ſeu Univerſitates ſumptibus minimè neceſſariis nimium gravari contingat, diſtrictius interdicimus, ne qua Communitas, aut Univerſitas ex prædictis Legatos, ſive Oratores ad nos, & Sedem Apoſtolicam, ex quacumque etiam urgenti, & ſimiliter neceſſaria, ac utili occaſione vel cauſa ſumptibus publicis mittat, neve quis hujuſmodi munus obeat, vel ſuſcipiat, niſi prius ſimili licentia à nobis, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice, vel dicta Camera, ut præfertur, obtenta, revocantes omnes qui ad præſens deputati reperiuntur.

*Communitates Oratores ad Pont. ſumptibus publicis ſine licentia mittere queant.*

*Ampliavit Clem. VIII. ibid.*

§. 9. Quod ſi quis Magiſtratus dictarum Communitatum vel Univerſitatum fuerit negligens quoad utendum remedio præſentium literarum, & petendum ſuas Communitates vel Univerſitates ab ipſa fidejuſſione vel obligatione eximi & liberari, aut alias contra dictam prohibitionem eaſdem Communitates, & Univerſitates, illarumve bona obligare attentaverit, aut Legatos, vel Oratores mittere, ſeu aliquis munus hujuſmodi ſuſcipere ſine dicta licentia præſumpſerit, eos ſingulos, qui in culpa fuerint, pœnam noſtro & Romani Pontificis, aut Gubernatorum vel Legatorum ſeu Præſidentium prædictorum arbitrio infligendam eo ipſo incurrere volumus.

*Contravenientes puniantur, ut hic.*

§. 10. Literis felicis recordationis Pii Papæ Quarti quoad Communitates aut Univerſitates, quæ pro ſuis Dominis temporalibus fidejuſſerint, aut ſe obligaverint (quibus nequaquam derogando hæc omnia ſupradicta addimus) & Statutis noviſſimis Urbis Romæ, per quæ certa forma obligationibus & contractibus per dilectos filios noſtros Senatum, Populumque Romanum celebrandis præſcribitur, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

*Pii IV. conſtit. iſta eſt ſupra, & Statutum iſtud eſt in lib. 3. cap. 31.*

§. 11. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, Villarum, & locorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, earumque Communitatibus, Univerſitatibus, Magiſtratibus quocumque nomine nuncupatis, & aliis perſonis, Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de ſimilis poteſtatis plenitudine, aut conſiſtorialiter, vel per modum ſtatuti perpetui, vel inter illos ex una, & nos Sedemque prædictam ex altera partibus initi & ſtipulati contractus, vel aliàs qumodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, quæ omnia, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, omninò tollimus & annullamus, ac nolumus cuiquam ullatenus ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Clauſ. derog.*

§. 12. Ut autem præſentes literæ amplius innoteſcant, volumus ut earum exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſuſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate

*Fides tranſumptis adhibeatur.*

Eccleſiaſtica

Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Hæc conſtitutio in vulgarem ſermonem verſa in conſiliis publicetur, & inviolabiliter obſervetur.*

§. 13. Mandamuſque univerſis & ſingulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, eorumque Locatenentibus, ac etiam Ducibus, Marchionibus, aut aliis Baronibus & Domicellis, ac Dominis temporalibus, Nobis & eidem Sedi in temporalibus mediatè vel immediatè ſubjectis, ut in Civitatibus, Terris, Caſtris, Villis, & locis eorum cuique ſubjectis, & conſiliis vel congregationibus generalibus earundem Communitatum & Univerſitatum, præſentium literarum exempla in vulgarem ſermonem verſa quamprimùm publicari, ac deinceps inviolatè obſervari omnino curent.

*Dat. P. An. 2. die 30. Sept. Publicatio.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, pridie Kal. Oct. anno 2.

*Anno à Nativitate D. 1586. indict. 14. die verò 16. menſis Octobris, Pontific. Sanctiſſimi D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 2. retroſcripta literæ Apoſtolicæ lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis ſeu portis Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, per nos Ioan. Freyle, & Octavium Tagliettum S.D.N. Papæ Curſ. necnon Cancell. Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per eoſdem Curſores.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

XLIII. Quód omnes etiam S. R.E. Cardinales beneficia & penſiones Militiæ S. Joannis Hieroſolymitani, etiam ex Sedis Apoſtolicæ proviſione obtinentes, ad ſolutionem jurium communis ærarii omnino teneantur. Receptoreſque propria auctoritate exigere valeant, ex indulto Pii V.

*Multa quæ de hac Militia in hoc opere habentur, indicata ſunt ſupra in conſtit. 2. Anaſtaſii IV.* Chriſtianæ.

*Edita An. D. 1585. & 1586.*

## *SIXTUS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Pius V. cenſuit privilegia Militiæ approbaſſe & extendere.*

ÆQuum arbitramur, & congruum, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter ſollicita conſiderationis indagine perſcrutans, quantis periculis, quantiſque bellorum turbinibus tunc agitata fuerit Inſula Milivitan. menteque recolens, quam indefeſſe & viriliter dilecti filii Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Milites, in illa à Chriſtianæ fidei hoſtibus defendenda ſe præſtiterant, dignum, quin potius debitum reputavit, ut ea quæ Romanis Pontificibus illis liberaliter conceſſa fuerant, non ſolum confirmationis ſuæ munimine roborarentur, verum etiam illa quæ ſuam utilitatem & commodum concernerent, ſi minus generaliter facta viderentur, ita extenderet, ut propter illa omnis in poſterum dubitandi materia tolleretur.

*Cum itaque caveretur ſtatutis & privilegiis hujus Ordinis, quoſcumque etiã à ſede Apoſt. proviſos, certa jura communi ærario ſolvere, certaque onera ſubire debere.*

§. 1. Accepto igitur per eundem prædeceſſorem, quod licet alias, ſtabilimentis, uſibus, & naturis Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani hujuſmodi, ſeu privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Hoſpitali, & dilectis filiis illius Magiſtro & Cõventui conceſſis, expreſsè cautum fuerat, quod etiam Apoſt. auctoritate, etiam per reſignationem in manibus pro tempore exiſtentis Romani Pontificis factam proviſio ac proviſiones, commendas, ſeu alias diſpoſitiones etiam Apoſtolicas, de præceptoriis, ſeu aliis beneficiis dicti Hoſpitalis, ſibi pro tempore factas, proſequen. & certa jura vacantia, ſeu mortuaria, aut alias nuncupata, forſan duplicata, communi Hoſpitalis prædicti Theſauro, ſeu alias perſolvere, ac quædam alia tunc expreſſa onera ſubire teneretur. Quodque de redditibus & proventibus hujuſmodi Præceptoriarum, primo & ſecundo, ac forſan aliis annis provenientibus diſponere, ſeu illos percipere minimè poſſent, ſed illo dicto Theſauro, ac aliàs in uſum & utilitatem Hoſpitalis, ac illius Militum, ſeu menſæ applicati & pro illius neceſſitatibus ſublevandis, ac tuitione fidei adverſus Turcas, Chriſtiani nominis Hoſtes, diſtribui deberent. Ac inſuper Prioratus, Bajulivatus, Caſtellaniam Empoſtæ, Præceptorias, & alia illius beneficia quæcumque pro tempore qualitercumque obtinentes, certas reſponſiones, ac ordinarias, & extraordinarias impoſitiones eidem communi Theſauro annis ſingulis ſolvere tenerentur. Ipſiſque Prioratibus, Bajulivatibus, Caſtellaniis, Præceptoriis, & beneficiis, per obitum ſeu reſignationem, etiam in manibus prædicti Romani Pontificis, aut alias quomodolibet pro tempore vacantibus, illorum fructus, redditus, & proventus, ſi per reſignationem, juxta verò novam reformationem, uſque ad feſtum SS. Jacobi & Philippi, de menſe Maii, ex tunc immediatè ſequentis pro mortuario, & vacantibus ab eodem feſto, uſque ad alium proximum ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ, ſeu ut præfertur, SS. Jacobi & Philippi de dicto menſe reſpectivè, eidem Theſauro cederent.

*Et n… Sede … provi… gratia… orqu…*

§. 2. Cum tamen ſæpè contingeret, nonnullorum petentium ambitionem ita ſe extendere, ut Sedis Apoſtolicæ liberalitate non contenti, etiam ea quæ in magnum dictæ Religionis præjudicium tendere conſpiciebant, à Sede prædicta extorquere, Romanumque Pontificem ob ejus innumeras occupationes, ad aliquas gratias ſibi concedendas impellere non erubeſcerent, quas ſi plenè cognoviſſet, eas profecto illis non conceſſiſſet.

*Piu… ſtus … tranſe… via d… rentiu… itſtiu… nis.*

§. 3. Attendens itaque dictus prædeceſſor, quanta & quàm gravia diſcrimina dicta Inſula paſſa fuerat, & quam graves Magiſter & Conventus prædicti, tam in illa defendenda quam in Civitate nova per eos conſtructa munienda & reparanda ſubierant expenſas & incommoda, quod ſi ipſi, qui pro expenſis hujuſmodi ſupportandis certa jura, quæ ſuper quibuſcumque dicti Ordinis Prioratibus, Bajulivatibus, Caſtellaniis, Præceptoriis, & aliis beneficiis prædictis exigere conſueverant, ab illorum exactione deſiſterent, illorum vires non parum debilitarentur, conſideranſque:

*Quo… provi… dict… & … tiis n… judi… clara…*

§. 4. Quod poſtquam piæ mem. Pius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, tunc ſuus, unam S. Jacobi in Platea Nuſſiæ Spoletan. & alteram Sanctiſſimæ Trinitatis Tudertin. reſpectivè diœc. dicti Hoſpitalis Præceptorias tunc certo modo vacantes, tunc dilecto filio Simoni Brombillæ Clerico Bergomẽſi, ſub certis modo & forma commẽdaverat, & ſeu de illis per ſuas literas providerat, dictuſque Simon, ſub earundem, ſeu aliarum literarum prætextu, per quas ſtabilimentis, uſibus, naturis, privilegiis & indultis prædictis per eundem Pium IV. prædeceſſorem derogatum eſſe prætendebat, fructus earundem Præceptoriarum, & jura illarum ratione dicto communi Theſauro, ut præfertur, debita ſolvere & relaxare recuſaverat & recuſabat, eundem Pium IV. prædeceſſorem, Motu proprio, non ad Magni Magiſtri, aut Conventus, ſeu Hoſpitalis fratrum prædictorum ſibi pro eis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex ſuis certa ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per ſuas in ſimili forma Brevis deſuper confectas literas declaraſſe, per derogationem hujuſmodi aliquod, vel minimum Theſauro hujuſmodi præjudicium afferri noluiſſe, & alia feciſſe, prout in ipſius Pii IV. prædeceſſoris literis pleniùs continetur.

*Et q… que … R. E. … nales … cia, & … nes ob… d. O… quam… Sede … proviſ… dictar… tionem … defini…*

§. 5. Idem Pius V. prædeceſſor, tam Pii IV. prædeceſſoris hujuſmodi veſtigiis inhærens, quàm præmiſſis de cauſis motus, omnia & ſingula in ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris literis contenta approbans & confirmans, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjiciens, omneſque & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem ſupplens, necnon quarumcumque litium inter venerabiles fratres noſtros, tunc ſuos, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Religionem prædictam pendentium ſtatus & merita, & in qua pendebant inſtantia, pro expreſſis haberi volens, Motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſub dat. videlibet duodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus ſui anno ſecundo, decrevit & declaravit, omnes & ſingulos Prioratus, Bajulivatus, Caſtellanias, Præceptorias, & alia beneficia hujuſmodi, ſeu illorum membra, & ab illis dependentia obtinentes, & ab illis regreſſus, acceſſus, coadjutorias, & alias gratias,

tias, tam à Sede Apoſt. quàm quavis auctoritate conceſſas habentes, necnon illorum fructus, & proventus, aut alia jura loco penſionis annuæ, ſeu penſiones ipſas, ſuper eorundem fructibus redditibus, & proventibus, quavis de cauſa impoſitas, & imponendas percipientes, pro rata fructuum, & penſionum eorundem, de omnibus, & ſingulis annatis, vacan. mortuariis, & aliis quibuſcumque juribus per eos dicto communi Theſauro quomodolibet debitis ſatisfacere, nec quaſcumque literas ſtatutorum, ſtabilimentorum, uſuum, ac privilegiorum, indultorum, etiam quod præceptoriarum fructus, redditus, & proventus, & aliorum dicti. Hoſpitalis beneficiorum, pro primo, & ſecundo annis, vel alias communi Theſauro dicti Hoſpitalis, pro mortuariis, ſeu aliis cauſis applicati eſſent, & eſſe cenſerentur, ſeu applicari deberent.

§. 6. Dictique Hoſpitalis Præceptores, ſeu Receptores, aut alii pro eis Agentes, illos propria auctoritate exigere, & percipere, ac interim poſſeſſionem Præceptoriarum, & beneficiorum prædictorum, nomine dicti Hoſpitalis apprehendere, & retinere, ac hujuſmodi fructus de facto exigere, & alias de illis, certis modo, & forma tunc expreſſis diſponere poſſent, diſponendi, vel aliis illorum totali inſertione, vel cum decreto, quod penſiones ipſæ à quocumque onere mortuario, & paſſagio, vel alias quomodolibet nuncupato, quavis etiam Apoſtolica, ſeu Magni Magiſtri dicti Hoſpitalis pro tempore exiſtentis, auctoritate exempti eſſent, vel titulares beneficiorum, ratam partem ipſos penſionarios tangentem, pro ſolutione penſionis hujuſmodi ſibi retinere valerent, & ad ſolutionem penſionis hujuſmodi minimè tenerentur, ac alias hujuſmodi titulares renuntiaſſent, onuſque illam ſolvendi in ſe ſuſcepiſſent, in quibuſcumque gratiis, commendis, proviſionibus, regreſſibus, acceſſibus, ingreſſibus, coadjutoriis, cæteriſque diſpoſitionibus de Prioratibus, Bajulivatibus, Caſtellaniis, Præceptoriis, & aliis beneficiis hujuſmodi quovis modo, etiam apud eandem Sedem vacantibus, necnon fructuum, & penſionum hujuſmodi reſervationibus, per eum, etiam Motu ſimili, & quorumvis etiam Imperatoris, vel Regum intuitu, ac etiam quibuſvis eatenus factis, & in poſterum faciendis, quibuſvis perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, & præeminentiæ exiſtentibus, etiam forſan Cardinalatus honore, & officio fungentibus, per eum quomodolibet eatenus conceſſis, & in poſterum concedendis derogatorias, ac deſuper confectas, & pro tempore conficiendas literas Apoſtolicas, etiam quaſcumque generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, & efficaciores, & inſolitas clauſulas, necnon irritantia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentia, perſonas, quibus Prioratus, Bajulivatus, Caſtellaniæ, Præceptoriæ, ſeu ab illis dependentia beneficia prædicta, aut illorum membra collata, ſeu ad vitam commendata fuerant, ſeu fructus, redditus, & proventus, aut penſiones annuæ reſervatæ, & aſſignatæ fuerant, aut in quorum favorem de illis diſpoſitum extiterat, vel illæ commendarentur, ſeu conferrentur, aut fructus, vel penſiones reſervarentur, & aſſignarentur, vel alias diſponerentur, à ſolutione, & præſtatione fructuum, cenſuum, paſſagiorum, annatarum, vacationum, & mortuariorum, aut aliorum, quorumcumque jurium, ſeu reſponſionum, aut ordinariarum, vel extraordinariarum impoſitionum, vigore dictorum ſtabilimentorum, & privilegiorum debitorum, in toto, vel in parte eximere, vel liberare, aut alias communi Theſauro Hoſpitalis hujuſmodi, ſeu illius juribus in aliquo præjudicaſſe, nec per illas præjudicatum, ſeu præjudicium aliquod generatum fuiſſe, vel eſſe, vel in poſterum fore, ſed derogatorias ipſas, ad effectum validitatis collationum commendarum, & aliarum diſpoſitionum hujuſmodi dumtaxat, proceſſiſſe, & ſuffragari debuiſſe, illaſque in quantum communi Theſauro, & illius juribus in aliquo præjudicaſſent, aut præjudicarent, à ſe, & Sede Apoſtolica, per occupationem, & circumventionem, præter, & contra voluntatem ſuam extortas, ac nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, & in poſterum fore, illiuſque non obſtantibus, omnes, & ſingulas hujuſmodi derogationes, tunc, & pro tempore habentes, & proſequentes, etiamſi à juriſdictione Magni Magiſtri & Conventus prædictorum, & aliorum quorumcumque Judicum Apoſtolica auctoritate præmiſſa exempti, ac ei & Apoſt. Sedi immediatè ſubjecti eſſent, ad exhibitionem & relaxationem fructuum, ac penſionum hujuſmodi, ut præfertur, eidem communi Theſauro faciendam teneri, & adſtrictos fore, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi proviſiones commendarum, regreſſus, acceſſus, coadjutoriæ, & aliæ diſpoſitiones, necnon fructuum & penſionum reſervationes, non à Sede Apoſt. ſed à Magiſtro & Conventu prædictis emanaſſent, & ad id etiam per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, cogi & compelli poſſe.

§. 7. Literaſque tunc deſuper conficiendas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis ſuæ defectu, notari vel impugnari, minuſve ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus & limitationibus ſimilium gratiarum comprehendi ullatenus poſſe, ſed quoties illæ emanarent, toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum in quo antequam illa emanarent ſtatum, reſtitutas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque data per Magiſtrum & Conventum benè viſa, toties quoties opus eſſet, conceſſas eſſe cenſerentur. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios etiam S. R. E. Cardinales, ac cauſarum ſacri Palatii Apoſtolici, Auditores, ſublata eis & eorum, cuilibet aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, judicari, definiri & interpretari debere, & quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decrevit. Et nihilominus pro potiori cautela, ſupradictas & alias derogatorias clauſulas in quibuſcumque literis appoſitas, in quantum communi Theſauro hujuſmodi, quoad præmiſſa præjudicare videbantur, revocavit, caſſavit, irritavit, & annullavit, ac toties quoties conceſſa eſſent, quod jure vacantia, & mortuaria, ratione gratiarum, per eum & quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, tunc ſuos, conceſſa, quod ea quæ ſuum tempus nondum effluxerant tantum, toties pro nullis & infectis haberi, nullamque prorſus in judicio vel extra, fidem facere, vel effectum ſortiri debere, & conſtitutionem ſuam de non tollendo jure quæſito adverſus tunc conficiendas literas, prædictas, locum ſibi vendicare non poſſe, ac illis minimè ſuffragari voluit.

*Clauſulas dicta ſua conſtitutioni præſervativas appoſuit.*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Prioratuum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, ea vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Clauſulas contrariorum derogatorias addidit.*

§. 9. Ne autem de decreto, declaratione, revocatione, caſſatione, irritatione, annullatione, voluntate & derogatione dicti Pii Prædeceſſoris, pro eo quod ſuper illis, ipſius prædeceſſoris ejus ſuperveniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, ac Magnus Magiſter, Conventus, & fratres, ſeu Milites Hoſpitalis prædicti illarum fruſtrentur effectu; volumus, & Apoſt. auctoritate decernimus, quod decretum, declaratio, revocatio, caſſatio, irritatio, annullatio, voluntas, & derogatio dicti Pii V. prædeceſſoris, à dicta die duodecima Kal. Aprilis ſuum ſortiantur effectum perinde ac ſi ſuper illis, ipſius prædeceſſoris literæ ſub ejuſdem diei data, confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur. Quodque præſentes literæ ad probandum plenè decretum, declarationem, revocationem, caſſationem, irritationem, annullationem & derogationem dicti Pii V. prædeceſſoris ubique ſufficiat, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

*Et quia hæc Pii V. conſtitutio, ejus ſuperveniente obitu non fuit expedita, inde hic Pōt. eam validat à die data.*

§. 10. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopo,

*Executoreſque deputat d. conſtitutionis.*

piſcopo Toletano, & Epiſcopo Pariſienſi, ſive eorum officialibus, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſt. generali auditori per præſentes committimus, & mandamus quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas & in eis contenta quæcumque valere decernentes, ac pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro, Conventui, & fratribus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia ab omnibus quos illa concernunt, integrè & inviolabiliter obſervari, illoſque eis pacificè & quietè uti, frui, & gaudere. Non permittentes eos aut eorum aliquem, contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus omnibus ſupradictis.

*Dat. P. A. 1. die 1. Maii.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Maii 1585. Pontific. noſtri anno primo.

*Sequitur alia conſtitutio, quæ præcedentem ampliat.*

*Edita A. D. 1586.* *SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Univerſis & ſingulis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis in quibuſvis nobis & Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectis Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis, etiam de latere Legatis, ac ſingularum Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorũ hujuſmodi Gubernatoribus aliiſque in eis jus dicentibus, & juſtitiæ Miniſtris, necnon quorumcumque Regum, Ducum, Marchionum, & aliorum Chriſtianorum Principum Magiſtratibus & officialibus, ac eorum cuilibet: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Receptores hujus Militiæ pro conſecutione jurium communis Ærarii, poſſeſſionem beneficiorum, &c. capere ſolent.* §. 1. Cum ſicut accepimus ſæpius contingat, ut Receptores Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, in ſingulis illius Prioratibus pro tempore deputati, Prioratus, Bajulivatus, & Præceptorias dicti Hoſpitalis, ac alia beneficia per fratres ejuſdem Hoſpitalis obtineri ſolita, tam per ipſos fratres quàm ex conceſſione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica per clericos ſæculares, in titulum, aut commendam, aut alias pro tempore obtenta, ob non ſolutionem paſſagiorum, ſpoliorum, reſponſionum, vacantium, & mortuariorum, ac aliorum jurium per eos communi Theſauro prædicti Hoſpitalis pro tempore debitorum, ad manus ſuas, juxta formam ſtabilimentorum & laudabilium conſuetudinum dicti Hoſpitalis, ac privilegiorum & indultorum Apoſtolicorum eis deſuper conceſſorum recipere, & uſque ad integram paſſagiorum, ſpoliorum, reſponſionum, vacantium & mortuariorum, ac aliorum jurium prædictorum ſatisfactionem, pro dicto Hoſpitali, ſeu communi Theſauro retinere, ac ad hujuſmodi effectum, poſſeſſionem Prioratuum, Bajulivatuum, Præceptoriarum, & aliorum beneficiorum præfatorum capere & apprehendere, eorumque fructus, redditus, proventus percipere, colligere & levare, ſeu Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias & beneficia hujuſmodi, eorumque fructus, redditus & proventus aliis locare & arrendare habeant.

*Mittitur Pōt. mandat ut officiales omnes & Principes eis faveant & aſſiſtant.* §. 2. Nos cupientes quod Præceptores prædicti officium ſuum contra fratres, & alios non ſolventes prædictos liberè exercere, & facultatibus eis per Sedem Apoſtolicam contra eoſdem non ſolventes conceſſis, ſine aliqua difficultate uti poſſint: Vos & veſtrum quemlibet per præſentes requirimus, vobis videlicet nobis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna diſtrictè præcipientes & mandantes: Vos verò qui nobis ſubjecti non eſtis in Domino hortantes, quatenus vos & veſtrum ſinguli quoties pro parte Præceptorum præfatorum, ſeu alicujus eorum, aut Procuratorum ſuorum, vel pro eis Agentium deſuper requiſiti fueritis, per vos, vel alium, ſeu alios brachium veſtrum ſæculare eiſdem Receptoribus, ſeu Procuratoribus vel Agentibus, ad hoc ut Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias & beneficia prædicta, juxta ſtabilimenta & conſuetudines, ac privilegia & indulta hujuſmodi, quoties illis locus fuerit, ad manus ſuas recipere, & uſque ad integram paſſagiorum, ſpoliorum, reſponſionum, vacantium, & mortuariorum, ac aliorum jurium prædictorum ſatisfactionem, pro Hoſpitali, ſeu Theſauro prædicto retinere, ac ad hujuſmodi effectum poſſeſſionem Prioratuum, Bajulivatuum, Præceptoriarum, & aliorum beneficiorum hujuſmodi capere & apprehendere, eorumque fructus, redditus, & proventus percipere, colligere & levare, vel Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias, beneficia, ac eorum fructus, redditus, & proventus hujuſmodi plus offerentibus locare & arrendare, necnon cenſus, ſeu affictus annuos locationum & arrendationum hujuſmodi exigere pro rata debiti poſſint ſtatim & incontinenti, omni dilatione, ſeu exceptione remota, præſtetis & exhibeatis, præſtarique & exhiberi faciatis.

§. 3. Non obſtan. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. ac quibuſvis proviſionibus, ſeu commendis, aut aliis diſpoſitionibus per nos & Sedem Apoſt. de eiſdem Prioratibus, Bajulivatibus, Præceptoriis, & beneficiis, quibuſvis perſonis dicti Hoſpitalis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus pro tempore factis, necnon omnibus illis, quæ privilegiis & indultis prædictis conceſſum fuit non obſtare, quæ patentibus pro ſpecialiter & expreſsè repetitis haberi volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis ea prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 3. Octob. 1586. Pont. noſtri anno ſecundo.

---

## Erectio officii Commiſſariatus Rev. Cameræ Apoſt. in officium perpetuum vacabile, cum juriſdictionis, emolumentorumque & indultorum conceſſione.

*Hodie hoc officium non eſt perpetuum, ſed ad nutum Pont. Commiſſarius deputatur. Et de ejus munere, & auctoritate, vide ſupra in Pii IV. conſtit.* 55. Romanus, *& Pii V. conſt.* 70. Cùm de literis, *& in alia conſt.* 51. Attendentes, *& infra in hujus Pont. conſtitut.* 56. Non ſine.

Et in ſpecie quod in cauſis cambiorum illicitorum in Urbe contractorum, ad ejus inſtantiam procedatur, vide ſup. in Pii V. conſtit. 1. *Cùm ſicut*, in 2. tom.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Ad excelſum univerſalis Eccleſiæ culmen, nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ſublevati, in eam curam cogitationemque ex paſtoralis officii noſtri debito propenſius incumbere nos convenit, ut Camera Apoſt. à rerum ſuarum jacturis ſarta tectaque præſervetur, & quæ pro feliciori illius jurium tuitione, negotiorumque proſecutione, ac officiorum ad id inſtitutorum decore & ſtabilimento ſunt maximè profutura, noſtris auſpiciis ordinentur, ipſaque officia egregiorum virorum prudentiæ & induſtriæ commiſſa perſonis votivis jugiter proficiant incrementis.

§. 1. Cum itaque pro tempore exiſtenti dictæ Cameræ Commiſſario generali graviorum ipſius Cameræ negotiorum cura incumbat, & ex frequenti illius mutatione eadem Camera in rebus & juribus ad eam ſpectantibus plurimum damni & incommodi patiatur, expedienſque ſit ut pro negotiorum, rerum, & jurium eorundem votiva directione, proſecutione, & defenſione officium Commiſſariatus hujuſmodi, quod dilectus filius Joannes Bernardinus Piſcina, ad id à nobis ad beneplacitum noſtrum deputatus, ab initio noſtri Pontificatus uſque huc obtinuit, ſeu exercuit, aliquo certo & firmo ſtatu conſtituatur, illudque pro tempore obtinens non amovibilis,

ut

ut hactenus, ſed donec officium ipſum per ejus ceſſum, vel deceſſum, aut alias vacet, perpetuus exiſtat, ac ſpeciali honoris, & dignitatis prærogativa fruatur. Nos qui nuper dictum Jo. Bernardinum in Civitatis noſtræ Nurſiæ pro nobis, & S. R. E. Gubernatorem in temporalibus conſtituimus, præmiſſorum conſideratione, & certis aliis cauſis inducti, ejuſdem Cameræ indemnitati, & utilitati, ac officii Commiſſariatus hujuſmodi ſtabilimento, & incremento, prout ſollicitudinis noſtræ partes requirunt, conſulere, & quæ ad illud pertinent, quibuſvis facultatibus, & gratiarum muneribus potiri debeat, plenius explicare volentes, necnon beneplacitum noſtrum præfatum harum ſerie revocantes, illudque ceſſare, & expirare decernentes.

§. 2. Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine officium Commiſſariatus hujuſmodi in officium perpetuum, adinſtar Clericatuum dictæ Cameræ, & aliorum officiorum Romanæ Curiæ vacabile, pro uno Clerico vitæ, ac morum probitate prædito, & utriuſque, vel alterius jurium Doctore non conjugato, futuro ejuſdem Cameræ Commiſſario generali, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

§. 3. Ac ipſi Commiſſario generali pro tempore exiſtenti omnes ad ejus officium hujuſmodi pertinentes, & illi per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamque Sedem, cæteris omnibus, & ſingulis aliis Commiſſariis conceſſas facultates, juriſdictiones, & prærogativas.

§. 4. Ac etiam eas facultates, præcipuamque curam, & adminiſtrationem Archivii ſcripturarum dictæ Cameræ, ita ut ſine expreſſa ejuſdem Commiſſarii licentia aliquæ ſcripturæ ad Cameram præfatam ſpectantes ex ipſo Archivio extrahi, ac earum exempla intra eandem Cameram aliiſque illius Cameralibus dari, & conſignari non poſſint, ipſiuſque Archivii Archiviſtæ, & Miniſtri, nunc & pro tempore exiſtentes, illi de dicto Archivio, ac omnibus ejus ſcripturis rationem reddere, & ejus ordinationes, ac mandata, necnon ſtatuta, & decreta, quæ per eum pro bono gubernio, & regimine dicti Archivii pro tempore fieri contigerit, obſervare omninò teneantur.

§. 5. Necnon plenam, & liberam facultatem omnes, & ſingulas alias ſcripturas ad Cameram præfatam ſpectantes, & extra Archivium huiuſmodi, in quocumque loco, vel penes quoſcumque exiſtentes recuperandi, ac contra quoſcumque eaſdem ſcripturas indebitè decernentes, ac ſcientes, & non revelantes, eos à quibus detinentur pro illarum recuperatione, tam in Urbe, quàm in omnibus Terris, & locis Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiectis, Civitate noſtra Bononienſi etiam comprehenſa, ſummariè, manu regia, & via executiva, telaque iudiciaria omiſſa, etiam per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam iuxta conſtitutiones felic. record. Julii II. & Julii III. ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum contra dictas ſcripturas indebitè detinentes, & occultantes, aut ſcientes, & non revelantes, non tamen privativè quoad alios, quibus per dictas conſtitutiones fuerit huiuſmodi facultas tributa, procedendi. Præterea ſuper præmiſſis illas facultates, quas piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter olim pro recuperatione ſcripturarum Cameræ, & Sedis præfatarum bon. mem. Carolo de Graſſis Epiſcopo Montis Flaſconenſis, & quas Honuphrio Camaiano dictæ Cameræ Præſidenti dum in humanis agerent, per cedulam Motus proprii ſub dat. videlicet 14. Kalend. Septembris, Pontificatus ſui anno 3. conceſſerat.

§. 6. Ac etiam facultatem contra Prælatos, & Clericos poſſeſſionem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum quorumcumque, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, abſque literarum Apoſtolicarum ſuper proviſionibus, commendis, conceſſionibus, & aliis diſpoſitionibus ſibi de illis dicta Apoſtolica auctoritate factis, expeditione, prætèrquam vigore Brevis de eorundem poſſeſſione nomine dictæ Cameræ capienda apprehendentes, & in illis ſe quomodolibet immiſcentes, ſimiliter ſummariè, etiam via executiva, ac per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas in Julii II. & Julii III. prædeceſſorum, & aliorum Romanorum Pontificum ſimiliter prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus deſuper editis contentas, & alias juxta hujuſmodi conſtitutionum tenorem, ſine tamen præjudicio facultatum ejuſdem Cameræ generali Theſaurario ſuper fructibus malè perceptis conceſſarum, & competentium, etiam procedendi, auctoritate, & tenore præfatis concedimus.

*Portionem conſuetam panis, &c. necnon ſalaria, regalia & alia emolumenta concedit.*

§. 7. Necnon eidem Commiſſariatus officio, ut præfertur erecto, pro ejus dote, & illud pro tempore obtinentis ſuſtentatione portionem panis, vini, eſculentorum, & aliarum rerum per ipſius Cameræ Commiſſarium generalem pro tempore exiſtentem, dietim ex Palatio Apoſtolico percipi, & ei præſtari ſolitam, cum ea integritate, qua ipſe illam percipiebat, & percipere poterat, necnon omnia, & ſingula jura, regalia, ſalaria, redditus, proventus, exemptiones, immunitates, & emolumenta quæcumque, ordinaria, & extraordinaria quomodolibet nuncupata, quæ dictus Commiſſarius pro tempore exiſtens, quocumque titulo, vel cauſa, ac undecumque, & quomodocumque habere, conſequi, lucrari, frui, potiri, percipere conſuevit, ſeu etiam potuit, & debuit, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & annui valoris ſint, vel fuerint, eiſdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

*Referendarium utriuſque Signaturæ, ipſum Cõmiſſarium creat, & Referendariorũ, & Familiarium, necnon & Clericorũ, & Cameralium privilegia Cõmiſſario tribuit.*

§. 8. Ipſumque Commiſſarium pro tempore exiſtentem in noſtrum, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis verum, indubitatum, & non fictum familiarem, & continuum Commenſalem, domeſticum, ac utriuſque Signaturæ noſtræ Referendarium, auctoritate, & tenore ſimilibus creamus, & conſtituimus, ac deputamus, aliorumque noſtrorum, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. familiarium, continuorum commenſalium, ac Prælatorum domeſticorum, & utriuſque Signaturæ præfatæ Referendariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, ac pro vero, indubitato, & non ficto noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. familiari, continuo Commenſali, & Prælato domeſtico, ac utriuſque Signaturæ hujuſmodi Referendario haberi, & reputari volumus, & mandamus, ſibique in quibuſcumque impetrationibus, conceſſionibus, & literis, tam gratiam, quàm juſtitiam concernen. ſe noſtrum, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. familiarem, continuum Commenſalem, & Prælatum domeſticum, ac utriuſque Signaturæ hujuſmodi Referendarium nominare, & inſcribere, ac ab aliis nominari, & inſcribi facere, habitumque, & inſignia Referendariorũ utriuſque Signaturæ hujuſmodi geſtare, & deferre, ac in utraque ſignatura continuò intervenire, & aſſiſtere, necnon omnibus, & quibuſcumque præfata, ac prorſus ſimilibus privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, honoribus, antelationibus, prærogativis, favoribus, conceſſionibus, & gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus cæteri familiares, continui Commenſales, ac Prælati, & Referendarii præfati, necnon dictæ Cameræ Clerici, Præſidentes, & alii Camerales, de jure, ſtatuto, conſuetudine, vel aliquo ſpeciali privilegio, ſeu aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, tam in judicio, quam extra ubicumque locorum, abſque ulla prorſus differentia, non ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, in omnibus, & per omnia, ac ſi illa officio Commiſſariatus hujuſmodi, illudque pro tempore obtinenti ſpecialiter, & expreſsè per præſentes conceſſa fuiſſent, uti, potiri, & gaudere.

*Indultum circa penſiones tribuit.*

§. 9. Necnon ut quicumque loci Ordinarius, ſeu utriuſque, vel alterius ſignaturæ hujuſmodi Referendarius, aut Metropolitanus, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, ſeu perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, ad id per ipſum Commiſſarium pro tempore exiſtentem eligendus, ſeu eligenda, quaſcumque penſiones annuas ſuper quarumvis menſarum Epiſcopaliũ, vel Archiepiſcopalium, ſeu aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium fructibus, redditibus, proven

proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, ac diſtributionibus quotidianis, ſeu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, & diſtributiones hujuſmodi, eidem Commiſſario pro tempore exiſtenti Apoſtolica auctoritate reſervatas, & reſervata, uſque ad ſummam quingentorum ducatorum auri de Camera, in dicta Curia, vel extra eam, etiam in mortis articulo, de ipſius Commiſſarii pro tempore exiſtentis expreſſo conſenſu caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, ſeu caſſata fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & diſtributionibus, ſeu fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujuſmodi, uſque ad ſummam præfatam uni, vel pluribus perſonis ad id per eum nominandis, & quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, eiſdem modo, & forma, ac cum clauſulis, decretis, & ordinationibus, quibus ipſi Commiſſario pro tempore exiſtenti reſervatæ, ſeu reſervata fuerint, etiam abſque conſenſu ſolvere habentium penſiones, ſeu obtinentium Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, dignitates, & alia beneficia hujuſmodi, dicta auctoritate reſervare, conſtituere, concedere, & aſſignare, ac etiam transferre liberè, & licitè valeat: reſervationeſque, & tranſlationes penſionum, ſeu fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum hujuſmodi, vigore præſentium faciendæ valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi per nos, ſeu pro tempore exiſtentem Rom. Pont. de conſenſu ſolvere habentium penſiones, ſeu obtinentium Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, dignitates, & alia beneficia hujuſmodi factæ fuiſſent, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus.

*Habitum & locum in Camera, & actibus Cameralibus, viſitationibuſque carcerum, & capella, & conſiſtoriis, & aliis actis publicis aſſignat.*

§. 10. Inſuper ſtatuimus, & ordinamus, quod officium commiſſariatus hujuſmodi pro tempore obtinens in Camera præfata, aliiſque actibus Cameralibus, & carcerum viſitationibus, habitum per Clericos, Præſidentem, & alios Prælatos Camerales deferri ſolitum geſtare, & in Camera præfata immediatè poſt ipſum Præſidentem, ac in carcerum viſitationibus poſt Clericum carcerum Præſidem, in Capella autem Pontificia, & Conſiſtoriis publicis, necnon proceſſionibus, equitationibus, aliiſque actibus, tam publicis, quàm privatis in loco Palatii Apoſtolici Auditoribus, ac dictæ Cameræ Clericis aſſignato immediatè poſt illos ſedere, & incedere debeat.

*Hodie nō intervenit viſitationibus carcerum.*

*Reſignandi facultatem concedit.*

§. 11. Dictumque officium Commiſſariatus in favorem cujuſcumque perſonæ, ut præfertur qualificatæ, quandocumque ſibi placuerit reſignare, ac reſignationis hujuſmodi receptio, vel admiſſio per Roman. Pontif. ex quavis cauſa denegari, vel differri, neque pro ſignatura conceſſionis ejuſdem per hujuſmodi reſignationem vacantis quicquam ultra ſummam centum florenorum auri de Camera, ab eo cui de illo ſic vacante providebitur, exigi poſſit, quodque literæ Apoſtolicæ ſuper ſupplicatione conceſſionis dicti officii Commiſſariatus conjiciendæ, etiamſi in ea de officio Referendariatus hujuſmodi nulla eſſet facta mentio, nihilominus expediantur, tam in Cancellaria præfata, quàm per Cameram ſecretam, cum expreſſione conceſſionis dicti officii Referendariatus: neque poſſit, aut debeat per noſtrum, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. Datarium, ſeu quemcumque alium pro ſignatura hujuſmodi ſupplicationis, licèt vim conceſſionis duorum officiorum, Commiſſariatus videlicet, & Referendariatus hujuſmodi habeat, aliquid ultra id quod ſuperius eſt expreſſum, omninò exigi, ſed ſicut per conceſſionem Commiſſariatus venit pariter conceſſio Referendariatus officiorum hujuſmodi, ſic per unicam ſolutionem ſignaturæ ſuprascriptam ſit integrè ſatisfactum, quaſi de unica conceſſione.

*Expeditiones pro Commiſſario gratis fieri jubet.*

§. 12. Ulterius, quod omnes, & ſingulæ literæ Apoſtolicæ ſub plumbo, ac etiam in forma Brevis, tam ſuper præſentibus, quàm aliis quibuſcumque gratiis, indultis, facultatibus, & conceſſionibus, tam gratiam, quàm juſtitiam concernen. per præfatum Commiſſarium pro tempore exiſtentem, à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, ac Sede præfata pro tempore impetratis, ſeu etiam Motu ſimili conceſſis, omnibus, & ſingulis Cancellariæ, Cameræ, & Curiæ præfatarum officiis, necnon plumbo, & regiſtro, ac ubilibet gratis, & abſque annatarum communium, jocalium, & aliorum quorumcumque jurium, & taxarum ſolutione, ad inſtar Clericorum ejuſdem Cameræ expediri, & Reſcribendarius ad taxandas literas Apoſtolicas, cum ſubſcriptione gratis pro perſona Commiſſarii generalis Cameræ Apoſtolicæ ſubſcribere, & tam ipſe, quàm alii Scriptores, Abbreviatores, & Sollicitatores literarum Apoſtolicarum, necnon Cubicularii, Scutiferi, & quicumque alii dictæ Curiæ officiales expeditioni literarum hujuſmodi pro tempore Præſidentes, & Miniſtri, etiam in annatis communibus, jocalibus, & aliis juribus Cameræ hujuſmodi participantes, eaſdem literas perſonam dicti Commiſſarii concernentes, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis, & ſuſpenſionis ſuorum officiorum, necnon perceptionis emolumentorum eorundem pœnis per eos ad quos pertinuerit, & qui eas gratis ſubſcribere, vel concedere noluerint, eo ipſo incurrendis, abſque alio noſtro aut ſucceſſorum noſtrorum, & Sedis præfatæ ulteriori mandato, omninò gratis, & abſque aliqua annatarum, jocalium, vel aliorum jurium prædictorum ſolutione, & exactione, *in* omnibus, & per omnia uſque ad plumbum, & alia neceſſaria incluſivè, omni contradictione ceſſante expediri, ac ſubſcribi, & expediri facere, & permittere debeant, & teneantur.

§. 13. Ut autem officium Commiſſariatus hujuſmodi viro idoneo, qui rebus ad illud pertinentibus jugiter incumbat, cujuſque virtus, & induſtria nobis præcipuè ſit cognita, quanto citius concedatur, de dilecti filii magiſtri Joffredi Lomellini Clerici Januenſis V.I.D. & in utraque Signatura noſtra Referendarii, ac Prælati noſtri domeſtici, ſumma fide, integritate, probitate, & doctrina plurimùm in Domino confidentes, ipſumque Joffredum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon erectionis, & inſtitutionis Commiſſariatus generalis, ac quorumcunque aliorum officiorum prædictorum, necnon privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, & aliarum gratiarum, illis ac eorum ſingulis conceſſorum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores, juriumque regalium, ſalariorum, taxarum, emolumentorum, portionum panis, & vini, eſculentorum, & aliarum rerum per pro tempore exiſtentes Commiſſarios generales dictæ Cameræ percipi ſolitorum, & eis debitorum qualitates, quantitates, denominationes, & veros etiam annuos valores, præſentibus pro expreſſis habentes, Motu ſimili eidem Joffredo officium Commiſſariatus hujuſmodi à primæva ejus erectione ſic vacans, per eum quoad vixerit, ad inſtar aliorum officiorum Sedis, & Curiæ prædictarum tenendum, regendum, & gubernandum, cum portione panis, & vini, eſculentorum, & aliarum rerum ex dicto Palatio, ut præmittitur, percipi ſolita, ac aliis annexis; necnon omnibus, & ſingulis juribus, jocalibus, regalibus, ſportulis, taxis, proventibus, obventionibus, honoribus, emolumentis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, prærogativis, juriſdictionibus, favoribus, gratiis, indultis, & facultatibus ſuprascriptis, & quibuſcumque aliis Commiſſariis generalibus dictæ Cameræ Apoſtolicæ hucuſque conceſſis, & aſſignatis, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & aſſignamus, ipſumque Joffredum ad officium Commiſſariatus hujuſmodi, ejuſque liberum exercitium, ac omnia, & ſingula ſupradicta, ex nunc recipimus, & admittimus, ac per eos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, recipi, & admitti, receptum & admiſſum, in eis quoad vixerit manuteneri, ſibique de eiſdem integrè reſponderi debere volumus, & mandamus.

§. 14. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod intereſſe forſan habentes ad id vocati

non

non fuerint, vel ex quavis alia cauſa, quantumvis legitima, urgenti & juridica, etiam neceſſariò exprimen. notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, in controverſiam revocari, aut adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, minuſque ſub ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè, etiam ſub quacumque data per Joffredum ejuſque hæredes ac ſucceſſores prædictos eligenda reintegratas, ac de novo conceſſas, validaſque & efficaces fore & eſſe, vimque validi & efficacis contractus, inter nos & ipſam Cameram ex una, ac Joffredum ejuſque hæredes & ſucceſſores prædictos ex altera partibus, ritè & rectè inici & ſtipulati, ac etiam utrimque jurati habere, & perpetuò obtinere, dictamque Cameram, Joffredum, ejuſque hæredes & ſucceſſores prædictos in juribus hujuſmodi tuendos, & ab omni incommodo, damno, læſione, lite, cauſa, & controverſia immunes, indemnes, & exemptos conſervandos teneri; ac obligatam eſſe & fore.

§.15. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.16. Quocirca venerabilibus fratribus Amerin. & Materañ. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, Motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joffredi, ejuſque ſucceſſorum prædictorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in prædictis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ac Joffredum ejuſque hæredes & ſucceſſores prædictos illis pacificè frui & gaudere, non permittentes ipſos vel eorum quempiam per quoſcumque deſuper quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.17. Non obſtantibus præmiſſis, ac de præſtando conſenſu in penſionibus, & jure quæſito tollendo, &c. & gratiis ad inſtar non concedendis, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis, ac etiam in craſtinum aſſumptionis cujuſque Romani Pontificis ad ſummi Apoſtolatus apicem edendis, necnon fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu Judices à Sede prædicta deputati, extra Civitatẽ vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, necnon quatenus opus ſit recol. mem. Symmachi & Innocentii Tertii, ac Pauli Secundi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam in noſtris de rebus Eccleſiæ, ſeu Cameræ & Sedis prædictarum non alienandis, necnon ſuper reformatione, numero, & qualitatibus dictorum Referendariorum, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus, tam Apoſtolicis quam in Provincialibus, Synodalibus & Generalibus Conciliis ſpecialiter vel generaliter, contra præmiſſa vel eorum aliqua quomodolibet [illegible] & [illegible], necnon Eccleſiarum & Monaſteriorum, in quibus [illegible]ficia hujuſmodi forſan fuerint, ac Ordinum, Militiarum, & Hoſpitalium, etiam quorum illa extiterint, necnon [illegible] Urbis, officiorum, & Collegiorum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, uſibus, naturis, ſtabilimentis, & etiam novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, & literis Apoſtolicis illis, eorumque Præſulibus, Capitulis, Conventibus, Officialibus, Appaltatoribus, & quibuſvis aliis perſonis, etiam per modum ſtatuti, ac initi & ſtipulati contractus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, ac quantocumque tempore innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.18. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum erectionis, inſtitutionis, conceſſionum, applicationis, appropriationis, creationis, conſtitutionis, deputationis, aggregationis, voluntatis, mandatorum, indulti, ſtatuti, ordinationis, abſolutionis, receptionis, admiſſionis, declarationis, donationis, remiſſionum, obligationis, hypothecationis, condonationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1586. quarto Idus Octobr. Pont. noſtri anno 2. *Dat. P. A. 2. die 12. Octob.*

*Die 7. Ianuarii 1587. ſupraſcripta litera Apoſtolica præſentata fuerunt in plena Camera Apoſtolica, & ſucceſſivè admiſſa ac regiſtrata lib. primo Signaturarum S. D. N. penes me infraſcriptum dicta Cameræ Not.* *Admiſſio & regiſtratio in Cam. Apoſt.*

*Tydeus de Marchis.*

---

Damnatio contractuum Societatis, ſecuritatem capitalis, aut certam reſponſionem, aut aliter uſurariam pravitatem continentium. XLV.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A.D. 1586.*

DEteſtabilis avaritiæ ingluvies, & inſatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix, uſque adeò excæcat mortalium mentes, ut multi avidè lucro inhiantes, in laqueos & inſidias diaboli miſerè incidant; irrepit enim verſutè & callidè antiquus humani generis hoſtis per varios dolos & fallacias, & incautos homines quæſtus dulcedine captos ac delinitos opprimit, atque eò perducit, ut ſeipſos in uſurarum voraginem, Deo hominibuſque odioſam, ſacris canonibus damnatam, & Chriſtianæ charitati contrariam fœdè immergant, & dum vanas & terrenas divitias quærunt, veras ac cœleſtes amittant, ſicuti nuper cum magno dolore *Compendium pactorum illicitorum, quæ in contractibus ſocietatum apponi contingit.*

audivimus, hoc malum in quaſdam Provincias pervaſiſſe. Nam multi ſpecioſum & honeſtum ſocietatis nomen ſuis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quaſi colore & fuco mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis perſonis, ſuper eorum mercibus, officinis, tabernis pannariis, aliiſque rebus ac bonis, pecunias ſuas, aut alias res ſocietatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, ſeu terrarum cultoribus, paſtoribus, aliiſque ruſticis, ſeu quibuſvis perſonis dant in ſocietatem, ſive ad ſoccidam, ut vocant, ea conditione, ut ſors ipſa, ſeu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum quam animalium & rerum, ſalvum ſemper & integrum exiſtat pro eo, qui non induſtriam aut operas, ſed pecunias, animalia, aut res hujuſmodi in ſocietatem confert, utque omne periculum & damnum ab altero ſocio recipiente ſuſtineatur, contra æquitatem & ſocietatis juſtitiam diverſimodè paciſcuntur, eoſdemque ſocios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, ſuoque labore & induſtria victitantes, ad ſortem, ſeu capitale reſtituendum, quicumque tandem caſus, & rerum eventus conſequatur, pacto & obligatione obſtringunt, ſimulque etiam certam lucri quantitatem & ſummam, veluti tot pro quolibet centenario, in ſingulos annos aut menſes per alterum ſocium, durante ſocietate ſolvendam præfiniunt, ac præſcribunt, eamque ſummam & quantitatem non ſubductis rationibus accepti & expenſi, quod in codices, ſeu tabulas Societatis referri ſolet, neque facto calculo vel computo, pro ipſius lucri vel damni modo variabilem, ſed laborem & curam computandi & calculandi ſe invicem remittere & renuntiare aſſerentes, quovis tempore certam conſtituunt.

*Damnatio illicitarum pactionum in ſocietatibus apponendarum.*

§. 1. Proinde nos qui hoc potiſſimum munus, noſtræque paſtoralis ſollicitudinis maximè proprium arbitramur, ut gregem Dominicum fidei noſtræ creditum ab offenſione, & æternæ vitæ diſcrimine tutum, in viam ſalutis, cœleſti gratia adjutrice, dirigere nitamur, hujuſmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius ſerpat, quantum Deo favente poſſumus, tollere cupientes, de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione damnamus & reprobamus omnes & quoſcumque contractus, conventiones, & pactiones poſthac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas cavebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, ſive ut de certa quantitate vel ſumma in ſingulos annos aut menſes, durante ſocietate reſpondeatur. Statuimuſque hujuſmodi contractus, conventiones, & pactiones, uſurarios & illicitos poſthac cenſeri debere, atque in poſterum non licere iis, qui pecunias vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter ſe paciſci & concordare; neque etiam, ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios qui ea recipient, ad ſortem, ſeu capitale ſalvum & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quovis pacto aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub hujuſmodi pactis & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus & prohibemus.

*Forma ſocietatum de cætero contrahendarum.*

§. 2. Sed potius cuncti noverint ſocietates hujuſmodi, cùm in poſterum unus pecuniam, animalia, aut alias res & bona, alter verò operam vel induſtriam confert, purè, ſincerè, & bona fide ſicut decet, juſtis & æquis conditionibus & pactis, ſecundùm juris diſpoſitionem, ac ſine ulla prorſus fraude, palliatione, aut uſurariæ pravitatis labe aut ſuſpicione ineundas, ſeu contrahendas eſſe, ita ut non ad certam ſummam aut quantitatem, ab omni periculo & damno, ut præfertur immunem, lucri nomine perſolvendam, neque ad capitale, ſi caſu fortuito perit, reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si verò finita ſocietate ipſum capitale extat, ei qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes ſuper eo legitimè conventum ſit. Ac præterea iidem contrahentes fructus, expenſas & damna in commune conferant, & prout æquum & juſtum fuerit, ſibi communicent atque dividant.

§. 3. Decernentes, ſi qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra noſtram hujuſmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem conſtitutionem noſtram damnatis & reprobatis, etiamſi juramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel aliàs quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem aut perſonalem, aut judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad ſortem, ſeu capitale integrum recuperandum, quod caſu fortuito perierit, aut amiſſum erit, neque quoad certas ſummas & quantitates in ſingulos annos aut menſes lucri ſocialis nomine promiſſas.

*Ca[illegible] nie[illegible] na.*

§. 4. Si qui verò in poſterum ſub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temerè præſumpſerint, aut prætextu ſimilium contractuum, conventionum, & pactionum ſocietatis nomine initorum, qui hucuſque durant, ad exactionem dictæ ſortis, ſeu capitalis, ſive illius pretii & valoris, poſtquam illud in toto vel in parte caſu fortuito perierit, aut amiſſum ſit, aut certæ ſummæ vel quantitatis annuæ, aut menſtruæ ſibi promiſſæ in futurum procedere auſi fuerint, eos univerſos & ſingulos in pœnas contra manifeſtos uſurarios & fœneratores à ſacris Canonibus & Conciliis generalibus latas & promulgatas, eo ipſo incurrere, & contra illos, uti manifeſtos uſurarios & fœneratores, via juris, aliiſque opportunis remediis procedi poſſe & debere.

*D[illegible] irrit[illegible]*

§. 5. Sicque ab omnibus cenſeri, & ita quoad præmiſſa univerſa & ſingula per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Di[illegible] facu[illegible] exec[illegible] huju[illegible]*

§. 6. Mandamus verò univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, per quaſcumque Provincias & Regna Chriſtiani Orbis conſtitutis, & quibuſvis noſtris & Sedis Apoſtolicæ, etiam de latere Legatis ac Vicelegatis, ceteriſque officialibus, præſertim Provinciarum & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici, ut in ſuis quiſque Civitatibus, diœceſibus, Provinciis & locis præſentem noſtram conſtitutionem publicari, & inviolatè obſervari curent, & contra perſonas, quæ in futurum præter & contra prohibitionem hanc noſtram paciſci, aut exigere auſæ fuerint, tanquam publicos uſurarios, & fœneratores per viam accuſationis vel denuntiationis, aut inquiſitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reoſque culpabiles repertos condignis pœnis, ut ſupra dictum eſt, afficiant, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Cl[illegible] derogat[illegible]*

§. 7. Non obſtantibus quarumcumque Civitatum, Provinciarum & locorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, ſive per modum conſtitutionis & legis perpetuæ quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis & innovatis, quæ omnia nolumus cuiquam de cætero ſuffragari.

*Juſſ[illegible] cand[illegible] bull[illegible]*

§. 8. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus ut illæ in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Urbe, & S. Jo. Lateran. & Cancellariæ Apoſtolicæ, atque in acie Campi Floræ per aliquem ex noſtris curſoribus de more publicentur, dimiſſis & affixis earum exemplis in acie & valvis prædictis.

*Fid[illegible] ſum[illegible]*

§. 9. Earumque tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique gentium & locorũ habeatur quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 12.Kal. Novembris, Pontific. noſtri anno ſecundo.

*Anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, Indictione 14. die verò 25. menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 2. retroſcripta litera Apoſtolica lecta, & publicata fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa in portis ſeu valvis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ per nos Claudium Mongeat, & Nicolaum Taglietum S.D.N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## De temeraria tori ſeparatione, ac publicis adulteriis, ſtupris, & lenociniis, in quibuſdam caſibus ſeveriùs in Alma Vrbe puniendis.

*Quoad lenocinia, & ſtupra in Vrbe contingentia vide etiam in Pauli IV. conſt.* 18. *ſup.* Sanctiſſimus.

Quo verò ad inceſtus qui in ſtatu Eccleſiaſtico evenirent, habes infrà in conſt. 54. *Volentes.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

AD compeſcendam quantum in nobis eſt, carnis in laſciviam prolabentis petulantiam, præcipuè verò continendos in officio ſanctiſſimis pudicitiæ & honeſtatis legibus ſubditos noſtros, libenter omnem curam & ſollicitudinem adhibemus. Nam & hoc ipſum arbitramur paternæ charitatis & providentiæ proprium, maximeque congruum munus, exquiſita quadam diligentia nova quotidie remedia & ſubſidia comparare, quibus à Chriſti fidelibus peccati & ſcandali occaſionem, Domino adjuvante, ſubmoveamus; & occurrendum eſt vehementiori ſtudio, ut nequaquam inoleſcant in publicæ honeſtatis dedecus, pudoris, & Chriſtianæ diſciplinæ detrimentum ac animarum perniciem, graviorum quorumdam flagitiorum corruptelæ, quale eſt adulterium divinis humaniſque legibus damnatum, præſertim ſi publico ſcandalo impudenter committatur, per quod ſanctum matrimonii fœdus, Deo auctore, junctum ſacrilegè violatur, cum tamen illud oporteat caſte & religioſe cuſtodiri, dicente Apoſtolo: Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus, ac conjuges mutua ſe debeāt charitate diligere, eodem Apoſtolo monēte: Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea. Et iterum: Mulieres ſubditæ eſtote viris ſicut oportet in Domino. Viri diligite uxorés veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.

§. 1. Invigilandum quoque nobis eſt, ut avertamus à Chriſti fidelibus divinæ Majeſtatis iram indignationem, atque flagella, quæ propter hujuſmodi fœda carnis peccata & ſcelera in filios diffidentiæ, præſertim verò in violatores alieni tori graviſſima divinitus immitti ſolent, quemadmodum ſacrarum teſtimonio ſcripturarum, tum variis ſucceſſibus, permultiſque exemplis comprobatur, tum vel maximè ex iis, quæ Pharaoni Ægypti Regi, & Abimelech Regi Geraræ, quòd Saram Abrahæ uxorem abduxiſſent, ſignis clarioribus evenerunt, præter æternæ damnationis pœnam, quam iidem miſerabiliter incurrunt. Nam ſicut idem pronuntiat Apoſtolus, adulteros & fornicatores judicabit Deus. Et ſi ulla unquam tempora fuerunt, quæ judiciorum, & legum ſeveritatem requirerent, certè hæc ipſa temporum cōditio, qua nos Deus ad Eccleſiæ ſuæ gubernacula vocavit, hoc vel maximè expoſcit. Nam ut eſt fragilis & fluxa mortalium natura, & ad malum prona, niſi divina bonitas adjuvet, & eorum qui præſunt, frenum cohibeat: ita plurimis ab hinc annis propter nimiam ipſorum malitiam, depravatamque peccandi conſuetudinem, & effrenatam audaciam, vitiorumque licentiam, improbi homines tantum ibi ſumpſerunt, ut ſperarent quicquid eis libitum eſſet, id ſe impunè perpetrare poſſe. Igitur poſt repreſſam ſceleratorum audaciam, qui cædibus & latrociniis ditionem Eccleſiaſticam, atque adeo ſuburbana loca vexabant, nunc etiam in Vrbe, ut quod æquè neceſſarium eſt inde ſumemus initium, corroboranda fides connubialis, comprimendæ publicæ, præſertim mœchantium libidines, & alienis conjugiis inſidiantium impudens nequitia coërcenda, legitimæ ſobolis honeſtæ propagationi conſulendum, & ſi qua diſſoluta aut dilapſa fluxerunt, ſeveris legibus vincienda ſunt, præcipueque curandum ne qui Cives, aut incolæ ſanctæ hujus, & ſacerdotalis Civitatis flagitiorum turpitudine, per varias machinationes & fraudes diabolico aſtu adinventas polluantur, ſed ab eorum commercio pravi abuſus & publicæ ignominiæ labes, noſtris potiſſimum temporibus exterminentur, & perpetuò exulent, ac potiùs hæc Alma Vrbs noſtra omni virtutum genere florens: pura & immaculata luceat ſplendore & munditia honeſtatis ſuæ, omneſque externas gentes ad ſui imitationem convertat. Id enim poſtulat ipſius Vrbis ſanctitas & religio, quæ Sanctorum Apoſtolorum & innumerabilium Martyrum ſanguine conſecrata, atque adeo perfuſa eſt, ut quoquo pedem quis ponat, credere poſſit ſe venerandos eorum cineres calcare. Id præterea requirit dignitas ipſius Civitatis, quæ noſtra propria ſedes, caput Orbis & Religionis effecta, benignè excipit gremio ſuo quaſi communis patria omnes undique nationes ex remotiſſimis regionibus, & ultimis terris ad eam confluentes. Id denique exigit communis utilitas univerſi populi Chriſtiani, ut obſtructo ore impiorum, advenæ petentes hinc diſciplinam, mores, regulam, normamque vivendi, ſpiritualis ædificii non minus quàm materialium operum ſtructuram admirentur, urbaniſque exemplis meliores effecti ad ſuos revertantur. Proinde ad ſervandam invicem inter conjuges perpetua fide & concordia ſocietatē, & ad publicæ honeſtatis pudorem illibatè tuendum, ſuper infraſcriptis capitibus præſenti noſtra in eadem Vrbe dumtaxat perpetuò valitura conſtitutione duximus providendum.

*Conjuges temerè ſe à communi cohabitatione, & conjugali toro ſeparantes arbitrio Iudicis puniantur.*

§. 2. Primum igitur cum matrimonium individuam vitæ conſuetudinem continere debeat, idque non ſolum naturali jure, ſed etiam divino manifeſtius comprobetur, dum dicitur: Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; & Chriſtus Dominus noſter in Evangelio ſubjungat: Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro, quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ac denique teſtetur Apoſtolus, Sacramentum hoc magnum eſſe in Chriſto, & in Eccleſia. Et propterea nefas ſit conjuges fideles ſe propria voluntate, aut arbitrio à conjugali toro ſeparare, niſi ex cauſa à ſacris canonibus permiſſa, & auctoritate ac judicio Eccleſiæ cognita & probata. Idcirco ne quis in poſterum hujuſmodi facinus impunè committat, vel attentare audeat, Apoſt. auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, ut conjuges, qui, quævæ indiſſolubilem matrimonii nexum divina lege copulatum contemnentes, ſine Eccleſiæ judicio, ſeu Eccleſiaſtici judicis ſententia, propria temeritate à communi cohabitatione diſceſſerint, aut ſe à conjugali toro ſeparare præſumpſerint, arbitrio iudicum pro exceſſuum gravitate puniantur.

*Maritus judicis auctoritate tori ſeparationem obtinens, & deinde impudicam vitam ducens, ita ut appareat, quod ſeparationem affectavit, ut luxurioſe viveret, pœnâ ultimi ſupplicii plectatur.*

§. 3. Sed & ſi per ſententiam judicis Eccleſiaſtici ſeparatio facta fuerit, ne ipſi conjuges ſacrorum canonum, & publica judicum auctoritate abutentes, delinquendi & adulteria committendi occaſionem ſumant, ſtatuimus & decernimus, maritum qui dolo aut fraude, ſive alia quavis occaſione vel cauſa etiam ſecundum iuris Canonici diſpoſitionem, ſeparationem tori ab uxore ſua affectaverit, procuraverit, & obtinuerit, ſeque à cohabitatione uxoris cum effectu ſeparaverit, ac poſt à ſe abjectam vel amotam uxorem, pellicem vel concubinam palam induxerit & retinuerit, aut cum ſcortis & meretricibus, & aliis mulieribus impuram vitam duxerit, adeoque impudenter ſe volutaverit in cœno luxuriæ, & adulterii, ut vel ex eo ſatis conſtet ipſum ad exercendam liberiùs libidinem ſuam ſe ab honeſtiſſimo matrimonii jugo exſolven-

di cauſam de induſtria quæſiviſſe, pœna ultimi ſupplicii plectendum eſſe.

*Vxorque ſeparationem obtinuerit, impudiceque poſtea vixerit, & cum plura adulteria commiſerit, aut palam quæſtum fecerit, eandem pœnã incurrat.*

§.4. Similiter uxorem, quæ inſtante aliquo pacis & pudicitiæ hoſte, ſub prætextu morum, ſævitiæ, furoris, vel inſaniæ, impotentiæ coëundi, maleficii, aut alterius canonici impedimenti vel alicujus delicti marito ſuo objecti, aut alias quoquo modo ſuſcitatis contra maritum diſcordiis ac diſſidiis, etiam ad id via juris procedendo ſubterfugium obedientiæ maritalis improbè exquiſierit, & frænũ ac jugum viri ſui excutere, ſeque ab illo eximere procuraverit, aut certe culpa ſua marito petendæ ſeparationis cauſam præbuerit, & poſtea quã à connubiali toro judicio Eccleſiæ ſeparata extiterit, quaſi auctoritate legum & judiciorum ſuæ luxuriæ explendæ occaſionem nacta, ſe ſcandaloſæ & impudicæ vitæ dederit, & cõplura, ac cum diverſis perſonis adulteria perpetraverit, aut ſe in prædam adulterorum turpiter commaculandam publicè expoſuerit, ſive palam quæſtum fecerit, eadem pœna ultimi ſupplicii puniri volumus.

*Vxor quæ ex aliquo loco per Iudicem ſibi aſſignato aufugerit, & impudicè vixerit, eadem pœna capitis puniatur.*

§.5. Quod ſi pendentibus hujuſmodi litibus & controverſiis ſuper ſeparatione vel divortio, aut ſubſecuta, vel præmittatur tori ſeparatione, uxor ipſa arbitrio Judicis, ad quẽ ſpectaverit, in Monaſterio aliquo Monialium, aut certè in aliquo tuto, & honeſto loco, ſive apud aliquas probas, honeſtas, & non ſuſpectas perſonas depoſita, & collocata fuerit (ſuper quo etiam, ut id magna adhibita cautione, & ſine aliquo periculo aut ſuſpicione circumſpecte fiat, Judicis ipſius conſcientiam oneramus) ſtatuimus ut ipſa uxor ſic depoſita & collocata, ſi è Monaſterio ſine licentia ſui judicis, violata clauſula exiverit, ſive à cuſtodia & cura, vel alio honeſto loco ſibi per judicem aſſignato, temerario auſu aufugerit, & vitam impudicam & inhoneſtam duxerit, eadem etiam pœna plectatur.

*Ad hoc vide bullam Pauli III. ſup.*

*Qui ut virginem vel coniugatam cognoſceret, patrem, aut matrem, vel tutorem, &c. carceribus ſ[illegible], illamque ſtupraverit, vel adulteraverit, eadem pœna plectatur.*

§.6. Præterea eum, qui Virginem aliquam, aut alienam uxorem ſtupro, ſive adulterio corrumpat, aut polluat, ejus patrem, aut matrem, fratrem, ſive ſororem, aut maritum aliamve perſonam, ſub cujus cura, tutela, cuſtodia vel poteſtate illa exiſtit, prætextu cujuſvis cauſæ civilis, criminalis, aut mixtæ, etiam ad procuratoris Fiſci inſtantiam in carcerem detrudi, directè vel indirecte procuraverit, & ea occaſione deinde virginem illam, ſive uxorem alienã ſtupraverit, aut adulteraverit, cũ & is quoque ſuæ pravæ concupiſcentiæ explendæ cauſa, publica legum & Magiſtratuum poteſtate impudenter abutatur, & ſub colore judicii, innocentes atque incautos opprimat, dicta quoque pœna ſtatuimus puniendum.

*Parentes, aut mariti ſuas filias, vel uxores ad palam luxurioſe vivendum inducẽtes, eadem pœna puniãtur.*

§.7. Ac poſtremò etiam in patrem, matrem, aut virum, qui quæve ſuæ filiæ virginis pudorem, aut propriá uxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipſa proſtituerit, aut induxerit, ut contra jus & fas ſtupra & adulteria, quæſtus aut alia quavis cauſa palam exerceat, pœna eadem volumus animadverti.

*Contra alios Adulteros, Lenones, &c. antiqua iura ſerventur.*

§.8. Antiquis tamen juribus contra cæteros adulteros & adulteras, lenones & lenas, ac ſtupra & hujuſmodi facinora perpetrantes promulgatis, alias in ſuo robore permanſuris.

*Coniugata palam impudica viventes reſipiſcant, alioquin pœnas prædictas incurrunt.*

§.9. Cæterum quemadmodum hac noſtra conſtitutione id nobis propoſitum eſt, ut ſi quos homines in poſterum honeſtatis, ac divinæ legis interdum oblivio cœperit, eos ſaltem ſupplicii metus à flagitiis ſceleribuſque deterreat; ita hodie tales nullos eſſe vehemẽter optamus. Quod ſi quæ forte ſint conjugatæ, quæ palam impudice ac turpiter vivant, iis novem dumtaxat dierum ſpatium, poſt hujus conſtitutionis publicationem ad reſipiſcendum damus, intra quod tempus, ſi velint redire ad cor, venerabilem fratrem noſtrum Iacobum Epiſcopum Portuenſem, Cardinalem Sabellum, noſtrum in prædicta Vrbe Vicarium, aut ejus Viceſgerentem adire debeãt, eiſque polliceri ſe deinceps pudicam vitam acturas, & aut cum ſuis viris cohabitaturas, aut honeſto in loco, ubi ab ipſis judicibus, ut ſupra dictum eſt, collocatæ ſeu depoſitæ fuerint, permanſuras. Quo termino elapſo, contra ſic ut ſupra delinquentes, ad pœnas prædictas omnino procedi mandamus.

*Decretum irritans.*

§.10. Decernentes ſic per quoſcumque judicari debere, irritumque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.11. Et nihilominus [illegible] & ſingulis dictæ Vrbis judicibus [illegible] pro tempore exiſtẽtibus quibus contra reos talium criminum, aut quoad cauſas hujuſmodi iuriſdictio competit, vel in futurum competet, ut curent præmiſſa omnia iuxta præſentium literarũ continentiam & tenorem firmiter & inviolate perpetuis futuris temporibus obſervari, & contra criminoſos, ac delinquentes prædictos utriuſque ſexus inquirãt & procedant, ac in eos iuxta præmiſſa culpabiles repertos prædictis pœnis, ut ſupra diſpoſitum eſt, animadvertant, contumaces, rebelles & inobedientes, eiſque auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes, per opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ac adhibito, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.12. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. dictæ Vrbis ſtatutis, reformationibus & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. Populo Rom. vel Curialibus, aut aliis perſonis, etiam Motu proprio & conſiſtorialiter, ſeu alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, & quibuſlibet aliis indulgentiis, generalibus vel ſpecialibus, quotumcumque tenorũ exiſtant, per quæ præſentibus nõ expreſſa & totaliter non inſerta, effectus earũ impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumque totis tenoribus habenda eſſet in eiſdem noſtris literis mentio ſpecialis. Quæ omnia nemini volumus adverſus præmiſſa, in aliquo ſuffragari, atque illis ad effectum earundem præſentium dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

§.13. Quodque eædem præſentes ad valvas Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, ac in acie Campi Floræ de more publicentur, affixis & dimiſſis inibi earum exemplis, quodque poſt decem dies ab hujuſmodi publicatione numerandos, ſtatim incipiant unumquemque arctare, perinde ac ſi perſonaliter omnibus intimatæ forent, cum non ſit veriſimile à quoquam id ignorari, quod tam patenter cunctis fuerit intimatum.

§.14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatutorum, ordinationis, onerationis, decretorum, mandati, derogationis & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſt. ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 3. Kal. Novembris, Pontific. noſtri anno 2.

*Anno à Nativitate D. 1586. Indict. 14. die verò 3. menſis Novembris, Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Sixti divina providentia Papa V. anno 2. retroſcripta literæ Apoſtolica lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa in portis ſeu valvis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancell. Apoſt. per nos Ioannem Burlurault, & Octavium Taglietum S. D. N. Papæ Curſ. necnon in acie Campi Floræ, per eoſdem Curſores.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

XI

Iuriſdictio Iudicis cauſarum beneficialis confidentiæ & ſimoniæ, & cum eis connexitatem habentium in Romana Curia movendarum, aut per appellationem à Iudicibus extra Curiam introducendarum.

*De huiuſmodi materiis attende extravag. 2.* Cum deteſtabile, *Pauli. II. de Simon. & conſt.* 85. *Pii IV.* Romanum, *ſup. tom. 2. atque Pii V. conſt.* 85. Intolerabilis, *tom. 2. cum ibi notatis, & etiam hic inf. conſt.* 61. Paſtoralis, *ubi conſtitutiones dicto-*

*rum*

*rum Pii IV. & Pii V. [illegible] ad Regnum Galliæ.*

*SIXTVS EPISCOPVS Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Divina Dei providentia, quæ cunctorum fidelium cœtum per diverſa tribunalia ſtatuit in rectitudine gubernandum, in ſupremo juſtitiæ throno, meritis licet imparibus conſtituti, nunc in muneribus & officiis ad ipſius juſtitiæ cultum inſtituendis, nunc pro perſonis idoneis ad illa aſſumendis, & condignis titulis decorandis, aciem noſtræ mentis ſedulò cõnvertimus, & quæ ad officiorum & perſonatum hujuſmodi ſtabiliendam juriſdictionem, ſalubremque directionem pertinere noſcuntur, ne propter varios diverſorum Judicum & Tribunalium concurſus, & varias procedendi formas deſuper dubitari contingat, ex paſtoralis noſtri officii debito cõſtituimus, ac in his ejuſdem officii noſtri partes favorabiliter impartimur, prout rerum & cauſarum circumſtantiis debitè penſatis, conſpicimus in Dño ſalubriter expedire.

§. 1. Cum itaque alias fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter omnium cauſarum confidentialium pro tempore movendarum cognitionem & deciſionem, ac literarum Apoſtolicarum à Piæ mem. Pio IV. etiam prædeceſſore noſtro ſuper hujuſmodi confidentiis emanatarum executionem ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſervaverit, & poſtmodùm ob varias & continuas pro tempore exiſten. Rom. Pontific. in graviſſimis & arduiſſimis totius Reipublicæ Chriſtianæ negotiis occupationes cauſæ ipſæ in Rom. Cur. pro tempore motæ & introductæ per particularem Iudicem, ex delegatione Apoſtolicâ audiri, decidi, & cognoſci conſueverint, ipſe autem Iudex nedum ſolo Rom. Pontificis nutu amovibilis, ſed etiam ſibi contra ordinarios collatores, Epiſcopos, & alios ſuperiores Prælatos hac confidentiali labe pleruimque infectos, procedendi facultas præcluſa exiſtat, qui etiam in hujuſmodi cauſarum proſecutione utplurimùm delegantur, diverſæ ſimoniacæ pravitates, & aliæ illicitæ pactiones, quæ licet ex iſtis confidentiis reſultent, ſeu illis mixtæ & conjunctæ ſint, tamen à nonnullis prætenditur eas ſub facultatibus præfato Iudici conceſſis minimè comprehendi, nec in illis ab ipſo ſine ſpeciali Sedis Apoſt. reſcripto poſſe procedi. Vnde fit ut modò ipſius Iudicis mutatione, quæ interdum contingit, nunc facultatum ſuarum anguſtia, ac etiam delinquentium cavillationibus & ſubterfugiis ejuſdem Iudicis auctoritas ſæpius illudatur, ac ea quæ ad purgandam hac contagione Dei Eccleſiam à dictis prædeceſſoribus ſapientiſſimè ſunt ſancita, utplurimùm debito effectu careant, in animarum perniciem, & ſcandalum plurimorum.

§. 2. Nos hujuſmodi incommodis pro noſtri paſtoralis officii debito obviare cupientes, operæpretium fore duximus præfati Iudicis perſonam ſpeciali titulo, denominatione, illiuſque juriſdictionem ampliare, ut in tribunali ſuo, tum judicia, tum cætera ad id munus pertinentia perpetuò ſtabiliantur, ac ad certum debitumque finem ordinentur, necnon literarum & conſtitutionum Pii Quarti & Pii Quinti prædeceſſorum hujuſmodi, ac præfatorum, aliorumque privilegiorum, indultorum, gratiarum, & facultatum pro tempore exiſtenti Iudici cauſarum confidentialium hujuſmodi conceſſarum, ac ſententiarũ deſuper forſan latarum, & inde ſecutorum quorũcumque tenores, necnõ litium & cauſarũ hujuſmodi ſtatus & merita, nomina & cognomina collitigantium præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione & certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, unum officium Auditoriatus generalis quarumcumque confidentialium, etiam ſimoniacam pravitatem, & quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium, ſeu connexitatem aliquam cum confidentia habentium, rerumque omnium inde reſultãtium, pro uno generali illarum Auditore, qui omnium & ſingularum cauſarum hujuſmodi ordinarius Iudex exiſtat, & officium ipſum ad ejus vitam obtinere, illudque in noſtris & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis manibus quandocumque reſignare licitè poſſit, adinſtar aliorum Romanæ Curiæ & dictæ Sedis officiorum vacabilium & reſignabilium, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus.

§. 3. Illique ſic erecto & inſtituto pro illius dote decimam partem omnium & ſingulorum fructuum, reddituum, & proventuum, jurium, obventionum, ac etiam diſtributionum quotidianarum, etiam ſolis præſentibus & divinis officiis intereſſentibus dari, & per eos percipi ſolitarum, & aliorum quorumcumque emolumentorum, ac etiam penſionum annuarum, cum interventu confidentiæ, vel alias ſimoniaca aut alia illicita pactione interveniente, ſeu quæ commiſſis confidentiis aliquam dependentiam vel connexitatem habeat, indebitè perceptorum, ad quorum reſtitutionem quoſcumque per ipſius Auditoris ſententiam condemnari, etiamſi poſtmodum per alios Iudices cauſam fortaſſe revideri, & dictam ſententiam cõfirmari ſeu reformari, ac etiam ſuper quibus poſt litem deſuper in officio hujuſmodi intentatam, quomodolibet componi, vel aliàs concordari contigerit. Necnon omnia & ſingula alia jura, ſalaria, regalia, & emolumenta quæcumque, ordinaria & extraordinaria, undecumque & quomodocumque provenĩetia, etiam ſportulas, vel aliàs quocumque nomine nuncupata, quæ Iudices cauſarum confidentialium hujuſmodi in dicta Curia pro tempore deputati quomódolibet, & quocumque titulo vel cauſa habere, conſequi, lucrari, & percipere conſueverunt, ſeu etiã potuerint ac debuerint, cujuſcumque qualitatis, quantitatis & valoris fuerint auctoritate & tenore præſentis, etiam perpetuò applicamus & appropriamus. *[margin: Emolumentorum & reddituum aſſignatio.]*

§. 4. Necnon quod de cætero pro tempore exiſtens Auditor prædictus, ſtatim à die conceſſionis ſibi de hujuſmodi Auditoriatus officio dicta auctoritate factæ, ſit & eſſe cenſeatur noſter & pro tempore exiſten. Rom. Pont. verus, indubitatus, & non fictus familiaris, continuus commenſalis & Prælatus domeſticus, ac dictæ Sedis notarius, aliorumque familiarium continuorum commenſalium, nobis & dicto Rom. Pontificis Palatio Apoſt. ſervientium, ac Prælatorum domeſticorum, & ejuſdem Sedis Notariorum numero & conſortio favorabili aggregatus, ac pro vero, indubitato, & non ficto noſtro & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. familiari, continuo commenſali, & Prælato domeſtico, Sediſque hujuſmodi notario haberi & reputari debeat, habituque & inſigniis dictorum Prælatorum & Notariorum per quamcumque perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam, quam ad hoc duxerit eligendam ſibi, recepto priùs ab eo fidelitatis & obedientiæ ſolito juramento, exhibendis, conferendis, omnibuſque & ſingulis ac prorſus ſimilibus privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, prærogativis, favoribus, Indultis, conceſſionibus & gratiis, tam ſpecialibus quàm temporalibus, quibus cæteri noſtri & pro tempore exiſten. Rom. Pont. veri, indubitati, & non ficti familiares, continui commenſales, ac Prælati domeſtici, dictæque Sedis Notarii, etiam de numero participantium exiſtentes, etiamſi habitum & rochetum notariorum Sedis hujuſmodi non deferat, de jure, ſtatuto, uſu, conſuetudine, vel aliquo etiam ſpeciali privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſint, & poterunt quomodolibet in futurum, in judicio & extra, ubique locorum, abſque aliqua prorſus differentia, non ſolum ad illorum inſtar, ſed pariformiter & æquè principaliter in omnibus & per omnia, perinde ac ſi eidem Auditori pro tempore exiſtenti ſpecialiter & expreſſe per præſentes conceſſa fuiſſent, ſine tamen ipſorum Prælatorum domeſticorum & notariorum de numero participantium præjudicio, uti potiri, & gaudere liberè & licitè poſſit, & valeat. *[margin: Privilegiorũ omnium quæ veri familiares Pontificis, continuique commenſales Prælati domeſtici, Sediſque Apoſt. Notarii habent, conceſſio.]*

§. 5. Ipſeque Auditor pro tempore exiſtens omnes & ſingulas dictarum confidentiarum & ſimoniacam pravitatem, vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, ſeu aliquam dependentiam, vel connexitatem habentium, rerumque omnium inde reſultantium cauſas hujuſmodi in eadem Curia quomodocumque & qualitercumque, ac alias quaſcumque perſonas, etiam Cardinalatus honore, ac Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſco- *[margin: Iuriſdictionis cognoſcendi quaſcumque cauſas confidentiales, &c. conceſſio.]*

peli

pali dignitatibus fulgentes, etiam per viam inquiſitionis, aut ex officio, ſeu Apoſt. delegatione, vel alias quomodolibet motas & movendas, ac etiam quæ per viam appellationis à ſententiis definitivis, vel interlocutoriis vim definitivæ habentibus, per quoſcumque Iudices ordinarios vel delegatos, ac etiam dictæ Sedis Legatos vel Nuntios pro tempore latis, & promulgatis, ad Sedem præfatam pro tempore interpoſitæ, ſeu reclamationis judicialis, aut nullitatis ad Sedem eandem hactenus devolutæ ſunt, vel in poſterum devolventur, ita ut cauſæ appellationum hujuſmodi per eum ſolum cognoſci, nec alteri, niſi per commiſſionem in Signatura Gratiæ, vocato ipſo Auditore propoſitam, & manu noſtra ſignatam, committi poſſit, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola veritate inſpecta, etiam manu regia, ac terminis ſubſtantialibus, qui de ſtylo ſeu ordinatione Palatii Apoſt. obſervari conſueverũt, penitus omiſſis, ac etiam quibuſvis appellationibus, nullitatibus, & aliis diffugiis prorſus ſemotis procedendo, unà cum omnibus & ſingulis earum inciden. dependen. emergen. annexis & connexis, ac etiam toto negotio principali audien. cognoſcen. deciden. fineque debito terminan. etiã ſingulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis; necnon ſuper omnibus & ſingulis confidentiis, etiam aliquam dependentiam, vel connexitatem cum ſimoniaca, vel alia illicita pactione habentibus, ſeu mixtis hujuſmodi, rebuſque omnibus inde reſultantibus, tam ad procuratoris fiſcalis denuntiationem & promotionẽ, quàm etiam partium accuſationem, ſeu ex mero officio inquirendi, omneſque & ſingulas hujuſmodi confidentialem & ſimoniacam pravitatem, vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, ſeu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque inde reſultantium cauſam coram quibuſvis Iudicibus, etiam Palatii Apoſt. cauſarum Auditoribus, inter quaſcumque perſonas motas & movendas, ad ſe, & ſuum tribunal avocandi, ac omnes & ſingulos dictarum confidentiarum auctores, machinatores, conſcios, complices, & alios quos opus fuerit, ac ſua quomodolibet intereſſe putantes, etiam per edictum publicum, ſi ad eos tutus non pateat acceſſus, citandi, & conſtito ſibi quantum ſufficere videbitur de judiciis, ad perſonaliter vel alias legitime comparendum, ſub excõmunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ac privationis omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa & alia quæcumque in poſterum obtinenda, necnon pecuniariis, aliiſque ejus arbitrio, etiam juxta demeritorum exigentiã corporis afflictivis pœnis monẽdi, eiſque ac quibuſvis judicibus, tã ordinariis quàm commiſſariis, etiam quacumque auctoritate fungentibus & functuris, ſub ſimilibus ſententiis, cenſuris, & pœnis, tam in dicta Curia quã extra eam ubilibet inhibendi, detinentes quoſcũque libros, ſcripturas, computa, inſtrumenta, & alia documenta publica vel privata dictarum confidentiarum, cauſas etiã ut præfertur mixtas quomodolibet concernẽtia ad illa exhibenda, necnon quoſlibet teſtes ad ſe examini ſubjiciendum, ac veritatis teſtimonium perhibendum, etiam ex officio vel alias prout ſibi videbitur, per ſimiles cenſuras & pœnas cogendi & compellendi, eoſque, necnon contradictores quoſlibet & rebelles, ſententias, cenſuras, & pœnas etiam privationis hujuſmodi incidiſſe, ſervata forma Concil. Trid. declarandi, auxiliũque brachii ſæcularis invocandi, necnon unum Locumtenentem in hujuſmodi cauſis, cum ſimili vel limitata poteſtate, quoties ſibi videbitur conſtituendi & deputandi, eumque revocandi, ac alium ejus loco ſubrogandi, necnon literas ſeu cõſtitutiones Pii IV. & Pii V. prædeceſſorum hujuſmodi ſuper dictis confidẽtiis editas, ac omnes & ſingulas ſententias in dictis cauſis confidentiarum, tam hactenus per illarum Iudices qui pro tempore fuerint latas, quàm in poſterum per futurũ Auditorem hujuſmodi, ejuſque ſucceſſores ac Locumtenentes ferendas, via executiva, nulla tela judiciaria ſervata, & quacumque appellatione remota, ac alias juxta literarum ſeu conſtitutionum præfatarum, ac etiam facultatum dictis judicibus, per Nos & prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſarum formam, continentiam & tenorem, plenariè & totaliter exequendi, & executioni demandandi, mandataque executiva & alia quomodolibet neceſſaria & opportuna decernendi, & relaxandi, ac generaliter omnia & ſingula alia, quæ in præmiſſis omnibus & ſingulis quomodolibet neceſſaria & opportuna fuerint, facien. dicen. gerenden. exercen. mandan. decernen. ſtatuen. ordinan. & exequendi plenam, liberam & omnimodam facultatem, poteſtatem & auctoritatem habeat & habere debeat.

*Notari[...] offici[...] dit[...] ſcin[...] ſſum[...] catio[...] ceſſio.* §. 5. Et quod officium notariatus earundem cauſarum de cætero perpetuis futuris temporibus, ad meram & liberam pro tempore exiſten. Auditoris prædicti diſpoſitionem ſpectet & pertineat; ipſeque pro tempore exiſtens Auditor officium notariatus hujuſmodi, quod dilectus filius Proſper Vacca ad hoc à nobis deputatus ad præſens exercet, cum primum per ceſſum vel deceſſum, aut privationem vel amotionem dicti Proſperi, aut cujuſvis alterius qui illud pro tempore quomodolibet obtinebit, aut alias quovis modo vacaverit, quibuſvis perſonis, de quibus ſibi videbitur, per ſuas patentes literas ſigillo officii ſui Auditoriatus gratis vel pro pretio repetibili concedere & aſſignare, ac ſoluta ſibi ſolita compoſitione reſignationis de dicto officio notariatus pro tempore facien. necnon perſonam cui officium ipſum notariatus pro tempore conceſſerit & aſſignaverit, ad illud, illiuſque liberũ exercitium, abſque alia noſtra & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. conceſſione & aſſignatione, recipere & admittere, ac per eos ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, recipi & admitti, ac illi de ſolitis & conſuetis juribus & emolumentis reſponderi facere, liberè & licitè valeat, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

*Auditori[...] officii, in p[...] ſonam Al[...] xandri C[...] talani R[...] utriuſqu[...] Signat. R[...] rendarii[...] prædicti[...] riſdictio[...] emolum[...] & privil. collatio.* §. 6. Inſuper de dilecti filii magiſtri Alexandri Catalani Clerici Rom. I.V. D. ac literarum Apoſtolicarum majoris præſidentiæ Abbreviatoris, & in utraque Signatura noſtra Referendarii, fide, integritate, probitate & doctrina nobis præcipue in judicio exercendo & obeundo cognita atque perſpecta, ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes, ipſumque Alexan. à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, eidem Alexandro officium Auditoratus generalis cauſarum confidentialium, vel alias ut præfertur mixtarum, à primæva ejus electione vacans hujuſmodi, per eum quoad vixerit adinſtar aliorum officiorum Curiæ & Sedis prædictarum tenendum, regendum & gubernandum, cum decima parte fructuum, redditaum, proventuum, jurium, obventionum, diſtributionum, & aliorum emolumentorum, ac penſionum indebitè perceptorum & percipiendorum hujuſmodi, & aliis illi annexis, necnon omnibus & ſingulis juribus, regalibus, vocalibus, ſportulis, taxis, proventibus, obventionibus, honoribus, emolumentis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, prærogativis, juriſdictionibus, favoribus, gratiis, indultis, ad de d. officio Notariatus diſponendi, & illius reſignationes admittendi, cæteriſque facultatibus ſupradictis, auctoritate & tenore ſimilibus cõcedimus & aſſignamus, ipſumque Alexandrum ad officiũ Auditoriatus cauſarũ confidentialium hujuſmodi, illiuſque liberum exercitiũ, necnon decimam fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, diſtributionum, emolumentorum, & penſionum hujuſmodi partem, ac jura regalia, ſportulas, taxas, proventus, obventiones, honores, privilegia, facultates, cæteraque omnia & ſingula ſupradicta, ex nunc recipimus & admittimus, ac per eos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, recipi & admitti, receptumque & admiſſum in eis quoad vixerit manuteneri, ſibique de eiſdẽ integrè reſponderi debere volumus & mandamus, &c.

*Clauſula præſervativa.* §. 7. Ac eaſdem præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod intereſſe forſan habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quavis alia cauſa, quantumvis legitima & juridica, etiam

neceſſariè

experimenda [illegible], impugnari, invalidari ad terminos juris reduci, in jus vel controverſiã revocari, aut adverſus illas quodcumque juris & facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, minuſque ſub quibuſvis illarum aut ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & eum, in quo antea quomodolibet erãt ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè, etiam ſub quacumque data, per Alexandrum ejuſque ſucceſſores præfatos eligenda reintegratas & de novo conceſſas, validaſque & efficaces fore & eſſe, vimque validi & efficacis contractus inter nos & Cameram ex una, & Alexan. ejuſque ſucceſſores præfatos ex altera partibus, ritè & rectè initi & ſtipulati, ac etiam utrinque jurati habere, & perpetuò obtinere, dictamque Cameram ad Alexan. & ejus ſucceſſores præfatos, in juribus & aliis præfatis tenendos, & ab omni incommodo, damno, læſione, lite, cauſa & controverſia immunes, indemnes, & exemptos conſervandos teneri & obligatos eſſe ac fore.

[illegible] §.8. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Card. ſublata eis & eorũ cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.9. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Amerin. & Marturanen. Epiſcopis, ad dilecto filio cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. generali Auditori Motu ſimili per Apoſt. ſcripta mandamus quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Alexan. & ejus in officio Auditoriatus hujuſmodi ſucceſſorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ac Alexandrum & ſucceſſores præfatos illis pacificè frui & gaudere, non permittentes ipſos, ſeu eorum quempiam, per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus, fuerit, auxilio brachii ſæcularis. [illegible]

[illegible] §.10. Non obſtantibus præmiſſis, & de certo nominatorum prædictorum numero, necnon quatenus opus ſit, rec. mem. Symmachi & Innoc. Tertii, ac Pauli Secundi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ ſeu Cameræ & Sedis prædictarum non alienan. aliiſque Apoſt. ac in provincialibus, ſynodalibus, & generalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, dictæque Cancell. regulis editis & edendis, etiam de gratiis ad inſtar non concedendis, eiuſque dictæ Cameræ, ac earum officiorũ & collegiorum, necnõ Vrbis Romæ, illiuſque Tribunalium & Curiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ſtylis, uſibus, naturis, ſtabilimentis, & etiam novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, & literis Apoſt. illis necnon ordinariis judicibus & perſonis ſupradictis, & quibuſvis aliis, etiam per modum ſtatuti perpetui, initi & ſtipulati contractus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere, vel ſpecie per quoſcumque Rõ. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus, omnibus etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus cõtrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.11. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiã impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo pro tempore exiſtentis Auditoris cauſarũ confidentialium hujuſmodi, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio & extra ubique plena & indubia, eademque prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum, & ſanctio pœnalis.*

Nulli ergo, &c.

Dat. Rom. apud S. Petr. Anno Incarn. Dominicæ 1586. 3. Kal. Novemb. Pont. noſtri Anno 2. *D. An. 1. Nov.*

*Die 7. menſis Ianuarii 1587. præſentes literæ in Cam. Apoſt. præſente, & per Reverendiſſimum Faventinum dictæ Cameræ Clericum, & Iudicem ex decreto ipſius Cameræ ſpecialiter deputatum, citato prius R.P.D. Geoffredo Lomellino eiuſdem Cameræ Commiſſario generali, admiſſæ & in libris Cameræ regiſtratæ fuerunt.* *Admiſſio & regiſtratio in Cam. Apoſt.*

---

## Montis Alti Oppidi in Provincia Marchiæ, in Civitatem ſublimatio; ejuſque Collegiatæ Eccleſiæ in Cathedralem & Epiſcopalem erectio. XLVIII.

*Pro huius Civitatis, aliorumque locorum dictæ Provinciæ Scholaribus. Collegium in Civitate Bononiæ inſtituit idem Pont. ut infrà in eius conſt.* 89. Inter.

*SIXTVS PAPA QVINTVS, Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1586.*

SUper univerſas Orbis Eccleſias, eo diſponente qui cũctis imperat, & cui omnia obediũt, meritis licet inſufficientibus conſtituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos noſtræ mentis more pervigilis paſtoris inſpecturi, quid Eccleſiarum ipſarũ præſertim Cathedralium ſtatui & decori congruat, & quid operis circa illas earumque ſtatum proſperum & felicem impendi debeat, & divino fulti præſidio, quo cuncta & æqua benignitate pro populorum ſuorum fidelium ſalute diſponantur, ad ea quæ ſtatui Eccleſiarum hujuſmodi congruunt, noſtri officii partes ſalubriter & viriliter intendere curamus; prout in Domino conſpicimus expedire. *Cauſa huius creationis*

§.1. Sane cupientes Terram montis Alti Ripanæ diœceſis, quæ felicem noſtris dedit ortum natalibus, ut in celeberrimo & eminenti loco ſita & muris undique cincta eſt, & in qua ſæcularis, & Collegiata Eccleſia S. Mariæ ad Collem eleganter conſtructa, & duas dignitates, & decẽ Canonicatus & totidem præbendas, ac Sacriſtiã, aliaque ad cultum divinum neceſſaria habens, & duæ aliæ Eccleſiæ, una ſcilicet S. Georgii & S. Petri, & alia Oratorium nuncupata S. Nicolai, in qua Confraternitas ſub invocatione Sanctiſſimi Sacramenti canonicè inſtituta reperitur, necnon domus circiter trecentæ nobiliter ædificatæ, ac plateæ lateribus ſtratæ exiſtunt, ac ſingula quæque quarta feria cujuſlibet Hebdomadæ emporium, ad quod ex omnibus locis circumvicinis fit magnus concurſus, celebratur, & ex qua denique viri, & in Theologia, ac Iure, & Medicina aliiſque ſcientiis excellentes prodierunt, ac ſæcularem ac Collegiatam Eccleſiam hujuſmodi dignioribus titulis & nominibus decorare, habita ſuper his cum fratribus noſtris matura deliberatione, & de illorum conſilio, ad omnipotentis *Montis alti Oppidi, in multis commendatio, & ſeparatio Montis Alti, &c. à diœceſi Aſculana, Firmana, & Ripana.*

Dei

Dei laudem & gloriam, ac ejuſdem Beatæ Mariæ honorem, ac Chriſti fidelium devotionis augmentum, prædictam Montis Alti & Perculæ, ac Patrignonis, necnon Montis de Noven. & Rotellæ ac Furciæ à dicta Ripan. necnon Montis Elpari, Communatiæ, ac Montis Monachi à Firmano, & denique Caſtagnoni Terra, ſeu loca aut Caſtra eorumque omnium Territoria ab Aſculana diœceſ. quibus in ſpiritualibus ſubjectæ ſunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò ſeparamus, & diſmembramus, illaque & eorum incolas, & habitatores, Eccleſiarum Rectores, Beneficiatos, Priores, & alia inibi beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, ac Monaſteria & domos fratrum, aliaque pia loca ab omni juriſdictione, poteſtate, & ſubjectione venerabilium fratrum noſtrorum Ripan. Firman. & Aſculan. Epiſcoporum, nunc & pro tempore exiſtentium, necnon ſolutione decimarum eiſdem Epiſcopis per eas debitarum, ac de cætero facien. perpetuò eximimus & liberamus.

*Erectio in Civitatem & Epiſcopatum.*

§. 2. Necnon Terram Montis Alti in Civitatem, & ſæcularem Collegiatam Eccleſiam hujuſmodi, in Cathedralem ſub invocatione eadem ejuſdem B. Mariæ Virgini pro uno Epiſcopo Montis Alti nuncupando, qui juriſdictionem Epiſcopalem habeat, & exerceat in ſpiritualibus, cum menſa Epiſcopali, arca ſigillo, aliiſque inſignibus, honoribus, & privilegiis, quibus alii Epiſcopi de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet in eiſdem ſpiritualibus, utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, de ſimili conſilio, auctoritate & tenore præmiſſis erigimus, & inſtituimus. Ac Civitatem & Cathedralem Eccleſiam, ſic erectas, & inſtitutas necnon Epiſcopum Montis Alti pro tempore exiſtentem, ac ipſius Eccleſiæ Montis Alti capitulum, Sedi Apoſt. immediatè ſubjicimus, & ſub protectione BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ſubjicimus.

*Dotis pro Epiſcopo aſſignatio.*

§. 3. Eidemque Eccleſiæ ſic in Cathedralem inſtitutæ pro ſua, ſeu menſæ ſuæ Epiſcopalis dotem, Monaſterium B. Mariæ de Sancto Ordine S. Benedicti dictæ Aſculan. diœceſ. certo quem haberi volumus pro expreſſo modo vacan. ſimiliter perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ac Silvam ſeu Tenutam Bonettini concedimus, necnon Terras, & Territoria pro diœceſi Montis Alti, illorum verò, necnon dictæ Civitatis Montis Alti Eccleſias, perſonas pro Clero, & habitatores pro populo, etiam perpetuo aſſignamus, ut eos quoad ſuperioritatem & jura Epiſcopalia Montis Alti ſubeſſe, & tanquam membra capiti obſequentes & de juribus Epiſcopalibus reſponderi volumus.

*Decretum irritans.*

§. 4. Decernentes ex nunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog. & ſanctio pœnalis.*

§. 5. Non obſtantibus noſtris de unione committendis ad partes vocatis quorũ intereſt, ac exprimen. vero valore, & de non tollen. jure quæſito, ac Lateranen. Conc. noviſſimè celebrari uniones perpetuas, niſi caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, ac aliis cõſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. necnon Ripan. Firman. & Aſculan. Ecleſiarum, juramento, & confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, literis Apoſt. illarumque Præſulibus, Capitulis, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

*D. P. An. 2. die 14. Dec.*

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, Kalen. Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

---

## S. Severini Oppidi in Provincia Piceni in Civitatem ſublimatio, ejuſque Collegiatæ Eccleſiæ in Cathedralem & Epiſcopalem erectio. XL

SIXTVS EPISCOPUS, *Edit.*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſ. erecti...*

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia incrementum ſuſcipiunt univerſa, pro Sedis Apoſt. excellenti præeminentia, dignum arbitramur in irriguo militantis Eccleſiæ agro novas Epiſcopales Sedes, & Eccleſias plantare, ut per hujuſmodi novam plantationem, ſingulorũ Chriſti fideliũ augeatur devotio, divinus cultus effloreat, & animarum ſalus ſubſequatur, humiliaque loca dignioribus & eminentioribus titulis, ac condignis favoribus illuſtrentur, ut propagatione novæ Sedis, honorarique Præſulis aſſiſtentia & regimine, cum Apoſt. poteſtatis amplitudine, ac orthodoxæ fidei profectu & exaltatione, ipſi Chriſti fideles æternæ felicitatis præmium noſtri Redemptoris inæſtimabili charitate media valeant adipiſci.

*Opp... Sever... ...ment...*

§. 1. Sanè cum Oppidum S. Severini in Agro Piceno Camerinen. diœc. inter cætera partium illarum Oppida ſatis inſigne ac percelebre, necnon benedicente Domino habitatorum, ac incolatum multitudine refertum exiſtat, ac dilecti filii Vniverſitas & homines, pro eorum ac Oppidi hujuſmodi, necnon ejus Cleri ſingulorumque habitatorum, & incolaurm prædictorum decore, & amplitudine, ac divini cultus incremento & animarum ſalute, Oppidum ipſum Civitatis nomine, & Cathedralis Eccleſiæ honore decorari ſummopere deſiderent, iidemque Vniverſitas & homines, pro ſæcularis & Collegiatæ Eccleſiæ dicti Oppidi, in qua una dignitas, quæ inibi Principalis dignitas exiſtit, Prioratus nuncupata, ac ſex Canonicatus, & totidem præbendæ fore noſcuntur, ſi in Cathedralem Eccleſiam erigeretur, menſæ Epiſcopalis dote redditum annuum, ſeu cenſum mille ſcutorum monetæ illarum partium decem juliis pro quolibet ſcuto hujuſmodi computatis, ſuper Molendinis ejuſdem Oppidi, ad ipſos Vniverſitatem & homines legitimè ſpectantibus, aſſignare parati ſint.

*Separ... Oppidi ... diœc. C... rinen.*

§. 2. Nos pium & ſalutare Vniverſitatis & hominum propoſitum & deſiderium hujuſmodi volentes amplecti, illique favere, ac cultum divinum augere, & ſpirituali animarum profectui hujuſmodi, quem ex inde ſperamus provenire, ſalubriter promovere intendentes, ipſoſque Vniverſitatem & homines, ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, matura ſuper his cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, necnon Vniverſitate & hominibus præfatis, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantibus, de eorundem fratrum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac glorioſiſſimæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, totiuſque Curiæ cœleſtis honorẽ, ac fidei Catholicæ exaltationem, & habitatorum, ac incolarum prædictorum animarum ſalutem, Oppidum præfatum cum illius Comitatu & Territorio, necnon omnibus & ſingulis Caſtris, Villis, locis, terminis, diſtrictibus ac Clero, perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, præpoſituris, præpoſitatibus, & aliis piis locis, ac beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura, ſæcularibus & Ordinum quorumcumque regularibus, à diœceſi Camerinen. prædicta Apoſtolica auctoritate perpetuo ſeparamus & diſmembramus, ac ab omni juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, dominio & poteſtate venerabilis fratris noſtri moderni & pro tempore exiſtentis Camerinen. Epiſcopi ac dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Camerinen. eorumque Vicariorum & officialium, ac quorumcumque aliorum necnon à ſolutione quorumvis jurium, Epiſcopo & Capitulo hujuſmodi per Oppidi ac ſingulorum Caſtrorum, Villarum, locorum hujuſmodi habitatores, & incolas, ac Clerum,

perſonas,

[illegible] Monaſteria [illegible] alia beneficia [illegible] di, ratione [illegible] ionis, & ſuperioritatis prædict[illegible] reſpectivè debitorum, dicta auctoritate, ac de ſimili conſilio, etiam perpetuò [illegible] & totaliter liberamus.

§. 3. Necnon Oppidum S. Severini præfatum in Civitatem S. Severini nuncupandam, ac in ea Cathedralē Eccleſiam pro uno Epiſcopo S. Severini etiam nuncupando, qui ipſi Eccleſiæ S. Severini præſideat, ac in illa & Civitate prædicta ipſique Eccleſiæ S. Severini aſſignāda diœc. omnia & ſingula, quæ ordinis & juriſdictionis, ac cujuſcumque alterius muneris Epiſcopalis ſunt exerceat, cum Sede & menſa, aliiſq; inſigniis, ac juriſdictionibus Epiſcopalibus, necnon privilegiis, immunitatibus & gratiis quibus aliæ Cathedrales Eccleſiæ, & earum Præſules de jure vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de pari conſilio, eadem auctoritate ſimiliter perpetuò erigimus & inſtituimus.

§. 4. Ac Oppidum Civitatis, & Eccleſiam Cathedralis, necnon Comitatum S. Severini hujuſmodi, ac illius Territoriū univerſam diœc. incolas verò & habitatores præfatos, civium nomine & honore decoramus, eidemque ſic erectæ Eccleſiæ S. Severini Oppidū præfatum, ut præfertur in Civitatem erectum, pro Civitate, & univerſum Comitatum ac illius Territorium hujuſmodi, cum omnibus illius Caſtris, Villis, locis & diſtrictibus per eoſdem Univerſitatē & homines ſpecificandis & ſtatuendis, pro diœc. ipſarum Civitatis, & diœceſis S. Severini Eccleſias, & habitatores pro Clero & populo cōcedimus & aſſignamus.

§. 5. Necnon dictæ Eccleſiæ S. Severini menſæ Epiſcopali pro illius dote redditum annuum, ſeu cēſum mille ſcutorum hujuſmodi per ipſos univerſitatem & homines, ut præfertur aſſignandum, ex nunc prout ex tunc & è contra, poſtquam aſſignatus fuerit, pariter perpetuò applicamus & appropriamus, ac S. Severini, aliaque ejuſdē Comitatus, & Oppidi & Comitatum ipſum, ſingulaque illius Caſtra, Villas, loca, Territorium, Clerum & populum hujuſmodi eidem Epiſcopo Sancti Severini, qui pro tempore fuerit, quoad omnem ordinariam juriſdictionem & ſuperioritatem perpetuò ſubjicimus.

§. 6. Et ut inſuper Capitulo, Clero, Civitati & Diœceſi S. Severini hujuſmodi, ipſarumque Civitatis & Diœc. incolis habitatoribus, ac eorum ſingulis, ut omnibus & etiam ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus & indultis, quibus aliarum Eccleſiarum Cathedralium Capitula, aliæque Civitates & diœc. ac eorum Clerus, incolæ, & habitatores utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, uti, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate prædicta indulgemus.

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque cōtrariis quibuſcumque Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1586. 6. Kal. Decemb. Pont. noſtri anno 2.

---

## I. De S. R. E. Cardinalium creandorum præſtantia, numero, ordine, ætate, ac qualitatibus, & de optione ſex Cathedralium Eccleſiarum, quæ Cardinalibus conferuntur.

*Quoad ordinem prædictum vide etiam ſup. conſt.* 1. *Eug. IV. Et quoad qualitates eorundem inſpice conſt.* 7. *Leon. X. necnon Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 1. *& hic inf. conſt.* 55. Religioſa. *Circa dignitatem eorum Decani extat Bulla Pauli IV. n.* 5. *ſup. Prout circa dignitatis Cardinalitiæ præſtantiam extat Bulla* 15. *Eug. IV. De prohibitione promovendi duos fratres, habemus ſanctionem* 22. *Iul. III. De Cardinalium litibus habemus conſt.* 8. *Pauli IV. Prout de earum indultis videnda eſt inf. conſt.* 58. *Pauli V.* Sanctiſſimus, *& alia ibi indicanda. Ac contra eos offendentes, edixit Pius V. conſt.* 93. Infelicis. *Et pariter contra excommunicationem [illegible] ſuper perſonis promovendis ad Cardinalatum, edixit Greg. XIV. conſt.* 5. Cogit. *Et inſuper hic Pont. declaravit quæ beneficia & Eccleſiæ vacent per promotionem ad Cardinalatum hic inf. in conſt.* 79. Sanctiſſimus. *Ac poſtremò Greg. XIV. in conſt.* 9. Sanctiſſimus, *uſum birreti rubri conceſſit Cardinalibus ex Ordinibus Regularium aſſumptis.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1586.*

POſtquam verus ille atque æternus paſtor & Epiſcopus animarum Chriſtus Dominus, ad gubernandam univerſalem Eccleſiam, quam ſuo pretioſo ſanguine acquiſivit, Apoſtolorum Principi B. Petro cœleſtis ſimul ac terræ tradidit plenitudinē poteſtatis, eique ſuas in terris vices commiſit, ſicut in Cathedra ipſius Petri ſucceſſor, & verus Chriſti Vicarius Romanus Pontifex divina præordinatione, ejuſdem ſupremæ Apoſtolicæ dignitatis faſtigium & locum in terris tenet, ita etiam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales repræſentantes perſonas Sanctorum Apoſtolorum, dum Chriſto Salvatori regnum Dei prædicanti, atque humanæ ſalutis myſterium operāti miniſtrarent, eidem Pōtifici in executione Sacerdotalis officii, & in dirigenda ipſa Eccleſia Catholica cui præeſt, cōſiliarii & coadjutores aſſiſtunt, quaſi oculi & aures ac nobiliſſimæ ſacri Capitis partes, & præcipua illius membra, à Spiritu Sancto conſtituta, qui in hac ipſa Eccleſiaſtica Hierarchia divina diſpoſitione, inſtar illius cæleſtis, cui ex altera parte reſpondet, ordinata, ad altiſſimum gradū evecti, cum ipſo Romano Pontifice communi patre ac paſtore, ad quem ex omnibus undique gentibus ac nationibus, in graviſſimis, maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, ſummi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum ſuſtineant, & pro animarum ſalute, pro fide, pro juſtitia, pro unitate aſſiduè invigilent ac laborent, qui circa ipſum univerſali Eccleſiæ ſerviendo, ſingularum Eccleſiarum cōmoditatibus ſe impendant, quorum conſilio idem Pontifex agenda diſponat, quorum opera & neceſſaria, & plurimùm fructuoſa univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ in ſecundis rebus ornamento & commodo, in dubiis præſidio & adjumento eſſe poſſit. Qui denique pro exaltatione Catholicæ Religionis, pro pace & quiete Chriſtiani populi, pro augmento & honore ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſanguinem, ſi ita res ferat, & ſpiritum conſtanter effundant.

*Pontifex eſt verus Chriſti Vicarius, & Card. Apoſtolorum perſonas repræſentant, & ſunt Pont. Conſiliarii, & Coadjutores. Et pro exaltatione Catholicæ Religionis ſanguinem & ſpiritum debent effundere. Conſonat conſt.* 15. *Eugen. IV.*

§. 1. Cum itaque ipſi veri cardines ſint & clariſſima Eccleſiæ lumina, templi Dei baſes, firmamenta & columina Chriſtianæ Reipublicæ ſingulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgari aut mediocri, ſed inſigni atque eximia virtute abundare debent, ut quam gerunt perſonam, digne & honorificè valeant ſuſtinere. Ac quemadmodum præcipuæ ſunt partes ſummi Romani Præſulis in iis aſciſcendis exquiſitam adhibere diligentiam, & accurata circumſpectione providere, ut viri optimi ac lectiſſimi aſſumantur, & vel in hoc potiſſimùm neceſſitati atque utilitati, totius Eccleſiæ ſibi commiſſæ conſulatur, ita etiam Prælati cæteræq; perſonæ Eccleſiaſticæ ad tātæ dignitatis ſublimitatē promovēdi, anteactæ vitæ laude, atque excellenti quadam rara meritorū commendatione præ cæteris fulgeant neceſſe eſt, ut hoc ampliſſimo honore digni habeantur. Siquidem eorū vita ac mores cæteris exēplo eſſe debent, verba & reſpōſa pro oraculis, monita ac præcepta ab univerſis Chriſtianis regulæ & norma rectè vivendi, recteque ſentiendi exiſtimantur, ab iis quaſi ſapientiſſimis Eccleſiæ diſciplinæ forma ſuſcipitur, quæ ad mores, vitāque cunctorum fidelium cōponendos longè lateque diffuſa propagetur. Ipſi denique verè ſunt ſal terræ ac lucernæ poſitæ ſuper candelabrum, ut inter ſanguinē & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram diſcernant, ac doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirment, diſrupta conſolident, depravata convertant, luceant,

*Pontifex igitur viros optimos & lectiſſimos Cardinales creare debet.*

*Quoad Cardinalium qualitates vide hic in rubr.*

luceant omnibus qui in domo Domini habitant, ac primæ huic Sedi aſſiſtentes cũctos paſtores, dum in gravioribus negotiis eandem Sedem conſulunt, ejuſve opem implorant, ſub judicio, conſilio & auctoritate inſtituere, dirigere ac docere non ceſſent. Cæterùm cum non ſolum ad eos ſpectet plurima & maxima momenti negotia & cauſas, quæ eis in dies committuntur, præclara fide & prudentia cognoſcere, ac Legationibus in Provinciis gubernandis, & in gravioribus rebus ſæpius ad Reges & Imperatores perfungi.

*Præſertim quia ex Collegio Cardinaliũ creandus eſt ſummus Põtifex.*

§.2. Sed cum omnium caput & ſumma eſt, ex eorum corpore, numero & Collegio ille ipſe qui cunctis paſtoribus eſt præficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus ſummus Pontifex deligatur, iidemque illum ſuis ſuffragiis creent, qui tunc demum publico bono Chriſtiani populi optimus ſine ulla dubitatione exiſtet, ſi è numero & ſuffragiis bonorum deligetur, in hac ſacra electione cenſendi ſunt veri interpretes atque internuntii voluntatis Dei, cujus ſpiritu ſicut univerſum Eccleſiæ corpus ſanctificatur & regitur, ita maxime hoc totum hujuſmodi electionis opus ejuſdem afflatu & inſtinctu abſolvi certiſſimum eſt atque omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipſo perſpici poſſit quanta in eis requiratur puritas & ſinceritas ab omni carnis affectu, privatorum commodorum cura, & factionum ſtudiis aliena, quorum pectora & voces, templa & organa futura ſint Spiritus Sancti, & ex quibus quaſi ſeminibus is ſit proditurus, in quem totius Apoſt. poteſtatis plenitudo Deo annuente meritò conferatur.

*Ideo hanc deſuper edit conſtitutionẽ, videlicet.*

§.3. Quapropter, ut tanti muneris amplitudo ea qua decet obſervantia & admiratione apud cunctos mortales honoretur, & in quos ob celſitudinem gradus, omnium oculi, omnium ora convertuntur, in eis ſummæ dignitati par claritas & ſplendor eluceat, atque in eis glorificetur Deus, honorificetur ſacerdotale miniſterium, & animæ fidelium lætificentur, certè ſacris ampliſſimi hujus honoris inſignibus ii demùm decorandi videntur, qui eximia eruditione, innocentia ac ſanctitate & omni virtutum genere à vero ſolidorum bonorum largitore Deo ſupra cæteros fuerint illuſtrati. Proinde nos poſtquam placuit divinæ bonitati imbecillitatem noſtram ad ſummi Apoſtolatus apicem vocare, inter cæteras, quas pro bono univerſalis Eccleſiæ his maximè turbulentis temporibus, dies noctesque ſuſcipimus curas & cogitationes, hanc ipſam Pontificia noſtra ſollicitudine digniſſimam judicavimus, ut ad communem ſalutem & profectum Chriſtiani populi noſtræ curæ crediti, ac ad ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ decus & ornamentum circa Cardinalium electioné atque aſſumptionem, tam à prædeceſſoribus noſtris, quàm à nobis hactenus editas ſanctiones & decreta expenderemus, in quibus licet pleraque ſalubriter ac prudenter diſpoſita & ordinata fuerint, quia tamen res humanæ facilè in deterius prolabuntur, niſi ſit qui eas aſſiduè renovet atque conſervet, eaſdem illas ſanctiones & decreta partim innovando, partim declarando, partim pro rerum & temporum exigentia ſupplendo, & in melius reformando, habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris ejuſdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorundem fratrum conſilio & unanimi conſenſu, hanc noſtram perpetuo valituram conſtitutionem duximus promulgandam, qua & noſmetipſos in re tam gravi noſtri muneris admonemus, & quam nobis legem imponemus, eandem noſtris ſucceſſoribus indicamus, quos & ſui officii non immemores fore confidimus, & ſe aliquando in diſtricto ac tremendo Dei judicio ſuæ villicationis rationem eſſe reddituros, Apoſtolo dicente; Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, & unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

*Cardinales non ſint plures quam ſeptuaginta & electio promovendorum ultra hunc numerum nulla ſit.*

§.4. Primum igitur, cum ita expoſcente rerum ac temporum qualitate & occaſione receſſum fuerit à veteri illo more admodum paucos viros in ſacrum Collegium adſcribendi, jamque plures noſtra ætate Cardinales quam antiquitus in ipſum Collegium cooptari conſueverint, tum ut juxta generalis Concilii Tridentini decretum omnium Chriſtianitatis Nationum ratio habeatur, tum quia in eodem Collegio multi, quæ eſt humani corporis infirmitas, ſenectute vel morbis frequenter gravati, haud commodè tanto oneri aſſidue ſuſtinendo ſufficere queant, ut in hoc moderatio congrua adhibeatur, & certi limites præſcribantur, ne vel ad veterem illam paucitatem eos redigamus, vel rurſus eorum honor nimia ac ſuperflua numeroſitate vileſcat, quod interdum & nos pridem in minoribus eſſemus, vidimus & experti ſumus. Ac ut veteris Synagogæ figura ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ veritati reſpondeat, ſequi cupientes mandatum Domini factum ad Moyſen, de congregandis ſeptuaginta viris de ſenibus Iſraël, quos noſſet ſenes populi eſſe & magiſtros, ut ſecum onus populi ſuſtentarent, & non ipſe ſolus gravaretur, ſuper quos ad oſtium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requievit, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio, perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ut in poſterum connumeratis omnibus cujuſque ordinis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, qui nunc ſunt, quique in futurum creabuntur, cuncti ſimul numerum Septuaginta nullo unquam tempore excedant, ac talis numerus quovis prætextu, occaſione vel cauſa etiam urgétiſſima minime augeatur. Quod ſi unum vel plures à nobis vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem, aut creari, aut pronuntiari contigerit, decernimus hujuſmodi electionem, creationem & pronuntiationem nullam, irritam & inanem fore, & cenſendam eſſe, nullumque jus ſeu titulum re aut nomine ſic electo ſeu electis acquiri, neque eorum quemquam pro Cardinali haberi aut reputari poſſe aut debere, neque dictam electionem, creationem, pronuntiationem ab initio invalidam & ultra numerum factam, ſi poſtea ad præſcriptum numerum moriente uno vel pluribus Cardinalibus, ipſum Collegium redigatur, propterea ex poſtfacto convaleſcere, ſed uti à principio ſic deinceps in perpetuum nullius fore roboris vel momenti.

*Sint quoque in eis Epiſcopi ſex, Presbyteri 50. Diaconi 14.*

§.5. Quoniam verò jam inde ab antiquiſſimis etiam Apoſtolorum temporibus Diaconorum ordo ad inſerviẽdum & miniſtrandum in Eccleſia Dei ex magna providentia dignoſcitur inſtitutus, & pro temporum varietate modo major, modo minor numerus eſſe conſuevit, ita ut aliquando ſeptem, interdum quatuordecim, quandoque verò decem & octo Diaconi fuerint, & tamen hoc tempore tum propter eorum parvum numerum, tum propter aliquorum abſentiam à Romana Curia, adeo pauci reperiuntur, ut eorũ officio ſatisfacere nequeant, immò ſæpius Presbyteri Cardinales loco Diaconorum, contra Patrum inſtituta Pontifici aſſiſtere & miniſtrare cogantur. Idcirco ſtatuimus, ut ex prædicto numero Cardinalium Diaconi quatuordecim, reliqui omnes præter ſex Epiſcopos Presbyteri ſint & eſſe debeant.

*Diaconi Card. ſint minores anno 22. infra annum ad Ordinem Diaconatus promoveri debent, alias voce activa & paſſiva.*

§.6. Neque poſthac quiſpiam in Diaconum Cardinalem aſſumi poſſit, niſi ſaltem in vigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno fuerit conſtitutus, ita ut omnino intra annũ ad ſacrum Diaconatus ordinem valeat & debeat promoveri, alioquin ſi anno elapſo ad ipſum Diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipſo tam in conſiſtorialibus, & omnibus aliis actibus, & negotiis Cardinalatiis, quàm etiam juxta conſtitutionem fel. rec. Pii Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri ſuper reformatione Conclavis editam, in electione Romani Pontificis voce activa & paſſiva omninò careat, ac privatus exiſtat.

*Diaconi ex fervore devotionis ad presbyteratum promoti maneant inter Diaconos, quoadusque ex Cardinalibus denuo creandis ſuppleatur numerus Diaconorum.*

§.7. Diaconorum autem numerus ſic præfinitus perpetuò retineatur, ac Diaconi in eorum ordine ſemper remaneant, & ſi qui eorum ex devotionis fervore ad Presbyteratus ordinem promoti fuerint, ſemper tamen in eodem Diaconatus ordine & officio miniſtrent, & ſuũ locum inter Diaconos Cardinales teneant, donec ex Cardinalibus de novo creandis ſive eligendis, alii Diaconi prædictum numerum ſuppleant, & in eorum locum ſubrogentur ac ſubſtituantur. Quo caſu antiquiores Diaconi ad Presbyteratus ordinem promoti, ad presbyteros Cardinales tranſire, atque inter eos ſedere valeant & connumerari.

*Diaconus prior, aut ſequens, ſi legitime …*

§.8. Vt verò Diaconos Cardinales, qui in ſua vocatione permanſerint, & in miniſterio ordinis ſui perſeveraverint, majoribus honoribus proſequamur, volumus

ut

*…quarta …ione …cleſia… Epiſco… …, pro… …tur ad …ſam …ionem, … aliis … vaca… …iquior …yter …vea… … decla… …hic in*

ut cum aliquam ex ſex Cathedralibus Eccleſiis, quibus Epiſcopi Cardinales præſunt, primo, ſecundo, & tertio per obitum vel tranſlationem, aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem Presbyter Cardinalis præſens, ſalvo cuique Epiſcopo Cardinali jure tranſeundi ad eam, dimiſſa priore, cui præerat, ut moris eſt, promoveatur, ſed ubi poſt tres vacationes, tres itidem ex ipſis Presbyteris Cardinalibus in Epiſcopos præfecti fuerint, tunc ſi quarta alicujus harum Eccleſiarum vacatio contigerit, excluſo ea tantum vice antiquiore Presbytero, prior Diaconorum Cardinalium qui præſens fuerit, & in ætate legitima conſtitutus, vel ſi ille noluerit, aut nequiverit aſſumi, ſequens Diaconus eiſdem qualitatibus præditus, ad eam promoveatur, & ita deinceps in hujuſmodi vacationibus ſex Eccleſiarum prædictarum perpetuò obſervetur, ut poſt tres Presbyterorum ad dictas Eccleſias promotiones, quarta occurrente vacatione, prior Diaconorum, aut ſequens, ut præfertur, in Epiſcopum præficiatur.

*…LXX. …lin. præ… …, aſſu… …tur ſal… …quatuor …ſtri in …logia.*

§. 9. Inter hos Septuaginta Cardinales, præter egregios utriuſque juris, aut Decretorum Doctores, non deſint aliquot inſignes viri in ſacra Theologia Magiſtri, præſertim ex Regularibus, & mendicantium Ordinibus aſſumendi, ſaltem quatuor, non tamen pauciores.

*…ri poſſit …in die… …jejuniorũ …ſi De… …ris dun… …t. …e arbi… …Papa ſer… …r.*

§. 10. Antiquum verò Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri & aliorum Sanctorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum morem per ſexcentos & amplius annos continuata ſerie obſervatum ſequi volentes, ac decretum aliàs per nos in noſtro Conſiſtorio editum innovantes perpetuò ſancimus tempus creandorum Cardinalium, ſeu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendæ, menſe Decembri dumtaxat in ipſis temporibus, ſeu diebus jejuniorum, & non aliis eſſe debere.

*…movean… …ui idonei …omnibus …imibus …iſtiani… …, quan… …commo… …ſieri pote…*

§. 11. Ut autem ipſi Cardinales in regimine univerſalis Eccleſiæ nobis, & pro tempore exiſtenti Romano Pontifici utiliter aſſiſtere valeant, ac de omnibus Chriſtianorum Regnorum, Provinciarumque moribus, rebus & negotiis promptè & fideliter certa ab eis notitia pro rerum emergentium opportunitate habeatur, prædicti Concilii Tridentini decreto inhærentes, ſtatuimus ut ex omnibus Chriſtianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, idonei aſſumantur.

*…legitimi …per ſub… …uens ma… …monium …timati, …ſuper de… …u nata… …n Apoſt. …toritate …penſatio… …conſecu… …ad Car… …alatũ in… …biles ſint.*

§. 12. Præterea, qui Cardinales creandi erunt, legitimis, & honeſtis ſint exorti natalibus, neque ulla prorſus labe, aut illegitimorum natalium ſuſpicione quovis modo laborent, ſed omni macula, & impuritate careant, alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum penitus inhabiles, & illius incapaces ſint, & eſſe cenſeantur. Quocirca conſiderantes, quod licèt tanta ſit vis, & efficacia Sacramenti Matrimonii, quod Apoſtolo teſte, Magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia; ut qui antea geniti erant ex ſoluto, & ſoluta, inter quos ritè Matrimonium conſtare poterat, poſt illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen Provinciis, & Dominiis nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad ſæcularia officia, honores & dignitates, neque ad nobilium feudorum, & ſtatuum ſucceſſiones admittuntur, quodque multò magis indecorum videretur, & ab Apoſtolicæ Sedis dignitate alienum, ſi hujuſmodi illegitimi per ſequens Matrimonium, ut præfertur, legitimati, in Cardinales aſſumerentur, ac Cardinalatus celſitudo, & ſplendor, qui dignitati Regiæ comparatur, facilè deprimi, commaculari, aut quodammodo inobſcurari poſſet. Ideo ut puriori dignitati puriores natales reſpondeant, quoſcumque illegitimè natos, quotumvis, etiam Magnorum Principum, etiam Ducali, aut majori, etiam Regia, & Imperiali auctoritate fulgentium filios quocumque gradu, dignitate, & præeminentia præditos, etiam genitos ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tunc Matrimonium conſtare poterat, ac poſtea per ſubſequens Matrimonium etiam ritè, & ſolemniter in facie Eccleſiæ contractum, vel aliàs legitimatos, & quomodolibet habilitatos, & natalibus reſtitutos, ac quorumvis bonorum capaces effectos, etiamſi cum eis, ut hanc ipſam dignitatem obtinere valeant, ſuper defectu natalium fuerit expreſsè, & in ſpecie auctoritate Apoſtolica quomodolibet diſpenſatum, nihilominus prædictæ Cardinalatus dignitatis prorſus incapaces, & ad ea obtinenda perpetuò inhabiles decernimus, ac declaramus.

*Et nec illi qui ad ſacros ordines promoveri poſſunt.*

§. 13. Sed & inſuper prohibemus, ne ii, quos propter defectus, vitia, aut impedimenta quæcumque ad ſacros ordines ſecundum canonicas ſanctiones promoveri fas non eſt, etiamſi cum ipſis dicta auctoritate Apoſtolica fuerit diſpenſatum, neve alicujus criminis, aut infamiæ nota reſperſi in Cardinales ullo unquam tempore aſſumantur.

*Promovendi ad Card. doctrina vitæ probitate, & aliis qualitatibus à jure requiſitis præſtare debent.*

§. 14. Ceterùm, ut non ſolum honore, ſed etiam re ipſa cardines ſint, ſuper quibus oſtia univerſalis Eccleſiæ tutò nitantur, divinaque & humana miniſteria ſibi commiſſa utilius exequi poſſint, ſtatuimus, ut lectiſſimi, & præcellentes viri in ipſum Collegium adſcribantur, & quorum vitæ probitas, morum candor, præſtans doctrina, & eruditio, eximia pietas, & erga ſalutem animarum ardens ſtudium, & zelus, in dandis conſiliis ſincera fides, & integritas, in rebus gerendis ſingularis prudentia, conſtantia, & auctoritas, & aliæ qualitates à jure requiſitæ, tam ipſi Pontifici, quàm univerſo Collegio cognitæ & probatæ ſint.

*Clericali etiam charactere inſigniti, & in quatuor minoribus ordin. conſtituti per annum ſaltem ante promotionem habitum, & tonſuram geſtare tenentur.*

§. 15. Ac proinde ne homines ſacrarum rerum planè imperiti, & rudes, atque Eccleſiaſticarum functionum ignari, quaſi in Eccleſia Dei hoſpites, & peregrini ſtatim hujuſmodi muneri præficiantur, juxta decretum jam pridem à nobis in prædicto Conſiſtorio noſtro ſancitum, quod pariter harum ſerie innovamus, diſtrictè interdicimus, ne quis ullatenus ad Cardinalatus honorem aſſumi queat, niſi qui antea clericali charactere inſignitus, & in quatuor minoribus ordinibus conſtitutus, per annum ſaltem habitum, & tonſuram geſtaverit clericalem.

*Filiũ utriuſlibet ſexus, etiam ex legitimo matrimonio, vel ex eo nepotem habentes promoveri nequeunt ad Cardin.*

§. 16. Cum autem ad honorem adeò ſublimem promovendi omni virtutum, & præſertim caſtimoniæ laude ſupra cæteros plurimùm eminere debeant, qui verò filios, etiam legitimos ex uxore ſua alias dignoſcitur ſuſcepiſſe, certum nequeat ſuæ teſtimonium continentiæ exhibere, & pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propenſione feratur, verendumque ſit ne propterea variis propriæ domus negotiis, ac multiplici liberorum cura diſtractus, Eccleſiæ negotia ſibi credita aut negligenter tractet, aut minus ſollicitè & fideliter quàm par eſt ejuſdem Eccleſiæ jura tueatur, prohibemus ne aliquis, qui aut utriuſlibet ſexus filium, ſeu filios, etiam ex legitimo matrimonio ſuſceptos, vel nepotem, ſeu nepotes ex eis habeat, ullatenus in Cardinalem aſſumi, aut promoveri poſſit.

*Frater, etiam ex uno parente germanus, vel patruelis conſobrinus, aut amitinus alicuius Cardin. viventis, Card. eſſe non poſſit. Tu vide etiã Iul. III. conſt. 22. Sanctiſſimus, ſup.*

§. 17. Inſuper ut factionum fomitem & ſimultatum anſam ex ſacro hoc cœtu quantum cum Domino poſſumus amputemus, decretum piæ mem. Julii Papæ III. prædeceſſoris noſtri in ſacro olim Conſiſtorio editum approbantes, & declarantes, ſimiliter perpetuò interdicimus, ne ullo unquam tempore aſſumatur aliquis poſthac in ejuſdem S. R. E. Cardinalem, qui frater ex utroque vel alterutro parente germanus exiſtat alterius Cardinalis viventis, ita ut eodem tempore duo fratres germani in eodem Collegio nullatenus eſſe poſſint. Quinimmò idem decretum extendentes & ampliantes, prohibemus quoque ne patruele vel amitino, aut conſobrino Cardinale vivente, alter ejus patruelis vel amitinus aut conſobrinus ad Cardinalatum valeat promoveri.

*Patruus aut Avunculus nepotis ex fratre vel ſorore Cardin. viventis prohibetur aſſumi ad Card. & è converſo talis nepotis, patrui & avunculi.*

§. 18. Sed & pari ratione ſancimus, ne patruo aut avunculo Cardinali vivente, ejus ex fratre vel ſorore nepos; nec rurſus nepote ex fratre vel ſorore Cardinali exiſtente, illius patruus aut avunculus, nec ullus denique alius, qui primo aut ſecundo tantum conſanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi conjunctus ſit, quandiu is vixerit, in Cardinalem aſſumi poſſit. Ita ut omnes, & ſinguli prædicti, tam pater filios aut nepotes habens, quàm fratres germani, patrueles, amitini, conſobrini, patruus, avunculus, nepos ex fratre vel ſorore, & quivis ut ſupra primo aut ſecundo gradu conjunctus, alter altero Cardinali vivente, ad Cardinalatum inhabiles, & illius incapaces ſint, & cenſeantur, neque eorum aliquis Cardinalis creari valeat, neque adverſus hanc prohibitionem ex quacumque, etiam urgentiſſima cauſa, cum eis liceat diſpenſari. Et nihilominus electio, creatio, ac promotio Cardinalium hujuſmodi contra præſentem pro-

hibitionem, aut interdictum facta, & attentata, nulla, irrita, & inanis ſit eo ipſo, ac cum omnibus inde ſecutis nullius ſit roboris vel momenti.

*Abſentes à Curia ad Card. promovendi, creari debēt adjecta conditione, ut infra annum Apoſtolorum limina viſitare teneantur, & ante conſignationem birreti rubri à Pōt. tranſmittendi, id facere jurent, & obſervent, aliàs Cardinalatus honore privati cenſeantur.*

§. 19. Poſtremò attendentes proprium eſſe eorundem Cardinalium munus aſſiſtere, ut præmittitur, Chriſti in terris Vicario, eique in regenda Eccleſia Catholica conſilium & operam aſſiduè præſtare, atque cum eo Eccleſiæ neceſſitatibus providere, ipſoſque tum ad id ipſius officii debito, tum ex ſanctorum Patrum decretis teneri, ac propterea abſurdum eſſe Cardinales procul ab ipſo Pontifice vitam agere, & locum manſionemque ſuam in Eccleſia Dei adeò præcelſam contra hujuſmodi officii debitum, & in ſuarum perniciem animarum negligere, ac deſerere, inhærentes decreto ſimiliter à nobis in Conſiſtorio noſtro dudum deſuper promulgato, de eorundem Fratrum conſilio ſtatuimus & ordinamus ne quis in poſterum à Romana Curia abſens Cardinalis creetur, aut pronuntietur, niſi hac adjecta conditione, ut intra annum in Romanam Curiam venire & Apoſtolorum limina viſitare teneatur, necnon antequam Birretum rubrum, quod à Romano Pontifice de more benedici, ac per certum nuntium mitti ſolet, ei tradatur, illiuſve capiti imponatur, juret in manibus perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, cui id negotii datum fuerit, ſe intra annum à die præſtiti juramenti numerandum, omni mora poſtpoſita, & impedimento remoto, ad Urbem, vel aliò, ubi Rom. Cur. eo tempore fuerit, perſonaliter adventurum, ut ſiſtat ſe nobis, aut pro tempore exiſtenti Rom. Pontifici, & ſanctæ Sedi Apoſt. cujus obſequiis erit aſcriptus, & quandiu ipſi Pontifici viſum fuerit, muneri ſuo incumbat: atque ita de legibus, moribus, conſuetudinibus, ac toto ſtatu ejuſdem Sedis plenè inſtruatur, atque ad Eccleſiæ, ſeu Provinciæ, cui forſan præerit, neceſſitates ſublevandas, abuſus tollendos, mores reformandos, Eccleſiaſticam diſciplinam, ſi qua ex parte labefactata fuerit, reſtituendam opportuna, & ſalutaria conſilia ab ipſius Pontificis paterna charitate, ſapientia, & vigilantia recipiat, & pro viribus exequatur. Cujus quidem juramenti poſtquam per eum præſtitum fuerit, publicum inde inſtrumentum conficiatur, & in forma authentica ad nos, vel noſtri pro tempore ſucceſſorem, nulla interpoſita mora tranſmittatur. Quod ſi fortè id jurare recuſaverit, volumus ut birretum rubrum ei omninò denegetur, ac nequaquam tradatur, ſed ipſo facto, abſque alia declaratione, vel decreto Cardinalatus honore privatus exiſtat, atque habeatur in omnibus & per omnia, ac ſi nunquam in Cardinalem aſſumptus, vel promotus fuiſſet. Inhabilis quoque ad eandem dignitatem poſtea obtinendam, & illius incapax efficiatur. Sin autem juret, ac birretum rubrum accipiat, ſed tamen poſtea ad Urbem, & Romanam Curiam, ut præfertur, intra annum à die præſtiti juramenti non comparuerit, tunc pariter abſque alia declaratione Cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione, atque omnibus, & quibuſcumque illius inſignibus, facultatibus, privilegiis, aut auctoritatibus careat eo ipſo, & perpetuò privatus ſit, & eſſe cenſeatur, ac ſi nunquam inter Cardinales cooptatus fuiſſet, nec birretum rubrum accepiſſet. Quod quidem birretum poſt id tempus confeſtim deponere omninò teneatur.

*Decretum irritans.*

§. 20. Decernentes ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ipſos S.R.E. Cardinales, ſublata eis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 21. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus Conciliis editis conſtitutionibus & ordinationibus, etiam certum alium eorundem Cardinalium numerum præſcribentibus, aut aliàs ſuper præmiſſis diſponentibus, quas omnes, quatenus præſenti conſtitutioni in aliquo adverſantur, illarum tenores pro plenè ac ſufficienter expreſſis habentes, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio facienda eſſet, omninò abrogamus, abolemus, & annullamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma publ.*

§. 22. Cæterùm, ut præſentes literæ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie campi Floræ more ſolito publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus ut illarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.*

§. 23. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, &c.

*Dat. 3. die 3. D…*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. tertio Nonas Decembr. Pont. noſtri anno ſecundo.

*Papæ ſ…*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

*De ventre matris mea tu es Deus protector meus.*

*Card. ſ…*

Ego Alexan. Card. Farneſius, Vicecancellarius, Epiſcopus Oſtien.
Ego Jac. Card. Sabellus Epiſc. Portuen.
Ego Jo. Anton. Card. S. Georgii Epiſc. Tuſc.
Ego Jo. Franciſcus Card. de Gambara, Epiſcopus Præneſtin.
Ego Inn. Avalos Card. de Arag. Epiſcopus Sabinen.
Ego M. Sitic. Card. ab Altaemps.
Ego M. Antonius Card. Columna.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gabriel Card. Paleotus.
Ego Fr. Michael Bonel. Card. Alex.
Ego Ludovicus Card. Madrutius.
Ego Nicol. Card. Senon. tit. S. Praxedis.
Ego Jul. Ant. Sanctorius Card. S. Severinæ.
Ego Hier. Card. Ruſticucius.
Ego Jo. Hier. Card. Albanus.
Ego Hier. Card. Simoncellus.
Ego P. Card. Deza.
Ego Jo. Antonius Card. Caraffa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor Coron.
Ego Jo. Bapt. Card. S. Marcelli.
Ego Julius Card. Cananius.
Ego Antonius Card. Salviatus.
Ego Aug. Card. de Verona.
Ego Vin. Card. Montis Regalis.
Ego Philippus Card. Spinola.
Ego Georgius Card. Razivil.
Ego Scipio Card. Lancellottus.
Ego Vincen. Card. Gonzaga.
Ego Jo. Baptiſta Caſtrucius Signaturæ Juſtitiæ Præfect.
Ego Fed. Card. Cornelius.
Ego Hippolytus de Rubeis Card. Paviæ.
Ego Decius Card. Azzolinus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus Major Pœniten.
Ego Ferd. Card. Medicis.
Ego Phil. Vaſt. Card. Camerarius.
Ego Andreas Card. Battorius.
A. Card. Montaltus.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1586. indict. 14. die verò 9. menſis Decembris, Pontific. Sanctiſſimi D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 2. retroſcripta literæ lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in portis, ſeu valvis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Ioan. Freile, & Octavium Tagliettum S. D. N. Papæ Curſores.*

*Alex. Parabiac. Mag. Curſ.*

*Sequitur*

### *Sequitur declaratio d. conſtitutionis.*

§. 24. SAnctiſſimus D. N. dixit, quod cum in conſtitutione, ſeu bulla Sanctitatis Suæ aliàs ſuper creatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinaliũ edita, volens Diaconos Cardinales, qui in ſua vocatione permanſerint, & in miniſterio ſui ordinis perſeveraverint, majoribus honoribus proſequi, inter alia ſtatuerit, ut poſt tres vacationes ſex Eccleſiarum Cathedralium, quibus Epiſcopi Cardinales præſunt, quarta vacatione alicujus ex eis occurrente, prior Diaconorum Cardinalium, qui præſens fuerit, & in ætate legitima conſtitutus, vel ſi ille noluiſſet, aut nequiviſſet aſſumi, ſequens Diaconus eiſdem qualitatibus præditus, ad Eccleſiam hujuſmodi Cathedralem, ut præfertur, vacantem promoveretur, & ita deinceps ſervaretur, prout in eadem conſtitutione plenius continetur.

§. 25. Agnoſcenſque idem S. D. N. mentis ſuæ in ea conſtitutione fuiſſe, non ut novus, vel fortè paucos ante annos creatus Diaconus Cardinalis ad aliquem ex dictis Epiſcopatibus, ſeu Eccleſiis quibus ſeniores Presbyteri Cardinales præfici ſolent promoveatur, ſed qui diu in ſuo ordine, & vocatione (ut verba ejuſdem conſtitutionis apertè demonſtrant) permanſerit, & in miniſterio ſui ordinis perſeveraverit, is tali Eccleſiæ præficiatur, ac providere cupiens, ne fortè in futurum dubitari contingat de quanti temporis curſu perſeverantia illa in Diaconatus ordine, & in miniſterio intelligatur.

§. 26. Eadem Sanctitas ſua in eodem Conſiſtorio ſuo ſecreto habito ſupradicta die, de venerabilium Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium unanimi conſilio, & aſſenſu, ſua Apoſtolica auctoritate declaravit, & decrevit, ut prior Diaconorum Cardinalium, ſeu alius, ſive immediatè, ſeu ſucceſſivè ſequens Diaconus Cardinalis, quarta occurrente vacatione, ut præmittitur, ad dictam Eccleſiam, ſeu Epiſcopatum ex ſex prædictis vacantem aſſumi, ſeu promoveri poſſit, exigi, & requiri debere, ut integros annos ſaltem decem, & non pauciores in ſuo Diaconatus ordine permanſerit, & in illius miniſterio perſeveraverit, etiamſi numerus 4. Diaconorum Cardinalium non ſit expletus, dummodò ad minus decem Diaconi tunc exiſtant, prout declaravit, & decrevit.

§. 27. Ac ſic in præmiſſis, &c. per quoſcumque, &c. etiam ipſos S. R. E. Cardinales, &c. ſublata eis, &c. aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus, &c. contigerit attentari, ſimiliter decrevit.

Actum Romæ apud S. Petrum, die Mercurii 15. Novemb. 1589. in conſiſtorio ſecreto.

---

## LI. Tolentini Oppidi in Provincia Picena in Civitatem ſublimatio, ejuſque Collegiatæ Eccleſiæ in Epiſcopalem erectio.

*Ex hac Civitate prodiit S. Nicolaus Tolentinas nuncupatus, de cujus canonizatione, & feſtivitate videre eſt in Eug. IV. conſtit.* 27. Licèt militans.

*Edita A. D. 1586.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

SUper univerſas Orbis Eccleſias, eo diſponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quanquam ſine noſtris meritis conſtituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos noſtræ mentis, more pervigilis paſtoris inſpecturi, quid Provinciarum, & locorum quorumlibet ſtatui congruat, ac deſuper diſponi debeat, unde divino fulti præſidio, dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Eccleſiæ agro novas Epiſcopales ſedes, & Eccleſias plantare, ut per hujuſmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, & animarum ſalus ſubſequatur, loca inſignia, præſertim quorum incolæ benedicente Domino multiplicari noſcuntur, dignioribus titulis, & condignis favoribus illuſtrentur, ipſique incolæ honoratorum Præſulum adſiſtentia, regimine, & doctrina ſuffulti; in via Domini magis magiſque in dies proficiant.

*Oppidi Tolentini qualitas commendatio.*

§. 1. Sanè attendentes Oppidum Tolentini, Camerinen. diœc. in agro Piceno, & territorio fructifero, ac loco ſatis amœno, & pervio ſitum, admodum celebre, ac muris firmiter cinctum, plurium ædificiorum ornatu decorum, copioſo incolarum numero habitatum, ac mille ad minus ultra Caſtra Colmurani ſibi ſuppoſiti foccularia, ſive domus continere, ac in eo unam S. Mariæ, cum Campanili, campanis, organo, choro, Sacriſtia, Plebano, ac Canonicis, & aliis ad Cathedralem Eccleſiam requiſitis, ac alteram Eccleſiam Collegiatam Sancti Jacobi, cum Priore, & Canonicis, prætetea Sancti Catervii, Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium, in qua ejuſdem Sancti Catervii, & Sanctæ Septimiæ, ac Sancti Baſſi corpora reperiuntur, necnon S. Nicolai de Tolentino nuncupati, Fratrum Eremitarum ejuſdem S. Auguſtini, in qua exiſtit unum brachium incorruptum, & corpus ejuſdem S. Nicolai, qui ob vitæ ſanctimoniam, in vita, & poſt ejus obitum miraculis coruſcans numero Sanctorum meruit adſcribi, cujus etiam feſtum nuperrimè in toto Statu Eccleſiaſtico celebrari, & cuſtodiri mandavimus. Ad hæc S. Franciſci Fratrum Minorum Conventualium, & S. Mariæ Ciſoloni Fratrum Minorum de Obſervantia, ac S. Petri Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum, necnon S. Hieronymi Fratrum ejuſdem S. Hieronymi, ac S. Agnetis Monialium S. Claræ Ordinum Monaſteria, & Regulares domos, ac quamplures alias Eccleſias, ac duo Hoſpitalia pro pauperibus, & infirmis recipiendis ſatis commodè extructa adeſſe, & ex eo Cardinales, Epiſcopos, Referendarios, & ſtrenuos milites, Capitaneos, & Duces, generales Status Eccleſiaſtici, alioſque illuſtres, & egregios, ac Religione, & doctrina præclaros viros prodiiſſe.

*Oppidi Tolentini ab incolis, & beneſic. dictis Camerinen. ſeparatio.*

§. 2. Nos cupientes Oppidum Tolentini præfatum, cujus dum Cardinalatus honore fungeremur protectores, & fautores fuimus, cujuſque dilectos filios communitatem, & homines ſingulari dilectione proſequimur, necnon Collegiatam Eccleſiam Sanctæ Mariæ hujuſmodi dignioribus titulis, ac nominibus decorari, habita ſuper his cum Fratribus noſtris deliberatione matura, de illorum conſilio, & aſſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis honorem, & Chriſti fidelium devotionis augmentum Oppidum, & caſtrum hujuſmodi, ac Villas Comitatus Tolentini, eorumque territoria à dicta diœceſ. cui in ſpiritualibus ſubjecta ſunt, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſeparamus, & diſmembramus, illaque ſeparata, & diſmembrata, ac illorum incolas, habitatores, Eccleſiarum Rectores, beneficiatos, Priores, & alios inibi beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, Monaſteria, domos Regulares, aliaque pia loca omnia ab omni juriſdictione Epiſcopi Camerinen. necnon ſolutione decimarum eidem Epiſcopo, & per eos debitarum de cætero facienda, auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuò eximimus, & liberamus.

*Erectio ejuſdem Oppidi in Civitatem, & ejus Eccleſiæ S. Mariæ in Cathedralem, & conceſſio privilegiorum.*

§. 3. Inſuper Oppidum Tolentini in Civitatem Tolentini, & Collegiatam Eccleſiam S. Mariæ hujuſmodi in Cathedralem ſub invocatione ejuſdem S. Mariæ, ac in ea dignitatem, Sedem, & menſam Epiſcopalem pro uno Epiſcopo Tolentino nuncupando, qui eidem Eccleſiæ Tolentinæ præſit, ac juriſdictionem Epiſcopalem habeat, & exerceat, cum omnibus privilegiis, honoribus, juribus, & inſignibus debitis, & conſuetis, ac quibus alii Epiſcopi de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet in ſpiritualibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, necnon Plebaniam illius in Archidiaconatum, qui inibi dignitas major poſt Pontificalem exiſtat, eiſdem auctoritate, & tenore ſimiliter perpetuò erigimus, & inſtituimus, ipſamque Eccleſiã ſic in Cathedralem erectam Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjicimus, ac ſub protectione Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ſuſcipimus.

*Conceſſio Almutiarum pro canonicis d. Cathedralis.*

§. 4. Præterea Canonicis ejuſdem Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ, ut almutias per Canonicos aliarum Cathedralium Eccleſiarum deferri ſolitas, deferre liberè, &

& licitè valeant auctoritate, & tenore prædictis, pariter perpetuò indulgemus.

*Unio d. Epiſcopatus, cum Epiſcopatu Maceraten.*

§. 5. Ipſamque Eccleſiam ſic in Cathedralem erectam cum Eccleſia Maceraten. unimus, ita ut pro tempore exiſtens Epiſcopus Maceraten. ſit ambarum Eccleſiarum unitarum hujuſmodi Epiſcopus Maceraten. tamen in literis, & expeditionibus pertinentibus ad civitatem, & diœc. Tolentini ordinariè ſe ſubſcribere debeat Epiſcopus Maceraten. Tolentin.

*Vicarius exter. in Civitate Tolentini, qui ſuum Epiſcopum in Superiorem recognoſcat.*

§. 6. Teneaturque retinere unum Vicarium in dicta Civitate Tolentin. qui non recognoſcat ſuperiorem, nec ab eo habeatur recurſus ad Vicarium dictæ civitatis Maceraten. ſed tantum ad ipſum Epiſcopum.

*Aſſignatio dotis.*

§. 7. Eidemque Eccleſiæ Tolentin. ſic in Cathedralem erectæ pro illius menſæ Epiſcopalis dote, redditum annuum quadringentorum ſcutorum monetæ Marchiæ per Epiſcopum Tolentin. propria auctoritate percipiendum de ſemeſtri in ſemeſtre, & in fine cujuſlibet ſemeſtris, vel in fine cujuſlibet menſis pro rata, arbitrio ipſius Epiſcopi, quem præfata Communitas Tolentini eidem Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ ſuper redditibus molendini ipſius Communitatis, quouſque tot prædicta ipſa Communitas emat, & eidem Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ conſignet, quorum fructus ad dictam ſummam quadringentorum ſcutorum aſcendant, conſtituerunt, & aſſignarunt, ac domum contiguam dictæ Eccleſiæ Tolentinæ, pro uſu, & habitatione ipſius Epiſcopi Tolentini applicamus.

*Diœceſis præfinitio, & Cleri aſſignatio.*

§. 8. Ac ipſi Eccleſiæ ſic in Cathedralem erectæ civitatem Tolentini, ejuſque incolas, & habitatores pro civitate, & in civibus, necnon terras, villas, & caſtrum Colmurani præfata, eorumque territoria pro ejus diœc. ac etiam Clerum, & populum civitatis & diœc. Tolent. pro Clero, & Populo, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuò aſſignamus.

*Decretum irritans.*

§. 9. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria, & Sanctio pœnalis.*

§. 10. Non obſtantibus Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Mariæ & Camerinen. Eccleſiarum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, illis, earumque præſulibus, capitulis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam Motu proprio, ac conſiſtorialiter, & alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ, &c.

*Dat. P. A. 2. die 2. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 4. Idus Decembris, Pont. noſtri anno ſecundo.

---

## LII. Reformatio circa immoderatos ſumptus, qui in Alma Urbe fieri conſueverunt, circa veſtes, dotes, ornamenta, indumenta, & convivia.

*Similem reformationem vide ſupra in Pii V. conſtitut. 9.* Quoniam.

*Edita A.D. 1586.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS, Motu proprio, &c.*

*Pont. iſti ex paterno erga Almam Urbem affectu, & ex cauſis ... expreſſis ... Conſer-*

CUm in unaquaque benè, & rectè inſtituta Republica & Civitate, ſoleat ſumptibus civium, & privatorum hominum moderatio aliqua adhiberi, idque non ſolum redundet in utilitatem ſingularum perſonarum, & familiarum, ne hac de cauſa imminuto patrimonio, ſive re familiari abſumpta, ad paupertatem redigantur, & plurima exinde damna & pericula proveniant, ſed etiam ad univerſam Rempublicam pertineat, cujus intereſt cives habere locupletes, & ne privati rebus ſuis malè utantur, præcipuè hoc ipſum obſervandum eſt in hac Alma Urbe noſtra, ex qua tanquam ex communi omnium patria, frugalitatis, modeſtiæ, ac bonorum morum exempla ad exteros manare convenit, ut quæ tot donis, ac prærogativis excellit, eadem optimis inſtitutis, legibus, & conſuetudinibus ſit temperata, ſicuti jam inde à priſcis, etiam florentis Reipublicæ ſæculis, mox Imperatorum, ac deinde poſterioribus Romanorum Pontificum, præſertim fel. record. Clem. VII. Pii IV. & Pii V. prædeceſſorum noſtrorum temporibus, in eadem Urbe Roma complures leges ac ſtatuta de ſumptibus immoderatis coërcendis, ſalubriter edita fuerunt. Quæ cum ſucceſſu temporum minimè fuerint obſervata, & hac etiam tempeſtate, tum in conſtituendis dotibus puellarum quæ in matrimonium collocantur, tum in ſupervacaneis plerumque, & minimè decentibus ornamentis, tam circa mundum muliebrem, quam circa indumenta etiam virorum, cum in conviviis, & aliis hujuſmodi rebus, ſuperflui ac pro modo facultatum exceſſivi ſumptus fiant. Idcircò pro eo quem gerimus erga eandem noſtram civitatem, illiuſque populum paternæ dilectionis affectu, in primis nobis cordi fuit, hujuſmodi abuſus antequam latius ſerpant de medio tollere, & exemplo noſtrorum hujuſmodi prædeceſſorum, ſimilibus remediis uti. Ideoque dilectis filiis Cameræ ejuſdem Urbis, ac Populi Romani Conſervatoribus, & Magiſtratui commiſimus, & mandavimus, ut ad moderandos ſumptus hujuſmodi, opportunas conficerent reformationes.

*vatoribus Pop. Romani, ... ... immoderatos ſumptus.*

*Illi hanc formationem ſtatuerunt & ſumm. Pont. ... runt.*

§. 1. Qui mandato noſtro parentes, unà cum civibus aliquot ex unaquaque dictæ Urbis Regione ad id deputatis, eas præſentium temporum conditioni, & moribus accommodatas compoſuerunt, ac poſtea tam à Magiſtratu quàm à deputatis prædictis ſubſcriptas, nobis præſentarunt.

*Et Cardinales & ... eodem ... deputati absolverunt & perſ... runt.*

§. 2. Nos verò cupientes rem ipſam accuratè, & debita circumſpectione abſolvi, Dilectis filiis noſtris Julio Antonio Sancti Bartholomæi in Inſula Sanctæ Severinæ, necnon Scipioni Sancti Simeonis Lancelloto, ac Henrico Sanctæ Pudentianæ Caietano, mox iſtis duobus ultimo dictis abſentibus, Hippolyto ſancti Pancratii Aldrobrandino, ac noviſſimè Antonio Mariæ Salviato Sanctæ Mariæ in Aquiro, titulorum Presbyteris Cardinalibus nuncupatis, dedimus in mandatis, ut eaſdem reformationes diligenter reviderent, & examinarent, qui poſtmodum convocatis dicto Magiſtratu, quatuor Prælatis utriuſque Signaturæ noſtræ Referendariis Romanis, & ſeptem ex dictis per ſingulas regiones deputatis, ſæpius inſimul hac de cauſa reſpectivè congregati, eiſdem reformationibus diligenter excuſſis, ac ſigillatim examinatis, alia explanaverunt, nonnulla addiderunt, eaſque in meliorem ordinem redactas nobis exhibuerunt. Ac demum cum hujuſmodi reformationes, in privato publicoque conſilio ejuſdem Populi propoſitæ nuper & perlectæ fuerint.

*Confirmatio ... Pont. dictam Reformationem.*

§. 3. Nos cupientes illas inviolatè obſervari, motu, &c. ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, reformationes ipſas, prout inferiùs deſcriptæ ſunt, cum omnibus, & quibuſcumque in eis contentis, auctoritate Apoſtolica perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, eaſque præſentis ſcripti patrocinio communimus, omneſque & ſingulos juris, facti, & ſolemnitatum etiam ſubſtantialium in eis forſan omiſſarum defectus, ſi qui intervenerint, ſupplemus, & pro illarum ſubſiſtentia firmiori, quæcumque in prædictis reformationibus continentur, de novo eadem auctoritate perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, ac omnes, & quaſcumque perſonas utriuſque ſexus, cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint in eadem Urbe habitantes, etiam advenas, & curiales, ad earundem reformationum obſervationem teneri, & illis omninò obligari decernimus & declaramus.

*Executores Reformationis deputat & juriſdictionem ... dem cōcedit.*

§. 4. Necnon dilectis filiis ejuſdem Urbis Gubernatori, & Senatori, ac Conſervatoribus prædictis, nunc,

& pro

& pro tempore exiſtentibus, in ſolidum diſtrictè præcipiendo mandamus, ut tam Gubernator, & Senator prædicti, & eorum quilibet, quam ipſi Conſervatores curent & faciant reformationes hujuſmodi, perpetuò, & inviolabiliter obſervari, & ad illarum executionem, etiam quoad pœnas ſine ulla ſpe remiſſionis, procedi. Volentes nihilominus, ut cujuſvis Curiæ, aut Tribunalis dictæ Urbis executores, quaſcumque utriuſque ſexus perſonas, quas hujuſmodi reformationibus contravenire deprehenderint notare, ac dictis Judicibus deferre, & denuntiare.

*…uſulat …rvati- …apponit.* §.5. Necnon decernimus, quod hujuſmodi noſtri Motus proprii ſola ſignatura ſufficiat, iſque etiam non regiſtratus, in judicio, & extra illud plenam fidem faciat, Regula contraria non obſtante. Et quod inferius deſcriptis reformationibus, ac præſenti noſtro Motui proprio, ac diſpoſitioni, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros nunquam ſufficienter derogatum cenſeatur, niſi prius accedente expreſſo conſenſu eorundem Conſervatorum pro tempore exiſtentium, & ipſius Populi in Conſilio publico congregati, ac deinde publica Signatura noſtra propoſita per aliquem Referendarium ſupplicatione, cum hujuſmodi noſtri Motus proprii inſertione, per ſupplicationem aut alium Motum proprium, noſtra, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manu ſignatum, derogatio fuerit conceſſa, & quod idem Motus proprius, unà cum dictis Reformationibus, manu ſcriptus, ſive impreſſus, reponatur, & perpetuò retineatur poſt libros Statutorum Urbis, inter alias ejuſdem Urbis, & Cameræ Populi Romani reformationes, privilegia, & indulta, quæ in eorum proprio volumine continentur.

*…nſumptis …i jubet.* §.6. Quodque ejuſdem Motus proprii, & reformationum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Gubernatoris, aut Senatoris, vel Conſervatorum prædictorum, vel alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, in judicio, & extra, quæ ipſis originalibus hujuſmodi adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*…rma & …ius publ. …us conſtit. …ä reform. …e inferius …ne refor- …ionis. …Decretum …ians.* §.7. Ac quod Palatii Capitolini, Conſervatorum eorundem ac audientiæ cauſarum Palatii Apoſtolici valvis & in acie Campi Floræ, dimiſſis inibi copiis, affixæ omnes, & ſingulos ita afficiant, & arctent, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§.8. Sicque in præmiſſis, & infraſcriptis omnibus, & ſingulis, per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, & cauſarum Palatii Apoſtol. Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*…auſula de- …atoria.* §.9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aliiſque dictæ Urbis reformationibus, ſtatutis, conſuetudinibus, etiam noviſſimè editis, juramento confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Conſervatoribus, & aliis Magiſtratibus, Populo, Civibus, & incolis, aut cæteris perſonis, in genere vel in ſpecie, quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*…apa ſubſcr.* Fiat Motu proprio. F.

*…at. P. A. 2. …ie 23. Dec.* Datum Romæ apud Sanctum Marcum 10. Kal. Januarii anno ſecundo.

*Sequitur tenor dictæ Reformationis.*

## Riforma del veſtire, delle doti, & d'altre ſpeſe, da oſſervarſi in queſt' Alma Cittadi Roma, da ciaſcuna perſona du qualſivogliaſtato, grado, conditione, ò preeminenza ſi ſia, fatta per ordine di N. S. dalla Congregatione de Deputati da Sua Santita.

*Modi da oſſervarſi nel veſtir de gl' huomini.*

IN primis, non ſia lecito di portar nelle barraette, ò cappelli medaglie ne gioie, ne perle, ne vere ne falſe, ne puantali ne roſette, ne altro ornamento d'oro ò d'argento, ne buono ne falſo, ne piume, ne pennachi, ne ricami, ne ſmalti, eccetto un cordon di velo ò di ſeta intorno. *Moderatio circa veſtes virorum.*

Item non ſia lecito di portar collane al collo, ſe non à Cavalieri di alcun'Ordine Militare, ò altri fatti da Principi, per portare attacata la croce ò medaglia.

Item non ſia lecito di portar camiſcie lavorate d'oro ò d'argento.

Item non ſia lecito di portar giubbone con altra guarnitione, eccetto che con imbottitura di ſeta ſemplice, diſteſa per traverſo, ò per lungo ſenz'altro lavoro, & ſi poſſa trinciare con taffetta ſotto.

Item non ſia lecito in ſaio, caſacca, colletto, ò ſimile ſorte di veſtimenti di panno, ò di drappo; mettere altra garnitione, che una banda intorno alli buſti, maniche, & falde di drappo non prohibito, larga al piu un terzo di palmo per di fuori ò dentro, overo un rivetto ò paſſamano, ò frangetta, ò trina di ſeta mezo dito larga intorno all'eſtremita, la qual banda non poſſa haver piu di ſei imbottiture, & ſi poſſa compartire in tre liſte ò rivetti al piu con due imbottiture per ciaſcuno, con le moſtre di ermeſino, ò taffettà, ne ſia lecito di portar bottoni ne puntali d'oro, ne d'argento, ne di gioie, ne di perle vere ne falſe, ne ſi poſſa foderare d'altro drappo che di taffettà ſchietto, & non ſi poſſa mettere drappo ſopra drappo, eccetto che taffettà ò ermeſino nell'eſtremita.

Dichiarando che li drappi prohibiti s'intendano tutti quelli ne'quali entri oro ò argento, buono ò falſo, & tanto teſſuti quanto non teſſuti.

Item non ſia lecito di portar nella cappa altra guarnitione che una banda intorno, di dentro ò di fuori di drappo non prohibito, largo mezzo palmo al piu, nella quale non ſi poſſano fare piu di ſei imbottiture, con un paſſamano ò frangetta, ò trina intorno alla eſtremita, la qual banda poſſa compartir ſi in due ò tre liſte ò rivetti, con due imbottiture per ciaſcheduna, & la cappa, cappotto, tabarro, ò feraiolo, non poſſano eſſer foderati d'altro che di roverſo ò taffettà, ò di pelli non prohibite, le quali pelli prohibite s'intendano zebellini, lupi cervieri, armellini, & martore eccettuata la cappo, la quale poſſa eſſer foderata di velluto, ſenz'altra guarnitione.

Item non ſia lecito uſare calzoni ò coſciali di drappi prohibiti, ne in quelli oro ò argento, buono ò falſo, ne ricamo ò intaglio di ſorte alcuna, ne diſegno di ricamo ma poſſano uſarſi li coſciali con trinci di drappo non prohibito, ſchietti ſenza ſorte di alcun' altro ornamento, che della fodera di tutto il coſciale di raſo, dobletto, toletto, ermeſino, ò taffettà, & coſì li coſciali di drappo non prohibito, perche non ſia ſeta ſopra ſeta.

Item nelle calzette di ſeta ò ligacci non poſſa portare oro ò argento, vero ne falſo.

Item non ſia lecito nelle ſcarpe di velluto portare trapuntatura di ſeta di altro colore che quello delle ſcarpe, ne fatui altra ſorte di ornamento.

Item le cinte delle ſpade non ſi poſſano portare ſe non di corame, ò di velluto, ſenza ricamo, & ſenza oro à argento vero ò falſo, ne ſmalto, ma poſſano ben le fibie eſſer indorate, ò inargentare, & ſimilmente le guarnition delle ſpade.

Item, perche non ſolo nel veſtir delle proprie perſone, ma ancora nelle livree dei ſervitori, & ornamenti de cavalli ſi eccede in molte ſpeſe, per queſto ſi prohibiſce il veſtir ſervitori, ſtaffieri, ò paggi di caſacca, ſaio, colletto, giubbone, cappoto, coſciali, calzoni di qualſivoglia drappo di ſeta, ma ſe li poſſa permettere una banda di drappo, overo al piu due bande di drappo, che non eccedano un terzo di palmo intorno alla cappa, cappoto, caſacca ſaio, colletto, ò calzoni, con unatrina ò paſſamano ſchietto ſenz'altro ornamento. Et ſi prohibiſce inoltre,

che non ſi poſſano veſtire di livrea piu di quatro perſone tre ſervitori è paggi.

Item non ſia lecito di portare gualdrappa ò coperta di velluto, ne di panno, che ſia guarnita di velluto, eccetto che d'una frangia ò trina di ſeta nell'eſtremità.

Item nelle ſelle di velluto non ſi poſſa portare guarnimento d'oro, ò d'argento, vero ò falſo ne ricamo, eccetto frange, trina, ò paſſamani di ſeta del medeſimo colore.

Item non poſſano portare finimenti di cavalli ſenon di corame ſenza fiocco di ſorte alcuna, ne manco miniati d'oro, ò d'argento, non prohibendo che le fibbie, borchie, briglie, ſproni, ò ſtaffe poſſano eſſer indorate ò inargentate.

### *Modi da oſſervarſi nel veſtir delle donne, & prima dell'habito delle Spoſe.*

*Moderatio circa veſtes ſponſarum.*

NOn ſia lecito alle ſpoſe di portare in teſta, ne ciuffi, ne fiori, veri ne artificioſi, ne ricci finti, ne piume, ne pennachi, ne magnoſelle, ne altra ſimil portatùra alta, ma debbano portar la tela ò panno liſtato che arrivi alla fronte al principio de i capelli, ancorche vadino in cocchio.

Item non poſſano portare altri ornamenti in teſta che perle ad oncia, & una fronzetta di gioie, & perle, che non ecceda il valor di ottanta ſcudi.

Item non poſſano portare pendenti da orecchia con gioie, eccetto che con perle, ò d'oro ſmaltato.

Item non poſſano portare camiſcie, colletti, ne altre coſe lavorate d'oro ò d'argento, eccetto li fazzoletti.

Item non poſſano portar guanti profumati, ma ſolamente lavati d'acque odorifere.

Item non poſſano portare piu d'uno overò due anella nelle dita che ambidue non paſſino il valor di cento cinquanta ſcudi.

Item non poſſano portare maniglie alle braccia ornate di perle, camei, ò qualſivoglia altra ſorte di gioie.

Item non poſſano portare cannacche ne corone di profumo, ne d'altra ſorte al collo, ne traverſo le ſpalle, ne alcune ſorte di banda, eccetto che al collo un vezzo di perle di un filo ſolo, il cui prezzo non paſſi ſcudi trecento, ò catena d'oro ſenza gioie, che non ecceda il valore di ſettanta ſcudi.

Item non poſſano portare cintura con gioie ò con perle, ne che la fattura ecceda trenta ſcudi.

Item nelle veſte ò zimarre di drappo non poſſano portare altre guarnitione d'oro ò d'argento, vero ò falſo, largo più d'un dito, tanto nelli buſti quanto nell'eſtremità ne poſſano eſſer veſte ne zimarre trinciate ne ricamate, & ſimilmente non poſſano portare pianelle con paſſamano d'oro ò d'argento, vero ò falſo.

Item non poſſano farſi ne portare più d'una veſte d'oro ò d'argento ſemplice, ſchietto, non trinciata ne ricamata, & ſenza guarnitione, eccetto che di una piſtagna diſteſa, ò trina, larga mezzo dito al più nell'eſtremità.

Item non poſſano portare la veſte con ſtraſcino che paſſi un palmo.

Item non poſſano portare ſottane d'oro ò d'argento, ne dove ſia in qualſivoglia modo oro, argento, vero ò falſo, ò ſorte alcuna di guarnitione, eccetto una ò due liſte ò una trina di ſeta, larga al piu mezzo dito, al buſto, maniche, & eſtremità.

Item nelle veſte non poſſano portare roſette, bottoni, ò puntali d'oro ne d'argento, ne gioie, ne perle, vere ò falſe, ò ſmalto.

Item non poſſano portare veſte, zimarre, traverſe, panni da teſta, ò qualſivoglia altra ſorte di rete, eccetto cuffie, colletti, & panni di ſpalle.

Item non poſſano portare berretta, ma ſolamente il cappello, con un paſſamano ò trina d'oro ò d'argento intorno, ſenza piume ò ricamo, ſenza puntali, roſette, medaglie ò gioie, vere ò falſe.

Item non poſſano portare veli ò buratti tranſparenti ſenz'altra veſte di ſotto.

Item non poſſano andare in maniche di camiſcie per Roma, ne à piedi, ne in cocchio.

Dichiarando che l'eſſer ſpoſa s'intenda per doi anni dal giorno che ſarà andata à marito, & non piu, per tutto il qual tempo poſſa portare li ſopradetti ornamenti, il qual paſſato ſia obligata di metterſi in panni.

Item che tutto quello che è prohibito alle ſpoſe, s'intenda ancora eſſer prohibito alle zitelle di qualſivoglia età, alle quali in oltre ſi prohibiſcono ancora le gioie vere ò falſe, le veſte d'oro ò d'argento, vero ò falſo, ricami, & intagli.

### *Dell'habito delle maritate meſſe in panni.*

*Moderatio circa veſ... mulierum coniugat...*

SI ordina, & dichiara, che tutto quel che è prohibito, come di ſopra alle ſpoſe, s'intenda eſpreſſamente prohibito ancora alle maritate meſſe in panni.

Item à neſſuna donna maritata, & meſſa in panni ſia lecito di portare alcuna veſte ò ſottana, ò zimarra di drappo, ne trincio, ne ricamo, ne intaglio, ne guarnitione d'oro ne d'argento vero ò falſo, eccetto creſpone ò buratto doppio, ne tranſperante.

Item non poſſano portare alcuna ſorte di pendenti all'orecchie, ne cannacca, ne catena di gioie ò d'oro, ne centura d'oro, ò di gioie, ò di ſmalto, ne corone di profumo, ne al collo, ne alla centura, ne in mano, eccetto che quando anderanno à nozze ò à feſte un vezzo di perle di un filo ſolo, del prezzo come di ſopra.

Item non poſſano portare fazzoletti ò colleti lavorati d'oro ò d'argento, vero ò falſo, ò di ſeta di colore.

Item nelle veſte di ſopra ò zimarre non poſſano mettere altra guarnitione che una piſtagna, trina, ò paſſamano negro ò pavonazzo, che non ſia largo più di mezo dito, & ſolamente intorno alli buſti, maniche & all'eſtremità.

Item non poſſano portare pianelle con alcuna ſorte di ornamento, ma ſemplici, & con un paſſamano di ſeta.

Item non poſſano andar fuori di caſa, ne à piè, ne in cocchio, ſenza portar ſopraietto ò panno liſtato, ſteſo, & ſenza pizzo.

Item andando à nozze, & à feſte, poſſano portar le camiſcie lavorate di ſeta di un color ſolo, & una veſte di drappo ſemplice.

### *Del veſtire & habito delle vedove.*

*Moderatio circa veſt... & habitu Viduarum.*

NOn ſia lecito alle vedove di portare altri panni che roggi, ò tinti de colore, che non ſia più oſcuro che roggio, & il panno liſtato non avanzi fuori della fronte più che uno ò due dita, & le lor veſte vedovili ſiano ſenza buſti, & ſe ſono aperte al petto, habbino la pezzetta roggia ſotto con il panno di ſpalla di ſopra, & con la cinta ſolita di tela bianza; & le lor veſte ſiano ſemplici, ſenza ornamento ò guarnitione di ſorte alcuna, & le maniche delle veſti ſiano di manera, che non ſi poſſano vedere le maniche delle ſottane, eccetto ſe le dette maniche fuſſero nere.

### *Moderatione delle doti.*

*Moderatio dotium fre... quentiſſimè dantur ma... jores dote... pravia ſup... plicatione... gratia Pap...*

SE bene altre volte fu fatto particolar ſtatuto ſopra la moderatione delle doti, & quello confirmato per Motu proprio dalla ſanta mem. di Papa Pio Quinto, nondimeno non eſſendo nella debita obſervanza, maſſime per domandar ſene continuamente derogatione, & tuttavia aumentandoſi le dette doti; per provedere cum nuova moderatione, conveniente à queſti tempi, à tal eceſſo che è cauſa di molti diſordini, & inconvenienti, & ha multo biſogno di reduttione.

*Nota qu... Innocent. IX... prohibuit pr... tali gratia quidquam exigi, ut inf... in eius con... ſtitut. 2. Ad Romanum.*

Si ordina che neſſuna perſona di qualunque ſtato, grado, ò preeminenza ſi ſia, ardiſca, ne præſuma conſtituire, promettere, pagare, ricevere, ancorche la donna foſſe herede, tanto in denari contanti, quanto in argento, oro, gioie, proventioni, ò altre coſe, etiamdio mobili, & ſe moventi, raggioni, & attioni, dote, & acconcio, in una ò più volte, che paſſi ò ecceda, & computata etiamdio caſſa bianca, bacile, & boccale, la ſomma di ſcudi cinque mila, & cinquecento di moneta, à raggione di dieci giulii

giulii per ſcudo, ne ſia lecito à queſto contravenire per alcun patto ò conſentimento, etiam giurato, da falſi per li contrahenti, & altre perſone terze, per cauſa, & occaſione di accreſcer ſomma dotale, conſtituir pegno, ò in qualũq; modo far fraude à queſta ordinatione, ad effetto che il marito ò la donna ò altri per eſſi, vengano ad haver più della detta ſomma di ſcudi cinquemila, & cinquecento in alcun modo, ò via diretta ò indiretta, alla pena di mille ſcuti ſimili, dã incorrerſi per ciaſcuno che contrafarà, & di applicarſi per la quarte parte all'accuſatore, qual ſarà tenuto ſecreto, l'altra parte all'eſſecutore, & per il reſto alla fabrica del Palazzo de Conſervatori della Camera di queſt' Alma Città di Roma, & nientedimeno pagata ò non pagata la detta pena, tutto quello che oltre la dette ſomma ſi deſſe, overò ancora con intervento di terze perſone, ſotto qual color ſi ſia di donatione, parafreno, ò altro titolo, etiam in perſona della donna, qual ſimilmente ſi prohibiſce ſotto la pena predetta, ipſo facto ſia applicato alla fabrica del Palazzo delli Conſervatori. Et ancora ſi ordina, che colvi che conſtituiſce, da, overò promette in alcun modo oltre la ſomma predetta, ò ſuo herede, ò ſucceſſore, overò li donna per la quale fueſſe data per verun tempo, venendo in caſo della reſtitutione, non poſſa ridemandare il ſopra più, & habbi perdutta ogni attione che in ciò & ſopra ciò li competeſſe, & detto ſopra più s'applichi ipſo jure alla fabrica predetta, come di ſopra, & che tutti ſimili contratti ò private ſcritture, quali ſopra ciù ſi faceſſero, ſiano quanto alla detta quantità eccеſſa, ipſo jure nulli & invalidi, & per vigore di eſſi non ſe ne poſſa fare alcuna eſſecutione, quanto alla quantità eccedente li ſcudi cinquemilla, & cinquecento. Ancora ſi prohibiſce à tutti & ſingoli Notarii, che non ardiſcano ne preſumano rogarſi d'alcun inſtrumento, qual ſia contra la prohibitione ſopraſcritta ne far ſcrittura che ſia incerta ò che ſi riferiſca à quella cedula privata, ò qualunque altra ſcrittura ò arbitrio d'huomo, ſotto pena del falſo, & di ſcudi ducento per ciaſcheduni loro che contrafarà, d'applicarſi come di ſopra, & detti contratti ſiano nulli, & invalidi ipſo jure, & nullius fidei, & eſſi Notari s'intendano non dimeno privati in perpetuo de lor' officii, & ſimilmente ſi prohibiſce che neſſuna perſona poſſa in ciò, come mezano intravenire, ò altrimente preſuma far cedula privata, overò eſſer teſtimonio in contratto ò cedula che fuſſe contra la prohibitione predetta, alla detta pena da incorrerſi & applicarſi come di ſopra. Si ordina ancora che nelle ſopraſcritte prohibitioni, & pene ſiano compreſi Baroni, Cortigiani, ò foraſtieri che apparetaranno con Romani, tanto originarii, come facti Cittadini, & incoli di Roma, ancorche ſiano Chierici, tanto dando & promettendo, quanto ricevendo, & ſtipulando, overò come mezano, notaro, teſtimonio, fidejuſſore, & promiſſore, ò in qualunque altro modo s'intromettano, porche uno delli conſorti, cioè ſpoſa ò marito, ò moglie, ſia Romano originario, overò fatto Citadino, ò pure incola di Roma.

### *Moderatione del donare nelle nozze.*

*Moderatio donationum in nuptiis.*

*Hoc habes ... conſt. ... V. citat. in rubr.*

NOn ſia lecito à padre, ò madre, ò altra congiunta perſona della ſpoſa, donare allo ſpoſo, ò ad altri per lui, direttamente ò indirettamente, nel tempo della ſubarratione, ò prima, ò poi alcun vaſo, bacile, ò boccale, coppa, nappo, catena, ò altro dono, tanto d'oro come d'argento, denari, gioie, perle, drappi, ò altra coſa, etiamdio non ſimile alla pena di ſcudi cinquecento, & perdita delle robbe, d'applicarſi come di ſopra.

Item à neſſuna perſona ſenza eccettione di parente alcuno, ſia lecito nel giorno, & altro dell' arraglia, ò publicatione del contratto del matrimonio per verba de preſenti, ne inanzi donare coſa alcuna di qualſivoglia ſorte alla ſpoſa, ma paſſato il detto giorno ſia lecito ſolamente alli parenti ſino al ſecundo grado di conſanguinità, & affinità, computato ſecondo il jus canonico incluſivè.

Item non ſia lecito allo ſpoſo mandare alla ſpoſa in Natale alcun preſente in robbe che ecceda il valor di ſcuti venti.

Item non ſia lecito allo ſpoſo donar alla ſpoſa più di due veſti, le quali pero non ſiano di drappo prohibito.

### *Moderatione de banchetti, & convivii.*

*Moderatio circa convivia.*

VOlendo anco limitar le ſoverchie ſpeſe che ſono introdutte nel far nozze, & banchetti.

Si ordina che non ſia lecito ad alcuno che fara nozze ò banchetto, dove ſiano più di dieci perſone, dare altro che l'infraſcrite vivande, cioè un'antipaſto di coſe fredde, & una portata in tavola di cucina d'arroſto & d'aleſſo inſieme, nella quale non ſi poſſano dar pavoni, ne lavori di paſta, ne piu di tre ſorte di carne, & di tre ſorte di vecellami, & dandoſi polli d'India, non ſi poſſi dar fagiani, & eſſendo fagiani non ſi poſſi dar polli d'India, & ſi poſſa dare un altro ſervitio di credenza, una ſorte di confettione, con frutti, cialdoni, & ciambellette, torte, & coſe ſimili, ne ſi poſſa mettere oro, argento, ne muſchio in altro che cotognate, ò fiori.

Et ſi prohibiſce ancora per occaſione di batteſimo, far colationi che eccedano dieci ſcudi di ſpeſa.

### *Moderatione de letti nuzziali.*

*Moderatio circa lectos nuptiales.*

NOn ſia lecito ad alcuna perſona per occaſione di nozze, ò di donne di parto, comprare ò far di nuovo letto, che ecceda il valore di ſcudi ducento, ſi permette, però che chi al preſente li hà in caſa fatti poſſa adoprarli.

### *Prohibitione nel donare, nel farſi i compari & le comari.*

*Prohibitio donandi inter compatres & commatres.*

NOn ſia lecito al compare ò comare di fare alcuna ſorte di preſenti, ne al compare, ne alla comare, ne al putto, così nel Batteſimo come nella Creſima, ſotto pena della perdita del dono à chi lo riceve, & della valuta di eſſo à chi lo dona.

### *Moderatione de cocchi.*

*Moderatio currus.*

NOn ſia lecito ad alcuna perſona alli cocchi ò carrozze che farà di nuovo far coperte, matarazzi, cuſcini, ſpalliere, & copertine de cavalli, ſenon di panno ò feltro ò corame ſemplice, con frangia ſola nell' eſtremità, ſenz' alcuna ſorte di drappo per fodera di dentro, & li finimenti de cavalli non poſſano coprire di coſa alcuna, & il cocchio non poſſa havere in doratura manco ne' pomi.

Et perche ſarebbe di molta ſpeſa à chi ſi trova il cocchio ò carrozza già fatti l'havere à riſarli ſubdito di nuovo, conforme alla preſente riforma, ſe li concede che poſſa ſervir ſene, ſinche ſiano conſumati, non oſtante detta riforma, ne ſia lecito di farli de nuovo dopò la publicatioue della preſente riforma, ſenon nel modo ſudetto.

### *Moderatione de funerali.*

*Moderatio circa funeralia.*

NOn ſia lecito all'eſſequie di accompagnare il morto alla Chieſa con più di tre ſervitori veſtiti ſemplicemente di lutto.

Non ſia lecito ad alcuna donna nel giorno dell'eſſequie di ſtar nella medeſima ſtanza, nella quale ſtara il corpo del defonto, & ſi eſſorta ciaſcuna di portar quell' habito modeſto che ſi conviene & richiede in tal atto di condoglienza.

### *Delle pene de i tranſgreſſori della preſente Riforma.*

*Contravenientium pœna.*

SI notifica à ciaſcuno, che le pene delli tranſgreſſori della preſente Riforma, ſaranno per ciaſcuna volta che ſi contraverrà, la perdita delle robbe, delle quali ſarà contravenuto, & in oltre di cento ſcudi, d'applicarſi la quarta parte all'accuſatore, qual ſarà tenuto ſecreto, & li tre quarti alla Camera del Popolo.

Dichiarando che nel tranſgredire che ſi farà da alcuna

gentil

gentil donna maritata contra la preſente riforma l'eſſecutione ſi farà contra i lor mariti, la qual pena ſi eſſigerà irremiſſibilmente, & anderà à diminutione della lor dote.

Et accioche la ſopradetta riforma ſi oſſervi inviolabilmente da ogn'uno, & ſi toglia ogni occaſione che poteſſe farli impedimento, ſi commanda eſpreſſamente à tutti gl'oreſici, ſarti, banderati, ſetaroli, ricamatori, & ad ogn'altro artiſta, che dalla publicatione della preſente riforma neſſuno ardiſcà far lavoro diverſo della ſopradetta riforma, ne manco trovare ò mettere in uſo alcuna maniera d'inventione ò lavoro nuovo, di ſeta ò di bottoni, ò di cuſcitura, quali inſino adeſſo nõn ſiano ſtati uſati, ſotto pena di tre tratti di corda, & ſcudi venticinque, & la perdita del loro per ciaſcheduna volta che contraverta, la qual pena s'applicarà come di ſopra, & ſi eſſeguirà irremiſſibilmente.

Dichiarando che le ſopradette riforme ſolamente ſopra li veſtimenti già fatti, ſi habbino da oſſervare paſſati ſei meſi dopo la publicatione della preſente riforma, & nel reſto dopo il giorno della publicatione ſopradetta.

Et che le veſti, ſottane, & zimarre di donne, & altri habiti prohibiti che ſi trovano già fatti, ſi poſſano fare acconciare per li figlivoli, & figlivole ſin'all'età di dieci anni.

Et per dar tempo ò foraſtieri che poſſano accomodare, & pigliare recapito de gl'habiti, & veſtimenti che ſi trovano già fatti, ſi dichiara che paſſati li ſei meſi ſopradetti alli foraſtieri che verranno per divotione, ò per altri negotii, ſi concede tempo di un'altro meſe di poter accomodare li ſuoi habiti, ſecondo la preſente riforma.

Et per oſſervanza della preſente riforma, ſi ordina al Senatore, & Conſervatori inſolidum pro tempore exiſtenti, i quali habbino cura che ſi metta in eſſecutione quanto in eſſa ſi contiene, & ſe gli da ſopra di queſto in ogni caſo delli ſopradetti, piena auttorità di procedere & far eſſeguire le pene ſopradette contra li traſgreſſori.

*Marcellus Niger deputatus.*
*Sebaſtianus Varus Deputatus.*
*Ego Hieronymus Alterius Deputatus.*
*Mutius Mattheus Deputatus.*
*Andreas Vellius Deputatus.*
*Stephanus Paparonius Deputatus.*
*Hieronymus Picus Deputatus.*

*Io. Dominicus Ninus Conſervator.*
*Livius Attracinus Conſervator.*
*Mercurius Amadeus Conſervator.*
*Petrus Benzonus Prior.*

Publicatio. *Anno à Nativitate Domini 1587. indictione 15. die verò 8. menſis Ianuarii, tempore præfati Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno ejus 2. ſupraſcripta literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Curiæ Capitolii, & Audientiæ cauſarum Palatii Apoſtol. & in acie Campi Floræ, dimiſſis copiis per nos Alamannum de Alamannis, & Ioannem Baptiſtam Bagni S. D. N. Papæ Curſores.*

*Alex. Parabiac. Mag. Curſ.*

---

LIII. Ampliatio Congregationis ſub invocatione Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, aliàs in Urbe inſtitutæ pro Scholaribus inſiſtentibus Studiis Collegii Societatis Jeſu, inſtitutæ ad quoſcumque alios, etiam non ſtudentes. Et facultas alias Congregationes aggregandi, eiſque indulgentias communicandi.

*Tu omninò vide normam aggregandi alias Congregationes cum indulgentiarum communicatione, in conſtitut. 115. Clementis VIII.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* Edita ... 15..

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus conſtituti, & pia ſalubria Chriſti fidelium vota, quæ ad Confraternitatum, ſeu Sodalitatum, præſertim in hac Urbe noſtra ritè inſtitutarum laudem, & gloriam cum animarum ſalute tendere dignoſcuntur, libenter exaudimus, ipſaſque Confraternitates, ſeu Sodalitates condignis titulis extollimus, ac aliàs deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus eiſdem Chriſti fidelibus ſalubriter expedire. Proœm.

§.1. Alias ſiquidem pro parte dilecti filii Claudii Aquavivæ Præpoſiti generalis Societatis Jeſu felicis recordationis Gregorio Papæ XIII. prædeceſſori noſtro expoſito, externos Scholares ad Collegia ejuſdem Societatis, &c. Greg. ... Inſtitu... gregatio... pro ... Scholar... in Eccl... Collegii ... Ieſu ... in ſua ...

Omittitur narrativa hujus conſtit. quia eſt ſup. Omnipotentis.

§.2. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Claudii Præpoſiti petitio continebat, ex Congregationibus, ſeu Sodalitiis hujuſmodi, novi in dies, atque eo majores quo plures ſunt Sodales, fructus provenire noſcantur, & in multis Collegiis pro Sodalium frequentia, ac diſparitate, opus fuerit non unam tantum, ſed plures in eodem Collegio Congregationes hujuſmodi inſtituere, quin etiam in eiſdem Collegiis, ac etiam domibus dictæ Societatis, alia non ſtudioſorum Scholarium, ſed aliorum piorum Chriſti fidelium Sodalitia, ſeu Congregationes paſſim inſtituantur. 97. ſup... Sed plur... eodem C... gio, ... ſolùm ... larium, ... etiam ... rum, ... oportet ... greg.

§.3. Ut igitur tam Scholares quàm cæteri Chriſti fideles eo promptiores ad hujuſmodi Congregationes vel Sodalitia ingredienda reddantur, & ad piorum operum exercitia magis excitentur, ac excitati manuteneantur, quo amplioribus cœleſtis gratiæ donis ſe ac eorum Congregationes, ſeu Sodalitia decoratos ac refectos, ac decorata, & refecta eſſe conſpexerint, pro parte dicti Claudii Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi ac pro tempore exiſtenti prædictæ Societatis Præpoſito, ſeu Vicario generali, ut in quibuſvis dictæ Societatis Eccleſiis, ſeu Domibus ac Collegiis, tam in Urbe quàm extra eam per univerſum Orbem, nunc, & pro tempore erectis, ſeu erigendis, quaſvis alias, ſive Scholarium tantum, ſive aliorum Chriſti fidelium, ſive utrorumque ſimul, tam ſub eodem Beatæ Mariæ Annuntiatæ, quam alio quovis titulo, & invocatione Congregationes, ſeu Sodalitia dicta auctoritate perpetuò erigendi, & inſtituendi facultatem, & licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur. Præpoſ... ergo ge... lis d. S... tatis ſ... cat Po... pro fac... tas in... tuendi.

§.4. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod literæ ſuper indulgentiis non expedirentur ad inſtar niſi ſpecificarentur, ac animarum ſalutem noſtris potiſſimum temporibus ſinceris deſideramus affectibus, Claudium Præpoſitum, ſeu Vicarium prædictum, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, poſterioribus ſupplicationibus hac in parte nobis porrectis inclinati, eidem Claudio, & pro tempore exiſtenti dictæ Societatis Præpoſito, ſeu Vicario generali, ut in quibuſvis ejuſdem Societatis Eccleſiis, ſeu domibus, ac Collegiis, tam in dicta Urbe quàm extra eam per univerſum Orbem, nunc & pro tempore erectis, ſeu erigendis, & inſtituendis, quaſvis alias, ſive ſcholarium tantùm, ſive aliorum Chriſti fidelium, ſive utrorumque ſimul, tam ſub eodem Beatæ Mariæ Annuntiatæ, quàm alio quovis titulo & invocatione Congregationes, ſeu Sodalitia, unum ſcilicet vel plura in ſingulis locis vel Eccleſiis, pro perſonarum frequentia, ſeu qualitate, auctoritate noſtra ſine alicujus præjudicio, perpetuò erigere & inſtituere. Hic id... eã ipſi... poſito ... dit.

§.5. Nec

§. 5. Necnon Congregationes, seu Sodalitia hujusmodi [illegible] jam nunc, & pro tempore [illegible], & instituta eidem Primariæ Congregationi, seu Primario Sodalitio, auctoritate Apoſtolica, & vigore præſentium literarum, etiam perpetuò aggregare, eiſque ſic erectis, inſtitutis, & aggregatis reſpectivè, eorumque Sodalibus, Scholaribus, & non Scholaribus, omnes, & ſingulas, tam plenarias, quam alias indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, necnon exemptiones, immunitates, cæteraſque gratias, facultates, indulta, & privilegia, ſpiritualia, & temporalia, tam dictæ Primariæ, quàm ſingulis aliis in quibuſvis dictæ Societatis Collegiis, vel domibus aggregatis, vel aggregandis Scholarium, & aliorum Congregationibus, ſeu Sodalitiis hactenus, tam per dictum, quàm alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Noſque & Sedem Apoſtolicam, ac etiam Regia, & Imperiali auctoritate, ac tam per viam extenſionis, quam alias quomodolibet, & quandocumque conceſſas, & conceſſa hactenus, ac in poſterum concedenda quibuſcumque aliis, ſive Scholarium dumtaxat, ſive aliorum Chriſti fidelium tantum, ſive utrorumque ſimul ac mixtim Congregationibus, ſeu Sodalitiis, in quibuſlibet Collegiis, aut domibus dictæ Societatis hucuſque inſtitutis, ac in poſterum inſtituendis, eorumque Sodalibus, Scholaribus, & non Scholaribus, auctoritate Apoſtolica, & vigore præſentium hujuſmodi, etiam perpetuò communicare, illaſque & illa ad eaſdem omnes Congregationes, ſeu Sodalitia, eorumque Sodales, etiam non Scholares, indifferenter, & æquè principaliter extendere, ac etiam illis concedere, & elargiri liberè & licitè valeat, ita quod nunc, & quandocumque in futurum ipſi Sodales, Scholares & non Scholares, quicumque ſint, faciendo & obſervando ea, quæ Sodales Primariæ, & aliarum Congregationum, ſeu Sodalitiorum prædictorum, pro indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, relaxationibus, & aliis gratiis prædictis conſequendis facere, & exequi tenentur, ipſas indulgentias, etiam plenarias, & alias hujuſmodi gratias plenariè, & integrè cõſequantur, ac illis fruantur, & potiantur, ac ſi illæ eis ſpecialiter, & ab initio conceſſæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentiũ perpetuò indulgemus, dictique Gregorii prædeceſſoris literas, & immunitates, exemptiones, facultates, privilegia & indulta, necnon in eis contenta quæcumque, tam reſpectu dictarum Congregationum, ſeu Sodalitiorum hujuſmodi, quàm dicti, & pro tempore exiſtentis Præpoſiti, ſeu Vicarii generalis dictæ Societatis ad prædictas Congregationes, ſeu Sodalitia Scholarium & non Scholarium, etiam Chriſti fidelium quorumcumque, tam erectas, quàm in poſterum, ut præfertur, erigendas, inſtituendas, ac aggregandas, pariter perpetuò extendimus, ita ut omnia in illis contenta, & præſentibus literis hujuſmodi conceſſa, indulta, & elargita, ac ſi ſpecialiter de verbo ad verbum eiſdem præſentibus inſerta, eorumque toti tenores expreſſi forent, conceſſa eſſe intelligantur.

*Clauſula observatiæ.* §. 6. Decernentes eaſdem præſentes literas ſub quibuſcumque ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam in favorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Urbe, ſeu Cruciatæ ſanctæ, aut etiam per Nos, ſeu alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac dictam Sedem, etiam Motu proprio, etiam poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumvis Imperatorum, & Regum inſtantiam pro tempore quomodolibet factis, minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.* §. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac voluntate noſtrâ prædicta, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod ſi dictæ Congregationes, aut Sodalitia, vel eorum quæcumque aliquo modo eidem Societati vel Domibus, ſeu Collegiis aliquod impedimentum, ſeu præjudicium pro tempore attulerint, idem Præpoſitus, ſeu Vicarius, illas vel illa, aut eorum ſingulas vel ſingula diſſolvere poſſit.

§. 8. Quodque præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarii ipſius Societatis, aut Notarii publici ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu ipſius Præpoſiti, aut Vicarii generalis pro tempore exiſtentis ejuſdem Societatis ſigillo munitis eadem prorſus fides ubique locorum in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Fides danda tranſumptis.*

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1587. Nonis Januarii, Pont. noſtri anno 2. *Dat. P. A. die 5. Ian.*

## De Inceſtis quibuſdam caſibus ultimo ſupplicio in ſtatu Eccleſiaſtico puniendis. LIV.

*SIXTVS PAPA QVINTVS,* *Edita A. D. 1587.*
*Motu proprio, &c.*

VOlentes, quantum in nobis eſt, comprimere effrænatas, & flagitioſas hominum libidines, ex quibus præter gravem Divinæ Majeſtatis offenſam, multa, & magna in dies ſcandala, cum ingenti animi noſtri dolore exoriri videmus, ac ſubditos potiſſimùm noſtros, quorum ſalutis præcipuam, & peculiarem gerimus ſollicitudinem, peccandi licentia remota, ad pudicitiæ & caſtimoniæ ſtudia ſalubribus edictis incitare. Ac attendentes gravia quædam inceſtus crimina, tum naturali lege damnari, ſicuti legimus Ruben, quia violavit torum patris ſui, primogenituram, & illius benedictionem perdidiſſe, tum & ab ipſo Domino in lege prohiberi inter alias inceſtas cum affinibus vel conſanguineis conjunctiones, ne quis uxoris patris ſui, neve nurus ſuæ, neque uxoris fratris ſui turpitudinem diſcooperiret, neque ſororem uxoris ſuæ in pellicatum acciperet, ea adhuc vivente; pœnas quoque graviſſimas in eadem lege inflictas fuiſſe, cum dicit, eos qui cum noverca ſua, vel cum nuru ſua dormierint, vel ſupra uxorem filiam duxerint matrem ejus, omnes morte mori debere. Inſuper Apoſtolum acriter reprehendiſſe Corinthios ob hujuſmodi cauſam, illis verbis: Omninò auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris ſui aliquis habeat. Legibus etiam ſæculi inter affines, veluti inter ſocerum, & nurum, ſocerum & generum, vitricum, & privignam, novercam, & privignum, levirum & uxorem fratris, atque alias hujuſmodi inceſtas conjunctiones variis pœnis vetitas fuiſſe; ſed & inceſtum cum his perſonis fornicariè committentes, graviori animadverſione coërceri. Præterea viſum eſſe eam mulierem non rectè facere, quæ in patris concubinatu fuit, deinde in filii vel nepotis eſſe cœpit, vel contrà, quod nefaria ſit talis conjunctio, & ideo hujuſmodi facinus prohibendum ſit. Itidemque ſub pœna ſtupri interdictum eſſe ne liberi concubinas parentum ſuorum uxores ducerent: ac demum ſecundum ſacros Canones affinitatis, non modò ſi ex legitimo matrimonio, verum etiam ſi ex fornicario & illicito coïtu proveniat, rationem habendam eſſe, eodem Apoſtolo dicente: An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur: Erunt enim, inquit, duo in carne una; adeò ut inter perſonas hujuſmodi affinitate conjunctas, uſque ad certos gradus matrimonia conſtare non poſſint, & præterea nequaquam tolerabile videri, ut homines cum quibuſvis perſonis, ſine ullo earum delectu & diſtinctione; nulla etiam ratione habita reverentiæ, erga eas præcipuè perſonas quibuſcum hujuſmodi arcto affinitatis vinculo conjuncti ſunt, nedum divino, ſed & naturali quodam jure debitæ, more belluarum impunè ac temerè miſceantur. Et ne eorum impunitatis exemplo alii deinceps in abominandam hanc libidinem prolabantur, ſed potius, ut qui Dei benignitate eos ad pœnitentiam expectante non corriguntur, condigna punitione coërceantur.

*Cauſa hujus conceſſionis.*

*Tot. tit. Cod. & Auth. de Inceſt. nup. & Inſtit. tit. d. Nup. & l. 24. cum ſeq. Dig. de Rit. Nup.*

*Cap. 6. & c. pen. De eo qui cogn. conſang. & ibi DD.*

§. 1. Motu ſimili, & ex certa ſcientia, &c. auctoritate Apoſtolica perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ut in poſterum in Alma Urbe noſtra, vel in quacumque alia Civitate, Oppido vel loco, noſtræ & Romanæ Eccleſiæ *Vir ſcienter Matrem & Filiam, ſive duas germanas cognoſcens.*

ſiæ ditioni in temporalibus ſubjectis, quicumque auſu nefario, ſciens matrem & filiam, ſive duas ſorores germanas carnaliter cognoverit, etiamſi eæ, earumve altera publicæ meretrices fuerint, ſive clam, ſive palam, aut ſignata matrimonii tale crimen admiſerint, ſive etiam cum altera earum legitimo matrimonio conjunctus exſtiterit, pœna ultimi ſupplicii plectatur.

*Mulier peccans cum eo, cum quo ſcit matrem, aut filiam, aut ſororem ſuam rem habuiſſe.*

§. 2. Quæ itidem pœna mulier puniatur, quæ ſciens matrem aut filiam vel ſororem ſuam cum aliquo viro rem habuiſſe, eidem viro ipſa quoque ſui corporis copiam fecerit.

*Mulier cum patre & filiis, vel duobus fratribus ſcienter peccans.*

§. 3. Similiter volumus unamquamque mulierem, etiamſi inſtigante humani generis hoſte eò devenerit impudentiæ, ut corpore publicè quæſtum faciat, quæ cum patre, & filio, ſive cum duobus germanis fratribus, ſcienter ſe carnaliter commiſcuerit, ſive à prædictis ſciens ſe carnaliter cognoſci permiſerit, etiamſi eorum alteri legitimo toro copulata fuerit, pœna ultimi ſupplicii puniri.

*Vir ſciens eius patrem, vel filii, aut fratrem cum muliere peccaſſe, ſi cum ea ipſe peccaverit, ultimi ſupplicii pœnam incurrant.*

§. 4. Idque etiam in eum virum volumus obſervari, qui ſciens patrem aut filium vel fratrem ſuum cum muliere aliqua rem habuiſſe, ipſe etiam eandem mulierem carnaliter cognoſcere non erubuerit.

*Decretum irritans.*

§. 5. Decernen. ſic in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari, & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Iudicum auctoritas procedendi contra in prædictos delinquentes, eorumque fautores, iuxta formam huius conſt.*

§. 6. Et nihilominus mandamus univerſis & ſingulis dictæ Urbis, ac totius Status noſtri Eccleſiaſtici Judicibus ordinariis quavis dignitate & auctoritate fungentibus, modernis & pro tempore exiſten. quibus contra reos talium criminum juriſdictio competit, vel in futurum competet, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, in eos qui juxta præmiſſa criminoſi, & delinquentes fuerint, ut ſupra diſpoſitū eſt animadvertant, contumaces, rebelles, & inobedientes, eiſque auxilium, conſilium vel favorem præſtantes per opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam vel adhibito ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogatoria.*

§. 7. Non obſtan. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Urbis, ac aliarum ejuſdem Status Provinciarum, Civitatum, Oppidorum & locorum ſtatutis, novis reformationibus, conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis illarum Civibus, Incolis, Populis, & Magiſtratibus, aut aliis perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentis Motus proprii ſola ſignatura ſufficiat, & ubique tam in judicio quàm extra illud, & tam in Rom. Curia quàm extra eam, plenam & indubitatam fidem faciat, regula contraria non obſtante.

*Forma & effectus publicationis huius conſt.*

§. 8. Utque in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac acie Campi Floræ, more ſolito affigatur, & eo detracto illius exempla, etiam impreſſa, inibi affixa relinquantur, factaque hujuſmodi publicatione, hic in Urbe poſt quindecim, extra verò eam poſt triginta dies quoſcumque perinde arctet, & afficiat, ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatus fuiſſet.

*Officiales curent in certis locis hanc conſt. publicari.*

§. 9. Sed & quo facilius poſſit ad ſingulorum notitiam pervenire, mandamus omnibus & ſingulis Legatis, Vicelegatis, Præſidentibus & Gubernatoribus Provinciarum & Civitatum quarumcunque dictæ noſtræ ditionis Eccleſiaſticæ, ut in ſua quiſque reſidentia, & in aliis Terris, & Oppidis eis benè viſis curent eundem Motum proprium, illiuſve tranſumpta in locis conſuetis, de more publicari.

*Exemplis credatur.*

§. 10. Ac decernimus ipſis tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio & extra illud ubique eandem fidem adhibendam quæ eidem ſignaturæ præſentis Motus proprii adhiberetur, ſi eſſet exhibita vel oſtenſa.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Non. Aprilis, Anno 2.

Placet Motu proprio. M.

*Dat. P. A. die 5. A. Papa ſ.*

*Anno à Nativitate Domini 1587. indict. 15. die verò 8. menſis Maii, Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papa V. anno ejus 3. retroſcripta literæ affixæ, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, per me Io. Baptiſtam Bagni, & Octavium Taglietum Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

*Publica...*

---

## Præfinitio Titulorum, & Diaconiarum pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus. LV.

*Cardinalium numerum, ordinem, ſtatum, officium & qualitates edixit hic idem Pont. ſup. in conſtit. 50. ubi cætera de Card. notavi.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A... 1586.*

Religioſa Sanctorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum providentia inſtitutum olim fuit, jam inde vetuſtiſſimis temporibus, & poſteris traditum, ut S.R.E. Presbyteris certæ in Urbe Roma Eccleſiæ, Tituli appellatæ, quaſi quædam cujuſque propriæ diœceſes; Diaconis verò, Urbis regiones ad Chriſtianæ Religionis propagationem & conſervationem aſſignarentur. Quæ quidem ſancta inſtitutio plurium ſæculorum continuata ſerie, ac pro temporum varietate ſuſceptis incrementis, ad noſtram uſque ætatem ſervata, ita viget, ut præter ſex Epiſcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Eccleſiis Urbi finitimis præſunt, ſingulis Presbyteris & diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Eccleſiæ, Tituli videlicet, & Diaconiæ cum ſuis Clero & Populo, ac quaſi Epiſcopali juriſdictione in ſpiritualibus & temporalibus regendæ & adminiſtrandæ committantur.

*Ex antiquiſſima inſtitutione ſi... quadam ... thedrales Eccleſiæ ... finitimæ ... gnari Cardinalibus ... piſc. & ... Urbis ... ſiæ aliis Card. Presbyteris ... que Card. Diaconis ...*

§. 1. Proinde nos, poſtquam per noſtram nuper editam conſtitutionem, creandorum Cardinalium numerum, computatis ſex Epiſcopis prædictis, quatuordecim Diaconis, reliquis verò Presbyteris Cardinalibus, ad ſeptuaginta præſcripſimus, nunc quoque ad Dei honorem atque ad ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ decus & ornamentum, ac Romani Cleri & Populi bonum regimen, ſalubremque directionem, eiſdem Presbyteris, & diaconis Cardinalibus totidem titulos & Diaconias, ipſorum amplitudini & dignitati maximè congruentes, duximus aſſignandos. Ac licet pleræque ex antiquis Eccleſiis in titulos & Diaconias concedi ſolitis, aut à prædeceſſoribus noſtris ſucceſſu temporum additis, adhuc integræ, & illæſæ permaneant, tamen quia nonnullæ, tum diuturnitate & injuria temporum, tum diverſis quæ olim contigerunt ejuſdem Urbis direptionibus, incendiis, & ruinis collapſæ ſunt: Nos antiquæ pietatis, & Religionis Chriſtianæ monumenta conſervare cupientes, ſicuti Sacroſanctas Baſilicas, & auguſtiora templa antiquitate ipſa veneranda, nedum ſarta tecta cuſtodiri, ſed & ingenti noſtro ſumptu refici, inſtaurari, & ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres, & nobiles Eccleſias, priſcis temporibus in titulos Presbyterorum Cardinalium, ut præfertur, inſtitutas delegimus, eaſque omnes quæ adhuc extant, volumus omninò in titulos pro modernis, & futuris Presbyteris Cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quæ recenti memoria in titulos erectæ fuerunt, prætermiſſis quibuſdam, propter loci incommoditatem, aut aliàs minus idoneis, cæteras itidem retinere, ac demùm, ne titulorum numerus Presbyteris Cardinalibus deſit, exemplo nonnullorum noſtrorum prædeceſſorum, alias partim antiquas, nondum tamen hujuſmodi honore decoratas, partim verò recentiores, celebres tamen Eccleſias, dignitate Præſulum majorem in modum illuſtrare, &

*Pont. iſt... Eccleſias Titulos ... Diaconias pro eis determinat.*

in

in ſimiles titulos erigere, & inſtituere, ac pro [illegible] Presbyterorum Cardinalium tot Titulos addere, & ſupplere, ex Diaconiis quoque antiquitus inſtitutis, quatuordecim magis inſignes pro totidem Diaconis Cardinalibus ſeligere, & congrua diſtinctione confuſionem perpetuò tollere decrevimus, eoſdem nimirum Titulos, & Diaconias proprios cujuſque ordinis certos, & diſtinctos aſſignando, ita ut nunquam in poſterum, quod hactenus ſæpe factum eſt, Presbyteris Diaconiæ, neque Diaconis Tituli presbyterales perturbato ordine, aut promiſcuè concedantur. Quod quidem rationi conſentaneum videtur, ut quemadmodum Summus Pontifex univerſali Eccleſiæ præſidens & omnium totius Orbis Eccleſiarum ſollicitudinem gerens, ſpecialiter tamen Vrbis Romæ Epiſcopus exiſtit, & in ea divina diſpoſitione ſupremam Sacerdotalis poteſtatis Cathedram tenet, pari quoque ratione Cardinalibus, quos uti ſpeciales S.R.E. filios in Apoſtolici muneris functione, atque in univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtratione præcipuos, ſibique maximè conjunctos habet conſiliarios & cooperatores in eadem Urbe Roma, quæ olim B.Petri Sede in ea conſtituta, ipſius, & Coapoſtoli ejus Pauli doctrina, & martyrio conſecrata, & caput Chriſtiani Orbis, & religionis effecta eſt certa Sedes, manſionem, & locum unicuique proprium aſſignet, cujus quidem loci conceſſione iidem Cardinales, & ſui officii admoneantur, & reſidentiæ, quam aſſiſtendo ipſi Romano Pontifici ſervare debent, & vel ex hoc magis tanquam in unum corpus compacta membra, ſacro capiti connexa eſſe, & ab illo dependere clariùs dignoſcantur.

*Titulosque [de]ſcriptos [qu]inquaginta Presb. Card. ordinat, & eis aſſignat.*

§.2. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus noſtris ejuſdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum conſilio, & aſſenſu ſtatuimus & ordinamus in poſterum perpetuis futuris temporibus, Presbyteris Cardinalibus, has tantum, quæ infra deſcriptæ ſunt, Eccleſias, neque alias in titulos aſſignari debere, videlicet ex antiquis S.Crucis in Hieruſalem, SS. Marcellini, & Petri, SS. Quatuor Coronatorum, SS.Joannis, & Pauli, Sanctæ Anaſtaſiæ, S.Sabinæ, S.Stephani in Cœlio Monte, S. Clementis, SS.Nerei, & Achillei, S.Suſannæ, S.Pudentianæ, Sancti Sixti, Sancti Petri ad Vincula, Sancti Martini in Montibus, Sancti Euſebii, S.Priſcæ, S. Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, S.Laurentii in Lucina, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, S. Laurentii in Damaſo, quæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario pro tempore exiſtenti perpetuò conceſſa, & aſſignata eſt, S.Balbinæ, S. Cæciliæ, & Chryſogoni, S. Praxedis, S. Mariæ Tranſtiberim. Ex poſterioribus verò SS. Quirici, & Iulitæ, S. Joannis ante Portam Latinam, S.Agnetis in Agone, S. Laurentii in Paliſperna, Sancti Thomæ in Parione, S.Sylveſtri in Campo Martio, Sancti Pancratii, Sācti Bartholomæi in Inſula, S.Matthæi in Merulana, S.Mariæ de Aracœli, Sanctæ Mariæ in Via, Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis, Sancti Hieronymi Illyricorum, necnon quas ſupradictis antiquis & poſteriùs, inſtitutis addimus, & ex nunc in Titulos Presbyterorum Cardinalium, cum honoribus, inſignibus, privilegiis, auctoritatibus, & præeminentiis debitis, & conſuetis, inſtar aliarum Eccleſiarum, quæ in ſimiles titulos per noſtros prædeceſſores antiquitus erectæ, & inſtitutæ fuerunt, ſine alicujus præjudicio, perpetuò erigimus, & inſtituimus, ac titulorum nomine, & dignitate inſignimus, & decoramus, S. Honuphrii in Ianiculo, mutato illius ſtatu ex Diaconia quæ hactenus fuit, in titulum presbyteralem, Sancti Auguſtini, Sanctæ Mariæ de Populo, Sancti Alexii in Aventino, Sancti Blaſii de Annulo, S. Mariæ de Pace, Sancti Salvatoris de Lauro, Sancti Petri in Monte Aureo, Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Princio, Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ.

*Diaconias quoque hic narratas, & pro 14. Diaconis. Card. ordinat, & eis aſſignat.*

§. 3. Ex Diaconiis verò antiquis ſtatuimus retinendas eſſe tantummodo quatuordecim infraſcriptas, videlicet S.Mariæ in Aquiro, Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Sanctorum Coſmæ & Damiani, Sanctæ Mariæ Novæ, Sancti Hadriani, Sanctæ Mariæ in Via lata, Sanctæ Mariæ in Porticu, Sancti Angeli in foro Piſcario, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Sanctæ Mariæ in Dominica, Sancti Euſtachii, Sancti Viti in Macello, Sanctæ Agathæ, ac Sancti Georgii ad Velabrum Eccleſias, quæ inſigniores exiſtunt, & præſcriptum à nobis Diaconorum Cardinalium numerum exæquant.

*Epiſcopatus pro ſex Epiſcopis Card. delegati.*

§.4. Ita ut computatis Eccleſiis Cathedralibus, videlicet Oſtienſi & Veliterna invicem unitis, Portuenſi & S.Rufinæ itidem unitis, Albanenſi, Sabinenſi, Tuſculana, Prænestina, quibus ſex Epiſcopi Card. præſunt, & titulis presbyterorum ſuperiùs deſignatis, numerum ſeptuaginta Eccleſiarum conſtituant.

*Alium tit. pro Vicecancell. ſtatuit juxta conſt. Clem. VII. quæ eſt 34. ſupra.*

§.5. Et alter præterea titulus ſupra numerum additus ſit, ut ſi quando contingat Diaconum vel Epiſcopum Cardinalem Vicecancellarium eſſe, & ideò eundem dictæ Eccleſiæ Sancti Laurentii in Damaſo, quæ Vicecancellario pro tempore exiſtenti per literas fel. rec. Clement. Papæ VII. prædeceſſoris noſtri perpetuò, ut præfertur, conceſſa & aſſignata fuit, præeſſe alicui presbytero Card. proprius titulus non deſit.

*Eccleſias quæ aliter quam ut ſupra, & etiam alias quam ſup. expreſſa ſunt, à Cardinalibus obtinentur, ex nunc vacare decernit.*

§. 6. Omnes verò illas Eccleſias, quæ per præſentem noſtram conſtitutionem presbyteris Cardinalibus, etiam forſan ex diſpenſatione Apoſtolica, pro Diaconia obtinentur, itidem omnes & quaſcumque ex quatuordecim ſuperius enumeratis Diaconiis, quæ Presbyteris Cardinalibus in Titulos forſan, etiam ex ſimili diſpenſatione conceſſæ alias fuerunt, & ab iis obtinentur, demum omnes & quaſcumque Eccleſias ſuperiùs non expreſſas, ipſis presbyteris aut Diaconis Cardinalibus, in titulos aut Diaconias commiſſas & aſſignatas, ac per ipſos obtentas volumus & decernimus per præſentes ex nunc eo ipſo vacare, & quaſcumque illarum aſſignationes, conceſſiones, necnon diſpenſationes deſuper, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac de ſimili fratrum conſilio expeditas, quæ à prædeceſſoribus noſtris, quæque à nobilmetipſis emanarunt, literaſque Apoſtolicas deſuper confectas, proceſſuſque habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque caſſamus, irritamus, & annullamus, irritaque & nulla, ac nullius roboris vel momenti eſſe nuntiamus, mox aſſignaturi eiſdem Cardinalibus, ex quorum perſonis Eccleſiæ in Titulos aut Diaconias per eos hactenus obtentæ, vigore hujus noſtri Decreti vacant, & eorum cuilibet alios Titulos, aut Diaconias ex ſupradicto numero, proprio cujuſque ordini congruentes.

*Eccleſiaſque prædictas tantum, & non alias, in Titulum, & Diaconiam, Cardinalibus modo & forma prædictis in futurum aſſignari præcipit.*

§.7. In aliis verò, præterquam ſupranominatis Eccleſiis, etiam earum aliquæ in titulos presbyterorum, aut denominationes Diaconorum Cardinalium concedi ſolitæ ſunt, & Cardinales iis præfici conſueverunt, (quarum ſingularum ſituationes & invocationes præſentibus haberi volumus pro expreſſis) nomina, inſignia, denominationes, & ſtatum hujuſmodi Titulorum aut Diaconiarum perpetuò ſupprimimus & extinguimus, ac diſtrictè etiam interdicimus, ne de cætero unquam perpetuis futuris temporibus, alia quàm ex ſupraſcripta numero Eccleſia, in Titulum aut denominationem Cardinalatus cuipiam presbytero aut Diacono Cardinali concedatur, aut aſſignetur, neque aliis quàm ſupranominatis Titulis aut Diaconiis, presbyteri vel Diaconi Card. præficiantur, neve unquàm aliqua ex ſupradictis diaconiis presbytero, neque contra, ullus ex dictis Titulis Diacono Cardinali quomodolibet concedatur vel aſſignetur, neque cum iis, aut eorum aliquo ex quavis cauſa deſuper diſpenſetur.

*Licentias retinendi Eccleſiam prioris Tituli, vel Diaconiæ Cardinalibus concedi prohibet.*

§.8. Sed & decreta alias in Conſiſtorio ſuper hoc edita innovantes & ampliantes, pari ratione etiam perpetuò prohibemus, ne in poſterū alicui presbytero aut Diacono Cardinali, qui alterum Titulum aut Diaconiam quomodolibet aſſecutus fuerit, quive ex ordine Diaconorum ad ordinem Presbyterorum, vel ad Epiſcopalem dignitatem tranſierit, aut ex ordine presbyteratus in Epiſcopum pariter promotus fuerit, licentia & facultas retinendi priorem Eccleſiam ſui tituli vel Diaconiæ in adminiſtrationem aut in titulum, neve Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, officiorum aut beneficiorum dimiſſi Tituli vel Diaconiæ collatio, neque Palatii, domus, vineæ, hortorum, aut fructuum, reddituum, & proventuum, aut jurium quorumcumque ad hujuſmodi Titulos, ſeu Diaconias pertinentium, ad tempus ſeu ad vitam retentio, aut ulla alia reſervatio, quovis

prætextu, occaſione, vel cauſa, etiam melioramentorum & ſumptuum in illarum reparationem, neceſſitatem, ſive utilitatem factorum, concedantur; ſed volumus ut ipſi Tituli & Diaconiæ, cum illis annexis, juribuſque & pertinentiis ſuis univerſis liberæ dimittantur.

*Cardinaleſque in ſubſcriben. literis Apoſt. nomen Tituli aut Diaconiæ aut Epiſcopatus ſui exprimere debent. Decretum irritans.*

§. 9. Inſuper præcipimus & perpetuò ordinamus, ut de cætero in quibuſcumque literis Apoſtolicis, in quibus Cardinalium ſubſcriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam Tituli, ſeu Diaconiæ vel Epiſcopatus ſui Cardinalatus nomine expreſſo ſe ſubſcribant.

§. 10. Decernentes per hujuſmodi erectionem & inſtitutionem decem prædictas per nos in titulos erectas Eccleſias tantummodo novis privilegiis & dignitate auctas, decoratas, & inſignitas; nihil autem omninò præjudicii cuiquam illarum, nihil alieni juris detractum, aut immutatum cenſeri poſſe aut debere, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, & Cardinales prædictos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate; & in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis, eorumve aliquo à quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 11. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. ac Eccleſiarum ſupradictarum, & aliarum quarumcumque, necnon Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. illis, ac quibuſvis perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Cardinales circa iſtarũ Eccleſiarum regimen & adminiſtrationem gerãt ſe juxta cõſt. 7. Leõ. X. ſup. Superna.*

§. 12. Sic igitur ipſi Cardinales, quibus hujuſmodi Eccleſiarum regimen, cura, & adminiſtratio pro tempore commiſſa erunt, eas in ſpiritualibus & temporalibus ſollicitè, fideliter & prudenter regant & gubernent, ac juxta conſtitutionem piæ memoriæ Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri in Concilio Lateranenſi noviſſimè celebrato editam, frequenter viſitent, circa cultum divinum invigilent, mores ac vitam cleri & populi eis ſubjecti diligenter explorent, eoſque ad rectè & honeſtè vivendum paterno moneant affectu, bonorum, ac temporalium reddituum curam gerant, ſic ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem, pia & magnifica ſtructura & fabrica ſuas quique Eccleſias inſtaurare ſtudeant & exornare; & tam in vita quàm in mortis articulo, pro divini cultus augmento, & ſalute animarum ſuarum, ad congruè ſuſtentandum aliquem Presbyterum, qui inibi in divinis deſerviat, ſive alias erga ipſas Eccleſias, ſi reparatione indigeant, vel alia ſubventione, de bonis ſibi à Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conſcientia dictaverit, munificos ſe exhibeant & liberales, ut earundem Eccleſiarum decora & ornamenta tantorum Præſulum reſpondeant dignitati, ac ipſæ Eccleſiæ tam ſublimibus perſonis gaudeant ſe commiſſas, & eorum amplitudine illuſtratas, iidemque Cardinales exinde ipſius S. R. E. cujus nobiliſſima membra ſunt, majeſtatem ſua pietate, ſollicitudine, & prudentia in dies magis extollant, & reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum inſigniter augeant, ac denique præter æternæ retributionis præmia, digna quoque laudum præconia à nobis & Apoſtolica Sede valeant promereri.

*Juſſio deſcribendi hanc cõſt. in quinterno Cãcell. Apoſt. Sanctio pœnalis.*

§. 13. Mandamus verò, ut præſentes literæ in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ de more deſcribantur.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatutorum, Ordinationum, erectionis, inſtitutionis, inſignitionis, decorationis, voluntatum, decretorum, caſſationis, irritationis, annullationis, nuntiationis, ſuppreſſionis, extinctionis, interdicti, innovationis, ampliationis, prohibitionis, præcepti, derogationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1587. Idibus Aprilis, Pont. noſtri anno ſecundo. *D.P.A... die 13...*

**Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.** *Papa ſ...*

*Card. ſ... ſcripti...*

Ego A. Cardinalis Farneſius Vicecancellarius, Epiſcopus Oſtien.
Ego Jac. Card. Sabellus Epiſc. Portuen.
Ego Jac. Anton. Card. S. Georgii Epiſc. Tuſc.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Epiſcopus Sabinen.
Ego M. S. Card. ab Altaëmps tit. S. Mariæ Tranſtiberim.
Ego M. Ant. Card. Columna tit. S. Laurentii in Lucina.
Ego Gabr. Card. Paleotus tit. S. Martini in Montibus.
Frater Michaël Bonellus Card. Alexandrinus tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ludovicus Card. Madrutius tit. S. Anaſtaſiæ.
Ego N. Card. S. Praxedis Sanctorius.
Jul. Ant. tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyt. Cardin. S. Severinæ.
Ego Hier. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ.
Jo. Hier. Card. Alban. tit. S. Joannis ante Portam Latinam.
Ego P. Card. Deza.
Ego Ant. Card. SS. Joannis & Pauli.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor Coron.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Jul. Card. Cananus tit. S. Euſebii.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus.
Ego Aug. Card. Veronæ tit. S. Marci.
Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Card. Montis regalis.
Ego Philippus tit. S. Sabinæ, Card. Spinola.
Ego Scipio Card. Lancell.
Ego Vincentius Card. Gonzaga.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani.
Ego Hipp. Card. Papien. tit. S. Mariæ in Porticu.
Ego Decius Card. Azzolinus tit. S. Matthæi in Merulana.
Ego Hipp. Aldob. tit. S. Pancratii Major Pœnit.
Ego Hier. Card. de Ruvere tit. S. Petri ad Vincula.
Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus.
Ego Ferd. S. Mariæ in Via lata Diac. Card. de Medices.
Ego Philippus S. Euſtachii Diaconus Card. Vaſtavill. Camerarius.
Ego A. Card. Montaltus.
Ego Hier. S. Hadr. Diac. Card. Matthæius.
Ego Benedictus S. Georgii Card. Iuſtinianus.
Ego Aſcanius SS. Viti & Modeſti & Creſcentiæ Diac. Card. Columna.

*Publicatio*

*Anno à Nativitate Domini 1587. indictione 15. die verò 13. menſis Maii, Pont Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Sixti divina providentia Papa V. anno 2. retroſcripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, S. Ioannis Lateranenſis de Vrbe, & Canc. ac Cam. Apoſtol. & in acie Campi Floræ, per me Ioannem Baptiſtam Bagni eiuſdem S. D. N. Papa Curſ.*

*Alex. Parabiac. Mag. Curſ.*

---

## Contra non reſtituentes aut revelantes ſcripturas ad Rev. Cameram Apoſtolicam quomodolibet facientes, à Commiſſario ejuſdem Cameræ coërcendos.

*Similem edidit conſt. Sixt. V. de qua & de officio Commiſſarii vide hic ſup. in conſt.* 44. Ad excelſum, *ubi plenè notavi.*

De regiſtrandis in Cam. Apoſt. gratiis illius intereſſe concernentibus, habes S. D. N. Vrb. VIII. conſt. 107. *Cùm ſicut*, inf. tom. 4.

### *SIXTVS PAPA QVINTVS,* *Motu proprio, &c.*

*Edita A.D. 1587.*

*Cauſa ... conſt.*

NOn ſine maxima animi moleſtia accepimus, à quanpluribus annis citra plures libros Cam. noſtræ Apoſt.

&

& illius miniſtrorum, ac diverſas ſcripturas, inſtrumentaque publica & privata, ad eandem Cameram ſpectantia, ab aliquibus perſonis, tam ex Archivio dictæ Cameræ quàm ex officiis notariorum illius, & aliis locis clam ſubrepta & occultata fuiſſe, ac etiã alias diverſimodè amiſſa ſeu deperdita, ad variarum perſonarum manus deveniſſe, & per eaſdem perſonas temerè & indebitè detineri, in animarum ſuarum periculum, dictæque Cameræ & diverſarum perſonarum intereſſe habentium damnum ac jacturam non modicam.

*...ſcripturas ...m. Apoſt. ...entes, & ...ra ſex ... non re... ...entes, ſeu ...ntes, & ...non revel... ...tes, pœnas ... deſcri... ...s incur...*

§. 1. Motu igitur ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas perſonas, tam Eccleſiaſticas quam ſæculares, & cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiam quavis ampliſſima dignitate fungentes, quæ aliquos libros vel ſcripturas, ſeu inſtrumenta quæcumque publica vel privata, ad præfatam Cameram quomodolibet ſpectantia & pertinentia, undecumque ſubripuerint, vel ab aliis ſubrepta ſeu deperdita, vel aliàs quomodolibet ad manus ſuas habuerint, & penes ſe detinuerint vel detineant de præſenti, aut illorum detentores ſciverint, vel ſciant, in Domino monemus, eiſque nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Rom. Pont. præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, privationiſque omnium & ſingulorum officiorum & beneficiorum ſuorum ſi quæ obtinent, inhabilitatiſque ad illa & alia in poſterum obtinendi, injũgimus & mandamus, ut intra ſex dierum proximè futurorum terminum, quorum duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino aſſignamus, libros, ſcripturas, & inſtrumẽta præfata, qui illos & illa habent, dilecto filio Ioffredo Lomellino notario & familiari noſtro, ac dictæ Cameræ generali Commiſſario, cui ſui officii ratione, hujuſmodi ſcripturarum cura, & pro illis procedendi facultas, per alias noſtras literas præcipuè demandata eſt, reſtituant. Alii verò ſcientes penes quos illa fuerint, vel ſint, eidem revelent & ſignificent cum effectu. Hos enim qui libros, qui ſcripturas, ſeu inſtrumenta præfata retinuerint, aut occultaverint, ſeu illa retinentes non revelaverint, dicto termino elapſo ipſo facto & abſque aliqua citatione & declaratione, pœnas præfatas incurriſſe, & ad illorum executionem devenire poſſe & debere decernimus & declaramus, ac volumus & mandamus.

*Commiſſa... Cam. ...oſt. infra ... dies cõtra ...dictos tã... ...am contra ...es proce... ...t.*

§. 2. Mandantes propterea eidem Ioffredo Commiſſario, ut elapſo dictorum ſex dierum termino, contra habentes, ſeu detinentes libros, ſcripturas, & inſtrumenta hujuſmodi, ac illa & illas in dicto termino non reſtituẽtes, vel ubi, ſeu penes quem, ſeu quos illa ſint, ſcientes, & non revelantes, tanquam contra fures, etiam juxta ejus ordinarias facultates, etiam ex officio, & per inquiſitionem, ad illorum carcerationem & examina, pro reperienda veritate, ac prout juris fuerit, ad eorum condemnationem, illiuſque præfatarum pœnarum executionem, etiam in omnibus aliis, juris & facti viis & remediis opportunè procedat.

*...c habes ...iam ſup. in ...nſt. 44. Ad ...celſum.*

*...rma pu... ...icandi hãc ...llam, & ...iam Pii V. ...c confir... ...atam.*

§. 3. Vt autem hæc omnibus innoteſcant, tam præſentes, quarum ſolam ſignaturam ſufficere volumus, quàn Motum proprium facultatum, quas piæ mem. Pius Papa V. prædeceſſor noſter olim pro recuperatione ſcripturarum Cameræ Sedis Apoſt. bon. mem. Carolo de Graſſis Epiſcopo Montis Flaſcon. & q. Honuphrio Camaiano, dictæ Cam. Præſidenti, dum in humanis agerent, ſub Dat. videlicet 14. Kal. Sept. Pont. ſui anno 3. cõceſſerat, de quarum publicatione non cõſtat, quaſque facultates nos nuper in perſonam dicti Ioffredi Commiſſarii, per eaſdem noſtras innovavimus, in valvis Baſilicæ S. Petri de Vrbe, & Cam. Apoſt. necnon Canc. noſtræ Apoſt. & in acie Cãpi Floræ per unum ex noſtris Curſoribus publicari, eorumque exempla etiam impreſſa de more affigi mandamus, publicationemque hujuſmodi eos quos præmiſſa concernunt, afficere, perinde ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatæ fuiſſent, decernimus, cum eorum quæ tam publicè notificantur, nulli valeant probabilem ignorantiam allegare.

*...ides tran... ...mptorum.*

§. 4. Ac etiam volumus & mandamus quod præſentium exempla etiam ut præmittitur impreſſa, manuque dicti Ioffredi Commiſſarii ſubſcripta, & ejus ſigillo ſigillata, eandem ubique locorum fidem faciant, quam præſentes facerent, ſi in medium exhibitæ eſſent vel oſtenſæ. Et nihilominus etiam mandamus literas Apoſt. ſive ſub plumbo, ſive in forma Brevis quandocumque expediri poſſe.

Placet Motu proprio. F. — *PP. ſubſcrip.*

*Regiſtrata in Cam. Apoſt. lib. 1. Signaturarum S. D. N. penes me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium & Cuſtodem.* — *Regiſtratio in Cam.*

*Tydeus de Marchis.*

*Die 17. April. 1587. ſupraſcripta Motus proprii cedula affixa & publicata fuit, unà cum alia ſuperius narrata alterius Motus proprii cedula in locis ſupraſcriptis, ut moris eſt, per me Io. Andream Panizzam, S. D. N. Papæ Curſ.* — *Publ. An. ſo die 17. Apr.*

*Alex. Paradiſ. Mag. Curſ.*

---

## Inſtitutio Hoſpitalis pauperum Mendicorum in Vrbe, ad eos piè alendum, eorumque animæ & corpori ſalubriter conſulendum, cum annuorum redditiuum, & privilegiorum aſſignatione. LVII.

*Lites hujus Hoſpitalis à Iudice per ejus Adminiſtratores nominando dijudicari voluit hic idem Pont. in conſt. 86.* Poſtulat, *ubi etiam habentur alia de iſto Hoſpitali.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* — *Edita An. Dñi 1587. & 1588.*

QUamvis infirma & varia mortalium conditio ita divinæ providentiæ inſcrutabili diſpenſatione ordinata, quaſi in quoſdam gradus diſtincta ſit, ut ſecundùm propriam vocationem aliqui in hoc mundo temporalibus copiis abundent, aliqui mediocrem, aut tenuem vitam agant, quidam pauperes & miſerabiles ſint, qui aliena divitum ope ad ſui ſuſtentationem indigeant, quod & ita ſemper fore Moyſes populum Iſraël præmonuit, dicens: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcircò ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra. Et Dominus diſcipulis ſuis confirmavit illis verbis: Semper pauperes habebitis vobiſcũ. Ipſe tamen rerum divinarum atque humanarum rector ac moderator Deus, qui vitæ ſubſidia & opes ſic inæqualiter hominibus diſtribuens ac dividens, non ideò injuſtus aut iniquus, quod abſit, dici poteſt, nec ſine cauſa efficit, ut alii affluant & abundent, aliis verò hæc ipſa deſint, & illis egeant, ſed ut hac via divites quidem ſuæ benignitatis, ac fidelis adminiſtrationis præmia accipiant, pauperes verò per virtutem coronati, digna mercede honorentur, voluit pro ſua immenſa in univerſum genus humanum charitate ac beneficientia, potiſſimum erga pauperes & egenos, eam ſpecialem ac perpetuam curam diligenter adhiberi, ut neque indigerent, neque mendicare cogerentur, quemadmodum & prædicto populo Iſraël per eundem Moyſen expreſſe mandavit: Omninò indigens & mendicus non erit inter vos, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem. Et inter Chriſti fideles in ipſo naſcentis Eccleſiæ initio, ſub Sanctis Apoſtolis plenè ſervatum eſſe, eorundem Apoſtolorum acta teſtantur. Neque enim, inquiunt, quiſquam egens erat inter illos. Quare idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus volens mundo univerſo, ac præcipuè fidelibus ſuis apertè demonſtrare quanti faceret humilitatis eximiam virtutem, & quàm ſibi chara, & dilecta eſſet paupertas, ac pariter docere ne à divitibus & opulentis hominibus pauperes deſpicerentur, eorumque cura negligeretur, primum quidem ipſemet, quando juxta præclara vaticinia Prophetarum è cœlo in terras humana carne aſſumpta deſcendit, non regium diadema, aut ſublime aliquod decus, quod mundo oſtentaret, & hominum oculis objiceret, ſecum detulit: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, ac pauper in ſtabulo naſci, locum in diverſorio non habere, pauperis præſepis anguſtiis

*Pauperum ſubventio, pietas & miſericordia commendantur.*

contineri, pauperem demum vitam, quam pro nobis ſuſcepit, eligere, ac uſque in finem retinere dignatus eſt, ut non immeritò dixerit: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Et per os David Prophetæ: Ego autem mendicus ſum & pauper. Et Apoſtolus ſcripſerit: Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis. Deinde etiam pauperum & miſerabilium perſonarum, dum in mundo converſatus eſt, ſingularem quandam ſollicitudinem geſſit, eoſque divinis gratiis & beneficiis multipliciter adjuvit, quod paſſim Evangelica teſtatur hiſtoria, dum pauperes ſibi diſcipulos delegit, dumque cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, aridis & paralyticis corporis & membrorum integritatem reddidit, leproſos mundavit, dæmoniacos liberavit, alioſque variis languoribus & infirmitatibus laborantes & oppreſſos curavit, pauperum quoque ſequentium turbas cœleſti verbo ſæpius pavit & inſtruxit, & eas quandocumque eſurientes, etiam corporalibus mirabiliter ſatiavit alimentis. Et confirmat Apoſtolus Jacobus, dicens: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe: Ac præterea miſericordiam & eleemoſynas, quæ pauperibus fiunt, tanquam ſibi factas recipit, & acceptas refert. Unde & à Sanctis & piis viris pro pauperibus peregrinis, & mendicis, non Angelos modò, ſed Angelorum Dominum ſæpius hoſpitio ſuſceptos fuiſſe legimus, quod & Apoſtolus ad Hebræos memorat dicens: Hoſpitalitatem nolite oblviſci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Ac denique fideles cunctos, ad ſublevandas pauperum neceſſitates, monitis & præceptis, & maximè etiam propoſitis præmiis, in ſcripturis ſacris vehementer inflammat, ait enim per Iſaiam: Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque indue in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & quæ ſequuntur. Ac rurſus paulò infra: Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper, & implebis ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & erit quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Atque in Evangelio per ſeipſam Veritas dicit: Cum facies convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. Et iis demum teſtatur ſe in noviſſimo die æternæ beatitudinis præmia paraviſſe, qui miſericordiæ opera in pauperes, & egenos exercuerunt, ipſis namque dicturus eſt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me: & rurſus, Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

*Iſte Pontifex ob cauſas hic expreſſas.*

§. 1. Quæ quidem nos attentiùs conſiderantes, ac recolentes in quadam aliquando Synodo piè conſtitutum fuiſſe, ut unaquæque Civitas pauperes, & egenos incolas ſuos alimentis congruentibus paſceret, ſecundum vires, ut tam vicini Presbyteri quàm cives omnes ſuum pauperem paſcerent, quod fieret, ne pauperes ipſi per alienas Civitates vagarentur, atque olim hujuſmodi Hoſpitalia, in quibus pauperes, & mendici alerentur, in multis Civitatibus extitiſſe, & in aliquibus etiam in Italia adhuc vigere, ſimulque egenorum calamitates, quorum ingens quotidie numerus nobis ante oculos verſatur, paterna charitate miſerati, tum Chriſtianæ pietatis, tum etiam noſtro paſtorali officio conſentaneum eſſe duximus, in hac Alma Urbe pietatis & charitatis altrice, ad quam ex omnibus totius Orbis terrarum regionibus quaſi communem patriam, & tutiſſimum refugium, in ſinum, & gremium S. R. E. plurimi pauperes fame, frigore, nuditate, rerumque omnium inopia confecti, ac variis morbis & incommodis conflictari ſe recipiunt, Domum hoſpitalem inſtituere, in quam omnes benignè excipiantur, alantur, veſtiantur, paratos habeant lectos, cibos, potum, aliaque ad imbecilla corpora confovenda & recreanda opportuna, hac demùm ratione provideatur, ne ulterius mendici per vias, & plateas tota Urbe diſperſi ac vagantes, victum quæritando defatigentur, ne non modo publica loca, aut privatarum ædium veſtibula, ſed ipſa quoque templa gemitibus, & ejulatibus compleant, ne ſuis clamoribus obſtrepant fidelibus dum divinis officiis, aut Miſſæ ſacrificio intenti ſunt, ne in Eccleſiis, in quibus debet eſſe quieta converſatio, querimoniis, lamentis, ac vociferationibus tumultus excitent, ne ipſa divina officia, & circumadſtantium devotionem importunis, ac moleſtis vocibus perturbent, ne quod præcipuè nobis cordi eſt, dum incertis ſedibus Urbem peragrant, proprium Parochum non agnoſcentes, abſque alicujus divini præcepti, aut bonorum morum notitia, tanquam bruta animalia rationis expertia, cibo tantum quærendo, & ventri paſcendo intenti aberrent, ita ut nemo illis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrandi, nemo eorum ſalutis ſpiritualis curam ſpecialem gerat. Poſtremò, ut eadem opera cunctis quos in publicum quæſtum incerta mendicitas vocaverit, inſpectis, exploretur in ſingulis integritas corporum, & robur annorum, atque inertes quidam, & ſine ulla debilitate internoſcantur, eorumque ignaviæ & nequitiæ via præcludatur, qui ſimulata infirmitate, ſeu prætextu fictè, aut per ſocordiam & otium affectatæ paupertatis, alimoniam verè infirmis, ac pauperibus præripiant, ac ſimulandi morbi infamem quandam, doloſam, & fraudulentam artem factitant, mox benè valentes, robuſta, & valida totius corporis firmitate ludis, comeſſationibus, aut illicitis aliis rebus vacant, cum ſalutis ſuæ diſpendio, multorumque ſcandalo & offenſione.

*Hoſpi[tale] Mendica[ntium] in Vrb[e] [eri]git. Mi[niſtros] quatuor ejus re[gimini] ſingulis [an]nis elig[i] mandat.*

§. 2. Vt igitur eorundem mendicorum animæ & corporis ſaluti conſulatur, hocque tam ſalutare & neceſſarium opus, aliàs à nonnullis prædeceſſoribus noſtris inchoatum, ſemper tamen, ex eo quod certos redditus pro alimentis inopum non aſſignarunt, inefficaci conatu relictum & dimiſſum, nunc demum noſtra auctoritate noſtraque ingenti, pia tamen impenſa, ut proſperiores ſucceſſus, optatumque effectum ſortiatur, & perpetuò ſubſiſtat, ſcandaliſque & incommodis prædictis occurratur, ac Sedis Apoſtolicæ, quæ omnes afflictos materno ſinu ſemper complectitur, pietas & benignitas in dies magis eluceſcat, habita ſuper hoc cum Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, deliberatione matura, de eorum conſilio, & aſſenſu, ad Dei Omnipotentis gloriam, pauperum Mendicorum commodum & ſalutem, ac piorum operum incrementum in eadem Alma Urbe, in ædibus prope Pontem Sixtum ad Tyberis ripam ſitis, quas ad hoc noſtris pecuniis magno pretio emimus, & ad uſum eorundem pauperum, inſtauratione & fabrica opportuna accommodari curavimus, unum Hoſpitale pauperum Mendicorum utriuſque ſexus, in quo tamen ſeorſum viri à mulieribus manere, & commorari debeant pro ipſorum perpetuis receptione, habitatione, & ſuſtentatione cum ſuis Oratorio, Sacriſtia, Cœmeterio, humili Campanili & Campanis, ac diſtinctis & ſeparatis pro eiſdem utriuſque ſexus perſonis refectoriis, dormitoriis, hortis, areis, cellis, & officinis, congrua ſuppellectili, utenſilibus, aliiſque rebus neceſſariis, non mediocri noſtro ſumptu comparatis, ſufficienter inſtructum, per quatuor viros clericos aut laïcos idoneos, & probatos, quorum duo à Populo Romano in publico Conſilio, & duo reliqui à dilectis filiis Confratribus Archiconfraternitatis Sanctiſſimæ Trinitatis Convaleſcentium & Peregrinorum, cujus Oratorium ibi proxima via intermedia conſtitutū exiſtit, ex ſuo corpore annis ſingulis eligantur, & deputentur, regendum, adminiſtrandum, & gubernandum, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

*Redditus ſ[...] & annu[os] proventus aſſignat. Hos auge[...] max infor[...] Alios p[...] aſſignavit anno ſequenti.*

§. 3. Ac ipſi Hoſpitali pauperum Mendicorum ſic erecto, & inſtituto, dotis nomine, & ad ſuſtentandos pauperes redditum annuum novem millium ſcutorum Monetæ Romanæ, juliis decem pro quolibet ſcuto hujuſmodi computatis, ita conſtituimus & aſſignamus, &c.

§. 4. Volu

§.4. Volumus autem Hoſpitale Pauperum Mendicorum prædictum, ac illius pro tempore exiſtentes Adminiſtratores, Officiales, Miniſtros, & alios ſervientes, ratione ipſius Hoſpitalis pauperum Mendicorum bona mobilia & immobilia, cujuſcumque qualitatis, & quantitatis, in dicta Urbe, & extra, ac alias ubique locorum conſiſtentia, exempta eſſe ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium dictæ Urbis Gubernatoris, Senatoris, Conſervatorum, Reformatorumque, ac noſtri & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis in dicta Urbe in ſpiritualibus Vicarii, necnon cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. generalis Auditoris, & cujuſvis ordinarii locorum, aliorumve quorumcunque Judicum & officialium in ipſa Urbe, vel alias ubilibet conſtitutorum.

§.5. Ipſumque Hoſpitale pauperum Mendicorum, & quoſcumque in propriis eorum rebus & bonis cum eo contrahentes à ſolutione & exactione quorumcumque, ut vocant, pedagii, gabellæ, bolettini, decimarum, & cujuſvis alterius, tam ordinarii quàm extraordinarii oneris, ex quacumque cauſa impoſitorum, & imponendorum eximimus, & prorſus liberamus, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſt. atque noſtra protectione ſuſcipimus & collocamus, nobiſque & dictæ Sedi immediatè ſubjicimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus. Necnon S. R. E. Camerario, Vicecamerario, Præſidentibuſque & Clericis Cam. Apoſt. Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, aliiſque officialibus, Judicibus, & perſonis prædictis, & quibuſvis ad exactionem decimarum & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque literarum eis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſarum prætextu, Hoſpitale pauperum Mendicorum Adminiſtratores, Officiales, Miniſtros & ſervientes prædictos, perſonaſque in eo degentes ſuper præmiſſis quovis modo moleſtent, ſeu moleſtari permittant, diſtrictiùs inhibemus.

§.6. Præterea pauperibus mendicis in eodem Hoſpitali pro tempore degentibus, quorum infirmitas, vel nimis imbecilla valetudo, aut corporis habitudo, jejunium, ſeu carnium & lacticiniorum abſtinentiam ferre non poterit, ut de utriuſque medici conſilio, quibuſvis quadrageſimalibus, & quatuor anni temporibus ac vigiliis, & aliis diebus, in quibus jejunium ab Eccleſia indictum, aut carnium, ovorum, & lacticiniorum eſus, de jure vel conſuetudine, ſeu alias prohibitus exiſtit, vel fuerit, carnibus, ovis, butyro, lacticiniis, & aliis cibis prohibitis hujuſmodi uti, & veſci.

§.7. Singuli quoque Presbyteri ſæculares, & cujuſvis Ordinis Regulares, qui ad hoc à Gubernatoribus & Adminiſtratoribus, ſeu Deputatis pro tempore exiſtentibus Hoſpitalis Mendicorum hujuſmodi electi, & à prædicto in Urbe Vicario approbati fuerint, ſingulos pauperes, miniſtros, & ſervientes ejuſdem Hoſpitalis Mendicorum, à quibuſvis excommunicationis, etiam majoris, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus innodati fuerint, necnõ quibuſcumque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, de quibus dicta Sedes meritò conſulenda foret, videlicet in caſibus tam Ordinariis locorum, quàm etiam Sedi Apoſtolicæ quomodolibet reſervatis, non tamen in judicium deductis, neque contentis in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis, ſemel in ingreſſu Hoſpitalis, & iterum ab omnibus ſupradictis, nullo prorſus excepto, in mortis articulo, confeſſione eorum diligenter audita, in foro tantum conſcientiæ abſolvere, injuncta inde eis pro modo culpæ ſuo arbitrio pœnitentia ſalutari. Quodque pauperibus, miniſtris, & ſervientibus Hoſpitalis Mendicorum hujuſmodi, Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrare, & defunctorum corpora in proprio Cœmeterio ſepelire liberè, & licitè valeant, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò concedimus & indulgemus.

§.8. Cæterum volumus, ut in Hoſpitali prædicto ſic per nos erecto Pauperes & Mendici advenæ per Urbem tranſeuntes, ſi eò divertere voluerint benignè recipiantur, ac eis tres refectiones ſubminiſtrentur, & inde cum Dei benedictione ad iter ſuum proſequendum dimittantur.

*Rationes eſ... pauperum ab Officialibus ſingulis menſibus exigi, præcipit.*

§.9. Præcipimus verò quatuor Adminiſtratoribus, ſeu Deputatis prædictis, ut ipſi ſingulis menſibus ab Oeconomis, Procuratoribus, Officialibus, Miniſtris, & quibuſvis perſonis dicti Hoſpitalis pauperum Mendicorum rationes accepti, & expenſi ejuſdem Hoſpitalis diligenter exigant & inſpiciant, eoſque ad hujuſmodi rationes reddendas cogant omninò, & compellant, prout eorum unumquemque ad id teneri volumus & decernimus.

*Theſaurarium & Commiſſarium generales ejuſdem Hoſpit. Gubernatores deputat.*

§.10. Ac inſuper ut ipſius Hoſpitalis pauperum Mendicorum conſervationi, bonoque regimini, eorundemque pauperum indigentiis opportunius conſulatur, dilectos filios noſtros, & Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarium, & Commiſſarium generales, nunc & pro tempore exiſtentes, ejuſdem Hoſpitalis pauperum Mendicorum Gubernatores, & ſuperintendentes conſtituimus, & deputamus, quorum conſilio, & ope quatuor Adminiſtratores, ſeu Deputati prædicti curam, & gubernium eorundem Mendicorum, ac dicti Hoſpitalis, illiuſque redditaum, proventuum, jurium, actionum, & bonorum mobilium & immobilium, oblationumque & eleemoſynarum adminiſtrationem gerant. Denique cætera omnia ad pietatem, & charitatem exercendam pertinentia peragant, ordinent, ac decernant. Mandantes eiſdem Theſaurario & Commiſſario, modernis & pro tempore exiſtentibus, ut unà cum ipſis quatuor Adminiſtratoribus, ſeu Deputatis, tam iterum prædictas, quàm alias quaſcumque rationes, & computa dicti Hoſpitalis, illiuſque debitorum, ſaltem tertio quoque menſe, & præterea quoties opus fuerit exigant, accuratè videant, examinent, & ſolident. Dantes etiam illis & concedentes plenã & liberam facultatem & auctoritatem prædictos Oeconomos, Procuratores, Officiales, Miniſtros, ſervientes, debitores, & alios quoſcumque, quorum intererit, ad reddendas hujuſmodi rationes opportunis juris, & facti remediis cogendi, & compellendi, & eos qui ſatisfecerint quietandi, abſolvendi, & liberandi, ac ſimiliter cum interventu eorundem quatuor Adminiſtratorum, ſeu Deputatorum, pro ſalubri directione, & conſervatione dicti Hoſpitalis pauperum Mendicorum, illiuſque bonorum & jurium temporalium & ſpiritualium, quoſcumque Officiales, Procuratores, Miniſtros, & ſervientes in eo deputandi & amovendi, alioſque eorum loco ſufficiendi, Ordinationes & ſtatuta; licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus, & generalis Concilii Tridentini decretis non contraria faciendi, & edendi, eaque cum viſum fuerit revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi. Quæ quidem ſtatuta ſic facta, edita, revocata, immutata & correcta, poſtquam per nos aut Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem approbata fuerint, ab omnibus ſupradictis Gubernatoribus, Adminiſtratoribus, ſeu Deputatis, Oeconomis, Procuratoribus, Officialibus, Miniſtris, ſervientibus, & aliis quibuſcumque inibi pro tempore receptis inviolabiliter obſervari volumus, ac juxta eorundem diſpoſitionem à quibuſvis Judicibus, ſublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari debere, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

*Clauſula derogatoria.*

§.11. Non obſtantibus, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Urbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Urbis Gubernatori, Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, Vicario, Auditori cauſarum Curiæ dictæ Cameræ, aliiſque ſuperius nominatis, necnon prædictæ Urbi, & Populo Romano; ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Hortatio ad Miniſtros Hoſpitalis, ut benè miniſtrent.*

§.12. Ut autem hoc pium & ſalutare opus feliciora in dies, Deo favente, ſuſcipiat incrementa, eoſdem

Gubernatores, adminiſtratores, ſeu Deputatos, Oeconomos, Procuratores, Officiales, & miniſtros dicti Hoſpitalis enixè hortamur, & monemus, ut curam ipſius Hoſpitalis, pauperumque Mendicorum, qui in eo recipientur, ita alacriter, & promptè ſuſcipiant, pauperes ipſos Mendicos ſincera in Domino charitate tractent, bona temporalia ejuſdem Hoſpitalis fideliter, & prudenter diſpenſent & adminiſtrent, ac demùm piis hujuſmodi operibus, ad Dei gloriam, pauperumque utilitatem, & ſalutem ſe ferventer exerceant, ut exinde, præter cœleſtis regni præmia, etiam noſtram, & Sedis Apoſt. benedictionem & gratiam conſequi mereantur.

*Fides exemplorum.* §. 13. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca ubi eis opus fuerit, deferre, volumus ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique adhibeatur quæ adhiberetur ipſis originalibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 3. die 11. Maii.* Nulli ergo omninò hominum, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1587. 5. Idus Maii, Pont. noſtri anno tertio.

*Papa ſubſcr.* Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

*Card. ſubſcriptiones.* Ego Alexand. Card. Farneſius, Epiſcopus Oſtien. Vicecancellarius.
Ego Jac. Card. Sabellus Epiſc. Portuen.
Ego Jo. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgii.
Ego A. Card. Geſualdus, Epiſc. Albanen.
Ego Innoc. Avalus Card. de Arag. Epiſcopus Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Epiſc. Præneſtin.
Ego M. S. Card. ab Altaëmps, tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.
Ego P. Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis.
Ego Gabr. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card.
Frater Michaël Bonellus Card. Alexandrinus tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ludovicus Madrutius tit. S. Anaſtaſiæ.
Nic. Card. Senonen. tit. S. Praxedis.
Jul. Anton. tit. S. Bartholomæi in Inſula, Presbyt. Card. S. Severinæ.
Ego Hier. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ.
Jo. Hier. Card. Alban. tit. S. Joannis ante portam Latinam.
Ego P. Card. Deza, tit. S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant. tit. SS. Joannis & Pauli Presbyt. Card.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor Coron.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Jul. Card. Cananus tit. S. Euſebii.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. tit. S. Marci.
Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via, Card. Montis regalis.
Ego Philippus Card. Spinola, tit. S. Sabinæ.
Scipio Card. Lancell. tit. S. Salvatoris in Lauro.
Vincentius Card. Gonzaga tit. S. Alexii.
Jo. B. Card. Caſtruc. tit. S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius, tit. S. Stephani in Monte Cœlio.
Ego Hipp. Card. Papien. tit. S. Blaſii de Annulo.
Ego Decius Card. Azzolinus tit. S. Matthæi in Merulana.
Ego Hipp. Aldob. tit. S. Pancratii Major Pœnit.
Ego Hier. Card. de Ruvere, tit. S. Petri ad Vincula.
Ego Fr. Hier. Card. Aſcul. tit. S. Thomæ in Parione.
Ego A. Mar. Card. Peruſ. tit. S. Agnetis in Agone.
Ego Fr. Conſtantius Card. Saranus tit. S. Petri in M. Aur.
Ego Ferd. Medicis Card. S. Mariæ in Via lata.
Ego Philippus Card. Vaſtavill. S. Euſtachii.
Ego A. Card. Montaltus S. Mariæ in Coſmedin.
Ego Hier. S. Agathæ Diac. Card. Matthæius.
Ego Benedictus S. Georgii Card. Juſtinianus.
Ego Aſcanius SS. Viti & Modeſti, & Creſcentiæ S. R. E. diac. Card. Columna.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate Domini 1587. indict. 15. die verò 1. menſis Iulii, Pont. Sanctiſſimi D. N. D. Sixti divina providentia Papa V. anno 3. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valvis, ſeu portis Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Canc. Apoſt. & acie Campi Floræ, per nos Claudium Mongeat, & Catharinum Menandi Apoſt. Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## Erectio Capellæ ad Præſepe Ieſu Chriſti in Baſilica S. Mariæ Majoris de Urbe, cum Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum & Beneficiatorum inſtitutione, atque Cardinalis Protectoris, & Iudicis cauſarum ad eos ſpectantium juriſdictione. LVIII.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. 1587.*

GLorioſæ & ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ ſalutiferam fœcunditatem humiliter venerantes, intra cujus caſtiſſima viſcera, virtute Altiſſimi mirabiliter obumbrante, divina Sapientia ſibi domum ædificavit, ſummas illius laudes, & præclara in univerſum genus humanum, ſed in nos potiſſimum merita, & verbis & factis quantum pro humana imbecillitate poſſumus, libentiſſimè prædicamus. Hanc enim beatiſſimam Virginem gratiæ, & miſericordiæ parentem ab ipſa penè infantia nobis Advocatam delegimus, cujus patrocinio & interceſſione à multis periculis erepti fuimus, & multa beneficia à bonorum omnium largitore Deo accepimus. *Pont. ipſe ab infantia Virginem Advocatam delegit, ... que pene ... multa pericula evaſit.*

§. 1. Itaque cum alias ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis nomine, & miraculorum ſplendore illuſtres Eccleſias ſemper in honore habuimus, tum in primis erga celeberrimam ejus in Alma Urbe Baſilicam ac Præſepe Domini, quæ S. Mariæ Majoris appellatur, præcipua quadam & pia devotione affecti fuimus. *Ejuſdem Eccleſias, ... maximè ... Baſilicam ... Sta Mariæ Majoris ... verò ...*

§. 2. Cumque conſideraremus Sancti Domini Præſepis Sacellum in eadem Baſilica ſitum, ob ſacras illius Præſepis reliquias, in quo Rex gloriæ naſci non abhorruit, & infans jacuit, magna in veneratione meritò habitum, minus decenter pro loci dignitate & ſanctitate ornatum, & extructum eſſe: Nos cupientes tam eximium, & Religioſum monumentum debito cultu, decentique ornatu augere, ac nobili ædificio circumſeptum communire, opus ſanè viribus noſtris, & facultatum noſtrarum illo quidem tempore tenuitate majus, freti ope ejuſdem Deiparæ ſemper Virginis, & animo ſuſcepimus, re & ipſa aggreſſi ſumus. Nam jampridem cum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalatus honore fungeremur, loco à Dilectis filiis Capitulo ejuſdem Baſilicæ, interveniente etiam auctoritate fel. record. Gregorii Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri, nobis conceſſo, inſignem Capellam & ſpatii amplitudine, & ſubſtructionis magnificentia, templi inſtar, cœpimus à fundamentis ædificare. *dum cum Præſepium que Sacellum in d. Baſilica minus decenter ... ctum videndum Cardinalis erat, B. Virginis ope ... tus inſignem ibi Capellam ædificavit.*

§. 3. Cumque ædificatio feliciter procederet, ecce divina ſic diſponente clementia, nullis noſtris meritis, ſed ipſius Beatiſſimæ Virginis precibus, in Apoſtolicæ Sedis faſtigio locati ſumus. Quare inchoatum opus tanto impenſius urgentes, nulliſque quamvis maximis ſumptibus parcentes, Capellam ipſam teſtudine ſublimi plumbi laminis extrinſecus rectam, & pretioſis cruſtis, & tegumentis marmorum, atque opere tectorio marmorato, egregiiſque picturis, & ſacris imaginibus, & loco ipſo congruen. exornatam, ita demùm benedicente Domino perfecimus, atque omni ex parte abſolvimus, ut ipſa antiqua veneranda Præſepis ædicula multis catenationibus, colligationibus, & fulcturis circum adhibitis, ne parietes diſſolvi, neve opus ulla ex parte labefactari poſſet, magna ergatarum, & tractoriarum machinarum vi, ingenti labore, atque artificio tota ſimul ſolida, ac prorſus integra, quod factu difficillimum videbatur, veteri ſede convulſa, & in altum ſublata, in medium ipſius novæ Capellæ gremium, ſub ejus pavimento in locum ſubterraneum tranſlata atque aſportata fuerit, ubi & ſpecus circumcirca humili fornice concameratus, per quem circuiri poſſit, extructus eſt gradibus ad commodum deſcenſum in eandem ſacri Præſepis ædiculam, & dictum ſpecum hinc inde antepoſitis, ut Chriſti fideles *Interim eiuſdem B. Virg. precibus ... Pontifex creatus, ... ſtamque Capellam ... giè exornavit, & ... fecit. Ad quam Præſepis ædiculam ... tuus fuit tranſportatus.*

viri

viri tantum laudes & preces Deo offerre, & presbyteri in Altari ibidem ſito Miſſas devotè celebrare valeant.

§.4. Altari item ſupra ipſius ædiculæ fornicem conſtituto, ad Miſſas Pontificias celebrandas.

§.5. Duo præterea minora, ſed tamen inſignia Altaria ſive Sacella, noſtra itidem impenſa ædificata, eodem modo picturis & ornamentis magnificè exculta ad ipſius Capellæ limina ab utraque parte adjunximus.

§.6. Vnum videlicet ſub S. Luciæ Virginis & Martyris invocatione dictum, cujus feſtus dies idem Natalis noſter eſt, & quam ab ineunte ætate omni ſtudio venerari, ut pro nobis apud Deum intercederet, magna cum fiducia aſſiduè precati ſumus, ſub cujus etiam Altari in Arca marmorea duo ſacra beatorum Innocentium corpuſcula à Baſilica S. Pauli extra portam Oſtienſem noſtro juſſu tranſlata, ritè recondi curavimus, ut ad Chriſti infantis cunabula iidem Sancti Innocentes, (flores, ac primitiæ Martyrum, Deoque gratiſſimæ victimæ) quodammodo excubare videantur.

§.7. Alterum verò in honorem & memoriam S. Hieronymi præſtantiſſimi Eccleſiæ Doctoris, cujus titulus in Eccleſia Illyricorum fuit nobis in noſtra aſſumptione ad Cardinalatus honorem aſſignatus, & perpetuò retentus, quique Præſepe Domini ita vivens coluit, ut ex hoc mundo decedens per illud tanquam vitæ januam ad cœleſtem patriam commigrarit.

§.8. Cum igitur, Deo favente, opus hujuſmodi jam abſolutum, & ad tectum perductum foret, compertum eſt tandem relatione ac teſtimonio fide dignorum virorum, qui ex peregrinatione Terræ Sanctæ nuper ad Vrbem advenerunt, Nobis nihil tale unquam cogitantibus, non humano conſilio, ſed planè divino inſtinctu ita contigiſſe, ut hæc noſtra Capella veteri Capellæ ad Præſepe Domini poſitæ in Eccleſia Bethlehemitana, quæ eſt in Palæſtina, ædificio, ſubſtructione, ac præcipuis ſuis partibus admodũ ſimilis evaſerit nam & à ſiniſtra parte Eccleſiæ uti hæc noſtra ſita eſt, habet ædiculam Præſepis Domini ſubterraneam, noſtræ conſimilem, tectam teſtudine, opere vermiculato ornatam, ſicuti & hæc eſt, ad quam & per gradus deſcenſus patet. Habet quoque illa capella marmoreum, uti & hæc noſtra, pavimentum. Altaria etiã proxima in memoriam Sanctorum Innocentium, S. Catharinæ Virginis & Martyris, & S. Hieronymi extructa, quemadmodum & noſtra unum in S. Luciæ, cum reliquis Sanctorum Innocentium, & alterum in ejuſdem S. Hieronymi memoriam pariter erecta, ita ut ipſa glorioſa Virgo quæ olim primis Sanctæ hujus Baſilicæ fundatoribus certos fines, & locum nivibus, quarum memoria in hodiernum uſque diem religioſe colitur, mirabiliter præſcripſit, ac deſignavit, nunc etiam in noſtra Capella quaſi dictæ Baſilicæ appendice extruenda divinitus mentem noſtram inſpiraverit, ſimulque ſuæ ac divinæ voluntatis & providentiæ admirabilem, minimèque obſcuram dederit ſignificationem.

§.9. Demum verò Nos ad Dei omnipotentis, & Intemeratæ Virginis partus gloriam, fideliſque populi erga Cœlorum Reginam devotionem augendam, eandem Capellam ſolemni ritu conſecrari & dedicari curavimus, atque in ea duo ſepulchra conquiſitiſſimis columnis, & lapidum varietate, opere ſumptuoſo ac magnifico extruximus, quorum alterum Sanctæ memoriæ Pio Papæ V. noſtro etiam prædeceſſori, de Chriſtiana Republica, deque nobis optimè merito, à dextris ejuſdem Capellæ poſuimus, ut perpetuum noſtri erga eum grati & pii animi apud poſteros monumentum extet. Alterum à ſiniſtris ad noſtram ſepulturam reſervavimus. Tertium verò ſeparatim in veſtibulo dictæ Capellæ, & in ipſa Navi Baſilicæ illi contigua, pro noſtris duntaxat conſanguineis ſepeliendis aſſignavimus.

§.10. Vt autem in eadem Capella noſtra ad ipſum Sanctum præſepe, ubi Angelorum Chori Deo gloriam, & hominibus pacem annuntiarunt, & ubi nos anno præterito cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, ac aliis Epiſcopis & Prælatis, in Natalis Domini nocte Miſſarum ſolemnia celebravimus, aſſiduè incruẽtum ſalutaris hoſtiæ ſacrificium, pro noſtra & totius populi Chriſtiani ſalute offeratur, & divinæ laudes, atque officia perſolvantur, ob eam cauſã certos presbyteros & Clericos, qui in Capella, duobuſque ei cõjunctis Sacellis, ſeu Altaribus prædictis Deo inſerviant, conſtituere decrevimus. Cum itaque, ſicut accepimus, S. Joannis de Pyro Policaſtren. & S. Leonardi Salernitan. Civitatum, vel diœc. monaſteria, Ordinum S. Baſilii, & S. Benedicti, quæ bon. mem. Petrus Epiſcopus Caietanus; & quondam Ludovicus Blanchetus Clericus, ex diſpenſatione & cõceſſione Apoſtolica, in Commendam dum viverẽt reſpectivè obtinebant, utraque Commenda hujuſmodi per obitum Petri Epiſcopi, & Ludovici prædictorum, qui apud Sedem prædictam diem clauſerunt extremum, ceſſante, adhuc eo quo ante Commendam ipſam vacabant, modo vacaverint & vacent ad præſens, & dilectus filius noſter Philippus tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis Spinola nuncupatus, qui monaſterium S. Nicolai de Butramo dicti Ordinis S. Baſilii Hieracen. diœceſis, ex ſimili conceſſione & diſpoſitione in Commendam ad ejus vitam obtinuerat, poſteriori Commendæ hujuſmodi, ac omni & cuicumque juri ſibi in dicto Monaſterio S. Nicolai, illiuſque regimine & adminiſtratione, vel ad illa quomodolibet competenti, hodie in manibus noſtris ſponte & liberè ceſſerit. Nos ceſſionem hujuſmodi admittentes, ac Capellam noſtram prædictam ad ejuſdem Redẽptoris noſtri laudem, & honorem glorioſiſſimæ illius Genitricis, dictique Sancti Præſepis memoriam & venerationem, ac divini cultus incrementum competenti beneficiorum & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum numero ſtabilire, annuiſque redditibus pro congrua eorum ſuſtentatione & manutẽtione, onerumque illis, ac dictæ noſtræ Capellæ, necnon illius fabricæ, & Sacriſtiæ pro tempore incumbentiũ ſupportatione neceſſariis dotare volentes, verumque & ultimum dictorum Monaſteriorũ vacationis modũ, etiãſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiã in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſis habẽ. Motu proprio, nõ ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in Capella noſtra prædicta unã Præpoſiturã, quæ in ipſa Baſilica ſecunda Dignitas exiſtat, hoc eſt prima poſt Archipresbyteralem, pro uno Præpoſito utriuſque vel alterius juriũ Doctore, ſeu in Theologia Magiſtro, & in presbyteratus ordine conſtituto, ac unã Sacriſtiã pro uno Sacriſta, & quatuor perpetuas ſine cura Capellanias, pro quatuor perpetuis Capellan. presbyteris, & 4. alia Clericatus nuncupanda perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica pro totidẽ aliis Clericis nuncupandis perpetuis beneficiatis, quorũ ſiquidẽ Sacriſtæ, Capellanorum, & Beneficiatorum, qui Clerici nuncupantur, dictus Præpoſitus caput exiſtat, ac in rebus, negotiis, & actibus pro eo tractandis, & faciendis, primũ & digniorem locum habeat, ibidẽque præſit, ac tam ipſe quàm prædicti Sacriſta, Capellani, & beneficiati dictæ Capellæ, prout inferius deſcriptũ erit, deſerviãt, Apoſt. auctoritate tenore præſẽtiũ, perpetuò erigimus & inſtituimus.

§.11. Ac eidem Capellæ noſtræ illiuſque, fabricæ & Sacriſtiæ, necnon communi maſſæ ipſorum Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum, & Beneficiatorum, pro eorum manutentione & ſuſtentatione, ac onerum illis incumbentium ſupportatione, ſingula Monaſteria prædicta, quæ conventu carent, ac quorum fructus, redditus & proventus S. Joannis ad quadraginta, S. Leonardi verò ad quinquaginta florenos auri, in libris Cameræ Apoſtolicæ taxati reperiuntur, Sancti Nicolai autem, ac illi perpetuò annexorum S. Mariæ de Pigliano, & ejuſdem S. Mariæ de Caniſis quingentorum & quinquaginta ducatorum auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem valorẽ annuum, ut etiã accepimus, non excedunt, quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis, ſeu per liberas quorumvis ceſſiones, de illorum regiminibus & adminiſtrationibus in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factas vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod eorum proviſio juxta Lateran. ſtatuta Cõcilii, aut canonicas ſanctiones ad Sedẽ prædictã legitimè devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem eandem ſpecialiter vel generaliter pertineat, & de illis conſiſtorialiter diſponi conſueverit ſeu debeat, ac ſuper regiminibus & adminiſtrationibus Monaſteriorum

*Capellanias & quatuor Clericatus in d. Capella erigit, & instituit.*

*Pro illorumque ſuſtentatione redditus beneficiorum hic deſcriptorum eis aſſignat.*

*...ltare ... Pont. ...udas ...it. ...e Al... ad li... Ca... ...adjun... ...um S. ...ubi ... Innocen... ...m cor... ...a re... ...voluit.*

*...verò ...ronymi.*

*...erfectũ ...hmus ...la com... ...m eſt, ...eſſe ſimi... ...veteri ...lla ad ...pe Do... in Ec... Bet... ...mitana, ... ex inſ... ...tione di... ...a Pon... ...m fecif... ...tur.*

*In eadem ...pella idem ...nt. ſepul... ...ra magni... ...e extruxit. ...terum Pio ...V. à dex... ...is Capella, ...terum ſibi ...ſiniſtris: ...iud etiam ...veſtibulo ...ſuis con... ...ngnineis ...peliẽ. poſuit.*

*...modo ad ...udem eiuſ... ...em B. Virg. ...ad præſe... ...is venera... ...nem, unã ...ræpoſiturã, ...unam Sacri... ...iã, quatuor*

hujuſmodi inter aliquos lis, vel eorum poſſeſſorio moleſtia, cujus litis ſtatum etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, cum prædictis, & forſan aliis illis annexis, eorumque membris, grangiis, prædiis, poſſeſſionibus, decimis, primitiis, vineis, terris, agris, cenſibus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, pertinentiis, rebus, actionibus univerſis, cæteriſque bonis mobilibus & immobilibus, ac ſe moventibus, cujuſcumque qualitatis, pretii, & valoris annui exiſten. ac ubique locorum conſiſtentibus eorumque proprietate & dominio. Ita quod liceat Collegio Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum, & beneficiatorum hujuſmodi, per ſe vel alium ſeu alios, eorum & dictæ noſtræ Capellæ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ, ſuæque menſæ, ſeu maſſæ communibus nominibus corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Monaſteriorum, annexorum, membrorum, grangiarum, prædiorum, poſſeſſionum, decimarum, primitiarum, vinearum, terrarum, agrorum, cenſuum, jurium, pertinentiarum, rerum, actionum & bonorum hujuſmodi propria auctoritate, abſque ſpolii, & attentatorum vitio, ac cujuſcumque Iudicis decreto, vel miniſterio libere apprehendere, & perpetuò retinere, illaque regere & adminiſtrare, necnon fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta eorundem percipere, exigere, & levare, illaque in ſuos, ſecundùm ordinationem inferius per nos deſcriptam, & dictæ Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ uſus, utilitatem & neceſſitates omninò convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ac in eiſdem Monaſteriis ſic unitis, eorumque Eccleſiis, annexis, membris, & grangiis dignitates Abbatiales, illarumque titulos, nomina, & denominationes, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò ſupprimimus & extinguimus.

*Præpoſito, & Capellanis prædictis, quaſdam Miſſas & Anniverſaria celebrandi curam iniungit.*

§. 12. Statuentes & ordinantes, ut Præpoſitus & Capellani prædicti ſingulis diebus Dominicis & feſtivis Miſſas quatuor, aliis verò diebus tres Miſſas, alternis vicibus, ſeu hebdomadatim, juxta providam diſpoſitionem & ordinationẽ deſuper ab eis faciendã celebrare, & quotannis tria Anniverſaria officia mortuorum, unum videlicet pro dicti Pii prædeceſſoris, & aliud pro noſtra, poſtquam viam univerſæ carnis ingreſſi fuerimus, reliquum autem pro parentum & propinquorum noſtrorum, ac infraſcriptorum patronorum animabus; quæ tamen non intra dictam Capellam noſtram, ſed extra eam in illius veſtibulo, quod eſt in ejuſdem Baſilicæ navi eidem Capellæ continua, peragantur, ne ubi vitæ actor, & mortis victor ac triumphator eſt ortus, ibi caſtra doloris cenotaphia pullea, feretralia, & alia mortuorum, ac funeralium officiorum inſignia conſpiciantur.

*Sacriſta celebrationis officiorum, & Capella ſupellectilis, & ornamentorũ curam aſſignat.*

§. 13. Sacriſta verò curam celebrationis Anniverſatiorum, Officiorum, & Miſſarum hujuſmodi, necnon cuſtodiam ſacræ ſuppellectilis, ac ornamentorum & paramentorum ad dictæ Capellæ noſtræ uſum pro tempore pertinentium habeat.

*Beneficiatiſque onus in miſſis aſſiſtẽdi, & divinis inſerviẽdi imponit.*

§. 14. Alii autem Beneficiati prædicti, eiſdem Præpoſito, Sacriſtæ & Capellanis in præmiſſis aſſiſtere, eiſque in divinis inſervire, ac alia obſequia, & onera ſibi pro tempore impoſita præſtare debeant, & teneantur. Ac omnes ſimul unum Collegium inter ſe cum arca, maſſa, & ſigillo communibus, aliiſque Collegialibus inſignibus, adinſtar aliorum ſimilium Collegiorum, tam in prædicta, quàm aliis quibuſvis dictæ Vrbis Baſilicis & Eccleſiis inſtitutorum conſtituant.

*Eiſque omnibus certos redditus & proventus concedit.*

§. 15. Necnon annis ſingulis ex dictis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis; ipſius noſtræ Capellæ Præpoſitus quadringenta, Sacriſta centum & quinquaginta, ſinguli Capellani etiam centum & quinquaginta, ſinguli verò & alii beneficiati Clerici inibi pro tempore exiſtentes, quinquaginta ſcuta monetæ Romanæ percipere, ipſique inſimul ſimiliter annis ſingulis unum Theſaurarium ſeu Camerarium, qui de eorũ gremio exiſtat, & ad quem peculiaris cura recuperationis, exactionis, diſtributionis, & repartitionis, omnium & ſingulorum fructuum, redditũum, proventuum, jurium obventionum, & emolumentorum ad dictam Capellam noſtram, illiuſque fabricam & Sacriſtiam, atque ad communem maſſam Collegii hujuſmodi, nunc & pro tempore ſpectan. pertineat eligere & deputare; necnon ut ſoluta Præpoſito, Sacriſtæ, ac ſingulis Capellanis, ac beneficiatis prædictis rata parte: ſeu portione eos, ut præfertur tangente, & deductis omnibus impenſis ad uſum Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ hujuſmodi neceſſariis, totum id quod ſupererit, in emptionem tot locorum Montium non vacabilium, aut aliorum bonorum ſtabilium erogare, illorumque necnon inde provenien. fructus poſtquam ad ſummam centum ſcutorum ſimilium aſcenderint, pro una inter ſe proportionabiliter dividere & repartiri; altera verò medietatibus, eorundem ſuperexcreſcentium fructus in uſum, neceſſitates, & ornamenta Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ hujuſmodi cõvertere debeant, ita tamẽ ut Theſaurarius, aut Camerarius pro tempore exiſtens, de receptis & adminiſtratis per eum, rationem & computa eidem Collegio in fine cujuſlibet anni reddere omnino teneatur.

*Et in ... locum ... quando ... quilli ... volueri... ſignat,*

§. 16. Ac inſuper ubi, quoties, & quandocunque eis placuerit, liberè eorum arbitrio, ſine ullo tamẽ onere, aut obligatione, & ſine ullo impedimento ſtallum & locũ in dicta Baſilica & illius choro habere, omnibuſque & ſingulis horis Canonicis, ac aliis divinis officiis, necnõ proceſſionibus, cæteriſque publicis actibus, non tamen Capitularibus, dictæ Baſilicæ intereſſe, ita ut neque adintereſſendum præmiſſis unquam cogi vel compelli, nec ſi ſponte accedere voluerint, impediri quovis prætextu poſſint. Et ibidem Præpoſitus videlicet cappam, aut cotam cum rocheto, prout temporis qualitas exegerit, ad inſtar Canonicorum ejuſdem Baſilicæ, Sacriſta autem & Capellani, ac alii beneficiati Clerici nuncupati prædicti, habitum per alios Beneficiatos & Clericos ipſius Baſilicæ geſtari ſolitum, reſpectivè deferre, necnon attenta antiquitate, nobilitate, & præſtantia ejuſdem Sancti Præſepis Dominici, à quo tanquam præcipua & primaria parte, tota baſilica etiam ad Præſepe Domini olim dicta fuit, & cum hæc ipſa per nos erecta dignitas Sacriſtiæ, Capellaniæ & beneficia pro divino cultu & ſervitio ejuſdẽ Præſepis fuerint inſtituta, Præpoſitus immediatè poſt Vicarium Archipresbyteri dictæ Baſilicæ, & ante omnes illius Canonicos ſupradictos; Sacriſta verò & deinde Capellani poſt ipſos Canonicos, & ante omnes Beneficiatos Baſilicæ, alii autẽ ejuſdem Capellæ noſtræ Beneficiati Clerici appellati, poſt Beneficiatos, & ante Clericos baſilicæ hujuſmodi immediatè ſedere & incedere liberè, & licitè poſſint.

*Et ne ... rea ali... emolum... percipian... interdicit.*

§. 17. Per hoc tamen eiſdem Baſilicæ & Capitulo, Canonicis, Beneficiatis & Clericis, quoad diſtributiones & alia emolumenta per eos dum horis Canonicis, diviniſque officiis, ac proceſſionibus & aliis actibus hujuſmodi interſunt, percipi, & lucrari ſolita, aliqua ex parte præjudicare nequaquam intendimus, quinimmò dictis noſtræ Capellæ Præpoſito, Collegio, Sacriſtæ, Capellanis & Beneficiatis, Clericis nuncupatis, & eorum cuilibet auctoritate & tenore prædictis inhibemus, ne ipſi eorumve aliquis, ſive propter eorum præſentiam, intereſſentiam, & aſſiſtentiam in choro horis Canonicis, diurnis & nocturnis Miſſis etiam ſolemnibus, & aliis divinis officiis, etiã in feſtivitatibus majoribus, & quocumque anni tẽpore, aut proceſſionibus vel anniverſariis mortuorũ, ſivè propter aliam quamcumque cauſam vel occaſionem quippiam parvum, aut magnum, etiam pro eorum rata, aut pro virili de ipſius Baſilicæ Capituli Beneficiatorum & Clericorum prædictorum menſa, maſſa, diſtributionibus, aut emolumentis, ordinariis vel extraordinariis, etiã incertis, & ut præfertur perſonaliter intereſſentibus tantũ dari ſolitis, ullo modo, aut quæſito colore vel ingenio percipere, aut quomodolibet prætendere audeant vel præſumãt.

*In d. Capell... aliud ſepul... chrum, ſeu tumulũ pro quavis perſo... na fieri pro... hibet.*

§. 18. Deinde ne in ipſa Capella noſtra, illiuſque ſitu, ſeu ambitu, ſolo, aut pavimento, muris, ſtructuris, & ædificiis præter ſupradicta monumenta aliud ſepulchrum aut ſepulturæ locus, ſeu tumulus, alteri perſonæ cujuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, & conditionis fuerit, ſive per viam depoſiti, ſive aliàs quomodolibet concedi vel aſſignari poſſit aut debeat, diſtrictè interdicimus, & omninò in perpetuum prohibemus.

§. 19.

§.19. Prætereà eande n capellam noſtram, illiuſque fabricam & Sacriſtiam, necnon. Præpoſitum, Sacriſtam, Capellanos & beneficiatos, Clericos nuncupatos, pro tempore exiſtentes, ipſumque Collegium, ac prædicta cæteraque omnia, & quæcumque illius & eorum bona mobilia & immobilia, cujuſcumque qualitatis in dictis Vrbe & locis, & extra, ac alias ubique locorum conſiſtentia, ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate & poteſtate, nunc & pro tempore exiſtentis Vrbis Vicarii, ac Archipresbyteri dictæ Baſilicæ, ejuſque Vicarii & Capituli, & cujuſvis Ordinarii loci, aliorumve quorumcumque Judicum & Officialium, in ipſa urbe vel alias ubilibet conſtitutorum, perpetuò eximimus & liberamus, ac ſub Beati Petri & Sedis Apoſtolicæ, atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque & dictæ Sedi immediatè ſubjicimus.

§.20. Ad hæc, Præpoſito Sacriſtæ Capellanis, & beneficiatis Clericis nũcupatis prædictis, illorũque Collegio, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, favoribus, facultatibus, indultis & aliis gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus alii Dignitates, Capellanias, & alia beneficia in dictæ Sanctæ Mariæ Majoris, & aliis ejuſdem Vrbis Baſilicis, & Eccleſiis pro tempore obtinen. eorumque Collegia, de jure vel conſuetudine, aut privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter & pariformiter, in omnibus & per omnia uti, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis indulgemus.

§.21. Necnon tam prædictis in Vrbe Vicario, Archipresbytero, ejuſque Vicario, & Capitulo, locorum Ordinariis, quàm aliis quibuſcumque perſonis quavis auctoritate & dignitate fungentibus, ne quarumcumque facultatum, privilegiorum, aut literarum eis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſorum prætextu, Præpoſitum; Sacriſtam, Capellanos, aut beneficiatos, qui Clerici appellantur prædictos ſive eorum aliquem in præmiſſis quoquo modo moleſtent, aut moleſtari permittant, diſtrictiùs inhibemus.

§.22. Vt verò Capellæ noſtræ, illiuſque fabricæ & ſacriſtiæ, ac collegii hujuſmodi felici & proſpero regimini, gubernio, & conſervationi opportunè conſulatur, utque promptum & paratum ſit eis auxilium, Dilectum filium Alexandrum Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem de Montealto nuncupatum, ex ſorore germana ſecundum carnem pronepotem noſtrum, & eo vita functo, antiquiorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ex noſtra familia, parentela, vel in ejus defectum ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum, ſeu ſi nullus eorum fuerit, primum presbyterum Cardinalem pro tempore exiſtentem ejuſdem Capellæ noſtræ, illiuſque perſonarum, rerum, bonorum, & jurium Protectorem, ac Defenſorem, cujus conſilio & ope omnia ſupradicta, & quæcumque alia in his, & circa ea quomodolibet neceſſaria agantur, ſtatuantur, & ordinentur, conſtituimus & deputamus. Ac volumus & declaramus, quod licèt nullo exiſtente noſtri ſanguinis Cardinale, alius ad id, ut præfertur vocatus Cardinalis munus Protectoris hujuſmodi ſubire & exercere inceperit, nihilominus ſi poſtmodum contingat, aliquem noſtræ familiæ & parentelæ ad Cardinalatus honorem aſſumi, his in ejuſdẽ muneris functione præferri debeat, & conſtitutio ac deputatio de cujuſvis alterius perſona in Protectorem hujuſmodi factæ eo ipſo ceſſare & expirare cenſeantur.

§.23. Dantes & concedentes eidem Alexandro Cardinali, moderno & pro tempore exiſtenti ejuſdem noſtræ Capellæ Protectori, plenam & liberam facultatem, & auctoritatem, differentias, lites, controverſias inter quaſcumque perſonas, tam Præpoſiti quàm Sacriſtæ, Capellanorum & Beneficiatorum Clericorum nuncupatorum dictæ Capellæ, eorumdemque litium conſortes, ſeu ab eis cauſam habentes pro tempore exortas ſummariè, ſimpliciter, & de plano; ſine ſtrepitu & figura judicii, appellatione remota decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi; ac denique eandem prorſus juriſdictionem, ſuperioritatem, & poteſtatem in Capella noſtra, illiuſque Altaribus, atque univerſis & ſingulis perſonis prædictis liberè exercendi, in omnibus & per omnia, quam pro tempore exiſtens Archipresbyter dictæ Baſilicæ, ejuſque Vicarius in ipſa Baſilica, illiuſque Altaribus, Capitulo, Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, vel Miniſtris, de jure, conſuetudine, aut ex privilegio, aut aliàs quomodolibet exercere poteſt & debet, ſive in futurum poterit & debebit, etiam quoad ea univerſa & ſingula quæ expreſſionem & conceſſionem requirunt magis ſpecialem, quæque ſub generali hujuſmodi conceſſione non comprehenduntur.

*Iuſpatronatus & præſentandi perſonas prædictas, Michaëli Peretto eius pronepoti, illiuſque deſcendentibus cōcedit.*

§.24. Inſuper juſpatronatus, & præſentandi perſonas idoneas, etiam alienigenas, ad Præpoſituram videlicet Protectori, ad Sacriſtiam verò, ac quatuor Capellanias, & alia beneficia Clericatus nuncupata hujuſmodi Præpoſito pro tempore exiſtentibus prædictis, tam hac prima vice ab eorum primæva erectione & inſtitutione hujuſmodi, apud Sedem prædictam vacantia, quàm quoties ex nunc de cætero illa quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis, etiam noſtri aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ſeu cujuſvis Cardinalis etiam tunc viventis familiaribus, continuis commenſalibus, ſeu Romanæ Curiæ officialibus, aut aliàs quomodolibet reſervationem inducentibus, ſemper liberas, vel ex cauſa permutationis reſignationes de illis in dicta Curia, etiam in manibus noſtris, vel Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel extra eam quomodolibet factas & admiſſas, aut aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, ſeu illa pro tempore obtinentium deceſſum, vel quamvis aliam dimiſſionem, amiſſionem, privationem, religionis ingreſſum, matrimonii contractum, aut aliàs quomodocumque & qualitercumque, etiam apud Sedem prædictam, ſimul vel ſucceſſivè vacare contigerit, per Protectorem & Præpoſitum prædictos ad præſentationem hujuſmodi in forma ſolita inſtituendas, Dilecto filio Michaëli Peretto Burgi S. Petri, & militum cuſtodiæ noſtræ moderno præfecto ſimiliter noſtro ſecundùm carnem ex ſorore dicta pronepoti, ejuſque maſculis ex maſculis deſcendentibus legitimis & naturalibus, ac ex legitimo matrimonio natis & procreatis, ita tamen quod præſentatio fieri debeat ſolùm à primogenito, & ipſius primogeniti primogenito uſque in infinitum hoc modo, videlicet ſi dictus Michaël plures filios maſculos habuerit, præſentatio pertineat ad natu majorem tantùm, qui ſi etiam plures ſuſceperit filios maſculos, natu major eorum tãtùm præſentet, & ſic jus præſentandi hujuſmodi ſemper tranſeat de primogenito in primogenitum uſque in infinitum; & deficiente linea maſculorum totaliter ex maſculis deſcendentium à dicto primogenio, præſentatio modo & forma præmiſſis ad ſecundogenitum, ſi ſuperſtes fuerit, ſin minus ad majorem natu maſculum ex maſculis deſcedentibus ab eodem, & ſic de primogenito maſculo ad primogenitum maſculum ſimiliter uſque in infinitum; & deficiente linea maſculorum ex maſculis deſcendentibus à ſecundogenito, jus præſentandi hujuſmodi tranſeat ad tertiogenitum, prædicto ordine ſervato; & ſic ſucceſſivè de una linea ad aliam, ad omnes deſcendentes à dicto Michaële.

*Eis autem deficientibus juſpatronatus ad Flaviam Perettam d. Michaëlis ſororem germanam, illiuſque deſcendentes, & ultimò eis omnibus deficientibus, ad ipſius Pontificis ſanguine proximos, devenire decernit.*

§.25. Et deficientibus omnibus maſculis deſcendentibus à dicto Michaële, ſuccedat filia promogenita dicti Michaëlis, ſi fuerit ſuperſtes, vel ſi ea non extabit, ab ea deſcendentes maſculi, donec extabunt, tranſeundo de primogenito in primogenitum, modo & forma præmiſſis, & deficientibus omnibus maſculis, & maſculis deſcendentibus ab omnibus filiabus dicti Michaëlis, ſuccedant maſculi deſcendentes ex nepotibus ejuſdem Michaëlis. Deficien. autem omnibus maſculis & fœminis à dicto Michaële deſcendentibus, juſpatronatus, & præſentandi hujuſmodi tranſeat ad dilectam in Chriſto filiam Flaviam etiam Perettam, dicti Michaëlis ſororem germanam, ſi extabit, & poſt eam, vel ſi ipſa non extabit, ad filios maſculos ipſius, & ab eis maſculos deſcendentes uſque in infinitum, & ceſſantibus maſculis, ad fœminas à dictis maſculis deſcendentes. Et ceſſantibus omnibus tam maſculis quàm fœminis deſcendentibus à

dictæ

dicta Flavia, ſuccedat dilecta in Chriſto filia Vrſina ſimiliter Peretta ejuſdem Michaëlis etiam ſoror germana, & poſt eam, vel ſi ipſa tunc non extabit, ejus filii maſculi, & maſculi ex maſculis deſcendentes uſque in infinitũ, & deficientibus maſculis ex maſculis deſcendentibus, ſuccedant fœminæ ab eis deſcendentes. Deficientibus autem omnibus & ſingulis maſculis & fœminis deſcendeñ. à dictis Michaële, Flavia, & Vrſina, tunc ſuccedat in dicto jure patronatus qui nobis fuerit ſanguine proximior, ſervato ſẽper in omnibus caſibus ſupradictis, ordine primogenituræ, tranſeundo ſcilicet de primogenito in primogenitum, & præferendo lineam primogeniti lineæ ſecundogeniti, & maſculos ex maſculis deſcendentes natis ex fœminis, ac maſculos ex fœminis ipſis fœminis, ac alias in omnibus ac per omnia prout in linea filiorum & deſcenden. à dicto Michaële ordinatũ eſt, ita quod jus præſentandi hujuſmodi ad unum ſolum ſucceſſorem inſolidum, & poſt illum ad alium ſemper deveniat, abſque eo quod inter plures ſucceſſores dividi poſſit, motu & ſcientia ſimilibus auctoritate & tenore prædictis pariter perpetuò reſervamus, concedimus & aſſignamus.

*Ius iſtud patronatus, laicorum nobilium & illuſtrium eſſe, & dictis patronis non ex privilegio, ſed ex vera fundatione, & dotatione competere declarat.*

§. 26. Decernentes juſpatronatus, & præſentandi hujuſmodi, laïcorum Nobilium, & illuſtrium exiſtere, ac Michaëli & aliis futuris patronis prædictis non ex privilegio, ſed ex vera, primæva, reali, actuali, plena, integra, ac omnimoda fundatione, & perpetua dotatione competere, & ad illos pertinere, illudque vim, effectum, naturam, ſubſtantiam, eſſentiam, qualitatem, validitatem, & roboris firmitatem obtinere, ac Michaëli & alii futuris Patronis prædictis, & eorum cuilibet perpetuò ſuffragari debere, in omnibus & per omnia, abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi illis & eorum cuilibet ratione veræ, realis, actualis, plenæ & integræ fundationis, ac perpetuæ dotationis per eos de eorum propriis, & merè patrimonialibus & laïcalibus bonis dumtaxat competeret, & conceſſum eſſet.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§. 27. Ac ut tale ſub quacumque derogatione, etiam cum quibuſvis prægnantiſſimis & efficaciſſimis verbis, clauſulis, ac decretis, etiam cum clauſula: Quorum tenores, in quacumque diſpoſitione, etiam per viam conſtitutionis, legis, Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, aut aliàs quomodocumque facta nullatenus comprehendi, nec illi ullo unquam tempore, etiam ratione cujuſvis litis pendentiæ, vel vacationis Præpoſituræ, Capellaniarum, Sacriſtiæ, & aliorum beneficiorum hujuſmodi apud Sedem prædictam, etiã ex cauſa permutationis vel devolutionis, ſeu alio quocumque prætextu, & ex quacumque cauſa quantumvis urgenti & legitima, per nos ſeu quoſcumque alios Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, vel Sedem prædictam, aut illius Legatos etiam de latere, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu cujuſvis intuitu, & contemplatione per quaſcũque literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & quaſvis etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores & inſolitas clauſulas, necnõ irritantia, & alia cõtraria decreta quæcumque derogari, aut derogatum cenſeri poſſe, neque debere, niſi in illis de toto tenore, ac data præſentium, necnon patroni pro tempore exiſtentis nomine, cognomine, & qualitate, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio facta fuerit, ac ejuſdem patroni pro tempore exiſtentis ad hoc expreſſus acceſſeris aſſenſus, & aliter factas derogationes, necnon quaſcumque collationes, proviſiones, commendas, præſentationes, inſtitutiones, vel alias diſpoſitiones, de Præpoſitura, Sacriſtia, Capellaniis, & aliis Beneficiis prædictis, ut præfertur, vel alias quovis modo, etiam apud Sedẽ eandem pro tempore vacan. quibuſvis perſonis alias, quàm ad præſentationẽ Michaëlis, & aliorum patronorum prædictorum, ſeu de eorum expreſſo conſenſu, etiam cum ſpeciali & expreſſa derogatione juriſpatronatus hujuſmodi pro temporẽ factas, proceſſuſque deſuper habitos, ac inde pro tempore ſecuta quæcumque nulla, & invalida, nulliuſque roboris, vel momenti fore & eſſe, ac pro nullis, & infectis haberi & cenſeri, nec jus aut coloratum titulum poſſidendi cuiquè tribuere, vel per illa acquiri poſſe, ſed præſentationes per Michaëlem & alios futuros patronos prædictos pro tempore factas, & ſubſecutas inſtitutiones validas & efficaces fore, ſuoſque effectus ſortiri, ipſiſque præſentatis & inſtitutis tale jus in re, & ad rem acquiri debere, quale acquiritur præſentatis, & inſtitutis ad beneficia de vero & reali jure patronatus laïcorum, nobilium, & illuſtrium, ratione primævæ integræ fundationis, ac perpetuæ devotionis ex bonis mere laïcalibus, & patrimonialibus dumtaxat exiſtentia, necnon præpoſituram, Sacriſtiam, Capellanias, aliaque beneficia, Clericatus nuncupata hujuſmodi, ſub quibuſvis ſpecialibus vel generalibus reſervationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, ſuppreſſionibus, extinctionibus, etiam perpetuis vel temporalibus expectativis, & aliis etiam prævẽtivis gratiis, ac uniendi, annectendi, & incorporandi, necnon conferendi, providendi, & aliis facultatibus, cõceſſionibus, literis, mandatis etiã de providendo, & indultis quibuſcumque, illorumque & illarum revalidation. quibuſvis perſonis, etiam prædictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis ſuſpenſivis, reſtitutivis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, irritantibuſque & aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, atque aliàs quomodolibet nunc & pro tempore conceſſis, necnon quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Cancellariæ regulis quomodolibet, & cum quibuſvis clauſulis & decretis, quantumvis ampliſſimis, ac prægnantiſſimis, etiam cum clauſula, Quorum tenores, editis & edendis nullatenus comprehenſa eſſe, aut fore, minimeque cõprehendi poſſe, aut debere, ſed ſemper ab illis excepta & excluſa eſſe, & cẽſeri debere, ac omnia & ſingula præmiſſa, necnon præſẽtes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod cauſæ propter quas eadem præmiſſa facta ſunt, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam Sedis prædictæ delegatis examinatæ, verificatæ, & ab eis approbatæ, ac intereſſe forſan habentes ad id vocati nõ fuerint, nec deſuper ſuum conſenſum præſtiterint, ſeu ex quavis alia, vel quocumque prætextu, quæſito colore vel ingenio notari, impugnari, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam vocari, aut adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, nec ſub ullis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehẽdi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illa emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea erant ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata, ac de novo etiam ſub Datum per Michaëlem, & futuros patronos prædictos quandocumque eligenda, conceſſa, valida & efficacia fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, ac perpetuò ſuffragari.

*Decretum irritans.*

§. 28. Sicque in præmiſſis univerſis, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilebet quavis aliter judicandi ac interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores deputat.*

§. 29. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Oſtien. Sabinen. & Tuſculan. Epiſcopis, Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore exiſtentium Protectoris & Patroni, necnon Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum, & aliorum beneficiatorum prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, necnon Protectorem, Patronum, Præpoſitum, Sacriſtam, Capellanos & beneficiatos pro tempore exiſten. prædictos, eorumque ſingulos illis pacificè frui & gaudere. Non permittentes ipſos

vel

vel quempiam ex eis per quoſcumque deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

§.17. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonif. Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, etiam qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices à Sede prædicta deputati extra Civitatem vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas cõmittere audeant, ſeu præſumãt, & in Concilio generali edita de duabus dietis, necnõ quatenus opus ſit, noſtris de non tollendo jure quæſito, & unionem committendo ad partes, vocatis quorum intereſt, ac exprimendo vero annuo valore tam beneficii uniti quàm illius cui ſit unio, Lateranenſiſque ultimò celebrati, & quorumcumque aliorum generalium Cõciliorũ uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri ac etiam beneficia unius diœceſis uniri prohiben. aliiſq; Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis & edendis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, ac Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis ac Archipresbytero & Capitulo prædictis; necnon Abbatibus, Superioribus, Conventibus, & Religioſis Ordinum hujuſmodi, illorumque, ac quibuſvis aliis perſonis, etiam prædictis Cardinalibus, ac etiam dilectis filiis Populo Romano, ſub quibuſcumque tenoribus; & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, reſervativis; exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis per quoſcumque Roman. Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam Sedem, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumvis Principum inſtantiam, ſeu eorum intuitu, ac etiam juramento vallatis, & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod Dignitates, Capellaniæ, & alia beneficia Eccleſiaſtica dictæ Vrbis, nonniſi Civibus Romanis, ac Civium Romanorum filiis originariis, & aliàs certo tunc expreſſo modo qualificatis conferri poſſint, & aliàs de illis etiam per Sedem prædictam pro tempore factæ collationes & proviſiones, ac quævis aliæ diſpoſitiones nullius ſint roboris vel momenti, quodque eiſdem ſtatutis, privilegiis, indultis, & literis ullatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma in eis expreſſis derogari poſſit, & ſi illis aliter derogari contingat, derogationes hujuſmodi, nemini ſuffragentur. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus prædictorum, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, Monaſteria hujuſmodi in ſpiritualibus non lædantur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineant, ſed eorum congruè ſupportentur onera conſueta.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnat. Dominicæ 1587. 5. Idus Iunii, Pont. Noſtri Anno 3. *Dat. P. A. 3. die 9. Iunii*

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1587. die verò 18. menſis Auguſti, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Philippus retroſcriptus per ejus cedulam, &c. Commenda Monaſterii S. Nicolai, &c. ceſſioni, &c. retroſcriptis, literarumque expeditioni conſenſit, &c.* *Tydeus Notarius.*

---

LIX.

## Damnatio conjugiorum per Eunuchos & Spadones contractorum & contrahendorum.

*Edita A. D. 1587.*

### *SIXTVS PAPA QVINTVS.*

*Venerabili Fratri Epiſcopo Novarien. noſtro & Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuncio.*

*Dubium ortum ſuper validitate conjugiorum quæ contrahunt Eunuchi.*

CUm frequenter in iſtis regionibus Eunuchi quidam & Spadones, qui utroque teſte carent, & ideò certum ac manifeſtum eſt, eos verum ſemen emittere non poſſe, quia impura carnis prurigine, atque immundis cõplexibus cum mulieribus ſe commiſcent, & humorem forſan quendam ſimilem ſemini, licet ad generationem, & ad matrimonii cauſam minimè aptum effundũt, matrimonia cum mulieribus, præſertim hunc ipſum eorum defectum ſcientibus contrahere præſumant, idque ſibi licere pertinaciter contendant, & ſuper hoc diverſæ lites & controverſiæ ad tuum & Eccleſiaſticum forum deducantur, requiſivit à nobis fraternitas tua quid de hujuſmodi connubiis ſit ſtatuendum.

*Declaratio quod ea nulla ſint in futurum.*

§.1. Nos igitur attendentes, quod ſecundum canonicas ſanctiones & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque prædicti Eunuchi, aut Spadones, quas tanquam uxores habere non poſſunt, eaſdem habere ut ſorores nolunt, quia experientia docet tam ipſos dum ſe potentes ad coëundum jactitant, quàm mulieres, quæ eis nubunt, non ut caſtè vivant; ſed ut carnaliter invicem conjungantur, prava & libidinoſa intentione, ſub prætextu & in figura matrimonii, turpes hujuſmodi commixtiones affectare, quæ cum peccati & ſcãdali occaſionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, ſunt ab Eccleſia Dei prorſus exterminandæ. Et inſuper conſiderantes, quod ex Spadonum hujuſmodi, & Eunuchorum conjugiis nulla utilitas provenit, ſed potius tentationum illecebræ, & incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut conjugia per dictos & alios quoſcumque Eunuchos & Spadones, utroque teſte carentes, cum quibuſvis mulieribus, defectum prædictum ſive ignorantibus, ſive etiam ſcientibus, contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tam locorum Ordinariis, ne hujuſmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quàm eos etiam, qui ſic de facto matrimonium contraxerint ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida eſſe decernas.

*Declaratio quoad conjugia iam contracta.*

§. 2. Eos etiam qui ſic jam contraxerunt, ſi appareat illos non ut caſtè ſimul vivant contraxiſſe, ſed actibus carnalibus & libidinoſis operam dare, ſimulve in uno & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire convincantur, omninò ſimiliter ſeparari cures.

*Clauſula ſublata.*

§. 3. Nos enim ita in præmiſſis, & non aliter per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, quacumque auctoritate & dignitate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quacumque cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel attentari in poſterum contigerit, irritum & inane decernimus.

*Clauſula derogat.*

§.4. Non obſtantibus cujuſvis Civitatis, Provinciæ,

aut

aut Regni ſtatutis, legibus municipalibus, aut conſuetudinibus, quæ abuſus potiùs & corruptelæ cenſendæ ſunt, etiamſi ab immemorabili tempore obſervatæ dicantur, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 3. die 27. Iunii.* Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. Anno Incarn. Dominicæ 1587. Iun. 27. Pont. noſtri anno 3.

---

## L X.

**Inſtitutio Collegii honeſtarum viduarum, & puellarum, ſub regimine Confratrum Congregationis S. Bernardini religioſè educandarum, cum indultorum conceſſione, præſertim quoad pia eis relicta. Et juriſdictio S.R.E. Cardinalis Protectoris, & Iudicis cauſarum ad eas ſpectantium.**

*Edita A.D. 1587.* *SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ gubernacula ex ſummi ſacerdotii Cathedra nobis, licet meritis imparibus demandata tenentes, ad ea libenter intendimus, per quæ Cœnobia, & alia religioſa loca, in quibus prudentes virgines accenſis lampadibus ſe præparent obviamituræ ſponſo Jesu, in quarum Societate aliæ quoque mulieres ſpretis mundi vanitatibus, gratum & debitum Deo exhibeant famulatum ubique gentium, ſed præſertim in hac Alma Vrbe noſtra, in qua ſicut in univerſi Orbis Magiſtra, veræ fidei & religionis documenta relucent, ita univerſa divinæ Majeſtati accepta opera exerceri ſummopere deſideramus, conſtruuntur & eriguntur, idque ut faciliùs ſuccedat, ac perſonæ ad id opportuna auxilia exhibētes à nobis gratias & favores reportaſſe lætentur, opem & operam impendimus efficaces, ac in his officii noſtri partes libenter impartimur, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Cauſa huius erectionis.* §. 1. Sanè cum ſicut accepimus, aliàs poſtquam nos Eccleſiam Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Martyrum Regionis Montium de Vrbe, Confraternitati Sacerdotum, & aliorum utriuſque ſexus Chriſti fidelium Sancti Bernardi de dicta Vrbe canonicè inſtitutæ, cum facultate & ſcientia pro eiſdem Confratribus ibidē erigendi Monaſterium Monialium ſub regula Sancti Benedicti Congregationis S. Bernardi Ciſtercienſis Ordinis, pro pauperibus puellis, quæ ſpretis mundi illecebris, Chriſto earum ſponſo perpetuum famulatum exhibere optarent, conceſſerimus, prout in noſtris deſuper confectis literis pleniùs continetur, Dilecti filii Prior & Cuſtodes, ac Confratres ejuſdem Confraternitatis ibidem Monaſterium, cum choro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis conſtrui & ædificari procuraverint, illudque adeo commodum reddiderint, ut infra octavam Conceptionis B. Mariæ Virginis proximè præteritæ nonnullæ puellæ Deo dicatæ, per deputatos ejuſdem Confraternitatis approbatæ, in moniales ipſius Monaſterii, juxta laudabilem illius normam receptæ, admiſſæ, & introcluſæ extiterint. Tamen quia ſicut etiam accepimus, ultra trecentas per ipſos deputatos jam viſitatas in eadem Vrbe, alius ingens ac ferè infinitus numerus pauperum puellarum minorum ſexdecim annis, quæ ob earum minorem ætatem infra annum probationis juxta Concilii Tridentini decreta expreſſam profeſſionem emittere, ac in moniales recipi nequeunt, reperitur, & pleræque adſunt quæ ſi ætatem decem annorum excedant, vel utroque parente orbatæ, ſeu Neophytæ, aut illegitimè genitæ non ſint, aut ſi habeant parentes & conſanguineos honeſtæ conditionis & famæ, ab Archihoſpitalis S. Spiritus in Saxia, Sanctorum Quatuor Coronatorum, S. Catharinæ de Roſa, aliàs miſerabilium, & S. Baſilii Neophytarum reſpectivè nuncupatarum prædictæ Vrbis Monaſteriis, juxta eorumdem Monaſteriorum ſtatuta, privilegia, & indulta eis deſuper conceſſa, penitus excluduntur, puellæque hujuſmodi, ac etiam nonnullæ honeſtæ viduæ, quæ à maritali vinculo ſolutæ in cœlibatu ſub clauſtro pudoris & continentiæ vitam cœlibem ſibi libenter ſtatuerent ſi in aliquo Monaſterio, Collegio, aut loco recipi poſſent; quo fit, ut locum receptionis non invenientes, non ſine maximo earum virginitatis, honoris, & pudoris periculo in ſæculo remanere cogantur. Quibus (ſicut pariter accepimus) dicti Confratres permoti, habitâ inter eos pluries matura deliberatione, cogitarūt quod ſi Collegium unum in quo pauperes puellæ, & viduæ honeſtæ hujuſmodi, quæ in aliis prædictis Monaſteriis recipi non poſſunt, reciperentur & admitterētur, ac cum timore Dei unà cum aliis puellis dicto Collegio minimè oneroſis, quæ ibidem ſicut in pluribus aliis Monaſteriis & locis piis conſuevit, recipi & admitti poſſent, educarentur, erigeretur, & inſtitueretur, ac conſtrueretur, & una duorum millium ex teſtamento quondam Marci Antonii Mureti Junioris, Clerici Lemovicenſis diœceſis, ſub die vigeſimanona Septembris proximè præteriti cōdito pauperibus puellis vitam regularem profiteri cupientibus legata, & arbitrio dilectorum filiorum Ludovici Rivaldi presbyteri dictæ diœceſis, & Marci Antonii Lanfranci Veronenſis dicti Marci Antonii hæredum & executorum, ac altera mille, pauperibus puellis orphanis nuptui tradendis, arbitrio eorundem Ludovici & Marci Antonii Lanfranci, juxta tractatum, ſeu conventionem inter Priorem, Cuſtodes, & Confratres, necnon Ludovicum & Marcum Antonium Lanfrancum hujuſmodi deſuper initum, ſeu initam, & factum ſeu factam, necnon reliqua ſummæ trium millium reſpectivè ſcutorum de juliis decem pro quolibet ſcuto, Collegio ſic erigendo hujuſmodi per dilectam in Chriſto filiam Magdalenam Strozziam Anguilariam, ſub certis modo & forma in inſtrumento donationis deſuper confecto donatæ, necnon quæcumque res & bona per quoſcumque Chriſti fideles, etiam cauſa teſtamenti, codicillorum, donationis, aut alias ipſis viventibus donata & conceſſa, ſeu donanda & concedenda eidem Collegio erigendo, applicarentur & appropriarentur, profectò non ſolùm publicæ utilitati conſuleretur, ſed exinde plures ex dictis puellis Domino famulatum perpetuum exhiberent, reliquæ verò faciliùs nuptui traderentur, eleemoſynæque & alia pietatis opera, tam ab ipſis Confratribus, quàm aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus veriſimiliter in dies ibidem erogarentur, exercerentur, & augerentur.

§. 2. Nos igitur, qui noſtris potiſſimum temporibus quantum cum Deo poſſumus, quaſcumque virgines & honeſtas viduas in numero prudentum adſcribi, ac dictæ Confraternitatis incremento conſulere ſinceris deſideramus affectibus, Priorem, Cuſtodes, & Confratres prædictos, ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon teſtamentorum, codicillorum, ac inter Priorem, Cuſtodes & Confratres, ac Ludovicum & Marcum Antonium Lanfrancum, ac etiam per Magdalenam prædictos, ut præfertur initorum & tranſactorum, aliorumque quorumcumque inſtrumentorum & donationum factorum tenores veriores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad Prioris, Cuſtodum, & Confratrum prædictorum, vel alicujus eorum pro eis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate in dicto Monaſterio Sancti Bernardi, ut præfertur conſtructo, ſeu prope illud aut alibi, ubi pro tempore forſan transferri contigerit, unum Collegium pauperum puellarum virginum, & honeſtarum viduarum bonæ & honeſtæ conditionis & famæ, in quo puellæ & viduæ ipſæ, ne paupertate oppreſſæ, dæmonis arte in vitiorum ſordes prolabantur, recipi, ac ſeparatim à commercio Monialium piè & charitativè regi & educari, ac ſub Domini timore, virtutumque exercitiis, ac Chriſtianis moribus & inſtitutis inſtrui, necnon inibi quouſque juxta cujuſlibet earum inclinationem, voluntatem ac devotionem, ſive alia honeſta ratione per dictæ Confraternitatis Confratres proviſum fuerit, habitum per Moniales dicti Monaſterii geſtari ſolitum ſuſceperint, & profeſſionē per eaſdem emitti ſolitam

*Erecti… legii … perum … num. … noſtra… vidua… apud … ſterium … niali… Berna…*

ſolitam expreſsè emittere propoſuerint, aut alias nupſerint, permanere poſſint. Ita tamen quod quoties aliquam ex dictis puellis & virginibus, ac viduis è dicto Collegio, vel voti religionis, vel matrimonii contrahendi cauſa egredi contigerit, liceat Priori, & Viſitatoribus, ac Confratribus ejuſdem Confraternitatis nunc, & pro tempore exiſtentibus aliam puellam, & virginem, ſeu viduam modo præmiſſo qualificatam loco egreſſæ, aut alias juxta facultates dictæ Confraternitatis, ipſorumque Prioris, Viſitatorum, & Deputatorum arbitrio ibidem collocare, ſubrogare, & ſubſtituere pro earundem puellarum, ac viduarum perpetuis uſu & habitatione, unà cum Eccleſia præfata Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Martyrum, vel alia, ubi prò tempore, ut præfertur, dictum Collegium, & Monaſterium transferri contigerit ad eorundē Monaſterii, & Collegii uſū, in qua Miſſa celebrari, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari, cadavera tam ipſarū, quàm etiam ejuſdem Monaſterii Monialium Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi, & verbum Dei prædicare valeant, cum campanili, & campanis, necnon refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, aliiſque neceſſariis ad ejuſdem Collegii uſum jam conſtructis, & conſtruendis. Ita quod in dicto Collegio ſic erigendo nonnullæ aliæ puellæ virgines, & honeſtæ viduæ, eidem Collegio minimè oneroſæ, ſed potiùs utiles, atque etiam per pro tempore Viſitatores ejuſdem Collegii approbandæ, pro ſalubri earundem educatione, adinſtar aliorum Monaſteriorum ſimiles puellas recipientium, & admittentium, recipi, & admitti valeant ſine alicujus præjudicio, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*...icatio ...clar..., & ...ndorū ...ſſi ſi-...*

§. 3. Ac eidem Collegio ſic erecto omnes, & ſingulas pecuniarum ſummas per Marcum Antonium Muretum juniorem juxta ſui teſtamenti diſpoſitionem, ac etiam inſtrumentorum, & conventionum inter dictos Priorem, & Confratres, ac Ludovicum, & Marcum Antonium Lanfrancum præfatos, quàm etiam legati, & donationis dictæ Magdalenæ, ut præfertur factorum, necnon quæcumque res, & bona per quoſcūque Chriſti fideles eidem Collegio relinquenda, & eroganda. Ita quod dictæ Confraternitatis Prior, Viſitatores, & Confratres, nunc, & pro tempore exiſtentes, ſeu ab eis deputati, vel deputandi, illorum omnium corporalēm, realem, & actualem poſſeſſionem liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illaque omnia ad Monaſterii, & Collegii uſus, necnon perſonarum inibi pro tempore exiſtentium, & degentium manutentionem convertere valeant, cujuſvis licentia minimè requiſita, auctoritate, & tenore præfatis etiam perpetuò applicamus, appropriamus, concedimus, & aſſignamus.

*...ſio au... ...tiis Of... ...bus d. ...ſterii, ...llegii ...jus te... ...regimi-*

§. 4. Eiſdemque Priori, Officialibus, Viſitatoribus, & Confratribus, ut Sacerdotes ex approbatis ab examinatoribus pro tempore exiſtentis dictæ Urbis Vicarii provectæ ætatis, doctrina, vitæ munditia, & morum honeſtate, religioniſque zelo præditos, & à Protectore dictorum Collegii, & Monaſterii pro tēpore exiſtente approbandos, qui perſonarum omnium in dictis Monaſterio, & Collegio erecto hujuſmodi, ut præfertur, degentium confeſſiones audiant, Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrent, quique & de idoneis verbi Dei concionatoribus, qui illas in ſpiritualibus præceptis, & documentis, ac ſanctis conſiliis ad viam Domini inſtruere poſſint, omninò providere. Quique unà cum ejuſdem Confraternitatis Priore, Cuſtodibus, Viſitatoribus, & aliis officialibus pro tempore exiſtentibus, & ad id forſan deputatis, & deputandis, de qualitatibus puellarum, & viduarum inibi etiam pro educatione recipiendarum, & admittendarum, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel nationis fuerint, accuratè, & diligenter quoties id à præfata Cōfraternitate, ſive illius Officialibus, Viſitatoribus, & Confratribus præfatis requiſiti fuerint, inquirere. Ac denique circa examen, & approbationem earum, quæ nedum educationis hujuſmodi cauſa, verùm quoque pauperum puellarum, & honeſtarum viduarum hujuſmodi, quas ibidem pro tempore educari, ac ad ſuſceptionem habitus Regularis, & profeſſionem admitti, necnon matrimonio collocari contigerit, conſulere debeant. Ac pro feliciori dictorum Monaſterii, & Collegii gubernio, & ſtatu, ac ut puellæ pauperes, & honeſtæ viduæ hujuſmodi faciliùs inſtruantur, & educentur, de conſenſu, & conſilio tamen dilecti filii noſtri Michaëlis tituli Sanctæ Mariæ ſupra Minervam Cardinalis Alexandri nuncupati, moderni, ac prò tempore exiſtentis dictæ Confraternitatis Protectoris, & Viſitatorum hujuſmodi, unam ex eis in Abbatiſſam, quæ caput omnium exiſtat, poſt tamen dilectæ in Chriſto filiæ Mauræ Perfectæ Machabææ, aliàs de mandato noſtro ex Monaſterio Monialium Sanctæ Cæciliæ Regionis Tranſtyberim de eadem Urbe, Ordinis Sancti Benedicti, in quo triginta octo annos laudabiliter vixerat, pro eiſdem puellis, & mulieribus in ſic noviter erecto, & inſtituto Monaſterio receptis, & pro tempore recipiendis in vita, & inſtitutis Regularibus dicti Ordinis inſtruendis, necnon ipſius Monaſterii cura, & adminiſtratione gerendis, & ſuſcipiendis tranſlatæ, & nuper in illius Abbatiſſam benedictæ, & conſecratæ obitum. Quam ex nunc ob ejus virtutum merita, bonoſque mores, & exemplarem vitam, ac attento quod elapſo primo, & ſubſequenti triennio nulla Monialis in præfato noviter conſtructo Monaſterio, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini, pro illo, ut convenit regendo forſan qualificata reperietur, nec aliqua alia Regularem diſciplinam in eo cum bono odore, & ſpirituali conſolatione perſonarum in illo exiſtentium introductam manutenere melius, quam eadem Maura poterit, eidem noviter erecto Monaſterio in Abbatiſſam ad ejus vitam dicta auctoritate præficimus, ſibique illius curam, regimen, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committimus, unà cum congruo aliarum officialium, & miniſtrarum numero ad certum tempus eis beneviſum eligendi, ac etiam quoties opus, & expediens erit, concurrente majori, vel ſaniori parte Monialium pro tempore exiſtentium ejuſdem Monaſterii, juxta formam dicti Concilii confirmandi, & etiam confirmationem reiterandi, vel tempore hujuſmodi finito illas omninò amovendi, & poſtmodum alias amotarum hujuſmodi loco ſubrogandi, & deputandi. Ita tamen quod electio hujuſmodi, tam juxta formam, & tenorem Regulæ Ordinis Sancti Benedicti, quàm conſtitutiones, & ordinationes, ac decreta jam forſan per Confratres dictæ Confraternitatis, & ſeu Viſitatores deputatos ejuſdem deſuper edita, & edenda. Et quoad gubernium, conſtitutionem, & educationem Monialium, & puellarum, ac viduarum hujuſmodi, ac exercitia, tam ſpiritualia, quam temporalia inibi forſan præſcripta, & à dicto Michaële, Cardinale Protectore approbata, ſeu præſcribenda, & approbanda, necnon pro felici regimine, gubernio, & adminiſtratione confratrum Confraternitatis, Monaſterii, & Collegii præfatorum, aliarumque perſonarum, omnium rerum, & bonorum Confraternitatis Monaſterii, & Collegii hujuſmodi Priori, officialibus, & aliis ad id ab eadem Confraternitate deputatis; & pro tempore deputandis, quæcumque ſtatuta, licita tamen, & honeſta, ac ſacris canonibus, præſertim decretis ipſius Concilii non contraria, toties quoties, & quando expediens videbitur, edendi, condendi, & faciendi, illaque edita, condita, & facta, prout ratio, vel utilitas exegerit, aut ſuaſerit neceſſitas, pro tempore mutandi, alterandi, & in melius reformandi, aliaque etiam de novo faciendi licentiam, & facultatem eiſdem auctoritate, & tenore ſimiliter perpetuò concedimus, & elargimur. Quæ poſtquam condita, alterata, & mutata, ac edita, & reformata, ac à præfato nunc, & pro tempore exiſtente Protectore approbata, & confirmata fuerint, eo ipſo dicta Apoſtolica auctoritate confirmata ſint, & eſſe cenſeantur.

§. 5. Ac ſpem jam conceptam habentes, quantum Urbi noſtræ præfatæ, & univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ utilitatis afferrent Monaſterium, & Collegium ſic per nos erecta, & inſtituta, illa ac eorum perſonas, res & bona, ipſamque Confraternitatem, & Confratres Sancti Bernardi, ſub noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ, in ſpiritualibus, & temporalibus protectione pariter perpetuò recipimus, & admittimus, ac ab omni juriſdictione, ſuperioritate, viſitatione, correctione, dominio, *Exemptio à juriſdictione, & ſuperioritate, &c. Vicarii Urbis, & aliorum omnium.*

& poteſtate Venerabilis fratris noſtri Iacobi Portuenſis Cardinalis de Sabellis nuncupati, moderni ac etiam pro tempore exiſtentis in eadem Vrbe Vicarii generalis, & illius Vicegerentis, ac Locatenentium, & officialiũ quorumcumque, necnon Abbatum, Viſitatorum, & Superiorum totius Ordinis S. Benedicti; & præſertim Congregationis Sancti Bernardi dicti Ordinis, ac pro tempore exiſtentis Rectoris Parochialis Eccleſiæ, in qua Monaſterium, & Collegium hujuſmodi nunc ſita ſunt, & pro tempore erunt, etiam circa Sacramentorum adminiſtrationem penitus, & omninò, ac perpetuò eximimus & liberamus, ac Monaſterium, & Collegium hujuſmodi prorſus exempta, & libera à Vicarii noſtri, ac Abbatum, Viſitatorum, & Superiorum præfatorum, ac Parochiali juriſdictione, & ſuperioritate eſſe & fore ſtatuimus, & decernimus.

*Elargitio indulgentiarũ pro viſitantibus Eccleſiam, vel ibi celebrantibus, aut celebrari facientibus.*

§.6. Et inſuper, ut Monaſtrium & Collegium hujuſmodi, non ſolùm manuteneantur, verum etiam in dies incrementum ſuſcipiant, tam Eccleſias S. Bernardi prope Columnam Trajanam, & Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ præfatas, ac alias Eccleſias pro tempore dictorum Confraternitatis, Monaſterii, & Collegii exiſtentes, necnon tam Confraternitatem, Monaſterium, & noviter erectum Collegium, quam illorum Protectorem, Priorem, Cuſtodes, Viſitatores, alioſque officiales, & confratres: necnon Abbatiſſam, Moniales, aliaſque ipſius Collegii noviter erecti perſonas, nunc, & pro tempore exiſtentes, univerſoſque alios utriuſque ſexus Chriſti fideles, S. Bernardi, & Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Eccleſias prædictas, ut ſupra devote viſitantes, necnon Miſſas in eis, vel earum aliquibus celebrantes, ſeu celebrari facientes, quovis modo, & quocumque totius anni die in perpetuum ad communicationem, & participationem, etiam per extenſionem omnium, & ſingulorum privilegiorum, facultatum, immunitatum, exemptionum, præeminentiarum, antelationum, indultorum, indulgentiarum, etiam plenariarum, & peccatorum remiſſionum, ac quorumcumque aliorum favorum & gratiarum, tam ſpiritualium, quam temporalium, tam dictæ Confraternitati Catechumenorum, quàm quibuſvis Ciſtercienſi, & S. Benedicti reſpectivè Ordinibus, eorumque Monaſteriis, & Conventibus, Domibus, Albatibus, Monachis, Fratribus, Protectoribus, pueris, puellis, Confeſſoribus, Monialibus, ac eorum, & earum Eccleſiis, Capellis, aliiſque Miniſtris, & officialibus, necnon etiam Chriſti fidelibus dictas Eccleſias, ſeu Capellas viſitantibus, & viſitaturis, per Nos, & quoſcumque Romanos Pontifices, & præcipuè fel. rec. Paulum III. ſub Datum Romæ 13. Id. Februarii, Pontificatus ſui anno 7. quomodolibet obtentorum, & conceſſorum, quoad ea quæ hactenus revocata non fuerunt, nec ſub ullis revocationibus ſunt comprehenſa, ac quibus dictæ Eccleſiæ, Confraternitas, & loca pacificè hucuſque uſi ſunt, ac utuntur, & gaudent, & quæ eidem Concilio non ſunt cõtraria, ſimiliter perpetuò recipimus, & admittimus, ac illa eis communicamus, & ad eos, ea, & eas extendimus, ac etiam de novo, quatenus opus ſit, eis concedimus, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi dictis Eccleſiis, & Capellis S. Bernardi, ac Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ Martyrum, necnon Confraternitati, Monaſterio noviter erecto, & Collegio prædictis, ac eorum Protector, Priori, Cuſtodibus, Officialibus, Confratribus, Abbatiſſæ, Monialibus, Confeſſoribus, & aliis pueris, & puellis, ac perſonis, necnon Chriſti fidelibus ſupradictas Eccleſias Sancti Bernardi, ac Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ, ac alias Eccleſias, ut ſupra viſitantibus, ac Miſſas in eis, vel earum aliqua celebrantibus, vel celebrari facientibus conceſſæ forent.

*Iuriſdictio Card. Protectoris, & judicis omniũ cauſarum d. Monaſterii & Collegii, eorumque perſonarum, &c.*

§.7. Præterea ne Confraternitas, monaſterium, & Collegium hujuſmodi diverſis Vrbis Tribunalibus vexentur dictum Michaëlem Cardinalem, & pro tempore exiſtentem dictorum Confraternitatis, monaſterii, & Collegii Protectorem, ac Prioris, Cuſtodum, ac aliorum Officialium, Confratrum, ac miniſtrorum, necnon Abbatiſſæ, monialium, & puellarum, aliarumque perſonarum eorundem, pro tempore quo in dictis monaſterio, & Collegio ſteterint, quoad omnes & ſingulas lites, cauſas, quæſtiones, controverſias, differentias, & moleſtias, civiles, & criminales, ac mixtas, tam activè, quam paſſivè hactenus forſan motas, & in futurum quomodocumque movendas ſuper bonis, rebus, juribus & actionibus quibuſcumque, ad Confraternitatem, monaſterium, Collegium, & Eccleſias Sanctorum Bernardi, Viti, Modeſti & Creſcentiæ, ac alias Eccleſias prædictas, ac ad moniales, puellas, & alias perſonas ſupradictas, nunc & pro tempore quomodolibet ſpectantia, in Iudicem ordinarium, cum eiſdem facultatibus, indultis, privilegiis, antelationibus, & poteſtatibus, quibus Protectores Confraternitatum Orphanorum, Catechumenorum, S. Catharinæ de la Roſa, ac Sanctiſſimi Crucifixi, ac deputati fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Vrbe utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum. Ita etiam quod in cauſis diſcuſſionum, & alias quando de reſtituendo res, & bona quæcumque de cætero eiſdem monaſterio, & Collegio relicta & donata, ſeu vigore præſentium, aut alias quomodolibet acquiſita, prioribus, & potioribus creditoribus agi cenſebitur, Confratres ipſi, niſi coram dicto Michaële, Cardinale, & pro tempore dictæ Confraternitatis Protectore ad judicium trahi non debeant, ſed facta obligatione per Priorem, Cuſtodes, & Camerarium dictæ Confraternitatis, in eventum quod alia bona ubilibet ſita, & quovis modo poſſeſſa non reperiantur, Michaël Cardinalis, & pro tempore exiſtens Protector hujuſmodi illa eiſdem Confratribus, & reſpectivè creditoribus, etiam de facto & ſine ſtrepitu, vel figura judicii, neque expectata ſententia, aut fine litis, tradi, & conſignari mandet, & procuret etiam perpetuò conſtituimus, & deputamus.

*Facul... ſtatim... Monaſ... & Coll... Prædi...*

§.8. Et ne etiam Monaſterium, & Collegium hujuſmodi, dum Cura in temporalibus dictæ Confraternitati, ejuſque Confratribus & officialibus commiſſa eſt, in ſpiritualibus aliquod detrimentum ſentiant, eiſdem Confratribus pro triennio, ſeu alio eis beneviſo tempore, tres Sacerdotes auctoritate & rerum gerendarum experientia, pietateque graves, qui Viſitatores nuncupẽtur, & noſtras, ac dicti Vicarii Vicegerentis, Locatenentium, & illius officialium hujuſmodi vices gerant, dictiſque Monaſterio & Collegio, illius Abbatiſſæ, Monialibus, puellis, perſonis, rebus, & bonis præfatis in ſpiritualibus præſint, ſalva tamen in omnibus ſupradictis juriſdictione Vrbis Vicarii in caſibus in quibus Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati auctoritate dicti Concilii in Monaſteria, quantumvis exempta, & præcipuè circa eorum clauſuram, juriſdictionem exercent, & ad eos ſpecialis & particularis approbatio Sacerdotum & Confeſſorum electorum ſpectet & pertineat, eligendi & deputandi, ac poſtquam electi fuerint, electionis & deputationis hujuſmod confirmatio ad nos & ſucceſſores noſtros, vel dictum Michaëlem Cardinalem, & pro tempore exiſtentem dictæ Confraternitatis Protectorem pertineat, quotieſque ſibi videbitur, finito triennio, ſeu alio tempore deputationis hujuſmodi illos, prout tempus & neceſſitas expoſtulaverit, confirmandi ac etiam amovendi, & illorum loco alios collocandi & deputandi facultatem impartimur. Noſque hac prima vice pro proximo triennio, ab hodie incipiendo, & ut ſequitur finiendo, de Michaëlis Cardinalis Protectoris præfati aſſenſu, idem munus dilectis filiis Petro Fulvio presbytero Romano, utriuſque juris Doctori moderno Priori, Ioanni Daddeo Canonico Baſilicæ S. Mariæ Majoris, & Annibali Summario Sacræ Theologiæ profeſſori dictæ Confraternitatis Confratribus committimus, ipſoſque in eorundem Collegii & Monaſterii Viſitatores, Correctores, & Moderatores creamus, conſtituimus & deputamus. Dantes eis auctoritatem omnia & ſingula faciendi, mandandi, corrigendi, puniendi, reformãdi, & exequendi, quæ ad ſpirituale regimen perſonarum in dictis Monaſterio & Collegio degentium, aliorumque felix incrementum & gubernium expedire, atque opportunum eſſe cenſuerint, ita ut perſonæ in dictis Monaſterio & Collegio vitam degentes, in piæ & religioſæ vitæ ſinceritate & puritate, per ſollicitam eorum operam foveantur & conſerventur, temporalia verò bona ex circumſcripta dictæ Confraternitatis cura bene atque utiliter adminiſtrentur.

§.9. Porrò

...rum ...arum, ...admit... ...ad ...ia do- ..., qua ...iverſas ...ternit- ..., & lo- ...ia dari ...

§.9. Porrò ipſas puellas quas paupertate oppreſſas in hujuſmodi Collegio collocari contigerit, ſpeciali privilegio inſignire intendentes, quod ubi pauperes puellæ hujuſmodi aliena expetere auxilia coactæ fuerint, quibus advenìente ætate legitima, qua vel Monaſteria ingredi, vel matrimonio collocari cenſuerint, quaſcumque dotes, & auxilia pia, tam ab Annuntiationis Beatæ Mariæ ſupra Minervam, Conceptionis, Confalonis, & aliis Archiconfraternitatibus, & Confraternitatibus, necnon Eccleſiis, Oratoriis, & locis piis, quam quibuſcumque utriuſque ſexus perſonis, uſque ad ſummam honeſtam, & eiſdem Priori, & Viſitatoribus beneviſam petere, impetrare, obtinere, ſeque ad hunc effectum in rotulis & liſtis Archiconfraternitatum, Confraternitatum, Eccleſiarum, Oratoriorum, piorum locorum, necnon perſonarum hujuſmodi adſcribi facere, & procurare, & deinde poſtquam dictæ puellæ, ſeu earum aliquæ dotes, & auxilia hujuſmodi obtinuerint, ſeu ad id adſcriptæ fuerint, quod tam illæ, quæ dictum Monaſterium ingredi, & jam ingreſſæ ſunt, quàm etiam quæ matrimonio collocari voluerint, auxilia hujuſmodi eis quomodolibet procurata, promiſſa, & acquiſita omninò lucrari, percipere & exigere debeant. Illaque omnia unà cum præmiſſis dotibus, & legatis, factis, & faciendis, eiſdem Monaſterio, & Collegio perpetuò concedimus, pauperesque hujuſmodi puellas dotium, auxiliorum piorum, ac legatorum, & donationum præfatorum factorum, & faciendorum quibuſcumque, etiam Motu pari emanatis, prohibitionibus, vel ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis non obſtantibus, capaces omninò facimus, reddimus, & declaramus. Mandantes omnibus & ſingulis Cuſtodibus, Camerariis, & quibuſcumque officialibus dictarum Archiconfraternitatum, quæ dotes, & auxilia pia hujuſmodi pauperibus puellis dare & aſſignare conſueverunt, quod ex nunc dotes promiſſas puellis jam dictum Monaſterium ingreſſis, & profiteri cupientibus, ſtatim poſtquam profeſſæ fuerint Priori, Cuſtodi, & Camerario pro tempore exiſtentibus dictæ Confraternitatis Sancti Bernardi, ac ſi ipſæ dictum Monaſterium ingreſſæ, ſeu matrimonio collocatæ, de conſenſu, & licentia Archiconfraternitatum, & locorum piorum hujuſmodi extitiſſent, dare & cum effectu perſolvere, ac deinceps pauperes ipſas puellas in dicto Collegio pro tempore degentes, ad ſubventionem dotium & auxiliorum hujuſmodi admittant, & admitti procurent, & deinde tam puellis profiteri cupientibus, quam matrimonio collocandis, dotes eis promiſſas, & deinceps promittendas, Priori, & officialibus hujuſmodi dare, & cum effectu ſolvere debeant, nec ad id, & ſub prætextu decretorum, privilegiorum, aut aliorum quorumcumque ſtatutorum, Archiconfraternitatum, Confraternitatum, Eccleſiarum, Oratoriorum, & piorum locorum hujuſmodi quomodolibet conceſſorum; contradicere audeant, ſeu præſumant, etiam licentia earundem Confraternitatum, & locorum piorum hujuſmodi minimè obtenta, neque petita. Ne autem ſuper præmiſſis vel illorum aliquo, in futurum quomodocumque, vel quavis de cauſa pro validitate dubitari contingat.

...circa ...Mo- ...o, & ...llegio præ- ...ctis, & eo- ...m validi- ...tem.

§.10. Volumus ac etiam mandamus, quod quæcumque ordinationes, inſtrumenta, donationes, tam inter vivos, quam cauſa mortis, teſtamenta, codicilli, & quæcumque alia documenta, ſcripturæ, & folia, facta, & facienda per, & inter quaſcumque utriuſque ſexus perſonas, etiamſi mulieres nuptæ, ac minores viginti annis fuerint, ac teſtatæ, vel inteſtatæ deceſſerint, etiam de bonis ſuis diſponere prohibitæ, niſi adhibita certa forma, & ſolemnitate requiſita à jure, vel ab homine, ſeu ſtatutis, noviſque reformationibus Vrbis, ſeu obtenta à Romano Pontifice deſuper licentia, de quibuſvis eorum bonis quomodocumque acquiſitis, & acquirendis, de quibus in favorem Confraternitatis, Monaſteriis, & Collegii hujuſmodi teſtari, legari, codicillari, vel inter vivos, aut cauſa mortis, aut alias quomodolibet diſponi contigerit. Quodque tam Marci Antonii junioris ſcutorum trium millium, ac Magdalenæ Strozziæ de Anguillaria, aliaque, ut præfertur, facta legata, quàm quæcumque alia donationes, teſtamenta, codicilli, voluntates, inſtrumenta, ſcripturæ, & documenta ad favorem Monaſterii, Collegii, & Confraternitatis hujuſmodi jam facta, & facienda perinde valeant, ac ſuum ſortiantur effectum, ac ſi coram Notario publico, & legitimo teſtium numero, adhibitiſque omnibus de jure requiſitis qualitatibus, & ſolemnitatibus facta fuerint, nec Monaſterium, Collegium, & Confraternitas hujuſmodi de eiſdem bonis in teſtamentis, legatis, codicillis, donationibus, & aliis voluntatibus, ac diſpoſitionibus, inſtrumentis, documentis, & ſcripturis eiſdem Monaſterio, Collegio, & Confraternitatis pro tempore relictis, donatis, datis, ceſſis, & applicatis, aliquam partem Cameræ Apoſtolicæ, vel Monaſterio Convertitarum in eadem Urbe, etiam juxta diſpoſitionem indultorum fel. rec. Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. aliorumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ſeu fabricæ dictæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, aut quibuſvis aliis perſonis, & Eccleſiis dare minimè teneantur, ſed bona ipſa, ut ſupra pro tempore relicta, vel donata Confratres ipſi liberè, & integrè recipere, ac eorum poſſeſſionem apprehendere, & perpetuò retinere, ac in eorundem Monaſterii, Collegii, & Confraternitatis uſus, & utilitatem convertere liberè, & licitè valeant, etiam cujuſvis licentia minimè requiſita.

*Approbatio ordinationum factarum, & faciendarum à Confraternitate.*

§.11. Decernentes ordinationes, conſtitutiones & ſtatuta hucuſque à præfata Confraternitate facta, necnon inſtrumenta, donationes, teſtamenta, codicillos, ſcripturas, ac etiam prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis ordinationibus, conſtitutionibus, ſtatutis, capitulis, inſtrumentis, donationibus, teſtamentis, codicillis, tam factis, quàm faciendis, & aliis ſcripturis contenta, & inde ſecuta quæcumque, licita tamen, & honeſta, maximè ea circa licentiam edendi carnes, & alios cibos in refectorio quolibet die Dominico, tertia, & quinta feriis, & aliis diebus arbitrio ſupradictorum viſitatorum, & circa uſum omnium pannorum lini, & etiam cubilis, videlicet cum ſubucula tantum, & linteaminibus, ac etiam ſine ſcapulari, ac etiam Breviarii Romani cum proprio Congregationis S. Bernardi dicti Ciſtercienſis Ordinis. Ita quod ad recitationem officii Beatæ Virginis Mariæ non teneantur; Quo verò ad præſcriptionem horarum ad divinia officia, tam diurna, quam nocturna recitanda, & quæcumque alia exercitia, ſpiritualia, & temporalia anno ſingulo facienda, juxta Viſitatorum, & Abbatiſſæ hujuſmodi diſpoſitionem, & ordinationem, ac ea quæ jam forſan decreta, & deſcripta in libro conſtitutionum, & ſtatutorum ipſius Confraternitatis in pergameno, etiam quod ſint contraria Regulæ Sancti Benedicti, hujuſmodique præſentium tenore approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, fieri & obſervari debere.

*Validatio diſpoſitionum favorabilium eiſdem Monaſterio, & Collegio.*

§.12. Ac ſupplentes omnes, & ſingulos juris, etiam communis, & municipalis, & facti, etiam quarumcumque ſolemnitatum in eis forſan ex diſpoſitione juris, vel ſtatutorum, ſive novarum reformationum Vrbis circa validitatem donationum, in genere, etiam reſpectu conſenſus propinquorum parentum inſinuationis, & teſtium, ac donationum in ſubſcriptionibus, & in ſpecie contractuum mulierum, & omnia alia forſan requiſita, omiſſa, & omittenda, præſertim quoad dicti Marci Antonii junioris, & deſuper inter confratres, & officiales Confraternitatis Sancti Bernardi, ac Ludovicum, & Marcum Antonium Lanfrancum præfatos, necnon donationis per dictam Magdalenam, aliaque omnia & ſingula legata, donationes, inſtrumenta, teſtamenta, codicillos, ſcripturas, documenta, & alia quæcumque quomodolibet facta, & facienda, alioſque defectus, ſi qui in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ſeu eorum aliquo intervenerint, aut intervenire poſſint quomodolibet in futurum. Inhibentes nunc, & pro tempore exiſtentibus Præſidenti, & Deputatis Fabricæ dictæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac quibuſvis aliis officialibus, miniſtris, & perſonis cujuſvis ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, ne Priorem, officiales, & confratres nunc, & pro tempore exiſtentes, in omnibus, & ſingulis præmiſſis, & præſertim ſuper dictis pecuniis per dictum Marcum Antonium Muretum legatis, & per Magdalenam Strozziam donatis, omnibuſque,

& ſingulis aliis legatis, donationibus, teſtamentis,& codicillis pro tempore per quaſcumque perſonas quomodolibet,& ex quacumque cauſa factis,& faciēdis,in rebus vel bonis dictæ confraternitatis quovis quæſito colore vel ingenio, directè,vel indirectè moleſtare,perturbare, aut inquietare audeant vel præſumant. Et etiam decernentes omnia,& ſingula præmiſſa,ac inde ſecuta, & inde ſequenda quæcumque, valida, & efficacia fore, ac ſuos plenarios & integros effectus ſortiri, & inviolabiliter ab omnibus obſervari debere.

*Clauſula ſublata.*

§.13. Et ſic per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, etiam S.R.E. Card. ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,& interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum hujus Bullæ deputatio, & auctoritas.*

§.14. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Patriarchæ Alexandrino, ac Matturanenſi,& Venuſino Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus,quatenus ipſi,vel duo,aut unus eorum,per ſe vel aliū,ſeu alios præſentes literas,& in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris,Cuſtodum,ac Confratrum præfatorum,ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Priorem,Cuſtodes, & Confratres præfatos, ac eorū ſingulos eiſdem præſentibus, & in eis contentis quibuſcumque pacificè frui, & gaudere,ac præſentes literas,& in eis contenta hujuſmodi ab omnibus quos illa concernunt, & quomodolibet concernent in futurum inviolabiliter obſervari. Non permittentes eos vel eorū aliquem deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias,& cenſuras Eccleſiaſticas,ac etiam pecuniarias pœnas,eorum arbitrio imponendas,& moderandas, aliaque opportuna juris, & facti remedia,appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando,invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogat.*

§.15. Non obſtantibus de nōn tollendo jure quæſito, ac de concedendo indulgentias, & privilegia adinſtar, necnon quibuſvis aliis, etiam Pauli II. & Pauli IV. ac Pii V.de rebus Eccleſiaſticis non alienandis,& malè alienatis recuperandis,ac quibuſvis conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, Cancellariæque Apoſtolicæ Regulis,ac Monaſterii & Collegii Ciſterciēſis,& S.Benedicti Ordinum hujuſmodi ſtatutis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis,tam Monaſterio,ac Ciſtercienſi,& S. Benedicti,quam quibuſvis aliis etiam præfatis dictæ Vrbis Monaſteriis,& illorum Ordinibus, Superioribus,Conventibus, & perſonis, necnon Præſidenti, & Deputatis dictæ fabricæ, aliiſque omnibus,& ſingulis Collegiis,Fabricis, Monaſteriis, & locis piis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis,ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis,irritantibuſque decretis,in genere,vel in ſpecie quomodolibet conceſſis,etiamſi in eis expreſſe caveatur, quod illis derogari nequeat,niſi derogationes hujuſmodi, & cauſæ in eis forſan expreſſe,& ſpecialiter infererētur,ac de cōſenſu Superiorum,Monaſteriorum, Ordinum, Collegiorum,Fabricarum, & aliorum piorum locorum hujuſmodi fierent, & alias factæ derogationes hujuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus,& ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa,& individua,non autem per clauſulas generales idem importātes mentio,ſeu quævis alia expreſſio habenda,aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie pari Motu ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus cōmuniter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum,quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Transumptorum fides.*

§.16. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis,ac manu Prioris,ſeu Viſitatorum aut Cuſtodum,ac Secretarii dictæ Confraternitatis ſubſcriptis,ac præfati Michaelis Cardinalis nunc, & pro tempore exiſtentis dictæ Confraternitatis Protectoris,vel ipſius Confraternitatis ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587.Id. Iulii,Pontif. noſtri Anno 3.

---

LX

## De conſtitutionibus Pii IV. & Pii V. circa Confidentias beneficiales editis, in Regno Galliæ exequendis, cum moderatione pœnarum.

*Hanc bullam Pii IV. num. 85. habes ſup.* Romanum, *& Pii V. num.85. habes ſup.* Intolerabilis. *Et de materia Confidentiarum, & Simoniarum beneficialium notavi hic ſuprà in conſt.* 47. Divina.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita 1587.*

*Proœm.*

PAſtoralis officii ſollicitudo nos admonet, ut quæ ad Dei laudem, animarumque ſalutem à prædeceſſoribus noſtris provide ſtatuta fuiſſe noſcuntur, debitæ executioni demandari curemus, & ſi quando opus ſit, illa etiam moderemur, prout perſonarum,& locorum qualitate penſata, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§.1. Sanè fel.rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter,ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Eccleſiaſticorum corruptelam,ſtatuit,& decrevit, &c.

Omittitur reſiduum hujus narrativæ, quia ipſam Bullam habes ſupra.

§.2. Et deinde rec.mem.Pius Papa V.etiam prædeceſſor noſter, ad tam nefarium crimen faciliùs detegendum, & profligandum ſimiliter ſtatuit, & decrevit, &c.

Omittitur reſiduum hujus narrativæ, quia Bullam totam habes ſupra.

§.3. Cum autem ſicut accepimus, literæ prædictæ in Regno Galliæ ob temporum injuriam, aliaſque varias ſubortas difficultates, diverſaque impedimenta adhuc debitæ executioni non fuerint demandatæ, ac propterea tam pernicioſum Confidentiæ vitium, quod celeriter extirpari, & eradicari oportuerat, in dies magis ſerpere, ac propagari noſcatur in maximum animarum periculum, ac ſcandalum plurimorum. Nos ad hanc corruptelam è Regno illo, quod non ita dudum omni Chriſtianarum virtutum genere florebat,& adjuvante Domino etiam in poſterum florebit, tollendam, ac prorſus eliminandam, animarumque ſaluti in primis conſulere volentes, omnibus, & ſingulis dicti Regni Archiepiſcopis,& Epiſcopis, eorumque Officialibus, ad quos de jure, & conſuetudine pertinet,per præſentes mandamus, ac ſub interminatione divini judicii diſtrictius injungimus, ut in ſuis quiſque Eccleſiis,Civitatibus,Diœceſibus,& locis, etiam exemptis, ad prædicta ſtudioſè attendant,& in eos quos in Confidentiæ crimine, præſertim verò in aliquo ex caſibus ſuperiùs expreſſis,etiam per præſumptiones, & cōjecturas prædictas deliquiſſe conſtiterit, ſeverè animadvertant. Qui ſi in præmiſſis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam ſuppleri volumus à Capitulis Eccleſiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, ac etiam Collegiatarum,ubi de beneficiis ipſarum Collegiatarum Eccleſiarum agatur,ac etiam ab Abbatibus,ſeu Prioribus Clauſtralibus, & Conventibus Monaſteriorum, aliorumque Regularium locorum,ubi de eorundem Monaſteriorum,ſeu locorum officiis, & beneficiis quæſtio extiterit.

§.4. Et

*…ellatio- …non ſuſ- …ſivam …edit.*

§.4. Et nihilominus appellationes à ſententiis, quas contra delinquentes hujuſmodi fieri contigerit, ad proximos ſuperiores juxta canonicas ſanctiones devolvi, executionem tamen ſententiarum prædictarum minimè impedire, aut retardare.

*…ficia ex … crimine …cátia per …inarios d. …ui confer- …indulget. …ibi contra- …m eſt ſer- …ndum ex …lla Pii V. …in rubr.*

§.5. Beneficia verò occaſione Confidentiæ hujuſmodi ad præſens vacantia, & in poſterum vacatura ab ipſorum beneficiorum ordinariis collatoribus, perinde ac ſi diſpoſitioni dictæ Sedis Apoſtolicæ minimè reſervata fuiſſent liberè conferri, & de illis provideri poſſe & debere decernimus, dum tamen talium criminum participes, aut conſentientes non fuerint. Quo caſu, ac etiam ubi iidem ordinarii collatores per ſex menſes à die detectæ & comprobatæ ſeu convictæ confidentiæ beneficia ipſa, ut præfertur vacantia, canonicè conferre, & de illis providere neglexerint, beneficiorum eorundem collatio, & proviſio ad proximos ſuperiores devolvatur. Quæ verò beneficia de jure patronatus laïcorum fuerint, ad eorundem patronorum præſentationem, dummodo in crimine hujuſmodi non fuerint participes; conferri. De Eccleſiis verò ac Monaſteriis, aliiſque beneficiis Eccleſiaſticis, ad Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Tertii Francorum Regis Chriſtianiſſimi nominationem ſpectantibus, novam ipſius Regis nominationem juxta concordata, ſeu indulta à Sede Apoſtolica ei conceſſa volumus expectari.

*…ctus corũ, …i Eccle- …rum ap- …cari ju- … … alibi di- …ntur reſer- …ii Camera …d. Bulla … IV. …tatur Re- … ad exe- …ndum.*

§.6. Fructus verò ex Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis beneficiis prædictis malè & indebitè perceptos, in uſum ac reparationem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum prædictorum, ſuper quibus Confidentia hujuſmodi contracta & commiſſa fuerit, per Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſeu Officiales, alioſque prædictos converti, & applicari poſſe volumus ac decernimus.

§.7. Magnopere hortantes, & enixè in Domino requirentes eundem Regem Chriſtianiſſimum, ut omne ſtudium, operam, & auctoritatem ad prædicta peragenda, & exequenda præſtare, & impartiri velit.

*…ſolutionẽ …cenſuris …ius re- …vat.*

§.8. Abſolutionem autem à cenſuris & pœnis, ac irregularitatibus propter crimen Confidentiæ hujuſmodi quomodolibet incurſis pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ apud Regem prædictum Nuntio, & quoad Provincias ſub legatione Avenionenſi comprehenſas eidem Avenionenſi Legato, cum facultate etiam alios ſubdelegandi, de quorum pietate & prudentia magis confidant, per præſentes committimus & demandamus.

*…rogatio …ntrariorũ.*

§.9. Non obſtantibus Pii IV. & Pii V. prædeceſſorum prædictorum literis, quas quoad dictum Regnum in ſuperiùs expreſſis duximus relaxandas, & moderandas, illis nihilominus quoad alia Regna, & loca in ſuo robore duraturis, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, privilegiis quoque & indultis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut in totum non inſerta præſentium effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*…des Exem- …rum.*

§.10. Volumus autem ut præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuſcumque curiæ Eccleſiaſticæ, ejuſque Prælati ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem in judicio & extra ubique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*…nctio Pœ- …alis.*

§.11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandati, injunctionis, decretorum, hortationis, requiſitionis, commiſſionis, demandationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*…at. P. A. 3. …ie 13. Aug.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1587. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno 3.

---

LXII. Studii generalis Almæ Vrbis regimen Collegio Advocatorum Conſiſtorialium confertur, cum antiquorum Privilegiorum confirmatione, & Præcedentiæ conceſſione.

*De hujus ſtudii erectione, & indultis, vide ſup. in Bonif. VIII. conſt. 9.* In ſupremæ, *ubi cætera adnotavi. Et de ejus Protectoribus vide infrà in conſt.* 74. Immenſa, *in x. Congreg.*

De Advocatis autem Conſiſtorialibus, vide ſup. in tertia bulla Martini V. *in Apoſtolica.* Erexit in hoc ſtudio noviſſimè Cathedram eloquentiæ ſeu Rhetoricæ cum emolumentorum aſſignatione, eamque conceſſit Auguſtino Maſcardo S.D.N. Vrban. VIII. in conſt. 83. *Militantis*, inf. tom. 4.

*SIXTVS EPISCOPVS,*  
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1587.*

*Proœmium.*

SAcri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet inſufficientibus, ſupernâ diſpoſitione præſidentes, inter cæteras curas, quæ animum noſtrum delectant, illam libenter ſuſcipimus, per quam noſtræ proviſionis auſpiciis officia ſingula, præſertim in hac Vrbe noſtra conſiſtentia, illorumque regimina viris committantur idoneis, quorum ope & auxilio adoleſcentes ſtudii bonarum artium cauſa ex diverſis mundi partibus ad ipſam Vrbem confluentes, eorum animos virtutibus, & bonis moribus feliciùs excolere valeant, ac deſuper officii noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§.1. Sanè licet alias officium Rectoratus Gymnaſii Almæ Vrbis, uni ex Prælatis Romanæ Curiæ ad ejus vitam concedi & aſſignari ſolitum fuerit, & cæt. Nihilominus attendentes quod ſi dictum Officium Collegio dilectorum filiorum ſacræ Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatorum perpetuò uniretur, annecteretur, & incorporaretur ibidem officium felicius gubernaretur, ac utilitati publicæ, & ipſius Gymnaſii pleniùs conſuleretur, cum in dicto collegio ſemper adſint viri literarũ ſcientia, rerũ experiẽtia, ac uſu & prudentia præſtantes. Idcirco quaſlibet conceſſiones, aſſignationes, ac alias diſpoſitiones de dicto officio per Nos, ac prædictũ, ac quoſvis alios prædeceſſores noſtros, dictis & aliis quibuſvis perſonis hactenus factas, præmiſſis & certis aliis rationabilibus cauſis adducti, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe revocãtes, caſſantes, irritantes, & annullantes, nullaſque prorſus & omninò revocatas, caſſatas, irritas, & annullatas eſſe & cenſeri debere declarantes, eaſdemque perſonas à prædicto officio penitus amoventes, ac utilitati publicæ proſpicere, ipſumque Collegium ac illius ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtũt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolvẽtes, & abſolutos fore cenſentes, ac dictarum literarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes. *Revocatio conceſſionum regiminis Studii ejuſdemque conceſſ.*

§. 2. Motu proprio, non ad Collegii prædictorum, vel aliorum pro ipſis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, officium Rectoratus Gymnaſii Vrbis hujuſmodi, per ipſos Collegium, regendum & gubernandum, juxta providam diſpoſitionem, & ordinationem per eos vel eorum majorem partem faciendam, & toties quoties eis vel eorum majori parti expedire videbitur, mutandam, cum omnibus & ſingulis illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, & quibuſcumque, tam ordinariis quàm extraordinariis, & quæ alii qui pro tempore fuerunt Rectores dicti Gymnaſii quovis modo habuerunt, ſeu habere potuerunt, ac quibuſvis cauſis & rationibus, necnon cum quibuſvis honoribus, oneribus, præeminentiis, antelationibus, prærogativis, juriſdictionibus, auctoritatibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus & exemptionibus, privilegiis, & indultis, ſolitis ac con- *Conceſſio dicti regiminis cum ſuis oneribus honoribus, & emolumentis Collegio Advocatorum Conſiſtorialium.*

ſuetis,& quibuſvis aliis conceſſionibus & gratiis, quibus tam ultimus, quàm alii Rectores dicti Gymnaſii, quavis ratione vel cauſa uſi,gaviſi,& potiti fuerunt,ac uti,gaudere,& potiri potuerunt, Collegio Advocatorum hujuſmodi, ita quod liceat ipſis Collegio,per ſe vel alium ſeu alios eorum & Collegii hujuſmodi nominibus, corporalem,realem,& actualem poſſeſſionem dicti officii apprehendere,ac perpetuò retinere,illiuſque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta percipere, exigere,& levare,& in ſuos ac Collegii & officii hujuſmodi uſus,& utilitatem convertere. Ipſumque officium per ſe & quemlibet eorum exercere,regere & gubernare, ac omnia & ſingula quæ ad hujuſmodi officium,ejuſque liberum exercitium ſpectant & pertinent, gerere & facere,cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò unimus,annectimus,& incorporamus,&c.

*Præcedentia ante alios Advocatos & Doctores etiam antiquiores eiſdem datur.*

§.3.Ac ut Collegium & Advocati hujuſmodi,qui majoribus occupationibus detinentur, majoris etiam dignitatis titulo decorentur,omnibus & ſingulis prædictæ Aulæ Conſiſtorialis Advocatis, ut ipſi univerſos & quoſcumque Advocatos,Procuratores, Doctores etiam antiquiores, & quoſcumque alios, tam in Romana Curia quàm extra eam præcedant.

*Doctorandi facultas & alia quæcumque privilegia confirmantur.*

*Tu habes Iul. III. bullam hic cit.ſup.* Cum ſicut

§.4.Omniaque & quæcumque privilegia eiſdem Collegio, & advocatis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros,& præcipuè per piæ memoriæ Iulium Papam III. etiam prædeceſſorem noſtrum, ſuper facultate Doctores creandi,etiam privativè quoad alios, quæ privilegia & literas Apoſtolicas deſuper confectas, eorum tenorem præſentibus etiam pro expreſſis habentes, auctoritate & tenore prædictis confirmamus & innovamus,& quatenus opus ſit,de novo concedimus,Motu,ſciẽtia,ac poteſtatis plenitudine prædictis.Ac univerſis & ſingulis cujuſcumque conditionis,ſtatus,gradus,dignitatis & honoris,ne ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrio noſtro imponendis pœnis, eoſdem Collegium Advocatorum in præmiſſis vel circa ea,aut in eorum aliquo quomodolibet impedire,moleſtare, perturbare, ſeu inquietare,contra præſentium continentiam & tenorem, ullatenus audeant vel præſumant, diſtrictius inhibemus, necnon omnibus & ſingulis ad quos ſpectat & ſpectabit quomodolibet in futurum, ut hæc omnia plenè obſervent, & obſervari faciant præcipimus.

*Clauſula præſervativa.*

§.5. Decernentes unionem, annexionem, incorporationem,applicationes,indultum,inhibitionem, ac præceptum prædicta, præſenteſque literas nullo unquam tempore, etiam ad prædictorum, & aliorum quorumvis inſtantiam, etiam ex quacumque & inexcogitata cauſa, etiam ſub prætextu quod in forma juris facta nõ fuerint, revocari, alterari, limitari, modificari, aut ad terminos juris cõmunis reduci,vel quempiam adverſus illa in integrum reſtitui, ſeu de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intẽtionis noſtræ, aut quovis defectu notari vel impugnari poſſe, dictoſque Collegium ad cauſam,ſeu cauſas,propter quas illa emanarint, coram quocumque verificandum non teneri, nec propterea,aut ex eo quod intereſſe prætendentes vocati non fuerint, per ſubreptionem vel obreptionem obtenta præſumi, aut aliàs viribus carere,ac illorum quaſvis revocationes,ſuſpenſiones,derogationes vel limitationes pro tempore factas & emanatas,pro nova illorum conceſſione haberi,ac quoties illæ emanabunt,toties renovata, & de novo conceſſa,etiam ſub datum per eoſdem Collegium eligenda cenſeri, ac Collegium hujuſmodi eorundem locorum emptores, & quoſcumque alios in præmiſſis intereſſe quomodolibet prætendentes, ad probandum ſeu verificandum præmiſſa, & in quos uſus prædicta ſumma conversa fuerit, nullo unquam tempore teneri,nec locorum hujuſmodi proventus in ſortem principalem computari.

*Decretum irritans.*

§. 6. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores hujuſmodi,ac.S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac alios quoſcumque, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis inſtantia judicari & definiri debere, & irritum, &c.

§.7. Quocirca dilecto filio Magiſtro Evangeliſtæ Pallotio,Datario & Prælato domeſtico noſtro, Motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſe, per ſe vel alium, ſeu alios faciat auctoritate noſtra Collegium, ac illius Advocatos prædictos unione, annexione, incorporatione,permiſſione,conceſſione,impartitione, cõfirmatione, innovatione, inhibitione, decreto, aliiſque præmiſſis pacificè frui & gaudere.Non permittentes eos & eorum quemlibet deſuper cõtra præſentium tenorem quomodolibet per quoſcumque indebitè moleſtari. Contradictores per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas,aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Deputa[tio] execut[orum]*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis,ac noſtra de non tollendo jure quæſito, & aliis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac quatenus opus ſit,Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohiben.& aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Urbis & Advocatorum, ac Gymnaſii,etiam juramento, confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque,indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Vrbi,Collegiiſque & Tribunalibus,ac Gymnaſii illius,ipſorumque Superioribus & perſonis,ac dilectis filiis Populo Romano, ſub quibuſcumque tenoribus & formis,ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque,& aliis decretis, per quoſcumque prædeceſſores noſtros,etiam iteratis vicibus,aut alias quomodolibet in contrarium conceſſis,approbatis,& innovatis.Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda,aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus,cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Deroga[tio] contrari[orum]*

Volumus autem, &c.

Nulli ergo, &c.

Dat.Romæ apud S.Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1587. decimo Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri Anno 3.

*D. P. A[nno] die 23. Au[g.]*

---

## Declaratio circa proprietatem, olim Congregationi Canonicorum ſæcularium Sancti Georgii in Alga, Venetiarum abſolutè interdictam. LXIIII

*Alia de inſtitutione & ſtatu hujus Congregationis videnda ſunt in conſt. 1. Gregor. XII.* Illis, *ſupr. ubi ſcripſi.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. 1587.*

*Proœmium*

CIrcumſpecta Romani Pontificis benignitas, fidelium quorumlibet ſub regulari obſervantia piæ vitæ ſtudio vacantium neceſſitatibus & commoditatibus intendens, nonnunquam ab eo providè ſtatuta moderatur,ac quæ ſacrarum Religionum, & ſanctionum decreta generaliter interdicunt, fidelibus ipſis ex Apoſt. poteſtatis plenitudine ſibi tradita relaxat,& ſpecialiter permittit,prout illorum ſtatui, & conſcientiæ purificationi conſpicit ſalubriter expedire.

§.1. Sanè licet aliàs nos,ut abuſus habendi proprium, & retinendæ proprietatis pecuniarum ac bonorum,etiam plerumque malè acquiſitorum, qui inter plures Canonicos,ſeu fratres Congregationis S.Georgii in Alga Venetiarum Ordinis S. Auguſtini, contra expreſſum paupertatis votum ab eis emiſſum irrepſerat, extirparetur, & ſimul diſſolutioni æris alieni, quo univerſa Congregatio hujuſmodi gravata erat, ac aliis illius neceſſitatibus provideretur,univerſos & ſingulos ejuſdem Congregationis fratres,ſeu Canonicos,ac Priores etiam generales,

*Hic Pontif[ex] Canonicis & fratrib[us] Congregatio[nis] proprie[tatem] ſtri[cte] interdixer[at] ſolumque [...] [...]ctum & [...]ſitum ſub m[...] [...]ri iuſſera[t]*

privato

privato & proprio rerum bonorumque omnium, mobilium, & ſe moventium dominio, uſu, uſufructu, poſſeſſione, proprietate, & etiam pecuniis à quocumque peculio quomodolibet acquiſitis, vel obtentis, per alias noſtras literas perpetuò privaverimus, ac omnia & quæcumque privilegia, diſpenſationes, licentias, permiſſiones, & indulta unicuique eorum, tam Apoſtolicâ, quàm ſuorum Superiorum, etiam Generalis Prioris, vel Capituli dictæ Congregationis auctoritate deſuper conceſſa, confirmata, & innovata revocaverimus & annullaverimus, ac omninò prohibuerimus ne quis frater, vel Canonicus ejuſdem Congregationis, quocùmque officio vel dignitate, etiam Prioris Generalis fungens, proprium quicquam aut peculiare haberet, & à cæteris ſeparatum ſibi vendicaret, aut poſſideret, nec ſimiles licentiæ, ſeu permiſſiones per quoſcumque dictæ Congregationis Superiores, aut etiam Capitulum generale alicui unquam deſuper concederentur. Inſuper præceperimus & mandaverimus, ut res, pecuniæ, debitorum nomina, reddítus, taxæ, ac alia omnia, ut quæcumque bona ſupradicta, per ſingulos fratres, ſeu Canonicos, qui aliquid tale privatim poſſiderent, in uno loco communiter à Priore & fratribus cujuſcumque domus deſignando actu, & re ipſa intra certum tunc expreſſum tempus deponerentur, & quoad dominium, poſſeſſionem & uſum in commune conferrentur, hiſque perfectis, ſtatim unuſquiſque Prior cujuſlibet domus generalem Priorem de his omnibus diligenter certiorem faceret, tranſmiſſo ad eum inventario, in quò præmiſſa omnia antea privatim retenta, deinde verò in commune collata deſcripta eſſent. Demum ipſe Prior generalis, victum & veſtitum, ac quantum rei convenientis præſens neceſſitas videretur poſtulare, cuique Canonico, ſeu fratri congruè ſuppeditari curaret, id autem omne quod reliquum eſſet, in extinctionem æris alieni, quo ſingulæ domus, vel tota Congregatio communiter obſtricta erat converteretur, aut ipſis domibus, vel univerſæ Congregationi, ad communes uſus, & neceſſitates ſublevandas perpetuò applicaretur.

*...ntrave-...nibuſque ...as impo-...as, ut in ...bulla, ...m uti hic ...cienter ...iatam ...s ſolui.*

§. 2. Quicumque autem literis noſtris prædictis continuò non obtemperarent, vel ante illarum publicationem pecunias, & alia prædicta occultarent, ſive intra, vel extra domus prædictas deponerent, aut etiam in pias cauſas converterent, aut alicui pio loco aſſignarent, quique alios Canonicos, ſeu fratres inobedientes, non ſtatim Superioribus, ut præfertur, denuntiarent; in pœnam privationis dignitatum & officiorum ſuorum inciderent, & ad ea in poſterum obtinenda inhabiles cenſerentur, ac pro crimine etiam tanquam fures ſeverè punirentur, & excommunicationis ſententiam incurrerent eo ipſo, à qua nonniſi in mortis articulo conſtituti, ab alio quàm Romano Pontifice, abſolutionis beneficium valerent obtinere, prout in literis prædictis pleniùs continetur.

*...nc idem ...ux cau- ...hic ex- ...ſi d. eius ...hibitionē ...atur, reducit terminos ...cilii Tri- ...tini, & ...ſtitutionis ...s Con- ...ationis.*

§. 3. Nihilominus cum ſicut accepimus, literæ ipſæ fuerint debitæ executioni, quantum commodè fieri potuit demandatæ, etiam ære alieno hujuſmodi propemodum diſſoluto, operæpretium fore cenſemus, circa prohibitionem noſtram prædictam in omnes paulò ſeverius interpoſitam, moderationis remedium adhibere, ac in futurum proſpicere, ne ſtante prohibitione hujuſmodi multorum animæ cenſuris prædictis in ſalutis ſuæ perniciem illaqueatæ remaneant, & non ſolùm Fratres, ſeu Canonici prædicti à rebus, pecuniis, & bonis ad vitæ remedium ſuis induſtria & labore acquirendis, ſed etiam eorum parentes & conſanguinei ab eleemoſynis, donationibus, legatis, relictis, & aliis ſubventionibus eis privatim faciendis retrahantur, & exinde Congregatio ipſa rerum, bonorum, donationum, legatorum, relictorum, & ſubſidiorum, & hujuſmodi ſucceſſione deſtituatur, ac graviora diſpendia & expenſarum onera ſubire cogatur in ſublevandis neceſſitatibus eorundem fratrum, ſeu Canonicorum, qui alias ſine ſuæ cujuſque domus incommodo & diſpendio ſe poſſent commodè ſuſtentare. Quocirca de nobis attributæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas cenſuras & pœnas in proprietarios, & alios prædictos, dictarum literarum ſerie promulgatas, ad eas duntaxat quæ decretis ſacrorum Canonum Concilii Tridentini, ac Ordinis & Congregationis prædictorum regulis & conſtitutionibus contra tales ſtatutæ ſunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium reducimus & moderamus, ac prohibitionem & alia prædicta, necnon omnia & ſingula in eiſdem noſtris literis contenta, ad hoc ut deinceps Prior generalis pro tempore exiſtens, necnon ii ex dictis fratribus, ſeu Canonicis, quibus id ab ipſo Priore generali, aut aliis eorum Superioribus ſpecialiter permiſſum aut indultum fuerit, ex pecuniis, rebuſque & bonis unicuique eorum ſigillatim intuitu perſonæ ſuæ donatis, vel relictis, ac in poſterum donandis vel relinquendis, aut ſuis labore & induſtria, vel alias undecumque, licitè tamen & legitimè acquiſitis ac acquirendis, exceptis pecuniis per eoſdem fratres & Canonicos vigore dictarum literarum ubicumque depoſitatis, quas in Monaſteriorum, & Congregationis hujuſmodi utilitatem omninò cedere volumus, eam partem, & portionem quæ pro eorum moderato victu & veſtitu, ac occurrentibus neceſſitatibus, ſecundùm cujuſque gradum & qualitatem neceſſaria videbitur, privatim percipere, habere, retinere, ac in ſuos uſus & neceſſitates hujuſmodi convertere liberè & licitè, ſine alicujus pœnæ vel cenſuræ incurſu, poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate & tenore præſentis relaxamus, eiſque deſuper indulgemus.

*Superioribuſque Ordinis facultatem concedit remittendi pœnas incurſa.*

§. 4. Necnon Priori generali, & aliis Superioribus Congregationis hujuſmodi, ut quoſcumque illius fratres, ſeu Canonicos, qui hactenus præmiſſorum occaſione excommunicationis vinculis, & aliis cenſuris prædictis irretiti, ad ipſos humiliter recurrerint, & abſolutionem petierint, prævia debita reſtitutione, ſeu ſatisfactione, ſi quæ fuerit facienda, ab excommunicationis, & aliis cenſuris propterea incurſis abſolvendi, & totaliter liberandi, dictaſque pœnas eis remittendi & condonandi, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam contra eos præmiſſorum occaſione quomodolibet inſurgentem, ab eis abdendi, ipſoſque & eorum ſingulos in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum, reſtituendi, reponendi, & plenariè reintegrandi, plenam & liberam eiſdem auctoritate & tenore concedimus facultatem.

*Clauſula derogatoria.*

§. 5. Non obſtantibus prohibitione, aliiſque præmiſſis, & Apoſtolicis, ac in Provincialibus, Synodalibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Congregationis, Ordinis, & domorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides exemplorum.*

§. 6. Volumus autem, quod earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo ipſius Congreg. & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. An. 3. die 5. Sept.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 5. Septembr. 1587. Pontificatus noſtri anno 3.

---

## LXIV.

Prohibitio admittendi ad beneficia Regni Valentiæ alienigenas Regnorum Hiſpaniæ, in quibus ipſi Valentini ad ſimilia non admittuntur.

*Aliam prohibitionem poſtea edixit hic idem Pontifex, de non admittendis illegitimis ad dignitates Eccleſ. Valentin. infra in conſt.* 84. Cùm cœleſtis.

Diſpoſuit etiam de regimine Studii generalis Valentini iſte Pont. ſup. in conſt. 11. *Copioſus.*

*Edita A. D. 1587.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

IN ſacroſancto beati Petri Principis Apoſtolorum ſolio, nullis noſtris meritis, ſed ſola Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, in univerſi Orbis Regiones &

Provincias, præſertim Infidelibus & barbaris nationibus adjacentes, aciem noſtræ meditationis more vigilis Paſtoris Dominici gregis paſſim reflectimus, & ut ibidem divini nominis, ac Catholicæ Religionis cultus feliciter conſervetur & efflorеat, illarumque indigenæ in fidei & devotionis erga hanc ſanctam Sedem ſinceritate Apoſtolicis favoribus, ac ſpiritualibus & temporalibus adjumentis jugiter confoveantur, opem & operam libenter impedimus, ac in his paſtoralis officii noſtri partes favorabiliter interponimus, prout Regionum & Provinciarum hujuſmodi publicæ utilitati & felici ſtatui, ipſorumque indigenarum ad Eccleſiaſtica miniſteria, & literarum ſtudia, directioni & commoditati cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

*Cauſa hujus conſt.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, Regnum Valentiæ in citeriori Hiſpania conſiſtens anguſtiſſimos fines habeat, & nihilominus populi multitudine refertum, & in illius Metropoli Univerſitas Studii generalis celeberrima à fel. rec. Alexandro Papa VI. prædeceſſore noſtro inde oriundo, ad ipſius Regni indigenarum, & quorumcumque aliorum ibi confluentium, necnon Theologiæ, ac utriuſque juris, & aliis optimis ſcientiis vacare affectantium inſtructionem atque profectum inſtituta, & ab eo, ac etiam nuper à nobis variis, ampliſſimiſque privilegiis & gratiis ornata exiſtat, & alienigenæ, præſertim ex aliis Hiſpaniarum Regnis, Provinciis, & dominiis, & aliis adjacentibus inſulis oriundi, dignitates, Canonicatus, præbendas, & alia beneficia Eccleſiaſtica in dicto Regno Valentiæ cõſtituta ambientes, ſibi de illis provideri, ac fructus eorundem, & ſeu penſiones deſuper reſervari procurent, & paſſim abſque ullo obſtaculo ad beneficia, fructus, & penſiones hujuſmodi recipiantur, & admittantur. Ipſius verò Regni Valentiæ indigenæ in aliis Regnis, Provinciis, dominiis, & inſulis prædictis, prætextu quorundam privilegiorum & indultorum Apoſtolicorum, ſeu conſtitutionum, aut ſanctionum, pragmaticarum nuncupatarum, vel conſuetudinum ibidem vigentium, ab aſſecutione quorumcumque beneficiorum, & perceptione fructuum & penſionum omninò excludantur ac repellantur, & exinde plerique eorum, qui aſſiduis laboribus & vigiliis, maximiſque impenſis in dicta Univerſitate tanquam ingenuarum artium, ac ſacrarum, & aliarum ſcientiarum uberrimo ſeminario, virtutis & doctrinæ ſemina ſuſceperint, & in agro Dominico, ſi ad illius culturam vocarentur, ſalutaria germina, quæ Altiſſimo lectiſſimos fructus ſuo tempore redderent, producere, ſibique ipſis & aliis ad ſalutem ac Catholicæ Religionis, fideique propagationem, & conſervationem prodeſſe poſſent, nequeuntes beneficia Eccleſiaſtica aut fructus vel penſiones pro eorum decenti ſuſtentatione, neque in patriæ ſolo, propter exteriorum illa occupantium frequentiã, minuſque extra illud aſſequi, exacta jam ætate, & facultatibus ſuis conſumptis, veluti inertes ærumnoſam & miſerabilem vitam ducere, ac paupertatem in ſenectute (quod duriſſimum eſt) tolerare cogantur; alii verò illorum conditione perterriti, & ſpe aſſecutionis beneficiorum hujuſmodi deſtituti, ſe clericali militiæ adſcribi, ac in diſciplinis & miniſteriis Eccleſiaſticis, ſacrarumque literarum ſtudiis ſe exercere non curent. Et denique proceres, nobiles, & alii incolæ ejuſdem Regni Valentiæ à beneficiorum fundatione, ac jurium eorundem, libertatiſque Eccleſiaſticæ defenſione & tuitione quodammodo retrahantur.

*Ad beneficia Regni Valentiæ quovis modo vacatura, indigenæ ejuſdem Regni, in eo verò nati, & non alienigenæ aliorum Regnorum Hiſpaniæ admittãtur.*

§. 2. Nos ſtatui indigenarum Regni Valentiæ hujuſmodi paterna charitate compatientes, ac æquum, & rationi conſonum eſſe cenſentes, ut ipſi in beneficiorum ejuſdem Regni aſſecutione exteris præferantur, aut ſaltem ad beneficia aliorum Regnorum, Provinciarum, Dominiorum & Inſularum hujuſmodi, ad inſtar incolarum eorundem æquo jure admittantur, ac eandem conditionem experiantur, ac propterea pro paſtoralis officii noſtri munere, præmiſſis incommodis occurrere, & deſuper opportunè providere volentes, ipſoſque indigenas, ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon beneficiorum in dicto Regno Valentiæ conſiſtentium qualitates, quantitates, innovationes, nuncupationes, denominationes, ſituationes, & illorum fructuum veros annuos valores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad indigenarum prædictorum, vel alicujus ipſorum, aut alterius, ſeu aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, omnia & ſingula beneficia Eccleſiaſtica in univerſo Regno Valentiæ hujuſmodi nunc & pro tempore conſiſtentia, etiamſi Canonicatus & præbendæ, dignitates etiam majores poſt Pontificales, & principales perſonatus, adminiſtrationes, & officia, etiam curata & electiva, in Metropolitana, & aliis Cathedralibus ac Collegiatis Eccleſiis, necnon Parochiales Eccleſiæ, ſeu earũ perpetuæ Vicariæ, ac in Romana Curia vel extra eam litigioſa, & de jurepatronatus, etiam Regum, Ducum, vel aliorum laïcorum, etiam nobilium & illuſtrium, ſeu eorum & Clericorum mixtim, etiam ex fundatione vel dotatione, aut indulto Apoſtolico, ſeu alias quomodolibet qualificata ſint vel fuerint, quoties illa per ceſſum, etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu quamvis aliã dimiſſionem vel amiſſionem, aut privationem ea pro tempore obtinentium, ſeu jus in illis vel ad illa habentium, aut alias quovis modo, etiam apud Sedem prædictam, ac etiam in aliquo ex menſibus in quibus vacantium beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio nobis & Sedi prædictæ, etiam per conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, eſt vel pro tempore fuerit reſervata, vel etiam Ordinariis Collatoribus per eaſdem conſtitutiones, ſeu regulas vel literas alternativarum, aut alia privilegia & indulta conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis, ſimul vel ſucceſſivè vacare contigerit, etiam actu nunc, ut præfertur, vel aliàs quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis vacent, ac ex eo quod beneficia ipſa obtinentes, ſeu in illis vel ad illa jus habentes, noſtri & quorumcumque aliorum Romanorum Põtificum prædeceſſorum, ſeu ſucceſſorum noſtrorum, aut S. R. E. Cardinalium, etiam viventium, & in dicta Curia præſentium familiares, continui commenſales, ſeu dictæ Sedis Notarii, Subdiaconi, Acolythi, Capellani, literarum Apoſtolicarum Abbreviatores, Scriptores, Cubicularii, Scutiferi, proventuum & jurium Cameræ Apoſt. debitorum Collectores & Subcollectores, ſeu quicumque alii Curiæ & Sedis prædictarum officiales, etiam ſub diverſis conſtitutionibus fel. rec. Pauli Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſuorum & pro tempore exiſtentium Romanorum Pontificum familiarium, continuorum Commenſalium declaratoriis comprehenſi, præſentes & futuri, quocumque nomine nuncupati, ſeu ex quavis alia cauſa diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata, aut ex generali reſervatione Apoſtolica affecta, ſeu ad Sedem eandem devoluta exiſtant, vel fuerint, ſolis indigenis dicti Regni, verè, realiter, & non fictè in eo natis & naſcituris, affecta & debita, prædictique alienigenæ ad hujuſmodi beneficia, in titulum, commendam, adminiſtrationem, vel alias quomodolibet obtinendum, aut illorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta quæcumque, ſeu ſuper eis penſiones annuas percipiendum, omninò inhabiles ac incapaces, & ſi ullo unquam tempore eadem beneficia, etiam ad illorum patronorum præſentationem ſibi conferre, aut de illis provideri, ſeu fructus, redditus, proventus, & penſiones hujuſmodi reſervari obtinuerint, aut collationibus, proviſionibus, præſentationibus, inſtitutionibus, reſervationibus & aliis diſpoſitionibus ipſis deſuper factis, ſeu etiam motu ſimili conceſſis uti, ſeu eas ratas & gratas habere præſumpſerint, omni & quocumque beneficio & officio Eccleſiaſtico per eos, etiam extra dictum Regnum ubicumque obtento, eo ipſo abſque aliqua declaratione deſuper facienda, privati exiſtant.

*Item i… ge Ar… tinis … mis, … Canon… tus, præ… das, … guit. … Valent… conſ. … rad.*

*Collation… que in præmiſſis contravenienti… pœnis… expreſſis … cientur.*

§. 3. Necnon quicumque Ordinarii & alii inferiores

collatores,

collatores, ac etiam patroni, qui contra præmiſſa quicquam attentare præſumpſerint, à quorumcumque beneficiorum collatione, proviſione, electione, præſentatione, inſtitutione, & quacumque alia diſpoſitione, prout cuique competierit, tandiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice pro tempore exiſtente meruerint obtinere. Et nihilominus ſi ſic ſuſpenſi conferre, providere, eligere, præſentare, inſtituere, aut alias quomodolibet diſponere auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrant, nec ullus alius quam Romanus Pontifex pro tempore exiſtens, ſive abſolutionis, ſive relaxationis beneficium, excepto mortis articulo, valeat eis impartiri.

§.4. Notarii verò & tabelliones, etiam Apoſtolica vel Imperiali aut Regia, ſeu alia quacumque auctoritate creati, qui ſuper adipiſcenda poſſeſſione cujuſcumque beneficii in dicto Regno Valentiæ pro tempore rogabuntur, niſi prius eis fide dignorum teſtimoniis, aut aliàs legitimè conſtiterit, eum cui poſſeſſio ipſa fuerit tradenda, verè, realiter, & non fictè in eodem Regno Valentiæ natum fuiſſe, ullum omninò ſuper actu poſſeſſionis hujuſmodi inſtrumentum publicum, aut quamcumque aliam etiam privatam ſcripturam conficere, ſeu in protocollum redigere minimè valeant, & ſi ſecus, crimen falſi eo ipſo etiam incurrant, necnon ad hujuſmodi, ac quæcumque alia munera & officia, publicaſque functiones ſimiliter inhabiles exiſtant.

§.5. Et quicumque Judices Ordinarii, vel delegati, coram quibus litem contra quemcumque alienigenam in quovis beneficio contra præſentium tenorem intruſum, tam in dicta Curia quàm extra eam moveri contigerit, cum primùm ſibi legitimè conſtiterit, beneficium ipſum ab alienigena detineri, poſſeſſionem, ac fructus, redditus, & proventus ejuſdem beneficii, donec iis ad quos de jure ſpectabunt, adjudicentur, ſequeſtrare, ac ſub arcto & firmo ſequeſtro ponere debeant & teneantur. Ita tamen, ut ſi in fundationibus beneficiorum de jurepatronatus laicorum, ſeu illorum & clericorum mixtim, ut præfertur exiſtentium, caveatur expreſsè, quod nonniſi per clericos, ſeu Presbyteros de ipſorum fundatorum genere & familia oriundos obtineri poſſint, eo caſu etiam alienigenæ, de genere, ſeu familia fundatorum hujuſmodi ad illa præſentari, ac in eis inſtitui liberè poſſint, nec ſub præſenti ſtatuto quoad aſſecutionem talium beneficiorum comprehendantur.

§.6. Et quatenus nullo unquam tempore licuerit, & permiſſum fuerit prædictis indigenis beneficia, fructus, & penſiones in aliquo ex aliis Regnis, Provinciis, Dominiis, & Inſulis prædictis, liberè & indifferenter abſque aliquo obſtaculo, perinde ac ſi ibidem nati eſſent, obtinere & percipere, ipſi quoque alienigenæ ex tali Regno, ſeu Provincia, vel Dominio, aut Inſula orti ad ſimilia beneficia, ac fructus & penſiones in dicto Regno Valentiæ viciſſim admitti debeant, & ad illa habiles & capaces cenſeantur.

§.7. Decernentes omnes & ſingulas collationes, proviſiones, commendas, electiones, acceptiones, præſentationes, inſtitutiones, & quaſvis alias diſpoſitiones de quibuſcumque beneficiis dicti Regni Valentiæ, ut præfertur, vel alias quomodolibet qualificatis, ac reſervationes illorum fructuum, redditMuum, proventuum & penſionum ſuper eiſdem in favorem dictorum alienigenarum, contra præſentis ſtatuti formam, & tenorem, etiã per nos & quoſcumque alios Romanos Pont. ſucceſſores noſtros, dictamque Sedem, ac illius Legatos, etiam de Latere, & Nuntios, omneſque & ſingulos alios jus & facultatem conferendi, providendi, commendandi, eligendi, præſentandi, inſtituendi, & aliàs quomodolibet de hujuſmodi beneficiis diſponendi, illorumque fructus, redditus, proventus, & ſuper ejs penſiones reſervandi ab ipſa Sede habentes, necnon Ordinarios & alios inferiores collatores, etiam ad Patronorum præſentationem, ſeu de illorum conſenſu pro tempore factas, ipſo jure nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti fore & eſſe, ac pro nullis & infectis haberi, nec per eas cuiquam jus, vel etiam coloratum poſſidendi titulum tribui poſſe, ipſoſque alienigenas illarum prorſus uſu & commodo carere, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, ſeu conſtitutiones de annali & triennali poſſeſſoribus, etiam propter quantumvis diuturnam continuatæ poſſeſſionis tolerantiam, aut quodcumque aliud jus vel beneficium ullo tempore illis ſuffragari, ſeu beneficia hujuſmodi, ut prius vacare, & quæ illis tempore diſpoſitionis Apoſtolicæ dictis alienigenis factæ eidem diſpoſitioni reſervata, ſeu affecta fuerint, ſub eadem reſervatione, ſeu affectione remanere, & tam illa quàm etiam omnia alia non reſervata neque affecta, de quibus à dicta Sede vel illius Legatis, ſeu Nuntiis, aut aliis jus & facultatem conferendi à dicta Sede, ut præfertur, habentibus, in hujuſmodi alienigenas quandocumque diſpoſitum fuerit, ad novam Romani Pontificis pro tempore exiſtentis diſpoſitionem dumtaxat pertinere; ab Ordinariis verò & aliis inferioribus collatoribus, ceſſantibus reſervationibus, ſeu affectionibus Apoſtolicis, eiſdem alienigenis pro tempore collata, ac etiam ea quæ de jurepatronatus hujuſmodi fuerint, ſi contingat ad illa quenquam contra præſentis ſtatuti formam præſentari, devolutioni ad Sedem prædictam immediatè eo ipſo ſubjacere, illaque omnia ab indigenis dicti Regni, & à Sede prædicta dumtaxat impetrari poſſe, nec jus ullum ad reſignantes, ſeu cedentes, etiamſi in poſſeſſione, etiam diutina remanſerint, & reſignationes, ſeu ceſſiones hujuſmodi publicatæ non fuerint, redire, vel penes eos remanere.

*Etiam clauſula derogatoria, &c. in eorum impetrationibus adeſſent, &c.*

§.8. Impetrantes verò, ac Motu proprio conceſſiones quæ de eiſdem beneficiis pro tempore fient, quibuſcumque derogationibus fuerint ſuffultæ, nunquàm ſub clauſulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendi, ſeu ſpecialiter & expreſsè in non ſervatam præſentis ſtatuti formam, cum declaratione nominum & cognominum ipſorum alienigenarum, diſpoſitivè & non conditionaliter, nec per æquipollens omninò fieri debere, eiſdemque præſentibus literis per quaſcumque alias literas Apoſtolicas, etiam quaſvis generales vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliaſque efficaciores & inſolitas clauſulas, & irritantia & alia decreta ſub quibuſcunque verborum formis concepta in ſe continentes, nullatenus derogari poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi earundem præſentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſertus, ac urgens & ſufficiens cauſa expreſſa, ac per trinas diſtinctas in forma Brevis literas earundem præſentium tenorem continentes, tribus diſtinctis vicibus, cum unius menſis intervallo, Ordinibus trium ſtatuum ejuſdem Regni Valentiæ prius legitime intimata & inſinuata, ac derogationes ipſæ Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, Conſiſtorialiter, & de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium pro tempore exiſtentium conſilio factæ fuerint, & Ordinum trium ſtatuum Regni Valentiæ hujuſmodi ad hoc expreſſus acceſſerit aſſenſus, appareatque Rom. Pontificem illis expreſsè derogare voluiſſe, & aliter factas derogationes nemini ſuffragari, & clauſulam implicitæ derogationis, videlicet quod eorum, vel earum, ſeu præſentium tenores latiſſimè extendi, & eædem præſentes, ac deſuper conficiendæ literæ, earumque tenores habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel parte exprimi poſſint in quibuſvis ſupplicationibus, conceſſionibus, gratiis, & literis à nobis & ſucceſſoribus noſtris pro tempore emanatis appoſitam, nihil penitus operari, nec in literis Apoſtolicis deſuper conficiendis quicquã, ultra quod in ſupplicationibus, conceſſionibus & gratiis hujuſmodi ſpecificè fuerit expreſſum, narrari poſſe; nec quemquam ad parendum literis derogatoriis hujuſmodi, & decretis ſuper illis proceſſibus, ac eorum executoribus, & ſubexecutoribus firmiter reſiſtere, & literarum earundem executionem omninò impedire, nec ratione reſiſtentiæ hujuſmodi aliquibus cenſuris vel pœnis Eccleſiaſticis, ſeu pecuniariis, per eoſdem executores & ſubexecutores innodari. Necnon eaſdem præſentes literas, etiam ex eo quod cauſæ propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam à Sede prædicta delegatis, vel alias quomodolibet examinatæ, juſtificatæ, verificatæ, purificatæ, & approbatæ, ipſique Ordinarii & alii inferiores collatores, ac patroni & alienigenæ, necnon quicumque intereſſe habentes ad id le-

gitimè

gitimè vocati non fuerint, neque præmiſſis conſenſerint, ſeu etiam enormis & enormiſſimæ læſionis, vel alio quocumque prætextu, aut ex quavis alia cauſa, quantumvis legitima, urgenti, & juridica, de ſubreptionis & obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, à nobis vel quibuſcumque aliis Romanis Pontificibus, ac dicta Sede, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus pro tempore emanatis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub Data poſteriori per Ordines trium ſtatuum Regni Valentiæ hujuſmodi eligenda conceſſas, validaſque & efficaces fore & eſſe, ac vim validi & efficacis contractus, inter nos & dictam Sedem ex Una, ac Ordines trium ſtatuum Regni Valentiæ hujuſmodi ex altera partibus ritè, & rectè initi, ſtipulati, ac etiam utrimque jurati habere, & perpetuò obtinere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari.

*Decretum irritans.*

§.8. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari ac definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis cauſarum Curiæ Cam. Apoſtolicæ generali Auditori, & Archidiacono Eccleſiæ Valentinæ, ac Abbati Monaſterii B. Mariæ Valiſdignæ, Ciſtercienſis Ordinis, Valentin. diœceſ. per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte indigenarum prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ipſoſque indigenas illis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos vel quempiam ex illis deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogatoria.*

§.9. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœc. ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati, extra civitatem & diœceſim in quibus deputati non fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium nõ trahatur, necnon quatenus opus ſit, noſtra de non tollendo jure quæſito, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, Synodalibus, & Univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Eccleſiarum in quibus beneficia hujuſmodi fuerint, ac Regnorum, Provinciarum, dominiorum, & inſularum hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam quantumvis longiſſimo tempore obſervatis, ac legibus etiam municipalibus, & pragmaticis, aliiſque ſanctionibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam ſuper facultate beneficia prædicta ipſis alienigenis conferendi, ſeu de illis providendi, & aliàs quomodolibet diſponendi, ipſoſque alienigenas ad beneficia, fructus, & penſiones hujuſmodi recipiendi & admittendi, eiſdem Eccleſiis, illarumque Præſulibus & Capitulis, necnon Regnis, Provinciis, Dominiis & Inſulis prædictis, eorumque Communitatibus, Univerſitatibus, hominibus, incolis, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam vim validi & efficacis contractus, ſeu ſtatuti perpetui vel legis habentibus & inducentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ſeu etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, ſeu aliorum Principum inſtantiam, vel eorum contemplatione & intuitu, in genere vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque toris tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Form. effectus [publ]icatio[nis] hujusm[odi]*

§.10. Cæterùm, ut ſtatutum, ordinatio, & alia præmiſſa, ac eædem præſentes literæ ad eorum quorum intereſt notitiam deducantur, nulluſque poſſit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excuſationem allegare, ſed illa perpetuò firma & illibata permaneant: Volumus, ut eædem præſentes literæ in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, & acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris affixæ, copia illarum ibidem dimiſſa, ab eadem die omnes & ſingulos perinde afficiant & arctent, ac ſi illis ipſis fuiſſent perſonaliter intimatæ.

*Fides ex[em]plorum.*

§.11. Quodque earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ ipſis præſentibus originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio [pœ]nalis.*

§.12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſtatuti, ordinationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. L[...] die 5. Sep[...]*

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1587. Non. Septemb. Pont. noſtri anno tertio.

*Publicat[io]*

*Anno à Nativitate Domini 1587. indictione 15. die verò 16. menſis Decemb. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papa V. anno 3. retro & introſcripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilica Principis Apoſt. de Vrbe, ac Cancellaria Apoſtolica, necnon in acie Campi Flora, ut moris eſt, per me Franciſcum Baron. ejuſd. S. D. N. Papa Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## Quod Franciſcus Medices Magnus Dux Hetruriæ, & Magnus Magiſter Militiæ Ordinis S. Stephani, erigere valeat in Commendas d. Militiæ, hoſpitalia per laïcos regi ſolita, ad hoſpitalitatem inſtituta, in Hetruria exiſtentia, de quibus Sedes Apoſt. diſponere non conſuevit. LXV[...]

*Inſtituta fuit hac Militia à Coſmo Franciſci Patre,*

ut

*ut videre eſt ſup. in Pii I[illegible]onſtitut.*60. Illis quæ, *tom. 2. ubi alia tibi indicavi de hac Militia.*

*...ta A. D. 1587.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Dilecto filio Nobili viro Franciſco Medices, Magno Hetruriæ Duci. Dilecte fili nobilis vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*...untiatio ...udi Ma... ...i Ducis ...truriæ.*

PRæclara devotionis ſinceritas, & eximia fidei conſtantia, quæ tibi divinitus conceſſæ, ex tuorum progenitorum quaſi hæreditate videntur acceptæ, quibuſque in noſtro & Apoſtolicæ Sedis conſpectu, de qua continuò, ut obedientiæ filius benemereri non ceſſas, fulgere dignoſceris, nos ſupra modum invitant, ſuaviterque alliciunt, ut votis tuis, quæ ut Chriſtianum Principem decet, Religionis propagationi, ac fidei Catholicæ defenſioni aſpirare conſpicimus, gaudenter annuamus, eaque favoribus opportunis libentiſſimè proſequamur.

*Qui apud ...n Pontifi... ...m inſtat ... licentia ...igendi in ...mendas ...d. S. Ste... ...ani Hoſpi... ...lia, de qui... ...in rub.*

§. 1. Sanè pro parte tua nobis nuper expoſitum fuit, quod cum in diverſis tuæ ditioni ſubjectis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis, quamplurima Hoſpitalia per laïcos regi, gubernari, & adminiſtrari ſolita, quæ de jurepatronatus tuo, & ſeu Magiſtratuum, Communitatum, Univerſitatum & hominum, Civitatum, Terrarum, oppidorum, & locorum prædictorum, ſeu etiam laïcorum, ex fundatione vel dotatione, aut aliàs exiſtunt, in quibus tum ob locorum diſtantiam, ſeu incommoditatem, tum etiam ob illorum fructuum tenuitatem, parum aut nihil hoſpitalitatis ſervatur, illorumque fructus in profanos & illicitos uſus converti ſolent, diverſaque interdum in illis patiantur ſcelera: unde ſi in dictis Hoſpitalibus & eorum Eccleſiis, de dictorum locorum patronorum conſenſu unum vel duo, aut plura ex eis inſimul perpetuò uniendo & incorporando, ſeu etiam ſupprimendo, tot quot volueris, Præceptoriæ, Militiæ S. Stephani, cujus tu Magnus Magiſter exiſtis, ad inſtar aliarum dictæ Militiæ Præceptoriarũ erigerentur & inſtituerentur, eorundemque Hoſpitalium fructus, redditus, & proventus, ſervata hoſpitalitate, & aliis ſupportatis oneribus, remanentes dictis Præceptoriis ſic erigendis & inſtituendis, etiam perpetuò applicarentur, ex hoc profectò eiſdem Militibus de congrua ſubventione provideretur, ipſaque Hoſpitalia melius ac decentius gubernarentur. Quare nobis humiliter ſupplicare feciſti, quatenus tibi Hoſpitalia prædicta inſimul, ut præfertur, uniendi & incorporandi, ſeu etiam ſupprimendi, & in illis vel eorum Eccleſiis tot quot volueris Præceptorias dictæ Militiæ, ut præfertur eligendi, & inſtituendi, eorundemque Hoſpitalium fructus eiſdem Præceptoriis applicandi, licentiã & facultatem concedere, ac alias in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtol. dignaremur.

*Ipſe igitur ...nt. ob cau... ...s hic ex... ...ſſas, di... ...am licen... ...am conce... ...i.*

§. 2. Nos ipſius Militiæ, quæ à claræ memoriæ Coſmo Medices, dum vixit, Magno Hetruriæ Duce, progenitore tuo, ad Maris Mediterranei incurſibus infidelium infeſtati cuſtodiam & defenſionem inſtituta fuit, incrementum paternis exoptantes affectibus, ac attendentes quod illius milites tanquam indefeſſi Jesu Christi athletæ pro fide Catholica, etiam vitæ ac ſalutis incolumitati non parcentes, in dictæ Militiæ triremibus per maria undique diſcurrunt, ac publicæ quieti invigilantes, piratarum, ſive maritimorum latrunculorum inſidiis & fraudibus occurrere, ac Chriſti fidelium tum bona, tum corpora, & animas ab illis tutari atque defendere non ceſſant: Hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut omnia & ſingula prædicta Hoſpitalia, & eorum Eccleſias ad Hoſpitalitatem ſervandam, non autem pro infirmis recipiendis inſtituta, & de quibus per Sedem Apoſtolicam diſponi non conſuevit, quæ de jurepatronatus tuo, & ſeu dictorum Magiſtratuum, Communitatum, Univerſitatum, & Hominum, ſeu etiam aliorum laïcorum præfatorum, ut præfertur, ſunt, de illorum patronorum laïcorum conſenſu; ſi verò de jurepatronatus dictorum Magiſtratuum, Communitatum, vel Univerſitatum, & hominum prædictorum fuerint, etiam abſque illorum conſenſu, ac etiam Ordinarii loci, vel cujuſvis alterius licentia minimè requiſita, perpetuò unire, annectere, & incorporare, ſeu aliqua ex eis ſupprimere, ac in eiſdem hoſpitalibus, & eorum Eccleſiis, ut præfertur unitis, annexis, & incorporatis tot quot volueris, & prout tibi melius videbitur, & placuerit, Præceptorias Militiæ hujuſmodi, ad inſtar aliarum dictæ Militiæ Præceptoriarum, per illius Milites obtineri ſolitarum, quæ per te & pro tempore exiſtentem dictæ Militiæ Magnum Magiſtrum, ad præſentationem illorum patronorum, vel de illorum conſenſu concedi & aſſignari debeant, etiam perpetuò erigere & inſtituere, eorundem Hoſpitalium fructus, redditus, & proventus, ſervata hoſpitalitate, & aliis illorum oneribus ſupportatis remanentes, dictis Præceptoriis ſic erigendis, & inſtituendis, etiam perpetuò applicare & appropriare liberè & licitè poſſis & valeas, plenam & liberam, ac omnimodam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facultatem, poteſtatem, & auctoritatem concedimus & impartimur, tibique deſuper de ſpeciali gratia indulgemus.

§. 3. Decernentes in eiſdem præmiſſis, & circa ea per te facienda & terminanda, ſemper & perpetuò valere, ac ab illis ullo unquam tempore, quovis prætextu reſiliri non poſſe, & quaſcumque conceſſiones in contrarium faciendas, nullius roboris vel momenti exiſtere. Declarantes præſentes literas de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenùs poſſe, ſed incommutabilis voluntatis & intentionis noſtræ fuiſſe & eſſe. Sicque, & non aliter, per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſ. d. conceſſionis præſervativa.*

§. 4. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictorum Hoſpitalium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, Conſervatoriis, & aliis literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie eiſdem Hoſpitalibus vel illorum Rectoribus, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, & ad plenum derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſ. contrariorum derog.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Septemb. 1587. Pont. noſtri anno tertio. *D. P. An. 3. die 11. Sept.*

---

## Privilegia & immunitates pro ædificantibus vel habitantibus in Via Felici, & in Pia Almæ Urbis. LXVI.

*Hæc eadem privilegia hic Pont. conceſſit fabricantibus & habitantibus in Burgo Felici, poſtea erecto apud hanc viam Felicem, infr. in conſtit.*103. Dum ad uberes. *Et ſimilem, ſed latiorem conceſſionem dedit ædificantibus in Burgo S. Petri Pius IV. ſup. in conſtitut.*101. Romanus.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1587.*

DEcet Romanum Pontificem poſt multas & graves Paſtoralis ſui officii curas, hanc quoque non negligere, ut Alma Urbs Roma, in qua non ſine Dei voluntate à Vicario ſuo B. Petro Apoſtolorum Principe, ſancta Sedes Apoſtolica, ad omnium Chriſti fidelium commoditatem, *Hic Pont. pro commodiore aditu ad venerandas Vrbis Baſilicas plures*

*vias latas aperuit & stravit, & antiquum ritum de Capellis in eiſdem Baſilicis celebrandis renovavit, ut ſup.*

ditatem, Religioniſque incrementum conſtituta extitit, & ad quam olim Orbis, nunc etiam Chriſtianæ Religionis caput, magnus fit concurſus, non modo ſalutaribus legibus, boniſque moribus in meliorem ſtatum reformetur, ſed novis etiam viarum, vicorum, regionum, atque ædificiorum incrementis, ad populi in dies, benedicente Domino excreſcentis, & confluentium advenarum commodum aſſiduè dilatetur. Quod dum ab initio noſtri Pontificatus ſedulò meditaremur, ſimul etiam, ut ad venerandas ejuſdem Urbis Baſilicas, toto Orbe terrarum celebres, commodius & decentius adiri poſſet, atque in eis frequentius viſitandis Populi devotio augeretur, præſertim veteri more ſanctorum Pontificum noſtrorum prædeceſſorum, in Stationibus & Pontificalibus Capellis noſtra præſentia celebrandis, per nos renovato, vias complures latas & directas ad eaſdem Baſilicas patefecimus.

*Fontemque aqua Felicis ad ſuperiores colles Urbis perduci fecit.*

§. 2. Necnon uberrimum & copioſiſſimum nitidæ & ſaluberrimæ aquæ fontem, quæ Felix nuncupatur, noſtra ſollicitudine, & ingenti impenſa, difficili & laborioſo opere, magnaque induſtria ad ſuperiores partes collium ipſius Urbis, cum maximo totius populi gaudio & applauſu, ad publicam utilitatem, Deo favente, perduci curavimus, ut cives & incolæ ejuſdem Urbis, viarum & fontium commoditate, ſimul etiam aëris ſalubritate, atque ipſius loci eminentioris & patentioris amœnitate perfrui poſſint, conſtruendiſque ædibus ad commodiorem habitationem ſpatia habeant latiora; ac nobiliſſima pars Urbis non modo ſumptuoſis veterum ſubſtructionum veſtigiis, ſed Religioſis etiam Chriſtianæ antiquitatis monumentis inſignis, novis ædificiis, & incolarum frequentia, in priſtinum decus & celebritatem, noſtris potiſſimùm temporibus reſtituatur.

*Et modò ædificantibus in Via Pia concedit, ut ædificia ex quocumque, præterquam læſæ Majeſtatis delicto, confiſcari nequeant.*

Cupientes igitur eorundem incolarum, & civium, necnon Curialium, & quorumcumque peregrinorum eò concurrentium commodis plenius conſulere, eoſque ad hujuſmodi partem Urbis cum omni quiete & tranquillitate inhabitandam, noviſque domibus replendam Apoſt. benignitate, favoribus, & gratiis invitare, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus & ordinamus, quod quæcumque domus & ædificia quæ per quaſvis perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentes, in via nova, Felici nuncupata, ab Eccleſia S. Mariæ Majoris uſque ad Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio per nos ſtrata ac directa, necnon in via Pia per nos etiam æquata, à Palatio noſtro in Monte Quirinali, uſque ad Eccleſiam S. Suſannæ, & in vicis prope dictas vias dirigendis pro tempore conſtruentur, ex quocumque delicto, quantumvis gravi (criminibus tamen divinæ & humanæ Majeſtatis læſæ tantum exceptis) confiſcari non poſſint, ſed eorum Dominis, vel in eis jus habentibus, & ſucceſſoribus ſuis, perinde ac ſi delicta non commiſiſſent, firma & illæſa remanere debeant.

*Inhabitantibuſque per biennium ædificia prædicta quæcumque Romanorum Civium privilegia concedit.*

§. 3. Ac præterea quod ii qui per biennium continuum dictas domos, ſeu ædificia in viis prædictis conſiſtentia inhabitaverint, iiſdem immunitatibus & exemptionibus, quibus veri & originarii cives Romani, de jure vel conſuetudine, vel ex privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, vel uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum eorum inſtar, ſed pariformiter & æquè principaliter, ac abſque ulla prorſus differentia uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant.

*Habitantes ibidem pro debitis contractis extra ſtatum non moleſtentur.*

§. 4. Quodque ii, qui domos ſeu ædificia in dictis viis conſtituta pro tempore habitabunt, ratione æris alieni aut cujuſvis contractus, obligationis, inſtrumenti, etiam jurati, etiam ſub Cameræ Apoſtolicæ, vel alia quavis forma, & conceptione verborum, extra tamen loca ditioni noſtræ Eccleſiaſticæ in temporalibus ſubjecta initi & celebrati, ſeu contracti, quandiu ædificia, vel domos hujuſmodi inhabitabunt, vigore mandati cujuſcumque Judicis, Curiæ, vel Tribunalis, in perſonam vel in rem, moleſtari minimè poſſint, nec debeant.

*Privilegio fori Capitolini gaudeant.*

§. 5. Ac inſuper privilegio fori Capitolini civibus Romanis competenti, perinde ac ſi veri originarii, & indubitati cives Romani forent, in omnibus & per omnia gaudeant, atque inſtar civium Romanorum cauſas ſuas coram quocumque Judice, Tribunali, aut Curia pro tempore motas, juxta formam ſtatutorum ejuſdem Urbis noviſſimè editorum, ac literarum Apoſtolicarum deſuper confectarum, ad Curiam Capitolinam trahere, ac tractari facere valeant, motu, ſcientia, auctoritate & tenore prædictis perpetuò concedimus & indulgemus.

*Artifices eadem ædificia incolentes à collectis per Conſulatus imponendis, ac ab onere excubiarum tempore peſtis, &c. faciendi exempti ſunt.*

§. 6. Demum univerſos & ſingulos artifices, ſeu opifices, cujuſcumque artis, domos, ſeu ædificia hujuſmodi in viis prædictis pro tempore incolentes, ab omni & quocumque onere, ſeu collecta, aut gravamine per Conſules ejuſdem artis, ratione ipſius Conſulatus pro tempore impoſitis, ſimiliter perpetuò eximimus & liberamus, eiſque pariter indulgemus, quod nec præmiſſis contribuere, nec quicquam vel minimum tali de cauſa perſolvere teneantur. Ac tempore peſtis, aut belli (quod Deus avertat) aut cujuſcumque alterius ſiniſtri, & inexcogitati caſus fortuiti, ad cuſtodias, ſeu excubias faciendas nequaquam ſint obligati, neque ad præmiſſorum quippiam cogi vel compelli poſſint aut debeant, liberique, immunes, & exempti ab omnibus ſupradictis ſint & eſſe cenſeantur.

*Decretum irritans.*

§. 7. Decernentes omnia & ſingula præmiſſa valida perpetuò & efficacia fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri debere, ac in ſingulis, quos illa concernunt, ſuffragari. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum & defenſorum deputatio, facultates.*

§. 8. Quocirca dilecto filio noſtro Henrico tituli Sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali Caietano nuncupato, moderno ac pro tempore exiſtenti prædictæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, & Cameræ Apoſtolicæ Præſidentibus Clericis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicujus prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac domorum, ſeu ædificiorum hujuſmodi conductoribus, habitatoribus, incolis, dominis, eorumque hæredibus & ſucceſſoribus, artificibus, & quibuſvis aliis ſupradictis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, per eos ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, perpetuò firmiter & inviolabiliter obſervari, illaſque debitæ exequutioni demandari procurent. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris & Facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, vel adhibito, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulæ derogatoriæ.*

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Urbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam noviſſimè reformatis, privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Populo Romano, ejuſque Magiſtratibus, ac Conſulatibus Artium, aut illorum Conſulibus pro tempore exiſtentibus, vel quibuſlibet aliis perſonis, Civibus, Provinciis, Terris, & locis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis.*

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, indultorum, exemptionis, liberationis, decreti, commiſſionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario

contraire

contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*…p.A.1. …15.Sept. …licatio.*

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Septemb. Pontific. noſtri anno 3.

*Anno à Nativitate Domini 1587. indict. 15. die verò 9. menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papæ V. anno ejus 3. retroſcripta litera Apoſtolica, & omnia, & ſingula in eis contenta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Eccleſiarum Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & S. Petri de Vrbe, ac Cancellaria Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per Alemannum de Alemannis, & Octavium Taglietum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

OLXVII. Prohibitio extrahendi, aut quoquo modo amovendi libros, & alia exiſtentia in Bibliothecis Fratrum Minorum de Obſervantia Ordinis S. Franciſci. Et ordinationes quibus eadem conſervari debeant.

*Alia de hoc Ordine inſpice ſupra in conſtitut. 13. Leonis X. Ito.*

*…ita A. D. 1587.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*…uſa hujus …ſt.*

CUm ſicut accepimus, nonnulli parum attendentes procedere via quæ ducit ad ſalutem, ſub variis reſpectibus auſi fuerunt, & in dies audent, contra formam literarum felic. record. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri In forma Brevis, ſub datum Romæ 4. Novembris 1568. Pontificatus ſui Anno 4. aſportare libros, quinterna, folia, & res exiſtentes in Bibliothecis Monaſteriorum, ſeu domorum Fratrum Sancti Franciſci de Obſervantia.

*…ibetur …ibus …nis libro- … ex Bi- …ecis …inis. …ditur …a libros …ſervandi.*

§. 1. Idcircò volentes plenius providere prædictis, tenore præſentium, Motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto ſine alia declaratione per contravenientem in ſingulis caſibus infraſcriptis incurren. à qua niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo poſſit abſolvi, & niſi in primis ſatisfacto omni damno dictarum Bibliothecarum, mandamus omnibus Miniſtro, ac Commiſſario Generalibus, Miniſtris, Provincialibus, Commiſſariis, Guardianis, cæteriſque fratribus quocumque nomine nuncupatis dicti Ordinis, aliiſque omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus, cujuſvis ſtatus, ordinis, conditionis, etiamſi Pontificali dignitate præfulgeant, vel alias hic ſpecificè nominandi fuiſſent, præſentibus, & futuris, ne ſub quovis prætextu, cauſa, & ratione, etiam quibus dici poſſet, ſi nobis expreſſæ fuiſſent, vel de his cogitaviſſemus, non ſic ordinaviſſemus, audeant, ſeu præſumant, neque aliquis eorũ audeat, ſeu præſumat, per ſe, vel alium, ſeu alios, nec pro minimo quidem temporis ſpatio dictos libros, quinterna, folia, nec res aliquas in dictis Bibliothecis nunc, & quandocumque exiſtentes de dictis Bibliothecis amovere, aſportare, tollere, ſeu amoveri, aſportari, aut tolli facere, vel conſulere, neque verbo, vel facto in aliquo ex prædictis alicui auxilium, aut opem præſtare. Quinimò quilibet ex prædictis teneatur quicquid in prædictis audiverit, aut ſciverit factum, vel fieri tentatum in præjudicium dictorum Fratrum, eorumque Bibliothecarum, notificare Guardiano, & in ejus abſentia Vicario domus, ſeu Monaſterii in cujus Bibliotheca aliquid ex prædictis contigerit. Qui Guardianus, & Vicarius teneatur, juxta omne eorum, ſuorumque ſuperiorum, & aliorum quorumcumque poſſe, quorum auxilio indiguerint, quod per quoſcumque præſtari eis mandamus, curare cum effectu omnia reſtitui in priſtinum, & ſatisfieri omni damno ſucceſſo in dicta Bibliotheca per culpabiles in prædictis.

*…uniantur …ravenientes, & …plices.*

§. 2. Et nihilominus pro potiori cautela, & ſecuritate prædictorum mandamus ſub eiſdem pœnis, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ, inhabilitatiſque perpetuæ ad quælibet officia dictæ Religionis unquam obtinenda, & exercen. omnibus, & ſingulis dictorũ Monaſteriorum Guardianis quandocumque electis, ne ſub quovis prætextu, cauſa, & ratione hic aliàs neceſſariò exprimendis, audeant aſſumere officia Guardianatus, neque in eo verbo, ſeu facto ſe ingerere, niſi prius in præſentia Diſcretorum loci ſeu Monaſterii in quo fuerit aliqua Bibliotheca, cum fuerit plenum, & perfectum inventarium, omnium, & ſingulorum librorum, quinternorum, & foliorum, anni, & loci impreſſionis, cooperturaque prædictorum, ac alterius cujuſvis certioris, & magis ſpecialis ſpecificationis dictorum librorum, quinternorum, foliorum, & rerum, quod inventarium completum debeat ſubſcribi à dicto Guardiano, & diſcretis, dictique inventarii exemplar ad verbum cum ſimilibus ſubſcriptionibus tranſcribi in uno libro ad hunc ſolum effectum tento, & perpetuò conſervato in capſula, vel loco in quo ſolent deponi ſub clavibus eleemoſynæ pro tempore dictis domui, Monaſterio, ac fratribus factæ. Qui libri, quinterna, folia, reſque quælibet prædictæ debeant per ſimile inventarium, & inventaria, ut ſupra ſcribenda, & ſubſcribenda à dictis Guardiano, & diſcretis, & in dicto actu conſignationis cum veteribus proximè præcedentibus, & aliis, quibus opus erit ratiocinata, & collata per Guardianum jam officium complentem, ſeu à dicto officio Guardianatus, ſeu Commiſſariatus diſcedentem conſignari ejus in officio ſucceſſori, & ab eodem ſucceſſore in præſentia ſupradictorum ſubſcribi, ſicque perpetuò ab omni Guardiano, ſeu ejus Vices gerente, antequam aſſumat munus dicti Guardianatus, vel in eo verbo, ſeu facto ſe intromittat, quæ inventaria pariter fiant formis, & modis ſupradictis, renoventur à Guardianis exiſten. in officio tempore Dat. præſentium. Quod inventarium quilibet Miniſter Provincialis, & dictæ Provinciæ Commiſſarius teneatur ſingulis annis ſui officii in præſentia dicti Guardiani, & diſcretorum ejus Domus & Monaſterii revidere, & quod additum non fuerit, aut ex dictis Bibliothecis aſportatum fuerit, facere addere dictis inventariis, ac in dictas Bibliothecas reportare, dictiſque additionibus, & inventariis unà cum prædictis Guardiano, & Diſcretis ſe ſubſcribere.

*Subreptio allegari prohibetur.*

§. 3. Quod ſi ſingula prædicta ut ſupra ordinata, facta non fuerint, volumus, & decernimus ultra prædictas pœnas dictum Guardianum, Miniſtrum, & Commiſſarium ſtatim ſine aliqua declaratione intelligi privatos, prout privamus ex nunc prout ex tunc ſemper officio Guardianatus, Miniſtratus, aut Commiſſariatus, quod tunc gerit, neminemque de cætero ei obedire volumus, & eundem ſic ut ſupra in omnibus non obedientem declaramus inhabilem ad quævis officia dicti Ordinis per ipſum unquam gerenda. Et nihilominus quilibet ex prædictis Miniſtris, Commiſſariis, Guardianis, & fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Minorum, aſportans aliquid, aut aſportari faciens, vel aſportari conſulens, aut opem, aut auxilium ante, vel poſt, vel in ipſo actu aſportandi, verbo, ſeu facto præſtans extra dictas Bibliothecas contra formam præſentium, debeat ab ejus immediatè Superiori incurrere, ſine alia declaratione ſtatim dictas omnes pœnas, ſi hæc omnia debitæ executioni non mandaverit, incarcerari, & in carceribus detineri per ſex menſes continuos, neque lapſis dictis ſex menſibus poſſit de dictis carceribus liberari, niſi refectis omnibus damnis dictæ Bibliothecæ, & omnibus reſtitutis in priſtinum, decernimuſque præſentes quemlibet eorum concernentes arctare ad earum obſervationem in Italia poſt quatuor menſes, extra verò Italiam poſt octo menſes, in partibus verò Indiarum, ac locorum de novo repertorum poſt biennium à data præſentium.

*Clauſula ſublata.*

§. 4. Nec de ſubreptionis, aut obreptionis, nec etiam intentionis noſtræ, vel quolibet alio defectu, aut vitio, cogitato, vel incogitato redargui poſſe, nec contra has aliquid dici, nec ignorantiam, aut illorũ inobſervantiam poſſe allegare, ſed pleniſſimè ad literã obſervare, ſublata aliter declarandi, interpretandi, & judicandi cuilibet etiã Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori, facultate, & auctoritate, irritum,

tum, & inane decernentes quicquid in contrarium factum fuerit.

*Derogatur contrariis.*

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, domorum, Eccleſiarum, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, privilegiis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, etiam de quibus hic ſpecialis mentio facienda eſſet.

*Fides tranſumptorum.*

§. 6. Et quia difficile foret præſentes originales ubique ubi opus eſſet oſtendi, volumus etiam tranſumptis ab aliquo Notario, ſeu dicti Miniſtri generalis Secretario, & per eundem Miniſtrum generalem ſubſcriptis, & ſigillo officii alterius eorum ſigillatis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra adhiberi, ac ſi præſentes literæ originales fuiſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 3. die 3. Octob.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Octobris 1587. Pontif. noſtri anno 3.

---

## LXVIII. Approbatio Congregationis Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum Sancti Franciſci, cum habitus deſignatione, & privilegiorum communicatione.

*Hi Fratres non poſſunt recipere Capuccinos, nec deferre habitum conſimilem, ut infra in Gregor. XIV. conſtitut.* 11. Beati. *His etiam Reformatis ſubjecit quoſdam Fratres Diſcalceatos hic Pont. ut infra in conſtit.* 99. Cùm ſicuti. *De toto autem Ordine Franciſcano plenè notavi ſup. in conſt.* 5. *Hon. III.* Solet.

*Edita A. D. 1587.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Apoſtolici muneris ſollicitudo, divina diſpenſatione nobis licet immerentibus delegata, indeſinenter requirit, ut circa ſtatum Religioſarum perſonarum quarumlibet, illarum præſertim, quæ ex ſingulari devotionis fervore ſub ſtrictiori Religionis jugo gratum Deo famulatum præſtare affectant, & continuò inſiſtunt, aſſidua mentis cogitatione invigilantes, ad ea, per quæ Regularis vitæ inſtitutum in melius dirigitur, ipſæque perſonæ Religioſæ in hujuſmodi earum laudabili inſtituto, ſemoto quocumque perturbationis, & moleſtiæ obſtaculo, quietè ac in tranquillitatis amœnitate perſeverare valeant, propenſiùs intendamus, ac in his officii noſtri partes libenter interponamus, prout undique debitè penſatis circunſtantiis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Cauſa hujus conceſſionis.*

§. 1. Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum Sancti Franciſci petitio continebat, quod annis jam pluribus retroactis, nonnulli Ordinem Fratrum Minorum Sancti Franciſci jam tunc expreſsè profeſſi, ſtrictioris Religionis jugum ſubire, ac ejuſdem Sancti Franciſci Regulam, inſtitutumque pium, ac ſanctum exactius ſequi atque imitari, & ſub illis magis gratum Deo famulatum exhibere peroptantes, cœperunt ſeipſos juxta eandem Regulam paulatim reformare, nonnullaſque Domos, Conventus, & loca in Provincia Marchiæ Anconitanæ, in Hetruria, ac in Neapolitano & Siciliæ Regnis, in quibus ipſam Regulam ſervare, & ſecundum illam vivere poſſent, acquiſiverunt, & acceptarunt. Licet autem in domibus, & locis hujuſmodi, ſub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium hujuſmodi vivant, nec ideo ab aliquo potuiſſent, nec poſſint, vel debuiſſent, aut debeant ſuper ſic reformato vivendi modo per quemquam moleſtari, vel impediri, nihilominus in quibuſdam locis, & potiſſimum in prædicto Siciliæ Regno, aliqui locorum Ordinarii ſub prætextu, quod hæc Fratrum Reformatorum Congregatio nova, ac nequaquam ab Apoſtolica Sede approbata exiſteret, permiſerunt quidem ipſos Fratres Reformatos Eccleſias, & loca fabricari facere, & acquirere, ſed poſtea eos illis de facto ſpoliarunt; alii verò in aliis locis eoſdem ſuper habitu ipſorum, & ſeu aliis, ac ſuper aliis moleſtarunt, & inquietarunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Fratres Reformati providè, & ne ipſos, eorumque Congregationem ſuper præmiſſis contingat ulterius inquietari, utque præſens Reformatio magis ſtabilita, non ſolum manuteneatur, ſed incrementum accipiat, ſpeciali noſtro, & Sedis prædictæ privilegio, ut infra, dilectis filiis Protectore, & Magiſtro Generali dicti Ordinis in hoc etiam conſentientibus, præfulciri deſiderent, ac pro parte eorundem Fratrum Reformatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis opportunè providere, ac eos in hujuſmodi pio, & laudabili propoſito confovere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Confi... Ord. ... Conve... lium ... mato... rumque ... forma...*

§. 2. Nos igitur, qui perſonas devotas, præſertim verò eas, quæ relicto mundo, Chriſtum ſecutæ ſunt, ſpecialibus libenter proſequimur favoribus, eoſdem Fratres Reformatos, ac illorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, reformationem prædictam ubicumque locorum cœptam, & introductam, ac in dies introducendam, ac pro ea, & illius fœlici, & proſpera directione facta ſtatuta, & ordinationes, cum inde ſecutis quibuſcumque, ſicuti piè, ac ſanctè ſancita, & ordinata ſunt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illaque omnia per quoſcumque locorum Ordinarios, & alios ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari debere decernimus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum, etiam ſubſtantialium defectus, ſi qui forſan quomodolibet intervenerint in eiſdem, aut eorum aliquo, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis ſupplemus.

*Refo... ſub ob... tia Pr... vis ... Protect... riſque, Provin... exiſtan...*

§. 3. Et nihilominus eiſdem Fratribus Reformatis, quod nunc, ac deinceps in perpetuum, ipſi ac eorum Congregatio, tam in prædictis, quàm quibuſvis aliis Regnis, & Mundi partibus, Fratres Minores Conventuales Reformati nuncupari, & pro talibus haberi, & reputari, necnon ſeipſos ita ubilibet, & in quibuſvis actibus publicis, & privatis vocare, & inſcribere, & ſecundùm veram Beati Franciſci Regulam, Apoſtolico more in communi, ſub dilectorum filiorum nunc, & pro tempore exiſtentium dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Protectorum, & Magiſtrorum, ac Procuratorum generalium, & Miniſtrorum Provincialium vivere, exceptis dumtaxat Domibus, & Conventibus Urbis, & Civitatis Neapolitanæ, quæ ſub obedientia Miniſtri, & in ejus abſentia Procuratoris generalis Ordinis, ut par eſt, degere, & ſubeſſe tantum intelligantur.

*Cuſtodi... vincia... dentia.*

§. 4. Cuſtodeſque Provinciæ in eis reſidere debeant, etiamſi aliqui Eremiticam, aliqui ſub obedientia Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, alii verò tanquam Tertiarii, aut alias aliam vitam duxerint, ſeque voto vitæ Quadrageſimalis obligaverint, ac etiamſi poſtea aboliti fuerint, à quibus omnibus votis, & profeſſionibus, quatenus opus ſit, eos, & eorum ſingulos plenariè abſolvimus, & liberamus, ac habilitamus, plenarieque abſolutos, & habilitatos eſſe decernimus.

*Reform... Capitu... Conve... lium inte... faciant... Congre... Vocali... form. in... pituli P... dens aſ... cuſtodem ... ex Refor... eligat. Cuſtodis ... cium, & ... ctoritas.*

§. 5. Ac quod quicumque ipſorum Fratrum Reformatorum vocati, in quacumque Provincia, Capitulo, ſeu Congregatione Provinciali dicti Ordinis Fratrum Conventualium interſint, in quo particularis fiat Congregatio diverſorum vocalium Reformatorum, & in ea Præſidens ipſius Capituli exiſtat, ac præſideat, ibidemque Cuſtodem Reformatum inter ipſos eligat.

§. 6. Cujus officium per annum tantum duret, quique viſitandi, corrigendi, incarcerandi, puniendi, privandi, collocandi, & deponendi, ſive diſlocandi, necnon reformandi, ac primas cauſas cognoſcendi, ſicut cognoſcit Provincialis, dummodo ab ipſo Provinciali non præveniatur, & ab ipſo, ejuſque decretis, ac ſententiis ad ipſum Provincialem Conventualium relinquatur

recurſus

*recurſus & appellatio, qui vel quæ nunquam impediri queat, quoties opportunum fuerit, ſed tantum in eos poſſit Provincialis prædictus, quantum in Conventuales de jure, more, laudabilique conſuetudine poteſt & debet.*

*…vilegiis, …ii, & …lgent. …ventua… ipſi Re… …ati po… …ur.*

§.7. Et inſuper eorundem Fratrum Reformatorum quilibet, necnon quæcumque domus, Eccleſiæ, & loca *ipſorum omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, conceſſionibus, facultatibus*; indultis, indulgentiis, ſtationibus, cæteriſque gratiis, tam temporalibus quàm ſpiritualibus, quibus domus, & Eccleſiæ dictorum Fratrum Conventualium, eorumque Guardiani & Fratres, de jure, uſu, & conſuetudine vel privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & ſine differentia, dummodo contra puritatem regulæ ejuſdem Beati Franciſci non ſint, nec ei in aliquo derogent, ſed conſervationem & augmentum dictæ Reformationis concernant, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint in quolibet actu.

*…dicum …ulari… negotiis …lii Re… …ui de… …r poſ… & ha… …hic …atum …ant.*

§.8. Concedit itidem, ut in quolibet eorum Conventu, ſeu domo, Syndicum, juxta ordinationem felicis recordationis Nicolai Papæ III. prædeceſſoris noſtri, ſuper hoc factam, cui per Provincialem, Cuſtodem, ac Guardianum loci, cum aliis fratribus negotia ſæcularia domus, ſeu Conventus, ac computa rationum revidenda, expenſæ faciendæ, proviſiones neceſſariæ pro alimentis & veſtimentis, & conſtructiones, reparationes Conventuum, ne commutent habitum, etiam quantumvis rudem vilium pannorum, ſive novum, ſive veterem, ac de ſaccis, etiam repetiatum & reſarcitum, non enim habitus exquiſitus in qualitate vel quantitate decet fratrem Reformatum, coloris terrei, ſeu cineritii, ac caputium, ſeu ſcapularium in capite rotundum, & à tunica diviſim geſtare, ac ubilibet deferre, nudiſque pedibus, aut ſuppoſitis ſolis (ſive ut vocant) ſandaliis, incedere liberè & licitè valeant, ac etiam debeant.

*…Con… …bus re… & re… …dis, di… …habi… …tione …pra… …mole… ne… …t.*

§. 9. Necnon quod ab Ordinariis locorum quorumcumque Regnorum, & Mundi partium, in quibus pro tempore domus, ſeu Conventus, & loca habuerint, ac introducti fuerint, aut etiam quibuſcumque aliis perſonis, Superioribus, & Prælatis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, in hac ſuper tam jam fabricatis, ac receptis, quam deinceps quandocumque & ubicumque (de Ordinariorum locorum licentia) fabricandis, recipiendis, & acceptandis, per eos ac eis oblatis, & donatis, domibus, Conventibus, Eccleſiis, ac locis, illorumque uſu, habitatione, ac retentione liberis, quietis, & pacificis (dummodo tamen de licentia expreſſa Miniſtri generalis pro tempore exiſtentis dictorum fratrum Conventualium, ac Capitulo Provinciali ſic determinante) domos & loca hujuſmodi receperint, & acceptaverint, habituſque delatione, & aliis præmiſſis, quovis modo, aut quæſito colore, publicè vel occultè, directè vel indirectè, ullatenus unquam moleſtari, perturbari, vel inquietari.

*…Con… …ales de …Gene… …centia verò …quam …ant, …conſt.*

§.10. Neque item ipſi Fratres Reformati aliquos alios fratres alterius cujuſcumque Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, ac Capuccinorum, aut aliorum Ordinum, juxta literas felic. record. Pii Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri in forma Brevis, ſub die prima Decembris milleſimi quingenteſimi ſexageſimi noni, Pont. ſui anno quarto emanatas, ſed tantum Conventuales, & cum expreſſa ad hoc habita Miniſtri Generalis ipſorum Conventualium licentia recipere, minuſve ſic inter Reformatos ex Conventualibus recepti, profeſſionem alio tempore, vel anticipato, vel non completo anno, vel annum ſextumdecimum, vel datis, vel intimatis terminis profeſſionis faciendæ, & hoc etiam in publica Eccleſia, Capitulo, vel Refectorio, prout ipſi Conventuales emittunt, ac nonniſi juxta veram & puram Regulam Beati Franciſci prædictam emittere, neque poſtquam ad reformatos ex Conventualibus ſic tranſiverint, ad dictos Conventuales inde reverti, quin etiam prædicti fratres Reformati ex ſæcularibus nullos, niſi qui bonæ vitæ & famæ, priuſquam in ipſa Congregatione Reformatorum recipiantur, probati fuerint, ac habita priùs à Provinciali dictorum fratrum Conventualium licentia; quam nec Guardiani, Cuſtodes vel Commiſſarii quicumque dare poſſint, in Fratres Reformatos recipere queant.

§.11. Demùm quod ipſi Fratres Reformati, & eorum Congregatio, dictis Fratribus Conventualibus, ac cum illis ita uniti ſint & eſſe cenſeantur, ut nullo unquam tempore liceat illis alios Protectores, Generales vel Provinciales, quàm dictorum Conventualium habere, nec in Proceſſionibus, & aliis actibus aliam quam Conventualium Crucem ſequi vel deferre, niſi fortè ipſi Fratres Reformati in aliquo loco fuerint, in quo non adſunt Conventuales, quo caſu iidem Reformati per ſeipſos ire, & ac incedere, ſub excommunicationis pœna ſeſe à Conventualibus unquam ſeparare, aut ſegregare ullo modo, ullovè tempore valeant.

*Cum Conventualibus ad proceſſiones incedant, ab illiſque ſe nunquam ſeparent, nec alios Protectores vel Provinciales quàm Conventualium habere poſſint.*

§.12. Præſentes quoque, & deſuper conficiendæ literæ, toti & ſoli Congregationi Reformatorum, ſub obedientia Conventualium in omnibus Provinciis viventium ſuffragentur, ac conceſſæ intelligantur, illæque per quoſcumque uniformiter, etiamſi aliqui hactenus in quacumque Provincia privilegium aliquod, aut facultatem particularem à nobis & aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quomodolibet impetrarint, ut obſervari debeant, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò concedimus & indulgemus.

*Hæc conſtitutio Reformatis ſub Conventualium obedientia viventibus ſolummodò ſuffragatur.*

§. 13. Ac etiam ſtatuimus & ordinamus eaſdem præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, ſuoſque effectus ſortiri debere, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per quaſcumque literas vel conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, etiam per nos & ſucceſſores noſtros prædictos, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de prædictæ poteſtatis plenitudine, ac conſiſtorialiter, necnon ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis pro tempore factis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, necnon quoties illas revocari vel limitari, aut ſuſpendi, ſeu ei derogari contigerit, toties in priſtinum ſtatum, etiam ſub data priori reſtitutas & plenariè reintegratas, & de novo conceſſas eſſe & cenſeri.

*Clauſula præſervativa.*

§. 14. Sique etiam per quoſcumque Judices, Commiſſarios, & delegatos, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, necnon quoſvis alios Eccleſiarum Prælatos, ac Judices, tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus.

*Decretum irritans.*

§. 15. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu ſimili, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, & ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium copiis ſive tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Superioris dictorum Fratrum

*Clauſula derogatoria.*

Reformatorum ſubſcriptis, plenaria ubique fides adhibeatur in judicio & extra, ac ſi originaliter exhiberentur.

*Sanctio pœnalis.*

§.16. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. A. 3. die 15. Oct.*

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnat. Dominicæ 1587. Id. Octob. Pont. noſtri anno tertio.

---

## LXIX. De decies alteris centenis millibus nummûm aureorum, in Arce S. Angeli ſepoſitis, nullo unquam tempore, niſi in præſcriptis caſibus, certaque deſuper ſervata forma depromendis.

*Alia centena millia hic idem Pont. pro S. R. E. præſidio, in primo anno ſui Pont. collegit, & in eadem Arce repoſuit, indeque promi vetuit, ut ſup. in ejus conſt.* 31. *Et alia in tertio anno ibidem poſtea repoſuit, ut infra in conſt.* 80. Etſi. *Haſceque Bullas Pontifices omnes confirmarunt.*

*Edita A. D. 1587.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Hic Pont. anno primo repoſuit in Arce S. Angeli centena millia, ut in conſtitut. hic indicata.*

ANno ſuperiore decies centena millia nummûm aureorum in Pontificia Sancti Angeli Arce, & certo ſanctiori Ærario repoſuimus & collocavimus, ac de illis aſſervandis ac nunquam, niſi certis præſcriptis caſibus promendis & erogandis, Conſtitutionem perpetuò valituram edidimus, cujus tenor infra deſcriptus eſt.

Omittitur tenor quia habetur ſup.

*Et deinde alia centena millia collegit, & modo in eadẽ Arce ſimiliter reponit, cum iiſdem prohibitionibus, legibus, & conditionibus in d. conſtit. contentis.*

§.1. Verùm cum ob culpas, peccataque noſtra multiplicia, quibus divinam Majeſtatem in dies magis ad iracundiam provocamus, uſque eò neceſſitates ſuperius enarratæ multiplicentur, periculaque gregi Dominico impendentia adaugeantur, ut illis necdum prioris pecuniæ collectione ſatis proviſum eſſe videatur. Nos quamvis in omnibus difficultatibus, curiſque noſtris in Dei Omnipotentis auxilio ſpem noſtram fixam habeamus, ad illius opem (qui niſi cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam) ex intimo cordis affectu confugiamus, tamen ab eo ipſo paſtorum Principe Chriſto frequenter admoniti, ut pro ovibus noſtræ fidei creditis, earumque ſalute & utilitate, modis omnibus vigilemus, facere non poſſumus, pro noſtro Paſtorali munere in hac quoque parte obeundo, quin humanis etiam conſiliis, ac viribus (ut pro eo ac nobis ab eodem Clementiſſimo Domino elargitum eſt) ad tot mala, periculaque propulſanda, nova quotidie præſidia conaremur. Quamobrem alia decies centena millia aureorum nummûm, non ad noſtra, aut cujuſque noſtrorum privata commoda, ſed ad publicum bonum, ad S. R. E. cui Deo auctore præſidemus defenſionem, ad fidei Catholicæ conſervationem, ac propagationem noſtra ſedulitate ac frugalitate collegimus, quæ eadem in Arce, ut priora altera decies centena millia, reponi, aſſervari, nec inde amoveri, erogarive, niſi in ſupradictis expreſſis neceſſitatibus, eodem planè modo volumus. Motu proprio igitur, & ex certa noſtra ſcientia, ac habita ſuper hoc cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto matura deliberatione, de eorum conſilio, & unanimi conſenſu, hac præſenti noſtra perpetuò valitura conſtitutione, dicta alia decies centena millia aureorum nummûm in eadem Arce noſtra Pontificia Sancti Angeli, & ſanctiori Ærario nunc recondimus, reponimus, & collocamus, ac Chriſto Domino noſtro, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, & Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo offerimus & dicamus, iiſdem omninò legibus & conditionibus, quæ in noſtra ſuperiùs deſcripta conſtitutione præſcriptæ & præfinitæ ſunt.

*Et inter ceteros caſus, in quibus h...*

§.2. Declarantes noſtræ voluntatis, mentiſque eſſe, ut quod in ipſa conſtitutione de recuperatione Terræ Sanctæ, & generali expeditione contra Turcas dictum fuit, idem etiam locum obtineat quoad utramque Deo dicatam pecuniæ ſummam, in recuperatione Regnorum à quibuſcumque Catholicæ Romanæ Eccleſiæ hoſtibus occupatorum, & in expeditione, quam contra eoſdem decerni, ac fieri contigerit.

*Recuperationis Regnorum occupatorum & expeditionis contra ... R. E. hoſtes. Formam pecuniæ in dictis caſibus depromendi deſcribit, ... ſervari præcipit.*

§.3. Ubi verò in præſcriptis caſibus pecuniarum aliquid ſumi neceſſitas poſtulaverit, volumus ut de tota ſumma, tam ſuperiori anno quàm etiam nunc repoſita, hoc prorſus, & alio modo pecuniæ ſumantur & erogentur, nimirum ut in Conſiſtorio ſecreto præſcriptarum neceſſitatum qualitate, ac rerum & temporum ratione diligenter perpenſa, atque ita cogente, non duarum ex tribus partibus Cardinalium, ſicuti in priori conſtitutione noſtra ſancitum erat, ſed trium ſaltem ex quatuor partibus Cardinalium, qui Conſiſtorio interfuerint, conſenſu, decreto, & ſubſcriptione adhibitis, ex binis decies centenis millibus aureorum nummûm à nobis repoſitis, non ultra quartam partem, id eſt, non ultra quingenta millia nummûm promi liceat, & ea quidem quingentorum millium ſumma, non tota ſimul, ſed paulatim, moderatè & ſucceſſivè depromatur, per certas portiones, quæ in eodem Conſiſtorio, in quo de tota re deliberabitur, à tribus partibus Cardinalium, ut dictum eſt, omnibus diligenter examinatis, decretæ, & præfinitæ fuerint. Quod ſi ipſis quingentis millibus erogatis & conſumptis, præſcripti caſus & neceſſitates novam impenſam requiſierint, tunc iterum propoſita & adhibita in Conſiſtorio conſultatione, ſi conſenſus, decretum, & ſubſcriptio trium ex quatuor partibus Cardinalium, ut ſuprà dictum eſt, acceſſerint, aliam ſummam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non ſtatim totam, ſed moderatione ea ſervata, eoque quem diximus modo limitatam, & præfinitam, ſumi poſſe permittimus.

*Et quam... jubet.*

§.4. Cæterùm ſtatuimus, prout alia noſtra conſtitutione ordinatum eſt, ut partes & portiones pecuniæ ſupradictæ, quæ in aliquo ex præmiſſis caſibus ſumptæ fuerint, cum ejus impenſæ faciendæ ratio ceſſaverit, omninò in ærarium unde depromptæ fuerunt, integrè reſtitui, ac reponi primo quoque tempore debeant.

*Prædictam reſervat... vovet, ... cut infraſcripti Cardinales ... ſentes ... promiſerunt, ita ab ... Cardinalibus pro ... pore ... decernit.*

§.5. Has autem Deo dicatas pecunias, nullo unquam tempore, niſi aliqua ex iis quas diximus, neceſſitas urgeat & requirat, neque in totum, neque ex aliqua parte moveri, erogarive quovis modo à nobis poſſe volumus, eamque amovendi & erogandi poteſtatem & facultatem à nobis ipſis abdicamus. Idque ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, propoſito ſibi tremendo judicio, in quo ſummo patrifamilias de adminiſtrata villicatione exquiſita reddetur ratio, eodem planè modo facturos eſſe confidimus & ſperamus. Tandemque Deo per præſentes oblatam pecuniam, unà cum illa priori, nos integram, ut dictum eſt, conſervaturos eſſe, ac perinde omninò, ac res & bona Eccleſiæ immobilia nos habituros promittimus, juramus, & vovemus, & ſicuti omnes Cardinales præſentes, & infraſcripti voverunt, promiſerunt, ac jurarunt, ita per alios Cardinales nunc & pro tempore exiſtentes, ac per ſucceſſores noſtros, quando & quoties ſuperiùs ordinatum fuit, & juxta formam nunc traditam jurari, promitti, ac voveri debere decernimus.

*Cætera omnia in ... ſtitut. ... tenta ... vo ... Succeſſ... in aliquo ... travenientibus ... cat, ... rum ... licere ſ... ſoribus ... contra ... tificis ... venientes ... Cardinales conſentientes & eorum ... redes, ... & in d. ... ſtit. 31 ... Advertit quod hic aliquid ... minutum ... pr. ma ...*

§.6. Denique cætera omnia & ſingula in eadem conſtitutione ſupraſcripta quomodolicet expreſſa, conſtituta, & decreta, etiam in hac pecunia à nobis, ut præfertur nunc collocata & recondita, & quoad præſentes noſtras literas in omnibus & per omnia, penitus, omninò, & inviolabiliter obſervari, & locum habere volumus, præcipimus & mandamus.

§.7. Si quis autem fortaſsè noſtrorum ſucceſſorum, id quod minimè credimus, huic noſtræ conſtitutioni omninò, aut aliqua ex parte derogare, aut contrà ſtatuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut ſupra ſancitum eſt, in idem ærarium non reſtituerit, admonemus poſt derogantis, aut contra ſtatuentis, contraque facientis obitum liberum eſſe ſucceſſoribus ea derogatione, & quibuſvis aliis quæ contra ſtatuta ſunt, non obſtantibus, pro pecunia contra hujus conſtitutionis præſcriptum ſumpta ac deprompta, recuperanda, tam adverſus

Pontificis

Pontificis [illegible] & [illegible], [illegible], seu junctos omnes, quam adversus Cardinales idem [illegible], aut quoscumque [illegible] hæredes, quibus ab ipso Pontifice, aut Cardinalibus bona quovis titulo vel quavis ratione obvenerint, agere, & possessionem bonorum quæ ad ipsos pæfatos pervenerint adipisci, retinereque, donec quicquid pecuniæ depromptum est, id omne in ærarium referatur & restituatur, eaque ipsa bona, si quo modo, ut supra dictum est, à forma per nos constituta recedi contigerit, hujuſmodi obligationi, atque oneri obnoxia & addicta esse volumus, singulis quæ in nostris literis adversari possent, vel quoque modo obesse, penitus remotis, ac non obstan.

[Clausula] pœ[nalis]. §. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reconditionis, repoſitionis, collationis, oblationis, dicationis, declarationis, permiſſionis, ſtatuti, voluntatum, abdicationis, promiſſionis, juramenti, voti, decreti, præcepti, mandati & admonitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

[Dat.] An. 3. Dat. Romæ apud S. Petr. Anno Incarnationis Domi-
[...] Nov. nicæ 1587. 8. Idus Novembr. Pont. noſtri anno 3.

[Papæ] ſubſcr. Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

[Cardinal]. ſubſcr. Ego Alexand. Card. Farneſius Epiſcopus Oſtien. Vicecancellarius.

Ego Jac. Card. Sabellus Epiſc. Portuen.
Ego Jac. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgii.
Ego Alph. Card. Geſualdus, Epiſc. Albanen.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Epiſcopus Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Epiſc. Præneſtin.
Ego M. S. Card. ab Altaemps tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.
Ego Ptolomæus Card. Comenſis, tit. S. Mariæ de Populo.
Ego P. Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis.
Ego Gabr. Card. Paleottus tit. S. Laurentii in Lucina.
Ego Frater Michaël Bonellus Card. Alexandr. tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ludovicus Madrutius Card. tit. S. Anaſtaſiæ.
Ego Nic. Card. S. Praxedis Sanctorius.
Jul. Ant. tit. S. Barthol. in Inſula Presb. Card. S. Severinæ.
Ego Hier. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ.
Ego Jo. Hier. Card. Alban. tit. S. Joannis ante portam Latinam.
Ego P. Card. Deza, tit. S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant. tit. SS. Joannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor Coron.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Franciſcus Card. de Joyeuſe tit. S. Sylveſtri.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. Veronæ tit. S. Marci.
Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Card. Montis regalis.
Ego Philippus Card. Spinola tit. S. Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellot. titul. Sancti Salvatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card. Gonzaga tit. S. Alexii.
Ego Henricus tituli S. Pudentianæ Card. Caietanus Camerarius.
Ego Joan. Baptiſta Card. Caſtruccius, tit. S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cœlio.
Ego Domin. tit. S. Laur. Card. Pinellus.
Ego Hipp. Aldobrand. tit. S. Pancratii Major Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.
Ego Fr. Hier. Card. Aſcul. tit. S. Thomæ in Parione.
Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guillielmus Alanus tit. S. Martini in Montibus Card. Aug.
Ego Alex. Card. Montaltus Diaconus S. Euſtachii.
Ego Hieron. Matthæius Diaconus S. Mariæ in Coſmedin.
Ego Benedictus [illegible] Georgii Card. Juſtinianus.
Ego Aſcanius SS. Viti, & Modeſti, & Creſcentiæ S. R. E. Diac. Card. Columna.

*Anno à Nativitate Domini 1587. Indict. 15. die vero Veneris 27. menſis Novemb. Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papa V. anno ejus 3. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis, ſeu portis S. Joannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, & Canc. Apoſt. & in acie Campi Floræ, per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ, per nos Ioan. Bapt. Bagni, & Octavium Taglietum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## Indulta & gratiæ Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti ſtrictioris obſervantiæ. LXXI.

*Hic idem Pontifex iſtam Congregat. primò approbavit, ut ſup. in conſtit. 32.* Religioſos.

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1587.*

*Exordium.* SUper ſpecula militantis Eccleſiæ Domino diſponente, qui cunctis imperat, cuique omnia obediunt, quanquam ſine noſtris meritis conſtituti, ſalutis operibus intenti, de his continua ſollicitudine excogitamus, per quæ noſtræ propitiationis auxilio; iis qui Monaſticam vitam ſuſceperunt, eamque reformant, ſalus proveniat. Et ut ad diverſa loca eorum inſtitutio, & Regularis diſciplinæ obſervantia propagetur, alia loca erigi, & inſtitui concedimus, prout Regum & Principum Chriſtianorum vota expoſcunt, & Nos conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Hic Papa confirmavit ſtrictiorem monaſticæ vitæ normam in Monaſterio S. Mariæ Fulien. inſtitutam, ut in conſt. 32. ſup.* §. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii Beatæ Mariæ de Fuliens, Ciſtercienſis Ordinis, Riven. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs poſtquam accepiſſemus, in dicto Monaſterio inſtitutionem & diſciplinam Monaſticam in longè meliorem formam reſtitutam, ipſique in laboribus, jejuniis, orationibus, carnis maceratione, & mortificatione, aliiſque pœnitentialibus operibus ſtrictiorem aliis Monachis dicti Ordinis Regulam S. Benedicti obſervabant. Necnon ritus, mores, vitæ normam, & Reformationem ad arctiorem Regularis diſciplinæ in dicto Monaſterio introductam reduxerant: Nos ritus, mores, vitæ normam & reformationem hujuſmodi, dummodo ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, & Sancti Benedicti Regulæ, auctoritate Apoſtolica approbatæ contraria non eſſent, dicta auctoritate confirmavimus, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur.

§. 2. Cum autem divino inſpirante numine, jam centum & quadraginta Monachi ipſam reformatam Regulam profeſſi, multi verò in eodem Monaſterio Novitii exiſtant, chariſſimuſque in Chriſto filius noſter Henricus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, ac dilectus filius nobilis vir Henricus Dux de Retz, aliique pii ac probi viri gratum hujus vitæ odorem ſentientes, hoc vetuſtum vivendi genus, & laudabilem Regularis diſciplinæ obſervantiam per univerſum Galliæ Regnum, illiuſque loca & terras ſpargi atque effundi ſummopere peroptent. Quia tamen (ſicut eadem petitio ſubjungebat) iſtius arctioris Regulæ approbatio citra præfatum Monaſterium nequaquam extenditur, prædicti Abbas & Conventus piis prædictorum Regis & Ducis, ac proborum virorum votis hac in parte ſatisfacere non poſſunt, niſi noſtra & Sedis Apoſt. licentia eis deſuper ſuffragetur. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus prædictæ Religionis reformatæ propagationi, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Quam idem Pontifex.* §. 3. Nos igitur eundem Abbatem & Conventus hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommuni-

*Prædictincum facultate nova ædificandi monaſteria, etiam abſque licentia Ordinariorum ubique locorum.*

*Hoc de licentia eſt revocatum à Clem. VIII. in conſt. 99. Quoniam.*

cationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Abbati & Conventui prædictis, ut quoſcumque ex Monachis ipſam ſtrictiorem Regulam profeſſis, quos duxerint eligendos & deputandos, tam ad hoc per totum Galliæ prædictum, quàm alia Regna & Reſpublicas, Mundique partes univerſas, prout eis viſum fuerit, mittere. Ipſique ſic Miſſi in Regnis, Rebuſpublicis, & Dominiis prædictis, ac quibuſcumque eorum Civitatibus, Terris, atque locis, aliiſque Mundi partibus, quæcumque, tam virorum quàm mulierum Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras & Decanatus, ac aliàs nuncupanda loca Congregationis Fulienſis etiam nuncupandæ, ejuſdem Ciſtercienſis Ordinis, pro totidem Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Conventibus, & aliis Superioribus & perſonis ejuſdem Congregationis, qui inibi divinis laudibus & obſequiis inſiſtere, ac juxta Regularia Congregationis ſic reformatæ inſtituta vivere debeant, fundare, erigere, & inſtituere, ac etiam per alios ejuſdem, vel alterius cujuſcumque Ordinis fundata & erecta, ex eorum ad quos ſpectat & ſpectabit, conceſſione, diœceſanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia deſuper minimè requiſita, nec expectata.

*Novitioſque recipiendi.*

*Ad hoc vide conſt. ſubſeq.*

§. 4. Novitioſque in eis recipere, & receptos ac ipſa Monaſteria ingreſſos, probationis tempore completo, ad profeſſionem ſolitam per dictos Monachos emitti ſolitam, admittere Regularem, ac illud vitæ genus, Regulariaque inſtituta, quæ in primo dicto Monaſterio vigent, & in futurum vigebunt, inibi introducere liberè & licitè poſſint, & valeant, licentiam, & omnimodam facultatem atque auctoritatem dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus & impartimur.

*Privilegia, ... & ... Ordinis Ciſtercienſis huic Congregationi communicat, atque concedit.*

§. 5. Necnon prædicto de Fulliens, & quibuſvis aliis dictæ Congregationis pro tempore erigendis, & ſeu jam erectis Monaſteriis, Prioratibus, Præpoſituris, Decanatibus, & aliis nuncupandis locis, tam virorum quàm mulierum, illorumque Superioribus, Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Monachis, Monialibus, Novitiis, & Converſis, aliiſque quibuſcumque perſonis utriuſque ſexus, in eis pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogativis, conceſſionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remiſſionibus, cæteriſque gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus prædicto Ordini ac Congregationibus ſub illo inſtitutis, eorumque Monaſteriis, & locis pariter utriuſque ſexus per univerſum Mundum conſtitutis & erectis, ac conſtituendis & erigendis, in genere vel in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, & vivæ vocis oraculo, ac per modum communicationis & extenſionis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel alias quomodolibet, tam per nos quam quoſcumque alios Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam, ſub quacumque forma & expreſſione verborum conceſſis, ac concedendis quomodolibet in futurum, etiamſi talia ſint & forent, quæ ſpecialem ipſorum requirerent mentionem, uti, potiri & gaudere liberè & licitè, tam conjunctim quàm diviſim valeant, non ſolum adinſtar, ſed æquè principaliter & pariformiter in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illis & eorum cuilibet ab initio ſpecialiter & expreſsè conceſſa extitiſſent, auctoritate & tenore præmiſſis perpetuò indulgemus, ipſaque privilegia, indulgentias, & gratias quibuſvis aliis Superioribus, Abbatibus, Prioribus, Monaſteriis, Eccleſiis & locis piis, ac celebrandis Capitulis, & feſtivitatibus ejuſdem Ordinis, & ſingularum illius Congregationum, ad Monaſterium & Congregationem de Fuliens hujuſmodi, illorumque Abbates, Priores, Monachos, Abbatiſſas, Moniales, & alios Superiores, & perſonas, necnon Eccleſias, Monaſteria, Capitula celebranda, Sanctorum feſtivitates, & loca quæcumque & qualiacumque, ac ex Superioribus & perſonis, ad Superiores & perſonas perpetuò extendimus, illiſque communicamus, ac de novo concedimus, & eis deſuper indulgemus.

*Et deputandos quoque molestari prohibet.*

§. 6. Decernentes Abbatem & Conventum hujuſmodi ſingulares perſonas ſuper præmiſſis à quoquam quavis auctoritate fungente, & dignitate præfulgente moleſtari, impediri, vel inquietari nullatenus poſſe, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contraria removet.*

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, de indulgentiis adinſtar non concedendis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Monaſteriorum, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Monaſteriis, & Ordini, illorumque Superioribus, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio & conſiſtorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctionem pœnalem addit.*

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, impetrationis, indultorum, conceſſionum, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. A. die 14 Nov.*

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Novemb. Pontific. noſtri anno 3.

---

Prohibitio recipiendi ad habitum vel profeſſionem cujuſcumque Ordinis Regularis homines illegitimos, criminoſos, aut æri alieno, reddendiſve rationibus obnoxios. Et præſcriptio formæ Novitios recipiendi. LXXI.

*Hanc Bullam moderatus eſt quoad Collegium Gregor. XIV. in ejus conſtitut.* 3. Circumſpecta. *Et quoad nullitatem profeſſionis moderatus eſt Clem. VIII. conſtitut.* 83. In ſupremà, *ubi multa reperies conſtituta pro receptione & educatione Novitiorum.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. 1587. & 1588.*

*Prœmium.*

CUm de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, in ea quà convenit puritate, & dignitate conſervandis, præcipuam geramus ſollicitudinem, tum verò illud præter cætera nobis cordi eſt, ut à Regularium perſonarum Congregationibus, quas tanquam Deo dicatas, maximè candor, ſanctitaſque decet, cujuſcumque criminis, aut turpitudinis labes, & ſcandali occaſio quàm longiſſimè arceantur. Siquidem res ipſa nos admonet, quam indecorum ſit, & ab ea, quæ divinæ Majeſtati, eique conſecratis perſonis debetur, reverentia alienum, ſi ejuſmodi homines, qui propter ſua ſcelera pœnas graves ſibi in ſæculo propoſitas timent, quive propter immunditiam & peccata, ex quibus orti ſunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore, & à paterna hæreditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo, tanquam hoſtiæ offerantur, atque ad habitandum in domo, quam decet honor & ſanctitudo, inter miniſtros Domini, cui ſervire regnare eſt, ad ſacras functiones, quacumque profana præeminentia multo nobiliores, ſine ullo delectu admittantur. Cum etiam ſecundum legem Moyſi, immundi ab ingreſſu ſanctuarii exclude-

excluderentur, de ſacerdote habente maculam, panes Deo ſuo offerre non poſſet, nec [illegible] ad miniſterium ejus, & quod in holocauſtum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum eſſe deberet, ut acceptabile foret, nec ulla macula eſſet in eo: quod ſi maculam habuiſſet, neque offerendum, neque acceptabile futurum eſſet.

§. 1. Ne igitur contingat illegitimè genitos, qui, ut plurimum parentum vitia & incontinentiam imitari ſolent, nec pietatis ſtudio, ſed temporalium commodorum intuitu, (quia hæreditates majorum, aut dignitates aliquas conſequi non poſſunt) ad Religionem confugiunt, vitam quam animo à Religione alieno ſuſceperant, ac ab inſtitutis Religionis alienam, pleturnque cum dedecore, & propriæ ſalutis diſpendio ducere, ſuiſque corruptis moribus, & malis exemplis quietem & ſtatum cæterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quaſi fæce & colluvie, ipſarum Religionum honorem & exiſtimationem lædi, ut denique homines, qui hac ſpe ad filios ſpurios in peccato gignendos eſſent propenſiores, eo magis abſtineant ab hujuſmodi carnis flagitiis, quo ſuæ proli hoc quoque refugium præcluſum viderint.

§. 2. Hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione diſtrictè interdicimus & prohibemus, ne illegitimi procreati ex inceſtu, aut ex ſacrilegio, quorum ſcilicet parentes conſanguinitate vel affinitate, intra tertium gradum invicem conjuncti fuerint, vel quorum alteruter parens caſtitatem Deo voverit, etiam Apoſtolica, Imperiali vel Regia, aut quavis auctoritate legitimati, aut natalibus reſtituti, ad aliquam quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum regularium Congregationem, aut Hoſpitalium Religionem, neque ad habitum nec profeſſionem regulares recipi vel admitti quoquo modo poſſint. Quod ſi eorum quiſpiam habitum poſt publicationem præſentis conſtitutionis in futurum receperit, vel profeſſionem poſthac emiſerit, decernimus habitus ſuſceptionem, & profeſſionem ex nunc prout ex tunc irritam, nullam & invalidam, nulliuſque roboris vel momenti fore; ac nullum exinde, aut ex hujuſmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri poſſe, quinimmo illos habitu regulari ad quem reaſſumendum perpetuò inhabiles ſint, quamprimum exui, & ab ipſa Religione ejici, exterminarique debere. Et nihilominus quicumque Superiores tam Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Domorum, Collegiorum & locorum regularium, quàm etiam præfatorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & quarumcumque Religionum Provinciales, vel Generales, quovis nomine nuncupati, qui ex prædictis inceſtu vel ſacrilegio genitos poſt dictam publicationem ad habitum receperint, vel ad profeſſionem admiſerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua eorum nemo, niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio quam Romano Pontifice abſolutionis beneficium valeat obtinere. Sed ne iis, qui in humilitatis Spiritu Deo & Religioni ſervire, & pœnitentiam agere intra Monaſteria vel domos regulares cupiunt, ad ſanctum hujuſmodi propoſitum via penitus præcludatur, permittimus ut præfati illegitimi, ex dictis inceſtu aut ſacrilegio geniti, ad habitum converſorum ſeu famulorum, in Monaſteriis vel domibus regularibus ſervientium recipiantur, & in ipſis Monaſteriis ſeu domibus regularibus ad ſervilia miniſteria, viliora obſequia, humiles functiones, atque abjecta ſervitia admitti poſſint; ea tamen conditione, ut ad habitum religioſorum, vel ad profeſſionem quam Religioſi emittere ſolent emittendam, necnon ad omnes non modò ſacros, ſed etiam minores Ordines, vel ad Clericalem characterem, denique ad cuncta Eccleſiaſtica officia, & functiones, & ad aſcendendum ad altiores gradus ſint eis portæ perpetuò clauſæ & obſeratæ.

§. 3. Quoad reliquos verò non ex inceſtu præfato, nec ſacrilegio, ſed ex quovis alio minus legitimo toro natos, ſpurios, vel naturales, etiam ut præfertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitæ frugem Religionem ingredi cupiunt, ſtatuimus & ordinamus, eos ad Religionem admitti non poſſe, aut debere, niſi priùs illorum vita & moribus diligenter cognitis, & circumſtantiis univerſis, quæ circa qualitatem perſonæ attendendæ erunt, conſiderandis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis teſtimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem, & ſpecimen virtutis præferant, ac tot meritis ſint ſuffragantibus, ut defectum natalium ſuppleant, eorumque receptio univerſæ Religionis commodo & utilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo in Generali vel in Provinciali Capitulo matura deliberatione habita, Generalis vel Provincialis Superioris, ac definitorum unanimi conſenſu approbati, & ad habitum regularem admiſſi extiterint. Et tamen hi [illegible] recepti ad gradus, honores, & dignitates ſui Ordinis pertinen. perpetuò inhabiles, & illorum incapaces remaneant, niſi ſuper hoc cum eis fuerit auctoritate Apoſtolica ſpecialiter diſpenſatum. Si quis autem eorum alias quam ut præfertur, recipietur, profeſſio ſimiliter nulla ſit, atque ipſi habitu privari, & à Religione ejici debeant, eorumque receptores excommunicatione, ut ſupra, innodati ipſo facto exiſtant.

§. 4. Cæterum quoniam ſæpe ſe vitia ingerunt, & ſe eſſe virtutes mentiuntur, ac multi decoctores poſt dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interverſam alienam pecuniã eorum fidei creditam, ut ratiocinia effugiant, alii poſt furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliave facinora patrata, etiam banniti aut damnati, ſeu qui meritas pro ſuis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, ſed ad evitandam legum & judiciorum ſeveritatem, quia tutò in ſæculo vivere nõ poſſunt, tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliunde illud non ſperant, unde ſub habitu & nomine Religioſorum, animũ Religioni inimicum, & inveterata vitia retinent, neque alios qui ſancta vocatione vocati ſunt, patiuntur tranquillè divinis obſequiis inſiſtere, in gravem Dei offenſam, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum: ut his quoque ſubterfugii & impunitatis ſpes omnis tollatur, auctoritate Apoſtolica & tenore præſentium etiam perpetuò ſtatuimus & ordinamus, juvenes, aut viros adultos, majores ſexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi poſſe, nec debere, niſi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum ſit, eos neque aliquorum criminum, qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut graviora, reos vel ſuſpectos exiſtere, ut propterea damnati ſint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex hujuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis ſit jam illata, vel timendum ſit ne inferatur. Niſi denique conſtet, ipſos non humana aliqua ratione, ſed tantum devotionis, & pietatis fervore vitam Religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe. Deque his omnibus in Generali vel Provinciali Capitulo, plena & indubitata fide facta, tam Superioris generalis, ſeu provincialis, quam Definitorum conſenſu approbati, & ad habitum regularem admiſſi fuerint. Omnes autem & quoſcumque, ut dictum eſt, criminoſos, vel ſuſpectos, aut æri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus.

§. 5. Et ſi qui eorum contra præſentem noſtram conſtitutionem temere admittentur, tam ſuſceptionem habitus, quàm profeſſionem, & inde ſecuta, ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus & annullamus, viribuſque & effectu carere decernimus, ac jubemus eos qui ſic de facto recepti erunt, habitu ſpoliari, & à Religione expelli, & nihilominus ſi expulſi non fuerint, volumus, & pariter declaramus, habitus ſuſceptionem, & profeſſionem penitus nullam eſſe & cenſeri, ac propterea attenta nullitate habitus & profeſſionis, licere quibuſcumque Judicibus & Curiis etiam ſæcularibus, ad quos ſeu quas ſpectat, contra eos, ut priùs, juris & facti remediis opportunis, ex officio, vel ad cujuſcumque inſtantiam, vel querelã civiliter, criminaliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, ut cujuſque juvenis, aut viri majoris XVI. annis è ſæculo ad Religionem tranſeuntis approbatio

*Margin notes:* *Ipſa hujus [illegible].* — *[Illeg]itimi ad [Rel]igionem [non] recipiã[tur]. Vide declarationes infra, & [illegible] Greg. [illegible].* — *[Illeg]iti autem legitimi [illegible] ſervata [illegible] forma hic [illegible] [illegible], & [illegible].* — *habiles ad quoſcumque gradus & dignitates ſui Ordinis habendos [illegible] fuerit auctoritate Apoſtolica deſuper cum eis ſpecialiter diſpenſatum. Hoc etiam reduxit Greg. XIV. præcit. ad terminos juris.* — *Criminoſi vel ſuſpecti [illegible] ære alieno, vel reddendis rationibus obnoxii ad Religionẽ non admittantur. Ad hoc [illegible] bullas cit. in rubr. & declarationes hic infrà.* — *Receptis aliter facta declaratur. Hoc declaratur [illegible] infra.*

probatis, [illegible], & receptis, in [illegible] vel Provinciali Capitulo, ut ſupra [illegible] ſunt; [illegible] & cognomen, quibus [illegible] utebatur, & [illegible] in actis ipſius Capituli [illegible].

*[illegible] perpetuo.* §. 6. Et inſuper quoſcumque Religioſos, eorumque Superiores, qui aliquas perſonas, ut dictum eſt, inhabiles poſt hanc conſtitutionem publicatam receperint, voce activa & paſſiva, necnon officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcumque per eos obtentis, eo ipſo in perpetuum privamus, & tam illis privatos, quam ad illa quæcumque in poſterum obtinenda perpetuò inhabiles, eoſumque incapaces decernimus & declaramus.

*Regulares de una Provincia ad aliã ſui Ordinis tranſeuntes Superiorum licentiam [illegible] deferre debeant; aliquin hoſpitio recipi [illegible], & aliorum ordinarii certiorentur. Hoc idem inf. declaratur.* §. 7. Sed & quia interdum Satanas in Angelum lucis ſe callidè transfigurat, ac perditi quidam & facinoroſi homines, quod ſæpe vidimus & experti ſumus, inſtigante antiquo pacis & Religionis hoſte, non veriti ſunt temerario auſu habitum Religioſorum aſſumere ea mente, ut veluti ſub ovina pelle lupi rapaces, per dolum & inſidias Chriſti fideles incautos, & nihil mali à Religioſis ſuſpicantes opprimerent, ſive ut poſt ſcelera perpetrata, viam faciliorem ad fugam haberent, ſive ut banniti Curiæ ſæcularis, quæ eos propemodum interceptos perſequebatur, manus effugerent, & contigit aliquando ipſos ſicarios, Religioſis veſtibus indutos à veris Religioſis hac fraude deceptis, intra domos Regulares hoſpitio receptos fuiſſe. Prohibemus eodem modo atque interdicimus, ne quis Regularis ex una Provincia ad aliam Provinciam ſui Ordinis tranſeundo, etiam in itinere, intra aliquod Monaſterium, domum, vel locum alterius Provinciæ ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus divertere poſſit, niſi à Superiore ejus loci ubi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis obtentam, ſeu literas obedientiæ vel commendatitias ſecum deferat, atque exhibeat, vel niſi ita cognitus ſit iis, ad quos diverterit, ut de ejus perſona nullus omninò dubitationi aut ſuſpicioni locus relinquatur. Ideoque præcipimus univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, ut per ſuos Officiales, Miniſtros, vel executores curent ab omnibus perſonis regulari habitu indutis, quas per ſuas Civitates vel diœceſes iter facere vel tranſire, & ad quæcumque Hoſpitia vel diverſoria ſe recipere contigerit, diligenter perquiri, num hujuſmodi literas obedientiæ, ſeu commendatitias ſecum deferant. Quod ſi eos dictas literas non habere, vel ignotos eſſe deprehenderint, poſſint contra ipſos, etiam tanquam dictorum criminum ſuſpectos procedere, & tandiu illos ſub cuſtodia detinere, donec certa de eiſdem notitia habeatur. Et tamen volumus ut ii, qui etiam pietatis vel hoſpitalitatis prætextu, Regulares alterius Provinciæ ignotos, aut ſine licentia vel literis ut ſupra receperint, dictas pœnas privationis vocis activæ & paſſivæ, necnon officiorum, graduum, honorum & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant.

*Decretum irritans.* §. 8. Decernentes ſic in præmiſſis omnibus per quoſcumque judicari debere, necnon irritum & inane ſi ſecus à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deputatio.* §. 9. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & locorum Regularium apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ac locorum Ordinariis præfatis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut eorum unuſquiſque per ſe vel alium, ſeu alios, Cardinales quidem in ſuæ protectionis, Ordinarii verò in ſuarum Civitatum, diœceſum, & diſtrictuum Regularibus locis curent præſentes literas publicari, eaſque perpetuò firmiter & inviolatè obſervari, inobedientes cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorũ.* §. 10. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium & Religionum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentis conſtitutionis impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in his literis mentio ſpecialis. Quæ omnia quatenus eidem conſtitutioni in aliquo adverſentur, illorum tenores pro expreſſis habentes, perpetuò tollimus, annullamus, & abrogamus, ac nolumus cuiquam ſuffragari, aut ſi Superioribus & perſonis dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, communiter vel diviſim ab Apoſt. ſit Sede indultum, quod interdici, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 11. Mandamus verò eaſdem præſentes ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſt. de more publicari, & affigi, illarumque exemplis etiam impreſſis, Prælati Eccleſiaſtici ſigillo, & Notarii publici ſubſcriptione munitis, eandem fidem in judicio & extra illud haberi, quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. *Juſſio [illegible] dictarum [illegible].*

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum interdictorum, prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, declarationum, decretorum, voluntatum, permiſſionis, irritationis, annullationis, juſſionis, privationis, præcepti, ſublationis, abrogationis, & mandatorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio [illegible] [illegible].*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. 6. Kalend. Decemb. Pont. noſtri anno tertio. *Dat. [illegible] die 26. [illegible]*

*Anno à Nativitate Domini 1587. indictione 15. die verò Veneris 27. Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papæ V. anno ejus tertio, retroſcripta litera Apoſtol. affixa, lecta, & publicata fuerunt in valvis, ſeu portis Sancti Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Octavium Tagliettum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.* *Publica[illegible]*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

## *Sequuntur declarationes d. Conſtitutionis.*

**SIXTVS EPISCOPVS,** *Edita [illegible] 1587*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

AD Romanum ſpectat Pontificem ſacrorum Canonum conditorem, quæ per eum ſancita ſunt, ita ſuæ declarationis arbitrio dilucida reddere, ut inde nemini poſſit dubitationis ſcrupulus exoriri, præſertim verò ſalubriter conſulere, ut cum de Regularibus agitur, qui ſe omninò Dei omnipotentis obſequio manciparunt, tollantur ea omnia, quæ eorum ſanctum Chriſto piè inſerviendi inſtitutum quoquo modo valeant perturbare. *Exordi[illegible]*

*Dubia [illegible] ta ſunt [illegible] d. conſt. Ideo hic ſubſeq. [illegible] mit declarationes.* §. 1. Sæpè poſt editam noſtram conſtitutionem, quæ incipit: Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, &c. ſuper modo & forma recipiendi & admittendi eos, qui ſub Religionis jugo Altiſſimo famulari deſiderant, cum variæ ſint exortæ dubitationes & quæſtiones, eæque poſtea ad audientiam noſtram perlatæ.

*Prima [illegible] claratio quoad il[illegible] timò na[illegible] ex parent[illegible] bus, in[illegible] quos im[illegible] magnitudo [illegible] conſiſtere[illegible] terat, & [illegible] ſubſ[illegible] num ſit.* §. 2. Nos ad tollendam omnem ambiguitatis occaſionem, habita cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Congregationis ſuper Regularium negotiis & conſultationibus per nos inſtitutæ, matura deliberatione, de illorum conſilio & aſſenſu præſentem noſtram perpetuò valituram declarationis conſtitutionem duximus promulgandam.

§. 3. Cùm itaque inter alia dubitetur num primò dicta

noſtra

noſtra conſtitutio, ubi de illegitimè genitis loquitur, comprehendat etiam eos qui poſtea per ſubſequens matrimonium fuerunt legitimati. Nos inhærentes ſacrorum Canonum diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus illegitimè natos ex iis parentibus, inter quos tempore quo ipſi geniti ſunt matrimonium ritè conſiſtere poterat, ſecuto poſtea matrimonio legitimos effectos, ſub dicta conſtitutione minimè comprehendi, ſed eos tam quoad emittendam profeſſionem, quàm quoad conſequendos gradus, honores, & dignitates ſui Ordinis æquo jure cum illis, qui ex matrimonio legitimo & conſtanti nati ſunt, cenſendos eſſe.

§. 4. Illegitimos verò etiam ex ſoluto & ſoluta, qui antequam noſtra conſtitutio emanaret, profeſſi, vigore ſeu prætextu privilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in ſpecie conceſſorum, eo ipſo per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores, ſive alios quoſlibet etiam Sedis Apoſtolicæ de latere Legatos, aut alios officiales vel miniſtros, quavis præeminentia vel auctoritate, etiam Apoſtolica fungentes, aut facultate ſuffultos legitimati, aut ad gradus, honores, & dignitates habilitati, ſeu reintegrati, & illis aliàs perfuncti ſunt, volumus poſthac non obſtantibus quibuſcumque, tam antiquis privilegiis, aut literis Apoſtolicis, quàm aliis indultis, ſeu declarationibus, etiamſi illa per nos poſt dictam conſtitutionem noviſſimè edita fuiſſe aſſerantur, honores, gradus, aut dignitates hujuſmodi obtinere non poſſe, ac diſpenſationes & legitimationes quaſcumque eis nullatenus ſuffragari, niſi ſpecialiter & nominatim cum eorum ſingulis fuerit ſuper natalium defectu, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas, ante vel poſt ingreſſum Religionis poſt Romanum Pontificem immediate, vel de ejus ſpeciali mandato diſpenſatum, deque diſpenſatione, ſeu mandato per literas Apoſtolicas, ſeu in forma Brevis, vel ſaltem per patentes literas Cardinalis Protectoris, de ipſius Rom. Pont. voluntate fidem facientes, legitimè conſtiterit.

§. 5. Eos pariter, qui tempore publicationis noſtræ conſtitutionis in ſuis Religionibus ſine hujuſmodi ſpeciali Romani Pontificis diſpenſatione officia, honores, & dignitates habebant ad vitam, eo ipſo ab illis amotos & abſolutos harum ſerie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes permittimus in ſua adminiſtratione uſque ad finem ſui temporis conſervari, ita tamen ut in poſterum nec tempus Ordinarium eis prorogari, aut extendi, neque ipſi ad alias non modò ſimiles, verùm etiam neque ad inferiores, aut altiores & majores dignitates, honores, gradus aſcendere poſſint, perinde ac ſi id ipſum in præfata noſtra conſtitutione ab initio expreſſum fuiſſet. Ne tamen hujuſmodi Religioſi in liberalium artium, ac præſertim ſacræ Theologiæ ſtudiis, & Religioſis profectibus ſegniores fiant, atque eorundem pia ſtudia refrigeſcant, eos noſſe volumus, quod ſi ipſorum quiſpiam eximia doctrina, vitæque & morum ſanctitate excellere reperietur, deque eorum probitate, & præclaris meritis Ordinum Protectores eam apud nos fidem fecerint, ut non immeritò ſperari queat, eorum doctrinam & operam ipſi Ordini, & ſanctæ Dei Eccleſiæ uſui & commodo futuram, tunc demùm indulgentiam & benignitatem noſtram facilè experientur.

§. 6. Quoniam verò & à multis quæſitum eſt ſub nomine honorum, graduum, & dignitatum, à quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potiſſimùm ſit intelligendum: Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum, debere intelligi Præpoſitatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Cuſtodiatus, Provincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his ſimilia, cum honore & ſuperioritate conjuncta. Ab officiis autem oneris, veluti Lectoris, Confeſſarii, ſtudiorum, & ſacræ Theologiæ Magiſtri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, & cæteris hujuſmodi, immò etiam à voce activa, à ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, ipſorumque miniſterio, ipſos illegitimos, dummodo ex ſacrilegio vel inceſtu geniti non ſint, nequaquam arcemus.

Declar.

§. 7. Cùm verò in quibuſdam Religionibus Capitula Provincialia, aut numquam, aut non quotannis, ſed rarius celebrentur, quædam etiam Monaſteria, aut domus hujuſmodi in remotiſſimis regionibus, Hæreticorum aut infidelium tyrannidi finitimis fitis ſint, ne ii, quos extra Capitula, ad habitum vel profeſſionem Regulares admitti prohibemus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus & indulgemus, ut in qualibet Provincia ſaltem duo, vel ſi commodè fieri poterit, tria aut plura Monaſteria, ſeu domus Regulares deputentur, quarum ſeu quorum Superiores infra annum ſaltem ad inquiſitionem ſuper novitiis faciendam, & ad ipſos Religioſos juxta formam præfatæ conſtitutionis recipiendos, & ad alia quæ in ipſa conſtitutione continentur peragenda, inſimul congregentur.

*tio circa celebrationem Capitulorum Generalium, ſive Provincialium pro inquiſitione ſuper Novitiis recipiendis.*

§. 8. Quod ſi paucitas, aut nimia diſtantia Monaſteriorum ne id quidem patiatur, ſaltem tribus ex antiquioribus Patribus unius Monaſterii, aut domus ejus Provinciæ hujuſmodi facultas & auctoritas per Capitulum generale, ſcilicet Monachorum, vel Provinciale Mendicantium & reliquorum Regularium ejus Ordinis demandetur.

*2. Declaratio circa facultatem dictorum Capitulorum, vel ab eis deputatorum pro inquiſitione prædicta.*

§. 9. Verùm in iis Monaſteriis, domibus, & locis Regularibus, quæ aut nondum in Congregationes redacta, aut alias nulli Provinciæ ſubjecta ſunt, ſtatuimus ut trina Capitula Conventualia tribus diſtinctis cum intervallo ſaltem decem dierum vicibus celebrata, eandem de recipiendis Novitiis per trinas hujuſmodi diſtinctas vices approbatis habeant auctoritatem, quæ per noſtram conſtitutionem Capitulis Provincialium eſt attributa.

*3. Declaratio circa facultatem Capitulorum Conventualium in prædictis.*

§. 10. Neque verò ſi in generalibus vel Provincialibus Capitulis aliqui vocales deſint, nec ſi à definitorum conſenſu aliquis diſcrepaverit, idcircò receptio Religioſorum retardari, impediri, aut impugnari debebit: ſed ſatis eſſe volumus, ſi vocalium & ſuffragiorum numerus legitimus, à jure, vel per cujuſcumque Ordinis ſtatuta præfinitus intervenerit.

*4. Declaratio circa numerum ſuffragiorum in recipien. Religioſi.*

§. 11. Et quod de Capitulo Provinciali aut generali dictum eſt, idem juris ſtatuimus, ſi quæ Religiones, non Capitulorum, ſed Congregationum, aut dietarum, vel alio quovis nomine uti reperiantur.

*5. Declaratio circa verbum Capituli.*

§. 12. Quod autem pertinet ad profeſſionem, tam illegitimorum quam eorum qui poſt ſexdecim ætatis annum expletum Regularem habitum ſuſceperunt, quia tunc demum verè & propriè Religioſi effici dicuntur, cum profeſſionem emittunt: Declaramus eos qui ante prædictam noſtram editam conſtitutionem habitum ſuſceperint, & poſt ipſius promulgationem cupiunt profiteri, non aliàs ad profeſſionem admittendos eſſe, quam facta inquiſitione, & ſervata forma in ipſa conſtitutione præſcripta; & eorum, qui poſt dictam promulgationem, etiam ignoranter, non habita dicta inquiſitione, & non ſervata forma ad profeſſionem admiſſi fuerint, profeſſionem nullius eſſe roboris & momenti. In oblatis autem & converſis profeſſionem emittentibus ſatis erit, ſi quoad mores & ſtatum perſonarum ipſa inquiſitio fiat.

*Prima declaratio circa admittendos ad profeſſionem. Tu vide bullam Clem. VIII. ſub hac rubr.*

*2. Declaratio circa nullitatem tacitæ profeſſionis.*

§. 13. Sed cùm eadem ratio vigeat in tacita profeſſione emittenda, quæ militat in expreſſa, ſtatuimus quod in quibuſvis Ordinibus & Religionibus, neque etiam tacita profeſſio quorumcumque Religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione conſtitutionis forma ſervata fuerit.

*3. Declaratio circa validitatem expreſſæ profeſſionis, & apoſtatarum reditus ad Religionem.*

§. 14. Si quis verò ante editam noſtram conſtitutionem jam tacitè profeſſus, expreſsè cupiat profiteri, vel ſi quis apoſtata ad ſuam Religionem redire voluerit, inquiſitio & forma præſcripta non erit neceſſaria, niſi vel de moribus, ſtatu & qualitate perſonæ, vel de validitate ipſius tacitæ profeſſionis dubitatio aliqua oriatur.

*4. Declaratio circa advenas ſub Regulari habitu recipien. qui commorantur in regionibus à ſua patria remotis, aut ab infidelibus oppreſſis*

§. 15. In iis autem qui in locis à ſua patria longiſſimè remotis degentes, vel quorum patria ab Hæreticis vel Infidelibus miſerè oppreſſa detinetur, voluerint ſe divinis obſequiis ſub Regulari habitu dicare, ut in hoc quoque Sedis Apoſt. benignitas eluceſcat, quæ cunctos mortales, præſertim verò exteros ex longinquis regionibus ad eam aſſiduè confluentes, materno ſinu libenter amplectitur

ctitur

ctitur, ſancimus exteros hujuſmodi, & advenas, quamvis non liquidò conſtet de iis omnibus, quæ in conſtitutione noſtra requiruntur, tamen ſi diligentia adhibita nihil appareat quod eis impediat, habiles reputandos eſſe.

*Declaratio circa eos qui poſt promotionem ad gradus, natalium defectum, aut criminum notam pati conſtiterit.* §.16. Quod ſi quis ante vel poſt conſtitutionem ipſam profeſſus ad ſacros ordines, vel ad honores, gradus, & dignitates promotus exiſtat; & poſtmodùm in eo natalium defectum, aut criminum in dicta conſtitutione noſtra expreſſorum notam, quæ prius ignorabantur, detegi contigerit, decernimus eum ſtatim poſt hujuſmodi defectus notitiam habitam, non alias quam juxta formam ipſius conſtitutionis, ad honores, gradus, & dignitates, aut ad executionem ſacrorum Ordinum admitti debere.

*Declaratio quomodo d. conſtitutio quoad criminoſos procedat.* §.17. Contra criminoſos verò, quorum profeſſio eadem conſtitutione noſtra irrita declaratur, ac propterea Judicibus & curiis ſæcularibus procedendi facultas conceditur; tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis conſtiterit ipſos Judices & Curiam ſæcularem ante ſuſceptionem habitus de ipſo crimine adverſus eos accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe.

*1. Declaratio circa receptionem hoſpitum alterius vel ejuſdem Provinciæ.* §.18. Cæterùm quæ à nobis circa Religioſos viros in præfata conſtitutione ſancita ſunt, ea nequaquam volumus ad Moniales nunc extendi.

§.19. Poſtremò dum interdicimus, ne quis Regularis alterius Provinciæ intra aliquod Monaſterium, domum, vel locum alienæ Provinciæ, etiam tanquàm hoſpes, & ad modicum tempus recipi poſſit, niſi à Superiore loci, ubi reſidebat, & à quo diſceſſit licentiam expreſſam in ſcriptis exhibuerit, vel niſi ſatis cognitus ſit, id obſervari volumus non ſolùm in religioſis itinerantibus de una in aliam Provinciam; ſed in iis quoque qui proficiſcuntur de uno in aliud ejuſdem Provinciæ Monaſterium, tam ſui quàm alterius Ordinis.

*2. Declaratio circa eoſdem.* §.20. Quod ſi dicerent ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob gravamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideo ab ipſis Superioribus licentiam, & literas obtinere non potuiſſe, non propterea ullo modo recipi valeant, niſi fide dignorum teſtimonio de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit.

*3. Declaratio circa receptionem peregrinorũ, & advenarum Religioſorum in Urbe.* §.21. In Alma verò Urbe noſtra Religioſi advenæ, & peregrini de gravaminibus ſibi illatis conquerentes nullibi ſine hujuſmodi literis, aut licentia recipiendi erunt, niſi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium ſuper negotiis Regularium à nobis deputatorum, vel ad ſuos Protectores remittantur, ubi ipſis auditis pro rerum & perſonarum qualitate quid agendum ſit ſtatuetur.

*Confirmatio aliorum in d. conſtitutione contentorum.* §.22. Reliqua autem in priori noſtra conſtitutione contenta, quæ in præſentibus literis non declarantur, volumus perpetuò firma & valida, & in ſuo robore permanere, ac ab omnibus ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari.

*Revocatio quarumcumque conceſſionum de recipien. Novitiis extra Capitula.* §.23. Et ſi quid à nobis alicui Ordini aut Religioni præter aut contra præfatæ conſtitutionis formam poſt illius editionem circa recipien. extra capitula Novitios, aut aliàs indultum, aut conceſſum fuit, id omne ac deſuper confectas literas prorſus revocamus & annullamus, ac ad terminos præſentis conſtitutionis reducimus, & alias nemini volumus ſuffragari.

*Vide bullas cit. in rub. Decretum irritans.* §.24. Decernentes ſic in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum ſacri Palatii Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia ubique judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.* §.25. Non obſtantibus præfata, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium quàm non Mendicantium Religionum, ac Monaſteriorum, etiam eorum quæ Ordinum capita dicuntur, Prioratuum, domorum, & quorumvis Regularium locorum juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, & ſtabilimentis, uſibus, & naturis quantocumque tempore obſervatis, necnon fundationibus eorumdem, aliis quoque privilegiis, indultis, exemptionibus, & literis Apoſt. illis omnibus, ipſorumque Superioribus generalibus vel Provincialibus, Conventibus, Capitulis, Fratribus & perſonis per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac noſmetipſos etiam poſt primam dictæ noſtræ conſtitutionis publicationem & præfatam Sedem, etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi & ſtipulati contractus, ſeu quaſi, necnon motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſideratione, intuitu, contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque Principum, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ac de eorum conſilio & aſſenſu, etiam conſiſtorialiter habito quomodocumque, ac ſub quibuſvis tenoribus & formis, necnon cum quibuſvis reſtrictivis, reſtitutivis, præſervativis, annullativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quomodocumque conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus extenſis & moderatis, etiamſi in eis, ac ſtatutis, ſtabilimentis, & fundationibus præfatis caveatur expreſsè, quod nunquam eorum privilegia & indulta, revocata vel moderata, aut immutata intelligantur, nec illis in toto vel in parte derogatum cenſeatur per quaſcumque literas, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alias fortiores & efficaciores clauſulas in ſe continentes, niſi illorum, ac etiam certarum ſpecialium literarum Apoſtolicarum inde confectarum verè, non autem per clauſulas generales vel ſpeciales idem importantes, inſerto tenore, ac de ſimili Cardinalium conſilio; quodque ſemper in hujuſmodi derogationibus, & aliis diſpoſitionibus cenſeatur appoſita clauſula, quod tunc demum, nec aliter, nec alio modo effectum ſortiantur, cùm Superiorum, Capitulorum, & Conventuum præfatorum ad id accedat aſſenſus, quodque derogationes & aliæ depoſitiones hujuſmodi aliter effectum non habeant, niſi conſiſtorialiter factæ, & per trinas diſtinctas literas eundem tenorem continentes tribus diſtinctis vicibus Superioribus, Capitulis & Conventibus præfatis fuerint intimatæ, eorumque pariter ad id expreſſus accedat aſſenſus, aliter verò factæ viribus, & effectu omninò careant; ac Superiores, Capitula, Conventus & aliæ perſonæ præfatæ ad parendum illis & decretis deſuper proceſſibus, eorumque executoribus & ſubexecutoribus, ac ipſorum mandatis & monitionibus minimè teneantur, ſed literarum hujuſmodi executionem omninò impedire, nec ratione reſiſtentiæ cenſuris Eccleſiaſticis, etiam per ipſos executores vel ſubexecutores latis innodari poſſint. Quibus omnibus, etiamſi aliàs de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, & quatenus effectum præſentium quoquo modo impedire vel retardare, vel illis obeſſe poſſent, ea omninò tollimus & abrogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma public. hujus conſtit.* §.26. Ut autem præſentes literæ omnibus pleniùs innoteſcant, mandamus illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Cancellaria Apoſtolica, necnon acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigi, volumuſque & decernimus ut ipſarum præſentium exempla, etiam impreſſa, manuque Notarii publici, & ſigillo Prælati Eccleſiaſtici, aut illius Curiæ obſignata, eandem ubique locorum fidem faciant, quæ ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.* §.27. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. Ann. die 12. O* Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnat. Dominicæ 1588. 12. Kalend. Novembris, Pont. noſtri anno quarto.

Ann

*[..]li atio.* *Anno à Nativitate Domini 1588. indict. 1. die verò 7. menſis Novembris, [..] Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papæ V. anno quarto, retroſcripta litera Apoſtol. affixa, & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Ioannem Baptiſtam, & Octavium Taglittum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

[..]XXII. Reformatio Curiæ Almæ Urbis Gubernatoris quoad cauſas civiles.

*Iuriſdictionem & facultates hujus Gubernatoris vide ſupra in conſtit.* 8. *Leon. X.* Etſi pro, *ubi eas plenè tibi indicavi. Et attende etiam reformationem Pauli V. infr. in ſua conſt.* 6. Univerſi, §. 3.

Quod autem Indulta conceſſa diverſis Judicibus cognoſcendi cauſas criminales privativè quoad alios, non intelligantur privativè quoad Gubernatorem Urbis, ſed cumulativè cum eo, voluit Sanctiſſimus Dominus Noſter Urban. VIII. conſtitut. 93. *Decet*, infra tom. 4.

*[..]ta A. D. [..]1587.*

*SIXTUS PAPA QUINTUS,*

*Motu proprio, &c.*

*[..]dium.* IN ſublimi Beati Petri Sede, meritis licet imparibus ſuperna diſpoſitione conſtituti, agrique Dominici curæ præpoſiti, id inter alia noſtri muneris eſſe cognoſcimus, ut ſingula circa omnes gradus & hominum conditiones deformata ac depravata, providentiæ noſtræ miniſterio corrigamus & reformemus, præſertim in Tribunalibus Almæ Urbis noſtræ, in quibus omnis juris ratio exigit, ut Judices primùm ſtudioſa vigilantia, manuum munditia, & ordinata juris ſcientia ſint aliis præſtantiores, Notarii quoque ad conſcribenda acta deputati Mandatariique & alii Miniſtri, vitæ honeſtate, operoſa ſufficientia, moderata mercedis exactione, compaſſivaque erga pauperes benignitate ſint admodum ornati. Litigantesque demum, & eorum Procuratores, ultimum Omnipotentis Dei judicium præcogitantes à pernicioſis ſubtilitatibus, ſubterfugiis, intricationibus & extorſionibus ſe abſtineant, ut deformibus omnibus ſublatis, honeſta ſint omnia, & prava tranſeant in directa, ac jus & juſtitia ſalubriter, & æqua lance, ac minoribus quàm fieri poteſt diſpendiis unicuique miniſtretur.

*[..]rianus P. [..]edictus [..]ii Guber[..]r hanc [..] Curiæ [..]ormatio[..] edidit.* §. 1. Nos tamen, quia humanarum virium fines excedere non valemus, tantaque eſt Apoſtolici officii negotiorum moles, ut circa ſingula per nos ipſos ejuſdem officii debitum exſolvere non poſſimus, plurimum in Domino lætati ſumus, quod Venerabilis frater noſter Marianus P. Benedictus Epiſcopus Matturanenſis, & dictæ Urbis noſtræ, ejuſque diſtrictus generalis Gubernator & Vicecamerarius à nobis deputatus, huic noſtræ ſollicitudini reſpondens, Deique timore, & virtutis ac juſtitiæ zelo ductus, diverſos abuſus, quos in ſuo Tribunali irrepſiſſe cognovit, tollere, & aliis quæ inde irrepere potuiſſent, occurrere cupiens, ſequentem ſuæ Curiæ Reformationem circa cauſas civiles edidit, nobiſque porrexit.

*[..]d. Mat[..]ius eam [..] mandato [..]pa exami[..]vit & ab[..]vit.* §. 2. Et ideò cupientes Reformationem hujuſmodi accuratè, & debita circumſpectione abſolvi, dilecto filio noſtro Hierónymo S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinali Matthæio nuncupato, viro vitæ integritate, literarum ſcientia, longaque rerum, & Romanæ Curiæ experientia inſigni, dedimus in mandatis, ut eandem Reformationem diligenter examinaret, ſuppleret, & corrigeret, & ille maturè omnibus viſis, ſigillatimque examinatis, nonnulla explanavit, nonnullaque etiam emendavit & addidit, extremamque dictæ Reformationi manum adhibuit, nobiſque exhibuit, ejuſque tenor talis eſt, videlicet.

*Sequitur Reformatio, de qua in Rubrica.*

§. 3. D. Locumtenens civilis Gubernatoris Almæ Urbis pro tempore exiſtentis, unus dumtaxat in futurum ſit, legum ſcientia, vitæque probitate, & Romanæ Curiæ experientia inſignis, & ex loco qui ab Urbe diſtet per quadraginta milliaria oriundus. Qui omnes cauſas civiles, tam commiſſarias juxta formam commiſſionum, quàm ordinarias, vel alias in ipſo Tribunali introducendas, juxta ſuas facultates cognoſcat, terminet & decidat. *Reformatio ſuper Locumtenentis cauſarum civilium qualitatibus.*

§. 4. Audientiam terminorum, pro quibus litigantes pro certa hora citati non ſint, in Sala Palatii Gubernatoris, circa horam vigeſimam, pro Tribunali ſedendo, teneat. *Audientiæ hora, & loco.*

§. 5. Jus reddat ſingulis diebus, exceptis feſtivis de præcepto, aut conſuetudine Almæ Urbis, necnon diebus Coronationibus Pontificis viventis, ingreſſus Gubernatoris, Jovis, Lunæ, & Martis immediatè ante cineres, ac ipſius diei Cinerum, totius hebdomadæ ſanctæ, Commemorationiſque Defunctorum, & vigiliæ Nativitatis Domini. *Diebus feriatis.*

§. 6. Significationes per viam recurſus concedendas, ſemper concedat cum clauſula, Non tamen in contumaciam. *Significationibus vigore recurſus.*

§. 7. In cauſis ordinariis, vel via ordinaria introducendis, etiamſi ad probationem producantur cedulæ, jura, & inſtrumenta obligationum Cameralium, non relaxet mandata executiva, (ſi reſpectu ſummæ, vel valoris de qua agitur, dictæ cauſæ ſint appellabiles) niſi elapſis decem diebus datis ad appellandum, & ſervatis ſolitis terminis ad docendum de legitima appellatione, & ejus legitima proſecutione, & conſtito ſibi de re judicata. *Cauſis ordinariis.*

§. 8. Suſpectus poſt litem conteſtatam, vel pro conteſtata habitam allegari non poſſit, niſi à principalibuſmet vel eorum procuratoribus ſpeciale mandatum habentibus, & ex certa cauſa per eos in actis ſpecificata & jurata, à Gubernatore pro legitima approbata. *Suſpectis [..] fuga.*

§. 9. Ab ejus ſententiis definitivis appelletur ad Sanctiſſimum in cauſis appellabilibus, in aliis verò non appellabilibus, & in quibus de jure recurſus datur, recurratur ad Gubernat. qui cauſas hujuſmodi recurſus per ſeipſum, vel alium ab eo deputanpum juxta ſuas facultates expediat. *Appellationib. & recurſu.*

§. 10. Qui deputandus tam in ipſis cauſis recurſus, quàm in illis in quibus in locum D. Locumtenentis, uti ſuſpecti recuſati, à Gubernatore deputabitur, & in cauſis quoque Commiſſariis, in quibus ex reſcripto Signaturæ à Gubernatore ſimiliter deputabitur, ea dumtaxat emolumenta recipiat, quæ ut mox dicetur, D. Locumtenens recipere poterit, & nihil penitus ultra, ſub pœnis eis indictis. Recurſus ut ſupra ad Gubernatorem à Locumtenentis decretis, & ſententiis petendi, infra decem dies dumtaxat peti debeant, & tunc executionem non retardent, uſquequò Gubernator hujuſmodi recurſus non admiſerit. *Iudice deputato à Gubernatore.*

§. 11. Sportulas D. Locumtenens non recipiat, niſi in illis cauſis commiſſariis tantum, quæ auctoritate ordinaria à principio ab eo cognoſci non potuiſſent, quibus circa quantitatem ſervet taxam felic. recordat. Pii Papæ Quarti. In cæteris verò cauſis quibuſcumque ſportulas nullo modo accipiat, etiam à ſponte dantibus, ſed earum loco ultra commodam habitationem, quam in dicto Palatio pro ſe ſuiſque ſervientibus habere debeat, & ultra ſcuta auri in auro quinque, à quolibet ex duobus Notariis cauſarum civilium hujus Curiæ, ipſi tantum D. Locumtenenti quolibet menſe in ejus principio ſolvenda, percipere poſſit julium unum pro ſingulis infraſcriptis expeditionibus, videlicet: Pro quolibet mandato executivo, non tamen in contumaciam: Pro quolibet arreſto in carceribus, Mandato de excarcerando, Significatione totali, Aut vigore termini, Aut in vim litis pendentiæ, Aut litis finitæ, Aut ſtante depoſito, *Sportulis, habitatione, ſalario, & emolumentis.*

depoſito, vel negatione, aut data cautione de ſtando juri & judicatum ſolvendo conceſſa. Et etiam pro qualibet citatione vel inhibitione, vigore commiſſionis, aut extra Curiam decreta. Dummodò in quolibet ipſorum caſuum agatur de re vel ſumma ſcutorum auri ſeptem, qui conſtituunt Julios ſeptuaginta ſeptem.

*Locumtenentis contravenientis pœnis.* §.12. Alioquin prædictus D. Judex pœnas in Pii Papæ IV. conſtitutione, de reformatione Tribunalium contentas, incurrat.

*Notariorum locis.* §.13. Notarii teneant intus, vel juxta dictum Palatium eorum officia ſeparata, & in locis ita diſtantibus, ut collitigantium tumultus nullum afferre poſſit impedimentum.

*Procurationeque eis interdicta.* §.14. In cauſis tribunalis, neque officio Procuratoris, vel Sollicitatoris fungantur, neque alio quovis modo ſe intromittant.

*Taxa obſervantia.* §.15. In eorum mercedibus recipiendis ſervent omninò taxam Pii Papæ Quarti, quia in ea omiſſus eſt caſus examinis teſtium ſuper articulis abſque interrogatoriis, ideò tali caſu Notarii recipiant pro hujuſmodi examine cujuſlibet teſtis bononenos octo uſque ad ſcuta decem, & bononenos decem uſque ad ſcuta viginti, & bononenos quindecim uſque ad quamcumque ſummam, & non ultra.

*Citationibus.* §.16. Citationes, & alias Mandatariorum & Curſorum relationes nullatenus in actis apponant, niſi Curſores & Mandatarii eas in cartulis octavæ partis folii prius ſubſcripſerint, & ſupra ſubſcriptiones nomen Notarii cauſæ appoſitum fuerit.

Citationes & alios actus pro aliquo, vel contra aliquem non recipiant, niſi tam actoris quam rei nomen cum cognomine, aut exercitii, habitationiſque deſignatione ſpecificè in eis exprimatur.

Citationes ad videndum mandari conſignari pignora non recipiant, niſi appoſitum ſit, etiam ad videndum mandari ſubhaſtari.

*Manualibus.* §.17. Manualia citationum, & manualia proteſtationum ſeparatim & diſtinctè teneant.

*Expeditionum libris.* §.18. Expeditionum libros duos habeant, in quorum uno diſtinctè & ordinatim adnotare debeant omnes ſignificationes per viam recurſus concedendas, cum expreſſione nominis collitigantium & Curiatum, à quibus Dominus Locumtenens recurſus, juxta ſuas facultates concedet, ac etiam ſummæ vel valoris rei de qua agitur, necnon & omnia ſequeſtra & monitoria, ex quavis cauſa decernenda. In altero autem adnotare debeant omnia mandata executiva, non tamen in contumaciam; & omnia arreſta, Mandata de excarcerando, Significationes dotales, Aut vigore termini, Aut in vim litis pendentis, Aut litis finitæ, Aut ſtante depoſito, Vel negatione, Aut data cautione de ſtando juri, & judicatum ſolvendo, conceſſas; & omnes citationes, vel inhibitiones vigore commiſſionis, Aut extra Curiam decretas, dummodo in quolibet ipſorum caſuum agatur de re, vel ſumma ſcutorum auri ſeptem.

*Expenſarum taxatione.* §.19. Liſtas expenſarum non conficiant, neque propterea mercedem aliquam, etiam à ſponte dantibus recipiant, niſi prævio D. Locumtenentis decreto, & ejuſdem ſubſcriptione in calce citationum ad videndum taxari expenſas, apponenda.

*Examine teſtium.* §.20. Examen teſtium ſcribere poſſint duo tantum Notarii pro quolibet officio, quos Gubernator pro tempore approbaverit, & non alii.

*Decretis.* §.21. Decreta aliqua ex ſeipſis Notarii non conficiant, ſed citationes omnes D. Locumtenenti in Audientia publicè legant, ab eoque decreta ſumant, & deinde in actis apponant.

*Mandatis ſuſpicionis fugæ.* §.22. Mandata ſuſpicionis fugæ ſcribere nequeant, niſi prius D. Locumtenenti jura producta, vel probata oſtenderint, illeque poſtea mandata decreverit.

*Juramentis ſuſpicionis.* §.23. Juramenta ſuſpicionis fugæ ab aliis quam principalibuſmet, vel perſonis ad id ſpeciale mandatum habentibus, non recipiant.

*Sequeſtris.* §.24. Sequeſtra non ſcribant, etiam in cauſis mercedum, niſi in executionem mandatorum ſervatis ſervandis relaxatorum, vel niſi docto de credito, etiam extrajudicialiter arbitrio D. Locumtenentis, juribuſque de dilapidatione aut fugæ ſuſpicione.

*Fidejuſſionibus.* §.25. *Advocatos, Procuratores, Sollicitatores pro fidejuſſione occaſione litium danda, nullo modo recipiant.*

*Significationibus.* §.26. Significationes per viam recurſus concedendas non ſcribant, niſi cum clauſula: Non tamen in contumaciam. Alias verò Significationes non ſcribant niſi vigore termini, Aut niſi productis juribus vel probationibus ſuper ſolutione, Aut niſi ſtante pendentia litis, ſive lite finita, Vel niſi data cautione de ſtando juri, & judicatum ſolvendo, quando eſſent relaxata mandata ſuſpicionis fugæ pro aſſecuratione judicii; Aut niſi ſtante negatione contra mandata in contumaciam relaxata.

*Reſponſionibus ad articulos.* §.27. Reſponſiones ad articulos & juramenta ſuper partitis deciſivis, coram D. Locumtenente tantum recipere poſſint & debeant, niſi ipſe aliter decreverit ex cauſa infirmitatis, aut alterius legitimi impedimenti collitigantium.

*Notariorum contravenientium pœnis.* §.28. Quicumque ex Notariis ſive actuariis in eorum officiis ſcribentibus, in aliquo præmiſſorū contravenerit, pro qualibet vice pœnam ſcut. 25. aliaſque pœnas pecuniarias, & corporis afflictivas, pro modo exceſſus à Gubernatore arbitrandas incurrat, damnaque & intereſſe partibus reficere cogatur.

*Mandatariorumque circa citationes.* §.29. Mandatarii hujus Curiæ citationes & alias relationes in ſcriptis dumtaxat referre debeant, exprimendo an perſonaliter, vel domi copia dimiſſa vel affixa, & an ad ſtatim, vel ad hodie per totam, ſeu ad primam, vel aliam diem fecerint.

Citationes, intimationes, &c. perſonaliter, aut domi dimiſſa copia, non exequantur poſt ſecundam horam noctis, per affixionem autem nonniſi de die, & tunc in relaxationibus exprimant feciſſe de die, dimiſſa copia affixa in tali loco.

In citationibus tam actoris quàm rei nomen, cum cognomine, vel cum exercitii, habitationiſque deſignatione exprimant.

In citationibus ad videndum mandari conſignari pignora, apponant etiam, Et videndum mandari ſubhaſtari.

*Taxa obſervantia.* §.30. In eorum mercedibus recipiendis ſervent eorum taxas, ultra quas, etiam à ſponte dantibus, nihil omninò accipiant.

*Pignoribus.* §.31. Pignora omnia ab executoribus quibuſcumque eis conſignanda, ordinatim ſingulariter adnotare debeant in eorum libris, exprimendo rerum qualitates & quantitates, & nomen executoris & collitigantium. Pignora ſubhaſtanda publicè in loco commodo ad id per Gubernatorem deputando, tenere debeant à die quo receperint mandata de ſubhaſtando, uſquequò receperint mandata de deliberando. Oblationes recipiendas adnotare debeant in eorum libris, cum appoſitione anni, menſis, & diei, ac expreſſione nominis, cognominis, exercitiique & habitationis offerentium. Non recipiant oblationes cujuſcumque officialis hujus Curiæ, nec eis ſervientium, neque Mandatarii affinium vel conſanguineorum, uſque ad tertium gradum.

*Eorum contravenientium pœnis.* §.32. Quicumque in aliquo præmiſſorum contravenerit, pœnam ſcutorum decem pro qualibet vice, aliaſque pœnas pecuniarias, & corporis afflictivas, privationiſque officii, pro modo exceſſus à Gubernatore arbitrandas incurrat, damnaque & intereſſe partibus reficere compellatur.

*Reformatione Procuratorum circa exactiones.* §.33. Procuratores non poſſint actualiter exigere nomine ſuorum principalium, etiam ab Urbe abſentium, & vigore mandatorum ad exigendum, aliqua bona, res, & pecunias à quavis perſona, in cauſis & negotiis ipſius Tribunalis, niſi prævio Gubernatoris decreto gratis deſuper interponendo. Et qui contravenerit, officio Procuratoris omninò privetur, pœnamque pecuniariam Gubernatoris arbitrio ſolvat.

*Executorumque circa taxas.* §.34. Executores cujuſcumque Curiæ mandata hujus Tribunalis exequentes, nihil ultra eorum taxam, etiam à ſponte dantibus recipiant, & niſi poſt factam executionem, ſive capturam.

§.35. Man

§. 35. **Mandata civilia non exequantur de nocte, neque die feſtivo, niſi ſint ſuſpicionis fugæ.**

Cantores in executione mandatorum nullatenus recipiant, ſed executiones realiter, vel perſonaliter, prout in mandatis continetur, exequantur, pignoraque Baroncello hujus Curiæ infra biduum conſignent, deſcribique faciant in libro, quem præfatus Baroncellus ad id ſpecialiter tenere debet, in eoque adnotare debeat qualitates, & quantitates rerum ſibi conſignatarum, & nomen executoris conſignantis.

§. 36. Reſtituat quilibet executorum prædictorum executiones, ſive bona in executione capta gratis, quotieſcumque D. Locumtenens mandaverit.

§. 37. Quicumque in præmiſſis contravenerit, officio ſuo privetur, & pro modo exceſſus corporalibus pœnis Gubernatoris arbitrio plectatur, damnaque & intereſſe partibus reficere cogatur. Pro quibus damnis & intereſſe quilibet Baroncellus cujuſcumque Curiæ pro ſuis executoribus, & birruariis obligatus ſit.

§. 38. Nos itaque volentes Reformationem hujuſmodi, tam maximo labore, & tam matura diſcuſſione ad publicam maximè collitigantium utilitatem, Tribunaliſque dictæ Urbis Gubernatoris directionem, ut præfertur digeſtam, perpetuò, inviolabiliterque obſervari, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictam Reformationem, omniaque & ſingula in ea contenta, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus. Quinimò eandem Reformationem, in eaque contenta quæcumque, Motu & auctoritate prædictis, nos de novo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, & per præfatum noſtrum, & pro tempore exiſtentem Urbis Gubernatorem, ejuſque in civilibus Locumtenentem, ac Procuratores, Notarios, Mandatarios, Litigantes, executoreſque, ſive birruarios, & alios quoſcumque, exactiſſimè perpetuoque ſervari præcipimus, & mandamus, pœnaſque in dicta Reformatione appoſitas de novo contravenientibus quibuſcumque, & pro qualibet vice apponimus, & infligimus.

§. 39. Decernentes omnia quæ contra dictæ Reformationis formam, & tenorem decreta, acta, & geſta fuerint, nulla, invalida, & extorta, & ſubreptitia, nulliuſque roboris, & momenti fore, & cenſeri, neminique propterea ſuffragari poſſe, vel debere. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiā Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 40. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtylo, conſuetudine, ac quocumque temporis curſu, etiam immemorabili roboratis, privilegiis, & indultis, tam ipſi Tribunali Urbis Gubernatoris, vel ipſis Gubernatoribus, & Locumtenentibus, quàm Notariis, Mandatariis, eorumque Collegio, & Collegiis, aliiſque quibuſcumque perſonis, quacumque generali, vel ſpeciali nota, & expreſſione dignis, & quomodocumque, & qualitercumque privilegiatis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet, etiam per nos conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſenti pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & quibuſlibet aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſenti non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus illius impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum habenda eſſet mentio ſpecialis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 41. Ut autem præſens Motus proprius ad omnium notitiam deducatur, ac omnes quorum intereſt, ac intereſſe poterit, afficiat, volumus, & mandamus, illius copiam in Cancellariæ Apoſtolicæ, ſeu Curiæ Reverendiſſimi Urbis Gubernatoris valvis, ac in acie Campi Floræ affigi, & ibi relicta ejus copia, aliquandiu detineri.

§. 42. Volumus item quod præſentis Motus proprii ſola ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat, in judicio, & extra, regula quacumque contraria non obſtante.

§. 43. Quodque ejus tranſumptis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo ſignatis, plena, & indubitata fides, eaque prorſus adhibeatur in judicio, & extra, quæ præſenti adhiberetur, ſi foret exhibitus, vel oſtenſus.

Fiat Motu proprio. F.

Et cum abſolutione à cenſuris, ad effectum, &c. & de confirmatione, approbatione, ſtatuto, ordinatione, præcepto, mandato, inflictione, decretis, derogatione, voluntate, aliiſque præmiſſis, quæ hic pro ſufficienter repetitis, ad partem habeantur, in forma gratioſa latiſſimè exten. & cum opportuna, ſi videbitur, judicum executorum deputatione, qui aſſiſtant, &c. cum poteſtate citan. &c. inhibendi, aggravandi, &c. invocato, &c. ſæcularis, ac derogatione dictarum, non tamen trium, etiam latiſſimè exten. Et ſi videbitur literas deſuper, etiam per Breve S. V. &c. in præmiſſorum omnium, & ſingulorum, etiam qualitat. invocat. denominat. nuncupat. annexis, aliorumque neceſſariorum majori, & veriori ſpecificatione, & expreſſione expediri poſſit, &c. ſimul, vel ad partem, etiam in una, non facta mentione de alia, vel aliis expedien. &c.

Fiat F.

*Anno à Nativitate Domini 1587. indict. 15. die verò 1. menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papa V. anno ejus tertio, ſupradicta litera in valvis Cancellaria Apoſtolica, & Curia Reverendiſ. D. Urbis Gubernatoris, & in acie Campi Flora affixa, lecta, & publicata fuerunt, juxta formam illarum.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## Indulgentiarum elargitiò pro quorundam Chriſtianorum Imperatorum numiſmata geſtantibus, aut Eccleſias ubi ea aſſervantur viſitantibus, & pia opera hic expreſſa exercentibus. LXXIII.

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

LAudemus viros glorioſos, Chriſtianos præſertim Imperatores, in iis quæ pro Chriſtiana religione tuenda, & propaganda piè, ac præclarè geſſerunt, dum pietatis zelo, virtutis magnitudine, & Imperii majeſtate verè Auguſti, ejuſdem religionis, quam omnibus gentibus, omnibuſque nationibus Deus voluit Apoſtolicis vocibus prædicari, cultum totis in Chriſto viſceribus amplexi, uſque adeò ſuis quiſque temporibus de hac ſacroſancta Sede, cui, auctore Domino, licet immeriti, præſidemus, egregiè promereri ſtuduerunt, ut vera, & orthodoxa fides ex Apoſtolico hoc fonte dimanans, tunc eorum ope, & patrocinio munita, propulſatis hoſtium oppugnationibus, toto terrarum orbe diffuſa floreret, omniſque lingua confiteretur, quoniam Dominus JESUS CHRISTUS in gloria eſt Dei Patris, eorum ſanè ipſorum, quos conſtituit Dominus propugnatores, & defenſores Eccleſiæ ſuæ, illuſtria piè, recteque factorum exempla, ad omnem gloriam inſignia, imitationiſque ſtudio

dignissima, ac merito præclara, cum semper pro grati in eos animi testatione, & officio commemorare debemus, tum hoc potissimum tempore, quo nobis eorum memoriam renovandi mirifica divinitus oblata est occasio, id impensiùs faciendum arbitramur.

*In restauratione Basilicæ Lateranensis numismata quamplura Imperatorum reperta fuerunt, quorum nomina, & præclara gesta hic referuntur, videlicet.*

§. 1. Nam cùm ab ipso nostri Pontificatus initio, ad exornandam novis ædificiis Lateranensem præcipuè Basilicam, nullis parcentes impensis, animum adjecissemus, effectum est, non obscura divinæ voluntatis significatione, ut demoliendis quibusdam Aulæ Lateranensis pervetustis, ac penè collabentibus parietibus, complura antiqua diversis in locis recondita numismata, ex auro purissimo obryzo confecta invenirentur, in quibus ex una parte salutiferæ Crucis signum, aut imago aliqua eadem Cruce insignita cernitur, ex altera verò vultus effigiesque expressæ sunt diversorum veterum, qui ante annos circiter mille floruerunt, Augustorum Imperatorum, nimirum Theodosii senioris, duorum filiorum ejus Arcadii, & Honorii, necnon Theodosii junioris, Valentiniani III. Martiani, Leonis, Justini, Justiniani, Tyberii, Mauritii, Phocæ, & Heraclii, qui etsi longo locorum intervallo disjuncti, Urbem Romam ne fortasse quidem omnes unquam viderint, Magni tamen Constantini piissimi Imperatoris exemplo, & munificentia excitati, ad declarandum pietatis suæ studium erga gloriosos Apostolorum Principes, & fortissimos Christi Martyres, quorum innumerabilis multitudo in hac sancta Civitate requiescit, & quorum præsenti ope, & auxilio domi forisque votis susceptis sæpenumero Rempublicam fortiter, & feliciter administraverant, & clarissimas de hostibus victorias reportaverant, hujus Almæ Urbis sacras Basilicas, atque hanc in primis sacrosanctam Lateranensem donariis, & oblationibus quamplurimis, Augustali pietate, & magnificentia dignis cumularunt, diversisque aut novorum ædificiorum exstructionibus, aut veterum instaurationibus, pro temporum varietate ornarunt. Quod cum alia multa antiquitatis monumenta, tum vel hæc ipsa nuper reperta aurea tot inclytorum Imperatorum numismata testantur, religioso planè consilio, & occulto quodam Dei instinctu in his ædificiis reposita, ut post multa sæcula aliquandò tandem patefacta, in lucemque prolata, eorundem Imperatorum singularem Religionem, & perpetuam erga Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotionem, insigni apud posteros testimonio comprobarent. Qua in re divinam providentiam agnoscimus, suspicimus, atque admiramur, quod calamitoso hoc tempore, cum tam multi Crucis Christi Domini hostes Catholicæ fidei veritatem impiissimè oppugnant, prædictorum Imperatorum effigies in ipsa Lateranensi Basilica, ubi primus idem Magnus Constantinus Augustus sacri Baptismi lavacro emundatus est, simul reperiri voluerit, quæ summam eorum erga invictissimam Crucem pietatem, & eximiam religionem apertè palamque profiterentur.

*Theodosii senioris.*

§. 2. Theodosii igitur senioris Imperatoris religiosissimi memoria in benedictione sit, qui se Nicænæ fidei defensorem acerrimum præstitit, qui lege edita, eam se tantùm fidem sequi, quam à beatissimo Apostolo Petro Romanis traditam Damasus Pontifex docebat, apud cunctos populos publicè testificatus est, qui in Ecclesiæ cultu, ac veneratione disciplinam imitatione dignam, non solùm legibus edictisque professus est, sed etiam mirificè coluit, qui denique ob gravem Thessalonicensem cædem à S. Ambrosio Episcopo publicè correptus, & ab ingressu Ecclesiæ repulsus, insigni Christianæ humilitatis exemplo reverenter abstinuit, & impositam ab eodem Ambrosio pœnitentiam humiliter suscepit, libentique animo adimplevit, quo obedientiæ, & pœnitentiæ exemplo is qui claustra Imperii Christi Domini sic validis præsidiis antè munierat, non solum Reipublicæ hostes submovit, verùm etiam Christiani nominis gloriam feliciter adauxit.

*Arcadii, & Honorii filiorum ejus.*

§. 3. Sed & duorum filiorum ejus Arcadii, & Honorii nomen cum benedictione meminisse libet, qui pietatis, ac disciplinæ præceptis, institutisque à S. Arsenio Romanæ Ecclesiæ Diacono instructi, ut Christianam Religionem propagarent, ubique terrarum simulacra idolorum confringi, eorumque templa dirui legibus sanxerunt. Catholicæ porrò fidei integritatem constantissimè retinentes, hæreticos omnes Imperii viribus coërcuerint, quod communes ab eis promulgatæ leges adhuc ostendunt.

Illud autem proprium Honorio Occidentale Imperium regenti, quod Basilicam sancti Pauli à Valentiniano juniore amplificari cœptam, omnibus partibus absolvi, atque exornari curavit, quodque Beato Augustino firmissimæ Ecclesiæ columnæ, in comprimendis, & propulsandis Africanis hæreticis magno adjumento fuit.

Id quoque laudi potissimùm Arcadio tribuitur, quod cùm ejus militibus contra Persas benè pugnantibus Cruces aëreæ in vestibus apparuissent, ut victoriæ divinitus partæ monumentum ubique extaret, is auream monetam cum eodem Crucis signo fieri voluit.

*Theodosii filii Arcadii, Valentiniani nepotis Arcadii, & Honorii.*

§. 4. Atque Theodosio quidem juniore, Arcadii filio in Oriente, & Valentiniano III. eorundem Arcadii, & Honorii senioris filio, in Occidente Imperii gubernacula tenentibus, sancta tertia universalis Ephesina Synodus contra impium Nestorium, ex Beatissimi Cœlestini Romani Pontificis auctoritate indicta, & celebrata est, quo tempore amborum Imperatorum pietas in fovenda, tuendaque eadem Synodo, & Ecclesiæ pace per sanctorum Patrum definitionem procuranda magnopere eluxit.

Valentinianus autem beatæ mem. Sixti III. Pontificis hortatu, ipsius Basilicæ Lateranensis fastigium argenteum à barbaris ereptum, magna in id opus erogata pecunia, refecit, ac sancti Leonis Pontificis cultor eximius ubertimum suæ pietatis fructum tulit, cum ejus etiam precibus idem beatissimus Pontifex immanissimum Atilam, Flagellum Dei vocatum, divina sua eloquentia, atque auctoritate placavit, ac deterruit, horribilemque tempestatem jam imminentem ab ipsa Roma, atque à tota Italia avertit.

*Martiani qui novus Constantinus appellatus.*

§. 5. Martianus verò, simul atque ad Imperium evectus est, ad eundem Sanctissimum Pontificem Leonem literas dedit pietatis, & erga Apostolicam Sedem observantiæ plenas. Quare Apostolica auctoritate, & Catholici Imperatoris adjumento, magnum illud sexcentorum triginta Episcoporum Chalcedonense Concilium adversus Eutychen, & Dioscorum coactum est, in quo Martianus ipse insigni elogio novus Constantinus est appellatus.

*Leonis Cæsaris.*

§. 6. At Leo Cæsar, Dei spiritu, & crebris S. Leonis Papæ epistolis roboratus, nullis se hæreticorum machinis passus est à Catholicæ fidei constantia, & Chalcedonensis Synodi propugnatione dimoveri.

*Justini senioris.*

§. 7. Nec verò prætereundus nobis est verè pius, & Catholicus Imperator senior Justinus, qui sanctum Germanum Capuanum Episcopum, sanctissimi Hormisdæ Papæ Legatum, tanquam Angelum Domini summo cum honore excepit, cujus Imperatoris pietas hoc quoque promeruit, ut beatum Joannem Summum Pontificem, Constantinopolim ad se venientem videret, admirabili sanctitate virum, & postea martyrii gloria illustrem, ad cujus ille pedes, CHRISTUM in eo agnoscens, procubuit, Deo clarissimum illum congressum insigni miraculo comprobante, cum in ipso aditu portæ aureæ cæco supplicanti ab eodem Summo Pontifice lumen est restitutum.

*Justiniani Magni.*

§. 8. Magnis etiam laudibus efferendus est Justinianus ille, qui tot rebus fortiter, sapienterque gestis, Magnus meritò est appellatus, sed profectò sui ipsius victoria, & erga Apostolicam Sedem obedientia multò major; nam cùm zelo Catholicæ Religionis, confessionem veræ ac orthodoxæ fidei, quæ in Sancta Dei Ecclesia prædicatur, & simul hæresum damnationem de Catholicorum Episcoporum consensu, proposito edicto, fecisset omnibus manifestam, ac deinde per suas literas, & Legatos reddens Apostolicæ Sedi & sancto Joanni Papæ II. debitum honorem, & reverentiam, pro singulari studio quod gerebat de unitate omnium, præsertim Orientalis tractus Ecclesiarum, illarumque Sacerdotum, cum ipso ac ejus Sede, tanquam earum capite, servanda atque custodienda, etiam suæ fidei confessionem, ac illud ipsum edictum transmisisset, humiliterque postulasset suis illa literis, & Apostolicæ Sedis judicio comprobari, atque ipsis quoque diebus B. Petro Principi Apostolorum pretiosa munera obtulisset, idem Sanctus Pont. & dignis eum laudum præconiis extulit,

extulit, & quæ in ipſo edicto continebantur, veluti Apoſtolicæ doctrinæ conſentanea ſuo judicio atque auctoritate confirmavit. Cumque poſtmodum ipſe Juſtinianus Imperator à Theodora conjuge depravatus, à B. Agapito Pontifice vehementius contenderet, ut Anthymum hæreticum Patriarcham ad communionem admitteret, ejuſque electionem confirmaret, eoque conſtantiſſimè recuſante minas precibus admiſceret, Sanctus Pontifex zelo fidei incenſus, exclamavit: Ego ad Juſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideravi, ſed Diocletianum inveni: qua invicti animi conſtantia permotus Imperator, ac tandem erroris caligine deterſa, ad veritatis lucem emergens, ſeipſum totum ad parentis in Chriſto optimi voluntatem conformavit, hominemque hæreticum loco dejici, & Catholicum Epiſcopum Mennam ab eodem ſancto Pontifice conſecrari, non ſolum patienter, ſed etiam libenter tulit, præclaro Chriſtianis Principibus exemplo relicto, ut paternas CHRISTI Vicarii admonitiones, & objurgationes æquiſſimo animo ferrent, memores verbi Domini: Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.

...rii Conſtantini.

§.9. Jam verò Tyberii Conſtantini nomen cum laude commemorandum eſt, quem Urbis Romæ Conſervatorem appellare licet, quòd eam à Longobardis graviſſima obſidione oppreſſam, magnaque rei frumentariæ anguſtia laborantem, larga frumenti copia ex Ægypto tranſmiſſa, à famis ſimul, & obſidionis calamitate, paternis ſanctæ memoriæ Benedicti I. Summi Pontificis cohortationibus liberavit. Hic cum Sanctum Gregorium Magnum adhuc Diaconum diſputantem audiſſet, Eutychii Patriarchæ, veram, tractabilemque corporum reſurrectionem negantis, librum ſtatim comburendum in ignem injecit. Idem ſanctæ Crucis ſignum ita coluit, ut aliquando, cum humi eam in lapide ſculptam vidiſſet, ſtatim tolli, & decenti loco collocari juſſerit, ut jam mirandum ſit, quod magnus Crucis cultor, Crucis imaginem in aureis nummis eleganter, ut videmus, curaverit exprimendam.

...Mauritii.

§. 10. Commemorandus eſt etiam jure optimo Mauritius vir fortiſſimus, cujus filium idem Gregorius cum adhuc Diaconus Conſtantinopoli Apoſtolicum Legatum ageret, ex ſacro Baptiſmi fonte levavit, poſtea verò Pontifex factus, eidem Mauritio locupletiſſimum pietatis teſtimonium præbet, dum illum in ſuis epiſtolis hominem multarum lacrymarum, orationum, jejuniorum, & eleemoſynarum fuiſſe commemorat. Certè de Apoſtolica Sede, & univerſa Italia egregiè eſt meritus, quod exercitu comparato, Ducibus in Italiam Miſſis, Francorum auxiliis advocatis, omni denique diligentia adhibita, Longobardorum furorem non mediocriter repreſſerit.

...ca.

§.11. Nec minori dignus eſt præconio Phocas Imperator, qui cum de more conaretur ſe Catholicæ Religionis defenſorem perpetuum futurum, ſanctiſſimo jurejurando obſtrinxit, & ſummam ab ipſo Chriſto Domino Romanæ Eccleſiæ traditam auctoritatem, & poteſtatem præclarè intelligens, publicè edixit, ut eandem Sanctam Romanam Eccleſiam tanquam omnium Eccleſiarum primam, atque caput omnes & agnoſcerent, & profiterentur.

...raclii ...ſti.

§.12. Hunc autem clariſſimum cœtum meritò claudit Heraclius Auguſtus, noviſſimus eorum quos ſupra enumeravimus qui ſacroſanctam Crucem illam ipſam, in qua vitæ auctor pependerat, & mortem moriendo ſuperaverat, 14. anno poſtquam venerat in poteſtatem Perſarum, feliciſſimè recipit, eamque ſuis humeris, abjecto Imperatorio amictu, calceiſque detractis, in ipſum Calvariæ Montem in Paſſionis Chriſti memoriam, manu cum humilitate reportavit.

...Pont. hac ...iſmata ...miſit Impera..., Re... & Prin..., atque ...dinales, ...ſque præ... ...iſſimos ...ti.

§.13. Nos igitur aliquam auguſtiſſimæ eorundem Imperatorum memoriæ gratiam non immeritò referre cupientes, Chariſſimis in Chriſto filiis noſtris Romanorum Imperatori electo ac Regibus, & dilectis filiis nobilibus viris Principibus, quos in viſceribus Chriſti gerimus, quædam ex ſupradictis aureis numiſmatibus, ſingulare paterni noſtri amoris erga ipſos pignus miſimus, ut ad ſimilem virtutis, & Religionis laudem excitentur, & ſe Eccleſiæ Romanæ filios, Catholicorum Principum ſucceſſores, & Crucis Chriſti defenſores eſſe crebrius reminiſcantur, veteres in hoc quidem Sanctos Pontifices prædeceſſores noſtros, præſertim eundem B. Gregor. Papam imitati, qui Regibus, & Principibus, ac primariis viris aureas Cruces, & claves parvulas, quæ claves B. Petri dicebantur, mittere conſueverant, quæque collo appenſæ, & religiosè geſtatæ miraculis coruſcabant, quædam verò alia ex eiſdem numiſmatibus dedimus venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, reliqua verò eodem modo piis, & præſtantibus viris jam diſtribuimus.

§.14. Ut autem ab omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus quibus à nobis tradita jam ſunt, devotiùs ac religioſius, & cum ſpirituali animarum fructu geſtentur, decrevimus ad ſanctiſſimæ Crucis honorem, & glorioſam memoriam Imperatorum, eadem numiſmata præcipuis gratiis, & indulgentiis ampliſſimis, ex noſtra Apoſtolica benignitate inſignire.

*...Eadem ...indulgentiis decorat, eas concedendo.*

§. 15. Quamobrem de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confiſi, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, quodcumque ex his numiſmatibus penes ſe geſtantibus, quoties eorum aliquis ante ſalutiferæ Crucis ſignum, aut ſacram aliquam imaginem pertranſiens, aperto capite venerationem tribuerit, aut genuflexerit, orationem Dominicam, vel ſalutationem Angelicam pronuntiando, toties ei centum annos, & totidem quadragenas.

*Geſtantibus illa, & facientibus hic deſcripta.*

Singulis autem diebus, ſi ter orationem Dominicam, ſalutationemque Angelicam, aut ſemel Pſalmum, Miſerere mei Deus, ſeu, De profundis clamavi, devotè recitaverit, annos ducentos, ac totidem quadragenas.

Item quoties ad Deum mentem elevaverit, illiuſque divinam opem imploraverit, etiam ducentos annos, & totidem quadragenas.

Si verò quocumque Dominico, aut feſto die coronam beatiſſimæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, etiam pia devotione recitaverit, annos trecentos & totidem quadragenas.

Ac ſi conſcientiam ſuam manè, aut Veſperi, cum emendationis propoſito examinaverit, ac de malè anteacta vita veniam ſupplex à Deo miſericordiarum Patre poſtulaverit, ſimiliter trecentos annos, & totidem quadragenas de ſibi injunctis, vel aliàs quomodolibet per eum debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus.

Atque ut eoſdem fideles ad pietatis opera exercenda, eo etiam magis invitemus, eorum cuilibet, quoties pro hæreticorum reductione, infidelium converſione, Chriſtianæ atque orthodoxæ fidei propagatione, & ſanctæ Matris Eccleſiæ tranquillitate, & exaltatione, ac inter Principes Chriſtianos pace, & concordia, Deum precando orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam quinquies devotè dixerint, eaſdem illas indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, quæ unam è ſeptem præcipuis Urbis Baſilicis viſitantibus conceſſæ ſunt, concedimus, & impartimur.

Quod ſi quis peccatorem à via perditionis, veluti ab hæreſi, blaſphemia, aliiſve ejuſmodi ſceleribus, & peccatis, ad viam ſalutis converterit, aut ſi certè in eo laboraverit, aut ſi inter diſcordantes pacem conciliaverit, aut quantum in ſe eſt, procuraverit, concedimus ut ſanctorum ſacrificiorum, jejuniorum, orationum, ac quorumvis aliorum piorum operum, quæ in omnibus Ordinibus, & Congregationibus Regularibus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ fiunt, non ſecus ac ſi uniuſcujuſque earum proprium membrum foret, eo ipſo particeps efficiatur.

Præterea unicuique verè pœnitenti, qui peccata ſua alicui ex Sacerdotibus idoneis, & ad id approbatis confeſſus fuerit, & ſacram ſumpſerit Euchariſtiam, aut Miſſam, ſi Sacerdos fuerit, celebraverit, quoties id fecerit, toties ei plenariam.

Aut ſi in mortis articulo conſtitutus, numiſma collo appenſum, aut quovis modo ſecum habuerit, pronuntiato nomine JESU, corde ſaltem, ſi ore nequiverit, etiam plenariam.

Atque itidem militibus, aut aliis, qui aliquod hujuſmodi numiſma ſecum habentes contra infideles, vel hæreticos,

ticos, aut alios S. R. E. hoſtes pugnaverint, præſertimque ſi ibi eos mori contigerit, Jesu nomine, ut ſupra invocato, pariter plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, auctoritate prædicta, tenore præſentium, etiam miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Utque defectus, & negligentiæ, animique diſtractiones, quæ ex humana fragilitate in divini Officii recitatione, Miſſarumque celebratione, vel auditione Sacerdotibus, aut Clericis, vel laïcis contingere ſolent, aut horum etiam ob juſtum impedimentum prætermiſſio, ex devota hujus numiſmatis geſtatione, Corona tamen Beatæ Mariæ Virginis piè recitata, aut ſaltem pronuntiato Pſalmo Miſerere mei Deus, ſuppleri, & compenſari poſſint, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus.

*Numiſmata Eccleſiis tãtum relinqui poſſint.*

§. 16. Quicumque autem aliquod hujuſmodi numiſma habuerit, ipſum pro ſuo arbitrio in teſtamento, aut alia ultima voluntate, cui voluerit Eccleſiæ, nec verò cuiquam alii, abſque ſpeciali noſtra, aut noſtrorum ſucceſſorum conceſſione relinquere, aut donare poſſit.

*Quas Eccleſias viſitantes indulgentias conſequantur.*

§. 17. Quam quidem Eccleſiam, in qua fuerit dictum numiſma repoſitum feſtis diebus Inventionis, & Exaltationis ſanctæ Crucis, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus verè pœnitentibus, & peccata ſua confeſſis, devotè viſitantibus, ſimiliter plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem damus, concedimus, & elargimur.

*Numiſma inteſtato decedentis ad propinquiorem Eccleſ. ſpectat.*

§. 18, Quod ſi quis numiſma habens ab inteſtato deceſſerit, volumus ut illud ad propinquiorem ejus domicilio Eccleſiam cum eiſdem gratiis, facultatibus, & indulgentiis pertineat.

*In articuloque mortis conſtitutis accommodari.*

§. 19. Cuicumque nihilominus in articulo mortis conſtituto de conſilio ejus Confeſſarii ipſum numiſma liceat commodare, qui itidem omnes ſupradictas indulgentias, & peccatorum remiſſiones valeat obtinere.

*Animabuſque Purgatorii proſit, impletis hic enarratis.*

§. 20. Poſtremò ut animabus quoque Chriſti fidelium in Purgatorio exiſtentibus, quæ per charitatem Domino Noſtro Jesu Christo unitæ ex hac vita migraverint, quæque antequam decederent, aliorum Chriſti fidelium ſuffragiis juvari meruerint, de cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, quorum diſpenſatores à Domino ad animarum ſalutem conſtituti ſumus, paternè ſubveniamus, divina miſeratione confiſi concedimus, ut quoties quilibet aliquod ex hujuſmodi numiſmatibus ſecum habens, pro dictarum animarum ſalute præmiſſa, eorumve aliqua adimpleverit, vel quicumque alius Eccleſias, in quibus eadem numiſmata exponi contigerit, dictis feſtis diebus Inventionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis viſitaverit, ipſæ animæ, pro quibus id fecerit, efficaciſſimis Jesu Christi Domini Noſtri meritis, ac ejuſdem Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Sanctorum Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniumque Sanctorum, & Sanctarum precibus, & interceſſionibus ſuffragantibus, eaſdem indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur.

*Clauſula hujus elargitionis præſervativa.*

§. 21. Præſentes verò literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, abrogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos, vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac in favorem Cruciatæ ſanctæ, vel aliàs quomodolibet faciendis minimè comprehendi, ſed quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes ab illis exceptas, & niſi de eis expreſſa, & individua mentio fiat adverſus illas in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri, & perpetuò validas, & efficaces fore, ac ſupradictis perſonis, & Eccleſiis perpetuis futuris temporibus ſuffragari debere decernimus, & declaramus.

*Clauſula derogatoria.*

§. 22. Non obſtantibus noſtra de non concedendis indulgentiis adinſtar, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides exemplorum.*

§. 23. Volumus autem, ut præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis eadem prorſus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Datum Romæ apud S. Petrum*, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Kal. Decemb. Pont. noſtri anno 3. *Dat. P. A. die 1. Dec.*

---

## Inſtitutio quindecim Congregationum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, cum juriſdictionum, & facultatum partita conceſſione, ad faciliorem univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, Statuſque Eccleſiaſtici, & Romanæ Curiæ negotiorum, & cauſarum expeditionem. LXXII

*Ad hac videnda ſunt, qua ſigillatim ad unamquamque rubricam Congregationis adnotabo.*

Aliæ à Clem. VIII. ſuperadditæ ſunt Congregationes Cardinalium, quarum altera eſt ſuper bono regimine Communitatum Status Eccleſiaſtici, in ſua conſtit. 10. *Pro commiſſa.* Alia verò eſt ſuper Baronibus dicti Status, in conſtitut. 41. *Iuſtitia.* Altera autem ſuper bannitis in conſtitut. 15. *In regendis.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. 1588.*

*Proœmium.*

IMmenſa æterni Dei omnium opifex ſapientia à fine uſque ad finem fortiter attingens, ſic cuncta inter ſe admirabili concordiæ nexu copulavit, ſuaviterque diſpoſuit, ut viciſſim ad ſuorum ſe munerum functiones exercendas mutuis auxiliis ſublevarent. Ipſa in cœleſti Hieruſalem varios beatorum ſpirituum ordines diſtinxit, quorum ſuperiores de divinæ providentiæ rebus inferiores illuminarent. Ipſa militantis Eccleſiæ, quæ triumphantis illius imago eſt, corpus variis membris diſcrevit, quæ capiti ſuo glutino charitatis compacta, & connexa, mutuò ſe adjuvarent, ex quo totius corporis ſalus, & conſervatio exiſteret.

*Cauſa huj. inſtit.*

§. 1. Quare jure optimo Romanus Pontifex, quem Chriſtus Dominus corporis ſui, quod eſt Eccleſia, viſibile caput conſtituit, omniumque Eccleſiarum ſollicitudinem gerere voluit, multos ſibi tam immenſi oneris adjutores advocat, atque adſciſcit, cum venerabiles Epiſcopos fratres ſuos, quos toto terrarum orbe ad ſingulos greges paſcendos mittit, tum ampliſſimum ordinem S.R.E. Cardinalium, qui tanquam nobiliſſima membra capiti propius cohærentia, eidem Summo Pontifici, ſicut Chriſto Domino Apoſtoli, ſemper aſſiſtunt, quique primi laborum, & conſiliorum ſocii ſunt, & participes, ut partita inter eos, alioſque Romanæ Curiæ Magiſtratus ingenti curarum negotiorumque mole, ipſe tantæ poteſtatis clavum tenens, divina gratia adjutrice, non ſuccumbat.

*Inſtitutio quindecim Congregationum, de quib. in rub.*

§. 2. Nos igitur magni illius Moyſi exemplo adducti, qui cum Deo loquens ſoceri ſui Jethro conſilium de variis judicibus conſtituendis non repudiavit, quique Dei juſſu inſignem Senatum ſeptuaginta ſeniorum conſcripſit, qui cum eo onus populi ſuſtinerent, ne ſolus ipſe gravaretur, Pontificium hoc onus Angelicis planè humeris formidandum, inter Senatores orbis terræ fratres noſtros Cardinales apta quadam diſtributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine, & varietate, ipſaque utilitatis ratione ſalubriter partiri decrevimus. Ea in primis cogitatione permoti, ut qui ex omnibus nationibus ad hanc matrem, magiſtram, perfugiumque fidelium Apoſtolicam Sedem, devotionis, ſalutiſque ſtudio, juris perſequendi, gratiæ impetrandæ, aliaſve multiplices ob cauſas frequentiſſimi confugiunt, ii quidem, & tutò, & commodè (quantum in Provinciis noſtris præſtare poſſumus) Romam perveniant: & ut faciliùs celeriuſque expediantur, diſtinctos Cardinalium Conventus, & Congregationes ad certas rerum, negotiorumque tractationes paratas habeant,

Cardinales

Cardinaleſque ipſi diſtributi muneris partem levius ferant, diligentius adminiſtrent, commodiùs nos conſulant, & denique viri primarii publicis in rebus exercitati, nullo unquam tempore deſint. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de eorundem fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu, ex eodem ſacro Collegio, quod per Dei gratiam viris pietate, doctrina, rerumque uſu præſtantibus, ex omni natione abundat, Congregationes quindecim conſtituimus, ſingulíſque certa negotia aſſignavimus, ita ut graviores, difficilioreſque conſultationes ad nos referant, ac unicuique earum ſuas facultates, & auctoritatem in eum modum, qui infra deſcriptus eſt, dedimus atque attribuimus.

*Congregatio prima, pro Sancta Inquiſitione.*

Iſta Congregatio jam diu inſtituta fuit, eique amplam auctoritatem dedit Paulus III. ut ſup. in ejus conſt. 34. *Licet ab*, ac Pius IV. conſtit. 79. *Cùm nos*, ac Pius V. conſtit. 21. *Sanctiſſimus*, & conſtit. 22. *Inter*, & conſtit. ſeq. *Cùm felicis*. Et inſuper videnda eſt inf. conſtit. 76. Clem. VIII. *Sanctiſſimus*.

*...firmatio ...us Congationis ... inſtitu-*

§. 1. IN primis igitur, quoniam fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, totius ſpiritualis ædificationis fundamentum eſt, cupientes hoc pretioſum depoſitum, quod nobis potiſſimum à Chriſto Domino in beato Petro Apoſtolo eſt creditum, adverſus omnes inferorum portas integrum inviolatumque cuſtodire, Congregationem ſanctæ Inquiſitionis hæreticæ pravitatis magna prædeceſſorum providentia, tanquam firmiſſimum Catholicæ fidei propugnaculum in Urbe inſtitutum, cui ob ſummam rei gravitatem Romanus Pontifex præſidere ſolet, nos quoque confirmamus & corroboramus, illiuſque omnia inſtituta, omneſque & ſingulas facultates à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis conceſſas, omnemque auctoritatem & poteſtatem eis communicatam, ſcilicet inquirendi, citandi, procedendi, ſententiandi, & definiendi in omnibus cauſis, tam hæreſim manifeſtam quàm ſchiſmata, apoſtaſiam à fide, magiam, ſortilegia, divinationes, Sacramentorum abuſus, & quæcumque alia, quæ etiam præſumptam hæreſim ſapere videntur, concernentibus, non ſolùm in Urbe, & Statu temporali nobis & huic ſanctæ Sedi ſubjecto, ſed etiam in univerſo terrarum Orbe, ubi Chriſtiana viget Religio, ſuper omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & alios inferiores, ac Inquiſitores, quocumque privilegio illi ſuffulti ſint, quorum, ac aliorum prædictorum ſeries his noſtris literis ad verbum expreſſa cenſeatur, confirmamus.

*...iſque fa-...tatum.*

§. 2. Ea denique omnia, quæ veluti per eoſdem prædeceſſores circa eandem Congregationem, illiuſque juriſdictionem & auctoritatem decreta fuerunt, nos itidem ſtatuimus atque decernimus.

*Indultorũ ...m officii ...iſtrorũ.*

§. 3. Exemptiones quoque, immunitates, privilegia, atque indulta, etiam ejuſdem officii miniſtris, vel in hunc uſque diem conceſſa, uſuque recepta, pariter approbamus.

*...tatio ad ...cipes, & ..., ut ei ...ãt, &c.*

§. 4. Obnixè in Domino hortantes, & per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, & per ejus tremendum Judicium obteſtantes chariſſimos in Chriſto filios noſtros, in Imperatorem electum, omneſque Reges, ac dilectos filios nobiles viros Rerum publicarum, alioſque Duces, illiſque regendis, & adminiſtrandis præpoſitos, ac ſingulos Orbis Terrarum Principes, & Magiſtratus, quibus gladii ſæcularis poteſtas ad malorum vindictam à Deo eſt tradita, per eam ipſam quam ſe tueri promiſerunt Catholicam fidem, ut ſic ſuas quiſque partes, ſive in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſive in criminum poſt Eccleſiæ ſententiam animadverſione interponat, quod eos pro eorum pietate libenter facturos confidimus, ut eorum quoque præſidio Miniſtri ipſi tantum munus, tamque ſalutiferum, pro Regis æterni gloria, ac Religionis incremento feliciter exequantur, cujus pii, Chriſtianique obſequii Principes ipſi & Magiſtratus ampliſſimum à Domino præmium recepturi ſunt in æternæ beatitudinis conſortio Catholicæ fidei aſſertoribus, & defenſoribus præparatum.

*Sed ex hoc nihil innovetur de officio Inquiſitionis Hiſpaniæ.*

§. 5. In his autem omnibus noſtra eſt intentio, ne in officio ſanctæ Inquiſitionis, in Regnis & Dominiis Hiſpaniarum, Sedis Apoſtolicæ auctoritate Superioribus temporibus inſtituto, ex quo uberes in agro Domini fructus in dies prodire conſpicimus, nobis, aut ſucceſſoribus noſtris inconſultis aliquid innovetur.

*Omittuntur hic nomina Cardinalium nunc deputatorum huic Congregationi, & aliis ſequentibus, quoniam ob eorum obitum alii ſubrogati ſunt, & frequenter ejuſmodi mutatio contingit.*

*Congregatio ſecunda, pro Signatura Gratiæ.*

Ad Signaturam Gratiæ videri poteſt conſt. Pii IV. num. 59. *Cùm nuper*, & conſt. 63. *In eligendis*, & noviſſimè edita Reformatio Pauli V. in conſtit. 71. §. 1.

*Cauſa huius inſtit.*

ET quoniam ad eam, quæ Signaturæ Gratiæ appellatur, & in qua nos etiam prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum more præſidemus, ex diverſis Orbis terrarum partibus, ob multiplices gratias obtinendas, magni concurſus fiunt, ſuppliceſque libelli referuntur, ut quæ judicum ordinaria facultate expediri nequeunt, poteſtate principis, qui viva eſt lex, juſtis de cauſis explicentur, & concedantur, ſanè pro locorum dignitate, & rerum ratione, magna circumſpectio adhibenda eſt, ut & honeſtæ ſupplicationes, quantum cum Domino licet, exaudiantur, & multorum petentium importunitas coërceatur.

*Inſtitutio Congregationis, & explicatio muneris Cardd.*

§. 1. Quamobrem Cardinales infraſcriptos Signaturæ noſtræ Gratiæ adſcribimus, ad hoc ut omnes Signaturam noſtram quavis de cauſa adeuntes, benignè audiant, porrectaſque oblatarum petitionum informationes excipiant, nobis verò, aut ſucceſſoribus noſtris, dum ſupplices libelli referuntur, aſſiſtant, opportunumque conſilium afferant, omnique depoſito humano affectu, ſincerè ſuam quiſque ſententiam, etiam non rogatus ex conſcientia dicat.

*Declaratio circa Cardinales ſupra numerum aliorum deputatorum.*

§. 2. Declaramus autem in dictam Congregationem ſemper eos Cardinales adſcriptos eſſe, qui infraſcriptis muneribus & officiis præfecti erunt, videlicet, Major Pœnitentiarius, Præfectus Signaturæ Gratiæ, Præfectus Signaturæ Brevium, Præfectus Signaturæ Juſtitiæ, & qui Datarii munere fungetur, ſi Cardinalis fuerit, qui ſimul atque eas præfecturas, & officia adepti erunt, ſtatim in ipſam Signaturam adnumerati cenſeantur.

*Congregatio tertia, pro erectione Eccleſiarum, & proviſionibus Conſiſtorialibus.*

Ad hæc vide etiam inf. in conſtit. 10. Greg. XIV. *Onus*, ubi etiam notabo in rubrica.

*Cauſa huius inſtit.*

ILla præterea cura ad paſtoralis noſtri officii ſollicitudinem, & Eccleſiæ univerſalis gubernationem maximè pertinet, ut ad fidelium populorum utilitatem, Eccleſiis jam erectis, aut in poſterum juſtis de cauſis erigendis, de Epiſcopis & paſtoribus idoneis, & fidelibus ac fructuoſis, in vinea magni patrifamilias operariis ſalubriter in Domino provideamus.

*Inſtitutio tertia Congregationis, & explicatio muneris Cardd.*

§. 1. Quare aliam conſtituimus Cardinalium Congregationem, qui in primis cognoſcant de legitimis cauſis erectionum novarum Eccleſiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, ac de cujuſque earum dote, Capitulo, Clero, Populo, & aliis, quæ ad ejuſmodi erectiones, juxta præſcriptum ſacri Concilii Tridentini, & ſanctorum Patrum decreta, neceſſaria erunt. Examinent præterea omnes difficultates de his incidentes, controverſias quoque inter eas, quæ jam erectæ ſunt, necnon dictarum Eccleſiarum, Diœceſum, vel Monaſteriorum uniones,

diſmembrationes, ceſſiones, permutationes, tranſlationes, penſionum ſuper illarum redditibus aſſignationes, Monaſteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, præſentationes, & nominationes, electionum, ſive poſtulationum confirmationes, ſeu admiſſiones, ſuffraganeorum, coadjutorumque deputationes cum futura ſucceſſione, ſive abſque eadem ſucceſſione, curamque adhibebunt ſolertem circa ætatem & qualitatem promovendorum, eaque diſcuſſa, & examinata, ad nos, ſucceſſoreſque noſtros referant, ut pro noſtro, eorumve arbitrio, in Conſiſtorio ſecreto juxta formam in hunc uſque diem ſervatam proponantur.

### *Congregatio quarta, pro ubertate Annonæ Status Eccleſiaſtici.*

Huic annonæ præficitur à Summo Pontifice unus ex Clericis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, ut videre eſt ſup. in conſt. 35. Gregorii XIII. *Inter cæteras*. Et pro ejus præſidio hic Pontifex ſcuta ducentûm millia tribuit infra in conſtitut. 78. *Abundantes*. Aliam Prælatorum Congregationem ſubordinavit Paulus V. in ſua conſtit. 70. *Paſtoralis*, ubi alia notabo.

*Cauſa hujus inſtit.*

CUmque ad providentiam noſtram pertineat curare, ut populi Eccleſiaſticæ ditioni ſubjecti, non ſolum pane verbi Dei reficiantur, ſed hoc quoque terreno, quem etiam cum illo à Patre cœleſti nobis dari quotidie petimus, abundent, pauperes præſertim & egeni, quibus parentis loco ſumus, idcircò ut in omnibus Provinciis noſtris, & in hac potiſſimùm Alma Urbe, ad quam tanta hominum frequentia undique confluit, res frumentaria benè curata ſit, & Annonæ publicæ copia benedicente Domino ſemper ſuppetat.

*Inſtitutio Congreg. & facultates Cardd. deputatorum.*

§. 1. Congregationem Cardinalium conſtituimus, quæ omni ſtudio curet, non ſolum in Urbe, ſed in univerſo Statu Eccleſiaſtico temporali copiam haberi frumenti, atque aliarum hujus generis frugum, quibus ad vitam humanam ſuſtentandam indigemus, quæ ſi peccatis populi id promerentibus ob terræ ſterilitatem in ditione Eccleſiaſt. aliquando, quod Deus avertat, deerunt, aliunde commeatum, pro locorum opportunitate, convehi, comportarique ſtudeat civitatibus, oppidis, locis, perſonis quibuſcumque, quavis etiam Eccleſiaſt. atque Cardinalatus dignitate fulgentibus, ea omnia, quæ ad abundantiam parandam, atque conſervandam erunt opportuna, præcipiat: Commiſſarios ubique locorum, prout exegerit neceſſitas, aut ſuaſerit utilitas, deputet, contra impedientes, aut negligentes, ſive Annonam extrahi vel abduci per ſeipſos, aut per alios, palam vel occultè procurantes, procedat, aliaque faciat, quæ ad Annonæ ubertatem omninò pertinere videbuntur.

*Quæ hic dicuntur de conſervatione præſidii, vide latiùs in conſt. 78. hujus Papæ, cit. in rub.*

§. 2. Præcipuam verò curam, & diligentiam adhibeat, ut pecuniæ ſumma, ſcutorum ſcilicet ducentorum millium, à nobis tam ſalubri ac neceſſario operi pauperum in primis cauſa paternè aſſignata atque attributa, nec in alium uſum convertatur, & integra conſervetur, quod ſi in charitate Annonæ aliquid ex dicta ſumma deceſſerit, illius recuperandæ, ac reintegrandæ ratio quamprimum tueatur, ut hoc publicum præſidium, & tanquam patrimonium pauperum, eorundem Cardinalium prudentia, & ſedulitate perpetuò aſſervetur, & prout in alia conſtitutione ſuper hoc à nobis edita latius explicatur.

### Congregatio quinta, pro Sacris Ritibus & Cæremoniis.

*Cauſa hujus inſtit.*

JAm verò, cum ſacri ritus & Cæremoniæ, quibus Eccleſia à Spiritu ſancto edocta ex Apoſtolica traditione & diſciplina utitur, in Sacramentorum adminiſtratione, divinis officiis, omnique Dei, & Sanctorum veneratione magnam Chriſtiani populi eruditionem, veræque fidei proteſtationem contineant, rerum ſacrarum majeſtatem commendent, fidelium mentes ad rerum altiſſimarum meditationem ſuſtollant, & devotionis etiam igne inflamment, cupientes filiorum Eccleſiæ pietatem & divinum cultum ſacris ritibus, & cæremoniis conſervandis inſtaurandiſque magis augere.

*Inſt[...] Congr[...] cum fa[...] tibus [...]*

§. 1. Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus hæc præcipuè cura incumbere debeat, ut veteres ritus ſacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbiſque Eccleſiis, etiam in Capella noſtra Pontificia, in Miſſis, divinis officiis, Sacramentorum adminiſtratione, cæteriſque ad divinum cultum pertinentibus, à quibuſvis perſonis diligenter obſerventur, cæremoniæ ſi exoleverint, reſtituantur, ſi depravatæ fuerint, reformentur, libros de ſacris ritibus, & cæremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent, officia divina de Sanctis patronis examinent, & nobis prius conſultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, feſtorumque dierum celebritatem, ut omnia ritè, & rectè, & ex Patrum traditione fiant, & ut Reges & Principes, eorumque Oratores, aliæque perſonæ, etiam Eccleſiaſticæ, ad Urbem, Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apoſtolicæ dignitate, ac benignitate honorificè more majorum excipiantur, cogitationem ſuſcipiant, ſeduloque provideant. Controverſias de præcedentia in proceſſionibus, aut alibi, cæteraſque in hujuſmodi ſacris ritibus & cæremoniis incidentes difficultates cognoſcant, ſummariè terminent, & componant.

### Congregatio ſexta, pro Claſſe paranda & ſervanda ad Status Eccleſiaſtici defenſionem.

*Subſidium annuum ſcutorum ducentûm millium, & quingentorum paravit & dedit hic Pontifex pro manutentione parata Claſſis decem triremium, ſed ejus Bullam tanquam minus neceſſariam duxi prætermittendam.*

*Cauſa [...] inſtit.*

PRæterea poſteaquam Dei benignitate, nec ſine magno noſtro labore & ſumptu, perditorum hominum licentia compreſſa, publica tranquillitas in locis mediterraneis reſtituta eſt, ut jam unicuique abſque timore ullo ſub vite ſua, & ſub ficu ſua quieſcere liceat, cupientes ut littora quoque, & oræ maritimæ ditioni noſtræ ſuperi inferique maris, à piratis, ac prædonibus, quantum fieri poteſt, tutæ ſint, nedum ad noſtrorum ſubjectorum ſecuritatem, verum ut exteræ quoque nationes ad hanc fidei petram communemque fidelium matrem ſecurè, pro eo quod in nobis eſt, accedant, ne à piratis in miſeram ſervitutem, quod alias perſæpè accidit, abducantur.

*Inſtitu[...] Congre[...] nis 6. [...] plicati[...] neris C[...]*

§. 1. Ob eas cauſas Cardinales quinque præficimus triremibus numero decem parandis, ædificandis, ornandis, omnique neceſſario nautico & militari apparatu inſtruendis, curaque diligentiſſima conſervandis, quarum ope, & præſidio, Deo adjutore, piratæ, & prædones coërceantur, & à noſtris littoribus longè repellantur: quare & earum triremium idoneos Duces ac Præfectos, nobis tamen & pro tempore Rom. Pont. conſultis, deligant, & cætera omnia ad ea quæ duximus celeriter utiliterque efficienda, pro ipſorum prudentia & ſedulitate diſponant. Deinde operam adhibeant, ut ſubſidium pecuniarium quodcumque ab iis, qui noſtro mandato huic tam neceſſario operi contribuere tenentur, fideliter, integrè, matureque exigatur, exactum verò ac receptum ad ſupradicta tantummodo opera perficienda ex voluntatis noſtræ præſcripto fructuosè impendatur. Illud autem Cardinales ipſos magnopere admonemus, ut curent diligenter, ut in his triremibus Apoſtolicis nautæ omnes & milites, non ſolum ex nautica militarique, ſed multò magis ex Chriſtiana diſciplina, piè & modeſtè vivant. Quare viros Religioſos, animarum corporumque curatores deligant, qui valentes ad pietatem inſtruant, ægrotos multæ charitatis affectu, quovis neceſſario adjumenti genere, ſpirituali in primis recreent atque reficiant. Denique omni loco à Præfectis, militibus, nautis ea piè vivendi ratio, & inſtitutio obſervetur, ut verè illos Chriſtianos, ac Pontificios eſſe omnes agnoſcant.

Congre

## Congregatio ſeptima, pro Indice librorum prohibitorum.

*Iſta Congregatio perfecit Indicem librorum hujuſmodi alias à Pio IV. approbatum, ut videre eſt in Clem. VIII. conſt. 36.* Sacroſanctum, *ubi de ejus facultatibus etiam notabo.*

QUia verò hæreſis morbus animæ pernicioſiſſimus ut cancer ſerpit, & filii tenebrarum arcem Catholicæ veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris præſertim hæreſis veneno infectis promulgandis, aliiſque noxia doctrina aſpergendis, corrumpendiſque, poſtulat à nobis paſtoralis officii ſollicitudo, ut vulpes doloſas, & lupos rapaces ab ovili Chriſti omni vigilantia arceamus.

§. 1. Quare ut Cardinales, qui ad libros prohibendos, expurgandoſve delecti ſunt, in ea cura diligenter, ac majori cum fructu verſentur, has illis facultates tribuimus, ut librorum ejuſmodi catalogos, & indices, aut olim, aut proximè confectos, eorumque regulas editas recognoſcant, atque examinent, certorum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus indicibus ſuſpenſos diligenter excutiant, & prout expedire judicaverint, permittant libros, qui poſt indicem Tridentini Concilii juſſu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, Chriſtianorumque morum diſciplinæ repugnantes expendant & recognoſcant, ac ubi nobis retulerint, noſtra auctoritate rejiciant, hominum verò injuria & dolo depravatos emendent, eos libros, qui paucis erroribus rejectis, alioquin utiles ſtudioſis eſſe poſſent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indiceſque expurgatorios conficiant, novos præterea libros approbandi, & imprimendi rationem præſcribant. Univerſitatum Pariſienſis, Bononienſis, Salmanticenſis, Lovanienſis, aliarumque probatarum ſtudia, ad librorum expurgationem & correctionem excitent, earumque diligentem operam & induſtriam requirant. Permittimus quoque eidem Congregationi, ut Theologis, Canoniſtis, aliiſque peritis viris, piis atque idoneis, etiam aliunde accerſitis, ad hoc omne negotium Reipublicæ Chriſtianæ, tam in his temporibus neceſſarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec verò aliis libros vetitos tenendi, legendique, etiam abſque noſtra licentia impertiatur facultatem.

## Congregatio octava, pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini.

*Hujus Concilii indictionem, proſecutionem, & approbationem, & hujus Congregationis inſtitutionem vide ſup. in Pio IV. conſt.* 23. Ad Eccleſiæ, *& conſtitut.* 83. Alias nos.

DEo autem Patri miſericordiarum gratias agentes qui in Oecumenico Concilio Tridentino Spiritus ſancti lumine diffuſo, catholicam veritatem omnibus patefecit, hæreſes noſtrorum temporum confutavit, mores & diſciplinam reſtituit, ejuſdemque Concilii decreta ab omnibus obſervari volentes, cum ad ſingularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo ſpectet Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, & ut ubique locorum ſerventur, curare ac præcipere.

§. 1. Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipſis reſervamus, Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilii Tridentini, ſiquando in his quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis judiciis, aliiſque hujuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerint, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impartimur. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum eſt, Synodos Provinciales tertio quoque anno, diœceſanas ſingulis annis celebrari debere, id in executionis uſum ab iis quorum intereſt, induci eadem Congregatio providebit. Provincialium verò, ubivis terrarum illæ celebrentur, decreta ad ſe mitti præcipiet, eaque ſingula expendet & recognoſcet. Patriarcharum præterea, Primatum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, (quibus beatorum Apoſtolorum limina certo conſtituto tempore viſitare alia noſtra ſanctione juſſum eſt) poſtulata audiat, & quæ Congregatio ipſa per ſe poterit, ex charitatis & juſtitiæ norma expediat, majora ad nos referat, qui fratribus noſtris Epiſcopis, quantum cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iiſdem Præſulibus Eccleſiarum expoſcat, quæ in Eccleſiis eorum curæ, ac fidei commiſſis, Cleri, Populique morum diſciplina ſit, quæ Concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum præſertim in reſidentiæ munere, executio, quæ item piæ conſuetudines, & qui omnium denique in via Domini ſint progreſſus, ipſiſque det literas ex formula præſcripta in teſtimonium obitæ per eos viſitationis liminum Sanctorum eorundem Apoſtolorum. Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem Cleri & populi, nedum in Urbe, & Statu Eccleſiaſtico temporali, ſed etiam in univerſo Chriſtiano Orbe, in iis quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, & mores Chriſtiani populi ad præſcriptum ejuſdem Concilii componendos, atque ad rationes difficillimis his, perturbatiſque temporibus neceſſarias conformandos, quo uberius divinæ miſericordiæ vim in nobis ſentiamus, juſtamque iram, atque animadverſionem effugiamus.

*Iſta conſtitutio de viſitandis liminibus Apoſt. habetur ſup.*

## Congregatio nona, pro Status Eccleſiaſtici Gravaminibus ſublevandis.

*Cauſa hujus inſtit.*

NEc verò paternus noſter affectus, quem erga populos nobis & huic ſanctæ Sedi ſubjectos, tanquam erga peculiares filios gerimus, eo contentus eſt, quod Deo auctore, noſtraque ſollicitudine publica pace, & tranquillitate perfruuntur, quodque de eorum utilitate & quiete multis aliis modis præſtanda & augenda aſſiduè cogitamus, ſed eos etiam ab exactionum oneribus ob temporum interdum difficultates, variaſque publici boni rationes à prædeceſſoribus noſtris impoſitas, magno opere, quantum fieri poterit, cupimus ſublevare.

*Inſtitutio Congregationis 9. cum ejus facultatibus.*

§. 1. Quocirca nonam inſtituimus Cardinalium Congregationem, ut quæcumque gravamina vectigalium, pedagiorum & tributorum, cujuſcumque generis illa ſint, eorumque exigendi rationes, Quæſtorum injurias, ſi quas adeſſe comperetint, Commiſſariorum extorſiones, judicii forma planè poſtpoſita, maturè audiat & cognoſcat, atque ſi fieri poſſe videbitur, controverſias moderetur & componat: quod ſi rationibus hinc inde allatis accuratè expenſis, res tranſigi nequiverit, eam totam ad nos deferat, ut quod æquum & pium erit, ejus Congregationis conſilio prudenter definire valeamus, cauſas verò in quibus judicialis ordo requiritur, propriis judicibus de jure decidendas relinquat. Qui autem à judicibus ſenſerint ſe gravatos, ad Tribunalia, quæ his ſunt ex antiqua inſtitutione præpoſita, ac ad alia, ut moris eſt, juris remedia confugiant.

## Congregatio decima, pro Univerſitate Studii Romani.

*De iſtius Romani Studii erectione, ejuſque indultis, & regimine notavi ſup. in Bonif. VIII. conſtit. 9.* In ſupremæ.

*Cauſa hujus inſtit.*

ILlud etiam cogitantes, quod literarum cognitio, liberaleſque doctrinæ & diſciplinæ, quibus juventus in publicis Gymnaſiis inſtruitur & eruditur, magnam Chriſtianæ Reip. ſi cum pietate conjungantur, afferunt utilitatem: tunc enim Civitates & Regna optimè adminiſtrantur, cum ſapientes atque intelligentes gubernacula poſſident, ob eam ſanè cauſam Romani Gymnaſii ejuſque Univerſitatis ornandæ & amplificandæ curam meritò gerimus, unde & ipſam univerſitatem ab ære alieno vigintiduorum millium ſcutorum, & aliis pluribus oneribus ſublevavimus, ac planè liberavimus.

*Inſtitutio Congregationis 10. & explicatio facultatis Card.*

§. 1. Itaque ut illius rationibus quamoptimè proſpiciamus, Cardinales quinque eidem Gymnaſio, & univerſitati, illiuſque reformationi præficimus, quibus

facultatem concedimus, ut cum opus fuerit, præclaros Theologiæ Magiſtros, Juriſconſultos egregios, & liberalium artium profeſſores eximios undecumque ad juventutem erudiendam evocent, qui morum integritate, eruditione, atque elegantia literarum non minus præſtent, quam peritia, uſuque docendi, aſſiduiſque prælectionibus juvenes inſtruant, utque ſingulis ſcientiarum Magiſtris pro meritorum ratione, re tamen nobiſcum, aut cum ſucceſſoribus noſtris participata, ſtipendium conſtituant. Inſuper, cum in hac Alma Urbe noſtra ſingulari Dei beneficio inter alias diſcentium ſcholas Græcorum, Maronitarum, & Neophytorum, ingenti Pontificum liberalitate, atque munificentia, erecta ſint Collegia, congruiſque redditibus dotata, in quibus ſacra Theologia, liberaleſque artes Hebraïcè, Græcè, Arabicè, & Chaldaïcè edocentur, eiſdem Cardinalibus injungimus, ut horum Collegiorum Alumnos ad literarum ſtudia ardentiori animo complectenda, quod ad fidei Catholicæ propagationem, & literarum ornamentum, & ingenia excolenda maximè pertinet, opportunè pro eorum pietate & prudentia, omni adhibito ſtudio, excitari curent. Denique cum in præcipuis Chriſtiani Orbis partibus ſanctè hæc Apoſtolica Sedes, ut pia mater, inſignes quaſdam Univerſitates, in quibus ſacrarum literarum, legum, & artium præſtantiſſima ſtudia florent, olim in tutelam, & clientelam receperit ſuam, nimirum Pariſienſem, Oxonienſem, Bononienſem, Salmantinam, ut in eis ſcilicet ex Apoſtolicæ Sedis protectione bonarum artium ſtudia tanto majori cum fructu excolerentur, nos & illas ipſas, & cæteras Catholicas Univerſitates paterna benevolentia complectentes, nec ipſam Oxonienſem, quantum in nobis eſt, deſerentes, ſed ex intimo animi affectu ad matris gremium, & ad viam ſalutis revocantes, omneſque intimo cordis affectu, & ſumma benevolentia proſequentes, ac ſub noſtra & beati Petri Apoſtolorum Principis protectione iterum ſuſcipientes, eidem Congregationi imponimus, ut earundem Univerſitatum, atque ad eas pertinentium negotiorum apud Sedem Apoſtolicam curam gerat, illarumque neceſſitates nobis, ſucceſſoribuſque noſtris ordine exponat, ut eis ex paterna charitate opem, & auxilium afferre valeamus, eaſque interdum per literas viſitet, noſtroque nomine Catholicis viris Apoſtolicam benedictionem impertiatur, illiſque ut proſpera cuncta eveniant, aliis verò ſpiritum conſilii ſanioris à Deo Optimo Maximo deprecetur.

## Congregatio undecima, pro Conſultationibus Regularium.

*Cauſa hujus inſtit.*

NEc ſanè minus de Regularium Ordinibus ſolliciti ſumus, qui Eccleſiæ Dei magnum adjumentum atque ornamentum omni tempore præſtiterunt, imò verò ſummoperè cupientes, eorum ſalutaria ſtudia, progreſſuſque ad pietatem promovere; qui è fluctibus ſæculi in portum Regularis vitæ confugerunt, ob eam cauſam, ut remotis impedimentis, & inanibus contentionibus amputatis, ſub ſuavi Religionis jugo, & ſuorum inſtitutorum obſervantia quietè vivant, gratumque Altiſſimo famulatum exhibeant.

*Inſtitutio Congregationis 11. cum facultatibus Card.*

§. 1. Quinque alios Cardinales delegimus, quibus facultatem concedimus, ut Regularium, Clauſtralium, Mendicantium & non Mendicantium, Hoſpitalariorum & Militarium, poſſidentium & non poſſidentium, cujuſvis demùm Ordinis ſint, controverſiis, dubitationibus, conſultationibuſque propoſitis reſpondeant. Cauſas verò quas inter ipſos Religioſos oriri contigerit, juxta quarumcumque Religionum inſtituta, eorumque diſpoſitionem, ſuperiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter Epiſcopos & Regulares dubitationes inciderint, quæ ſub decretorum Concilii Tridentini diſpoſitione, aut interpretatione comprehendantur, eas ad eandem Congregationem Concilii remittant. Audiant itidem ac decidant prædicti Cardinales cauſas & controverſias inter prædictos Ordines vertentes, ſive in univerſum, ſive ratione particularium locorum, dummodo formam judiciariam non requirant. Concedimus etiam, ut dictis Regularibus, non ad laxiorem, nec ad parem, ſed ad arctiorem Religionem tranſeundi, iis quos fervore ſpiritus incenſos ad perfectioris vitæ ſtatum tranſire velle conſtiterit, non obſtantibus quibuſcumque prædeceſſorum noſtrorum decretis, licentiam dare poſſint. Apoſtatarum quoque, ejectorum, & præterea extra Monaſteria degentium, aut vagantium cauſam iidem Cardinales audiant & cognoſcant, eoſque coërcendi poteſtatem habeant. Curent præterea viſitationis Apoſtolicæ juſſa, & conſtitutiones editas à Romanis Pontificibus circa ipſos Regulares exequendas, & in uſum introducendas. Provideant inſuper Regulares laudatæ vitæ, zelo Dei, & ſalutis animarum, & prudentia ſpiritus præditos, inſtitutorumque Regularium Ordinis, & laudabilium conſuetudinum peritiſſimos, qui cum neceſſitas exegerit, Provincias ſui Ordinis, & non alterius, receptis à nobis literis, ad Omnipotentis Dei laudem, & locorum utilitatem ſalubriter viſitare valeant. Sub nomine autem Regularium etiam Moniales, cujuſvis ſint Regulæ, & obſervantiæ comprehendi volumus. Omne denique ſtudium Cardinales ipſi impendant, ut ab inferioribus erga ſuperiores debita humilitas & obedientia, ac viciſſim à ſuperioribus erga illos paterna benevolentia in multa charitate & diſciplina, in ſpiritu lenitatis adhibeatur, neve dominentur inter fratres, ſed Superiores ipſi Patres ſe eſſe meminerint. Poſtremò eoſdem Cardinales quaſi Religioſorum omnium tutiſſimum perfugium eſſe volumus, ut eorum auctoritate & auxilio recreati, ſtudium Religioſæ vitæ, & Regularis perfectionis ſine impedimento ſtrenuè percurrant.

## Congregatio duodecima, pro Conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum.

*Cauſa inſtit.*

ET nos quidem ex Apoſtolicæ ſervitutis officio, omnibus Chriſti fidelibus ad ædificationem debitores ſumus, ſed tamen præcipuo charitatis affectu, in Chriſto complectimur venerabiles Patres noſtros Eccleſiarum Præſules & Paſtores, qui ex præcepto Apoſtoli vigilant, in omnibus laborant, miniſteriumque ſuum implent.

*Inſti[tutio] Congr[egationis] & [facul]tatibus [eius] C[ard.]*

§. 1. Quare ut ab Apoſtolica Sede, à qua tanquam à matre honorem & juriſdictionem acceperunt, ſibi, cum opus erit, auxilium, præſidiumque paratum eſſe intelligant, ut greges ſuos tanto fructuoſius paſcant, quinque itidem Cardinales præponimus Epiſcoporum & aliorum Prælatorum conſultationibus audiendis. Quorum erit facultas, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum quorumcumque, etiam inferiorum, non tamen Regularium, petitiones audiant, propoſitiſque difficultatibus, quæſtionibus, ac controverſiis, aliiſque ſuper quibus conſulti fuerint, etiam per literas ſedulò humaniterque reſpondeant, dubia, rationes, & cauſas Eccleſiarum, earumque dignitatis, juriſdictionis, exemptionis, immunitatis, jurium, privilegiorum, & laudabilium conſuetudinum conſervationem concernentes ſummariè cognoſcant, atque tam ex partium petitione quàm ex officio componant, prout honeſtum, opportunumque eis videbitur. Cauſas item & controverſias inter eoſdem Prælatos de juriſdictione, aliave de cauſa exortas, item inter Capitula, aut obtinentes dignitates, ac inter quaſcumque ſingulares perſonas, & univerſitates, aut locorum in temporalibus Dominos, præter eas quæ Concilii Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem judiciarium reipſa requirunt, examinent, atque amicabiliter deſuper tranſigere, etiam per alios, ſi ita conſultum videbitur, etiam extra diœceſim curent. Ac præterea ad Eccleſias viſitandas ubique locorum, in quibus Chriſtiana viget Religio, viſitatores nobis præſentent, ut exemplo B. Gregorii Magni, S. Leonis, & aliorum Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, cum in Domino expedire videbitur, deſtinare valeamus. Viſitationis item formam illis præſcribant, ut multo cum ſpirituali fructu, & fidelium ædificatione munus ſuum obeant, negotiorumque omnium tractationis modum aſſignent, ac negligentiam, ſi quando opus erit,

emendent,

menſent. Inſuper, ubi neceſſitas exegerit; viros uſu, & doctrina idoneos, rectos, & timentes Deum deligant, qui noſtrarum literarum auctoritate ſuffulti, Eccleſias ut Vicarii Apoſtolici regant. Denique eoſdem Cardinales immunitatis Eccleſiarum defenſores, ad tuendum ipſarum Prælatorum perſonas, res, & bona quæcumque Eccleſiarum prædictarum, ab omnium injuriis atque oppreſſionibus adverſus quoſcumque quavis auctoritate præfulgentes conſtituimus.

## Congregatio decimatertia, pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis.

*Huic Congregationi curam hic Pont. demandavit Aquæ Felicis, mox ab eo ad Urbem conductæ, ut videre eſt infra in conſt.* 101. Supremi.

ET quoniam curæ & cogitationes noſtræ ità communis boni procuratione defixæ ſunt, ut dum graviora majoraque diſponimus, eorum etiam quæ minora videntur, non obliviſcamur, conſiderantes quod ad Almæ Urbis, locorumque ditionis noſtræ Eccleſiaſticæ ornamentum, aëris ſalubritatem, civium, incolarumque utilitatem, ac ad Peregrinorum, iterque agentium commoditatem, eorum præſertim qui ad hanc Apoſtolicam Sedem, & Apoſtolorum limina, totque ſancta loca innumerabilium Martyrum ſanguine conſecrata piè viſitanda concurrunt permagni intereſt Viarum, Pontium, & Aquarum curatiò.

§. 1. Nos idcircò huic rei conſulentes, Cardinales ſex infra nominatos deputavimus, quibus facultatem damus vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi, factaſque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres jam occupatas iterum in publicum uſum vendicandi & redigendi. Pontes item tuendi, & ubi opus eſt, novos exſtruendi, vetereſque ruinoſos inſtaurandi, & jam collapſos, ſi ita neceſſitas tulerit, reficiendi. Aquarum præterea curam gerendi, illarum præſertim, quas nos tanta impenſa, & labore in Urbem adduximus, illaſque certa menſura ad publicum uſum & commoditatem melius diſtribuendi, & ubi majori aquarum copia opus eſſe viderint, fontes aquarum magis uberes unde deduci poſſint, inveſtigandi, deductiones, ſubſtructiones, caſtella, formas, aquæductus, receptaculaque earundem ſarta tecta conſervandi, omne impedimentum tollendis. Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Præſides & Miniſtros, quibus ea ſpecialis cura data eſt, dirigendi, & ab contradictoribus protegendi, aliaque in his neceſſaria & opportuna exequendi. Si qua verò difficultas, aut cauſa, tam contra domicellos, communitates, & univerſitates, quàm contra quoſcumque alios etiam immunes atque exemptos ſuper his omnibus jam exorta ſit, vel in poſterum inciderit, eam omnes ſummariè, ſola facti veritate inſpecta, ac re primùm ad nos, & ſucceſſores noſtros relata demum definiendi poteſtatem facimus. Qua facultate iidem Cardinales nedum in Alma Urbe, verum in univerſa Eccleſiaſtica ditione temporali uti poſſe ſtatuimus.

## Congregatio decimaquarta, pro Typographia Vaticana.

*Hæc mox juſſu Pauli Quinti, qui eam Camerali Typographia univit, Cameralis nuncupatur.*

CÆterùm, cum ex omni antiquitatis memoria notum ſit, quantum ſemper detrimenti attulerint hæreticorum, aliorumque veritatis hoſtium inſidiæ, & doli ſacris libris, Sanctorumque Patrum monimentis multis modis corrumpendis, quantamque hoc potiſſimum ſæculo animarum perniciem importaverint eorundem librorum mendoſæ impreſſiones, atque editiones impuro & peſtifero hæreſum fermento, aliiſque erroribus coinquinatæ & corruptæ.

§. 1. Nos volentes pro noſtra Pontificia ſollicitudine, ut hæc præclara & ſalutaris noſtra hæreditas à majoribus accepta inviolata conſervetur, nuper ejus rei cauſa non mediocri noſtra impenſa Typographiam Vaticanam ereximus; nunc autem pro rei & negotii gravitate, infraſcriptorum Cardinalium Congregationem ſtatuimus, quibus imponimus, ut ſacra Biblia Latinæ Vulgatæ, Græcæ & Hebraicæ editionis, decretales Epiſtolas, Concilia generalia, Sanctorum præcipuorum Eccleſiæ Doctorum opera, cæteros denique libros, quibus fidei Catholicæ doctrina traditioneſque Eccleſiaſticæ continentur & explicantur, quamemendatiſſimè curent imprimendos. Quare mandamus, ut vetuſtis manuſcriptis, emendatiſque codicibus adhibitis, præſertim ex nobili & optimis libris referta Pontificia Vaticana Bibliotheca, adjumento etiam, ſtudio atque opera doctiſſimorum hominum ex omnibus Chriſtiani orbis nationibus, per nos aut ſucceſſores noſtros ſelectorum, qui linguarum peritiſſimi ſint, libros imprimendos accuratè diligenterque conferant & recognoſcant, ut eorum editio, quantum fieri poterit, integra atque incorrupta prodeat. Si quæ verò graviores dubitationes, & difficultates in veterum codicum auctoritate, librorum correctione & emendatione inciderint, rebus prius in Congregatione examinatis, ad nos referant, ut in lectionum varietate, id quod orthodoxæ veritati maximè conſonum erit, ex ſpeciali Dei privilegio huic ſanctæ Sedi conceſſo ſtatuamus. Demum eadem Congregatio Typographos, & librorum recognitioni Præfectos in quibuſvis Chriſtiani Orbis Regnis & Provinciis admonebit, ut diligentem opportunamque operam ad ſua quæque officia fideliter atque integrè exequenda præſtent, in librorumque hujuſmodi editione accuratiſſimè verſentur, & ad Vaticanæ impreſſionis præſcriptum, ac normam omninò ſe conforment.

...nis 14. cum ſuis facultatibus.

## Congregatio decimaquinta, pro conſultationibus negotiorum Status Eccleſiaſtici.

DEnique cum valde conſentaneum ſit, ut qui longinquos & externos in Domino complectimur, eorumque negotia breviter expediri curamus, domeſticis & propinquis, qui ſub noſtra & Apoſtolicæ Sedis peculiari tutela ſunt, hac quoque in re propenſiùs conſulamus, idcircò ut fideles Eccleſiæ Romanæ filii ditioni noſtræ temporali ſubjecti, ad varia negotia, cauſas, neceſſitateſque ſuas proponendas perfacilem aditum inveniant, remediumque ex juſtitiæ & æquitatis præſcripto opportunè celeriterque obtineant.

*Cauſa hujus inſtit.*

§. 1. Cardinales itidem quinque eorum conſultationibus præficimus, ac proponimus, quorum juris ſit conſultationes, dubitationes, & querelas ſuper cauſis civilibus, criminalibus & mixtis, ad forum ſæculare dumtaxat ſpectantes audire, illaſque inter ſe ſtatis diebus conferre, quod æquum eſſe, quodque omnibus diligenter conſideratis de majoris partis ſententia expedire cenſuerint, ſtatuere & deliberare, juſtitiam expedire, adminiſtrare, quæ decreta ac definita erunt, executioni tradi curare. Ipſiſque facultatem concedimus, ut ipſi omnibus negotiis & cauſis, cujuſcumque generis illæ ſint, etiam inter Fiſcum & privatum, & inter privatos, Communitates, Univerſitates, Collegia, eorumque Rectores, aut alios quoſcumque, etiam coram ditionis Eccleſiaſticæ Magiſtratibus, & Miniſtris introductis, & pendentibus, quod juſtum & æquum videbitur, præcipiant, cauſas ab eis, ubi id jus & ratio poſtulaverit, auctoritate noſtra avocent, aliiſque Judicibus committant, Gubernatoribus, Prætoribus, cæteriſque omnibus officia ex Sedis Apoſtolicæ auctoritate gerentibus, ut juſſa & imperata ejus Congregationis exequantur ſignificent, impoſitas pœnas ſive mulctas, bonorum proſcriptiones, ſeu confiſcationes, corporis pœnis etiam capitis ultimique ſupplicii (nobis tamen prius de ea re conſultis) moderentur, & commutent, ac eos qui in carcere erunt, de loco ad locum, ubi id ita expedire judicaverint, transferri mandent, cæteraque pro juſtitiæ conſervatione, ſubditorumque noſtrorum quiete, & tranquillitate deliberent ac provideant.

*Inſtitutio Congregat. 15. & explicatio muneris Cardinalium.*

Sequitur

*Sequitur declaratio facultatum prædictarum Congregationum. Et alia habentur immediatè poſt hanc bullam, & in ejus fine.*

*Congregationes prædictæ fiant tribus aſſiſtentibus Cardd.*

§.1. DEnique quo dictarum Congregationum expeditiones validæ exiſtant, Cardinales in qualibet Congregat. non ſint pauciores tribus. Ad judiciorum verò confuſionem evitandam, volumus ut unaquæque Congregatio quando aliqua cauſa, quæſtio vel conſultatio ad eam delata fuerit, diligenter perpendat, an ad ipſam propriè ejus cauſæ cognitio & expeditio pertineat, & ſi ad ſe minimè ſpectare cognoverit, eandem ad judices ordinarios, vel ad propriam Congregationem remittat.

*Secretarios proprios habeant.*

§. 2. Itidem Cardinales dictarum Congregationum proprios ſigillatim habeant Secretarios, ab eiſdem liberè deputandos, & ad res, quæ in dies geruntur, annotandas, & in publicam formam, ſi opus fuerit, redigendas.

*Theologi & viri periti in conſultationibus adhibeantur.*

§.3. Et quoniam divinis oraculis admonemur, ubi multa conſilia, ibi ſalutem adeſſe, eædem Congregationes pro earum arbitrio viros ſacræ Theologiæ, Pontificii, Cæſareique juris peritos, & rerum gerendarum uſu pollentes in conſultationibus advocent, atque adhibeant, ut cauſis, quæſtionibus, & negotiis quam optimè diſcuſſis, quæ Dei gloriæ, animarumque ſaluti, & juſtitiæ, atque æquitati conſentanea maximè erunt, decernantur, graviora verò quæcumque ad nos vel ſucceſſores noſtros deferantur, ut quid ſecundum Deum expediat, ejus gratia adjuvante maturè ſtatuamus.

*Decretum irritans.*

§.4. Sicque & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam dictos Cardinales, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Clauſula derogatoria.*

§.5. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſcumque formulis illa ſint concepta. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio habenda eſſet, eorum tenores, ac ſi ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis atque inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, expreſsè ac latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Hortatio ad Principes Chriſtianos.*

§.6. Demùm per paternam noſtram charitatem & auctoritatem, quæ nobis à Chriſto Domino data eſt, admonemus, & per ipſum, per quem Reges regnant, obteſtamur chariſſimos in Chriſto filios noſtros in Imperatorem electum, omneſque Reges, ac dilectos filios nobiles viros Rerumpublicarum, alioſque Duces, ac cæteros ſæculares Principes, quos Deus in excelſo loco conſtituit, & temporali poteſtate communivit, ut fidei Catholicæ propugnatores & defenſores ſint, de quorum pietate, & erga Apoſtolicam Sedem obſervantia, atque obedientia magnopere in Domino confidimus, & quam etiam multis argumentis perſpectam habemus.

*Monitioque ad quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas, ut in præmiſſis faveant, & obediant.*

§.7. Alios verò Eccleſiaſtica dignitate præditos per hæc Apoſtolica ſcripta, ac per debitæ obedientiæ vinculum, ſtatuſque ſui ſublimem conditionem, qua Deo arctius religati exiſtunt, obſtringimus, ut his noſtris conatibus ad Dei laudem, fidei propagationem, fidelium commoditatem & ſalutem aſſiſtant, ac auctoritatem, quæ Eccleſiæ Præſulibus in B. Petri perſona à Chriſto Domino credita & collata fuit, ad fidei Catholicæ exaltationem & augmentum, prout ex eorum munere tenentur, noſque eos piè facturos ſperamus, tueantur & defendant, ac operam dent, ſtudiumque demùm omne conferant, ut eadem auctoritas Eccleſiaſtica omninò illæſa conſervetur, ac Eccleſiæ Dei miniſtris opem & auxilium in omnibus impendant, & de Sede Apoſtolica, ex ſua, majorumque ſuorum pietate benemereri non deſinant, memores ſe in ſuſceptione Imperialis, ac Regii diadematis & Principatus, ad id præ cæteris devinctos eſſe, ut inde in hac mortali vita felicitatem, noſtramque & Sedis ejuſdem benignitatem ac gratiam uberiùs valeant promereri, poſt exactum verò mortalis hujus vitæ curriculum, à Deo æternam gloriam & beatitudinem conſequantur. Quod ſi ſecus ab eorum aliquo, quod minimè credimus, factum erit, divinam iram, donec ſub potenti manu Dei humilientur, qui tarditatem pœnæ ſupplicii interdum gravitate compenſat, ſe minimè effugere poſſe certò ſciant.

*Hæc [con]ſtitutio [per]petua, [in]ter Ap[oſtoli]cas [conſtitu]tiones [annu]meran[da].*

§.8. Ut autem hæ noſtræ literæ quamprimum ubique locorum & gentium innoteſcant, quas inter alias Apoſtolicas, perpetuaſque conſtitutiones annumeramus, illas publicis in locis de more affigi, earumque exemplis, vel etiam impreſſis, ſigillo obſignatis alicujus perſonæ Eccleſiaſtica digniate præditæ, ac quibus Notarius publicus ſubſcripſerit, eandem fidem haberi volumus, quæ his exhibitis maxima cum reverentia omninò eſſet adhibenda.

*Sanctio [pœ]nalis.*

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum decretorum, conſtitutionum, aſſignationis, dationis, attributionis, confirmationum, corroborationis, ſtatutorum, approbationis, declarationis, delectionum, præfectionum, tributionis, permiſſionis, reſervationis, impartitionis, inſtitutionis, conceſſionum, injunctionis, impoſitionis, voluntatum, mandati, præpoſitionis, derogationis, admonitionis, obteſtationis, obſtrictionis, & annumerationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. A[nno] die 11. Febru[ar].*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. 11. Kal. Februar. Pontificatus noſtri anno tertio.

*Publica[tio].*

*Anno à Nativitate Domini 1587. indictione 15. die verò Mercurii 23. menſis Martii, Pontific. Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papa V. anno ejus 3. retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis, ſeu portis S. Ioan. Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellaria Apoſtol. & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Hieron. Lucium S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

*Sequuntur aliæ declarationes editæ in Conſiſtorio die 11. Maii 1588. circa dubia in Congregationibus evenienda.*

*Inſtit[utio] Congre[gatio]num, [ut] ſuprà.*

SAnctiſſimus D. N. poſtquam deputavit omnes Cardinales ſuper diverſis Congregationibus, ut vellent illis incumbere, & expedire negotia quæ ibi tractanda erunt, ut & ipſe Sanctiſſimus à laboribus ſublevetur, & partes citius expediantur.

*Amoti[o du]bitati[onum] cum [decla]rationi[bus] ſubſeq[uenti]bus.*

§.1. Et ne in futurum dubitari contingat, ſuper aliquibus dubiis, quæ oriri poſſunt ſuper facultatibus ipſis Congregationibus datis, ideò Sanctitas ſua fecit quinque infraſcriptas declarationes.

*De[cl.] prima.*

§.2. Prima eſt, quod ſi ante inchoatum judicium coram aliquo Judice, pars coram Congregatione Conventa renuerit in illam conſentire, & noluerit cauſam à Congregatione terminari, tunc ad Judicem competentem remittatur.

*De[cl.] ſecun[da].*

§.3. Secunda eſt, quod ſi coram aliquo Judice inchoatum fuerit judicium, & deinde partes concordes Congregationem adjuverint, tunc Congregatio cauſam decidat, & acta ad ſe tranſportari faciat.

*Decla[ratio] tertia.*

§.4. Tertia eſt, quod ſi cauſa coram Congregatione cœpta fuerit, & deinde aliquod emergens ſupervenerit, tunc nedum illa cauſa cœpta, verum etiam illud emergens à Congregatione expediatur.

*Decl[aratio] quarta.*

§.5. Quarta, quod ſi cauſa in ipſa Congregatione deciſa, requirat ut ſuper illa expediatur ſupplicatio vel Breve, tunc decrevit Sanctitas ſua, quod in ipſa ſupplicatione,

vel

vel in ipſo Brevi fiat mentio, cauſam de ordine Congregationis fuiſſe terminatam.

§.6. Quinta, quod ſi alicui Congregationi occurrerit, pro rebus ad ipſam Congregationem ſpectantibus brachio ſæculari indigere, tunc recurratur ad Gubernatorem, Auditorem Cameræ, Vicarium, ſive ad alium Judicem, qui præceptis ab ipſa Congregatione factis obedire teneatur.

---

## XV. Prohibitio ad arma ex quibuſvis cauſis præter hic exceptas, armatorum manus, aut cavalcatas, tumultuoſaſque hominum collectas in Statu Eccleſiaſtico congregandi.

*De materia vide quæ ſup. notavi ad conſtit.* 10. *Ioan. XXII. & etiam Pauli II. conſt.* 4. Viros, *ac Alex. VI. conſt.* 1. Inter. *Necnon Conſtitutionem Marchiæ lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 4. *cap.* 42. *ac Vrbis Statutum lib.* 2. *cap.* 34.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

DUm pro communi totius gregis Dominici ſalute fidei noſtræ divinitus crediti, ſollicitis ſtudiis invigilamus, eam quaſi peculiarem, & privatam populorum, noſtro, & S.R.E. cui Deo auctore præſidemus, temporali dominio ſubjectorum curam ſuſcipimus, ut in quibuſcumque ejuſdem dominii Provinciis, Civitatibus, Oppidis, locis armorum, tumultuum, & ſeditionum turba & ſtrepitus conquieſcat, ac inde omnis injuria, & violentiæ terror propulſetur, atque facinoroſorum hominum audacia, & immanitate compreſſa, ſecuritas, quies & tranquillitas perpetuò vigeat & conſervetur. Eſt enim rationi conſentaneum, ut Sedes Apoſtolica, quæ cunctis mortalibus juſtitiam miniſtrat, ſuos præcipuè ſubditos in officio contineat, & cujus auctoritate ab ipſo Domino conſtituta, apud omnes etiam exteras gentes, ac nationes, ſacroſancta & inviolabilis permanet, debitam obedientiam, & reverentiam, quam ſummi Reges & Principes ei præſtant, magis ab iis exigat, qui ipſius regimini in temporalibus ſubjecti, neminem alium Principem, præter Romanum Pontificem agnoſcunt, ut quæ denique univerſos fideles ſublevare ſolet, hos potiſſimùm in ſuam tutelam ſpecialiter receptos, ab omni injuria vindicet, atque illæſos defendat, & tueatur.

§. 1. Quare nos conſiderantes primùm quidem in quantas rerum perturbationes, in quàm intolerabilem perditorum & ſceleratorum hominum licentiam noſter Pontificatus ſui initio inciderit, vel ad eas potius fuerit divina providentia reſervatus: deinde verò quam benignè faverit cœptis noſtris divina majeſtas, quam facilè non obſcura Dei omnipotentis voluntate hæc, qua fruimur, quies & tranquillitas ſit conſecuta, nunquam ceſſamus quantas maximas animus noſter capere poteſt eidem divinæ bonitati, in qua ſola confidimus, gratias agere, & ne in aliquo paſtoralis noſtri officii partes deſiderentur, his quaſi fundamentis conſtituendæ Reipublicæ præclarè jactis, novis eam præſidiis in dies magis, ac magis confirmare & communire ſtudemus. Cum igitur inter alios, qui in temporali Statu noſtro Eccleſiaſtico irrepſerant, quoſque à nobis magna ex parte ſublatos omninò abolere nitimur, pravos abuſus ille ſit maximè damnabilis, ut Barones, Domicelli, aut Communitates, vel Univerſitates, aut Magiſtratus Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum prædictæ Romanæ Eccleſiæ temporali ditioni ſubjectorum, ſub prætextu recuperandæ, ſive manutenendæ, aut adipiſcendæ poſſeſſionis bonorum immobilium, finium, ſeu terminorum & limitum territorii, vel agrorum, quæ ad ſe legitimè pertinere prætendunt, dum ſe jus ſuum tueri, aut conſequi velle, & bona ſua ab illicitis detentoribus vel occupatoribus vendicare profitentur, ad arma populos convocare & incitare, tumultus facere, & commovere, armatorum hominum copias cogere non dubitent, ex quibus poſtmodum quandoque contingit, ut commotis ſeditionibus auxilium facinoroſorum, ſeu etiam bannitorum evocent, imbecilliores per injuriam opprimant, agros vaſtent, aliena rapiant & invadant, pacificos poſſeſſores expellant, quietem publicam perturbent, in Dei offenſam, animarum perniciem, & ſcandalum plurimorum. Nos attendentes ad hoc potiſſimùm ſanctæ hujus Sedis poteſtatem & auctoritatē in ſupremo juſtitiæ throno, Deo diſponente, collocatam, & viribus ad regendos ſubditos neceſſariis fuiſſe ſatis inſtructam, & roboratam, ut per Romanum Pontificem illi præſidentem cunctis æqua lance jus ſuum ſine aliqua perturbatione tribuatur, ideoque minimè ferendum, ut quis temerè, vel vi adhibita, jus ſibi dicat, ſed magis talem improbitatem & audaciam legum ſeveritate, & gravioribus pœnis propoſitis compeſcendam, & coërcendam eſſe cenſentes, habita cum Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione maturà, de eorum conſilio pariter & aſſenſu, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione diſtrictè interdicimus & prohibemus univerſis, & ſingulis Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, quacumque etiam Eccleſiaſtica dignitate fungentibus, necnon Vicariis, Feudatariis, armorum ductoribus, Capitaneis, Magiſtratibus, Communitatibus, Univerſitatibus & Officialibus, ac aliis perſonis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, & aliorum quorumcumque locorum ipſi Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè in temporalibus ſubjectorum, cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, ne poſthac quiſquam eorum, propter prædictas vel alias etiam urgentiores, & urgentiſſimas, etiam conſuetudine permiſſas cauſas, etiamſi ab aliis provocati & laceſſiti fuerint, etiam propter, & adverſus hujuſmodi manifeſtas injurias, aut recuperandæ, vel adipiſcendæ poſſeſſionis, ſeu quaſi dominiorum, ſtatuum, feudorum, prædiorum, agrorum, finium, limitum, & terminorum, ac quorumcumque jurium, & bonorum, ad eos, vel ad Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, de eorum jurepatronatus, ſeu præſentandi, aut ſub ipſorum cura, adminiſtratione, vel protectione recepta quomodolibet pertinentium, ſive violenter, aut de facto recuperatæ, vel adeptæ, retinendæ & tuendæ, vel alio quovis prætextu, aut quæſito colore vel ingenio, militum copias cogere, comparare, vel ducere, neve populos, vel ſingillatim ſingulares perſonas, publicè aut privatim, palam vel occultè ad arma, ut dictum eſt, convocare, conclamare, concitare, neque armatorum manus, cœtus, conventus, ſeu illicitas, & tumultuoſas collectas, vel etiam, ut vocant, cavalcatas vel adunatas facere, vel inſimul congregare, aut aliquid hujuſmodi, per ſe vel alium, moliri aut machinari audeat vel præſumat. Quare his præſentibus monemus, tam dictos Duces, & reliquos, quàm Communitates ac Univerſitates, quæ ſuper poſſeſſione, ſeu quaſi, aut ſuper finibus, limitibus, ſeu terminis territorii, vel agrorum, aut aliis hujuſmodi rebus aliquas inter ſe lites vel controverſias habent, ut ſi illas extrajudicialiter aut amicabiliter componere, ſeu ſuper eis tranſigere commodè nequeunt, eaſdem in judicium deducant, ſive deductas proſequantur, & donec legum ac judicum auctoritate illæ definiantur, ſeu juſtitiæ complementum ſibi miniſtretur, æquo animo ferant, & expectent.

*Cauſa excepta à d. prohibitione*

§.2. Cæterùm quoniam interdum aliqua urget occaſio armatos homines colligendi, id tantum permittimus & concedimus in caſibus infraſcriptis, nempe ut prædicti Duces & alii prædicti Communitates, & Univerſitates, ſuas Civitates, Oppida, Terras, Caſtra, Domos, Villas, dominia, loca & territoria à graſſatoribus viarum, latronibus, ſicariis & bannitis, aliiſque ſimilibus notoriis delinquentibus defendant, dum ab ipſis actu infeſtantur, vel ut ſecura & expurgata cuſtodiant, reoſve capiant, & apprehendant, vel captos & apprehenſos Gubernatoribus, Poteſtatibus, Judicibus, aliiſve Magiſtratibus, & Officialibus tradant, ſive ut Curiæ miniſtris adverſus tales facinoroſos auxilium & opem impendant, juxta conſtitutionem noſtram aliàs ſuper hoc editam, vel ſi ad tuenda, & propugnanda loca maritima, tam in Tyrrheni quam Adriatici maris littore periculoſis temporibus adverſus Turcas, & piratas, vel alias ex noſtro, vel noſtrorum ſucceſſorum Romanorum Pontificum præcepto, ad arma eos concurrere contigerit. Sed & ſi quis alius ejuſ-

modi

modi caſus ingruat, qui ſimiliter armatorum auxilium depoſcere videatur, noverint, nos, aut pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem quamprimum conſulendos eſſe, à quibus aut promptum ſubſidium, aut licentiam ſuper præmiſſis citius impetrabunt. Si verò neceſſitas adeò urgeat, aut impellat, ut ad nos, aut ad ſucceſſores noſtros prædictos in tempore, vel opportunè recurri non poſſit, tunc Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Præſides, Gubernatores, Locatenentes, & Officiales, à nobis & Sede Apoſtolica deputatos adeant, eiſque hujuſmodi neceſſitatis cauſas exponant, ac ab ipſis arma ſumendi licentiam obtineant, ita ut tales armatorum collectas, de alicujus ex ſuperioribus prædictis permiſſu vel auctoritate factas fuiſſe manifeſtò conſtet.

*Pœna contravenientium.*

§. 3. Quod ſi quis contra præſentem noſtram prohibitionem, & interdictum, directè vel indirectè quicquam attentare, aut aliis mandare, vel tranſgreſſoribus adhærere vel favere præſumpſerit, eum, ſi Dux, Princeps, Marchio, Comes, Baro, Domicellus, Vicarius, Feudatarius, aut quævis alia ſingularis perſona extiterit, læſæ Majeſtatis reatum verum, ac nulla juris, aut hominis fictione confictum crimen incurriſſe, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ rebellem, omnibuſque & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus, perſonalibus & mixtis, necnon Ducatibus, Principatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Civitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, Dominiis, Vicariatibus, Gubernìis, locis, juriſdictionibus, dignitatibus etiam Eccleſiaſticis, honoribus, juribus, officiis, ac beneficiis, quorum per infraſcriptam privationem vacantium collatio, proviſio & omnimoda diſpoſitio nobis & Apoſtolicæ Sedi perpetuò reſervata ſit, & eſſe cenſeatur, ita ut de illis per alium, quàm per nos, aut pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem diſponi nullo modo poſſit aut debeat, necnon penſionibus & fructibus Eccleſiaſticis, ac etiam quibuſcumque feudis & conceſſionibus, quæ à Romana prædicta, & aliis quibuſcumque Eccleſiis obtinet, & in futurum obtinebit, cæteriſque omnibus in Sedis Apoſtolicæ temporali dominio poſſeſſis, immobilibus, mobilibus, & ſe moventibus, bonis, juribus, & actionibus eo ipſo privatum, ipſumque & illius filios ad illa, & quælibet alia in poſterum obtinenda, ac quoſcumque actus legitimos exercendos inhabiles, & indignos fore, & eſſe. Ac præterea à dicto Senatu Eccleſiaſtico univerſo, unà cum ſua familia perpetui exilii pœna damnari debere, domoſque, ædificia, arces, & fortalitia ejuſdem demolienda, & ſolo æquanda, ſeu aliis Cameræ Apoſtolicæ juribus adſcribenda eſſe, nec illis portam ullius dignitatis Eccleſiaſticæ vel mundanæ unquam patere ſtatuimus, decernimus, & declaramus. Inſuper Vaſſallos, Cuſtodes, Vicarios, Capitaneos, Poteſtates, Officiales, Populos & ſubditos eorundem à fidelitatis juramento, ac homagii & quocumque alio jure, quo ipſis quomodolibet adſtricti fuerint, ex tunc penitus abſolvimus & liberamus: Ducatus verò, Dominia, Vicariatus, Gubernia, Feuda, Civitates, Oppida, Terras, Caſtra, & loca, cæteraque bona prædicta, necnon jura & actiones cum fructibus, redditibus, proventibus, & emolumentis eorundem, Fiſco noſtro, & Cameræ prædictæ ipſo facto, & abſque aliqua declaratione, etiam in præjudicium filiorum & aliorum deſcendentium in inveſtituris, conceſſionibus, ſeu aliis diſpoſitionibus comprehenſorum, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi per lapſum temporis illorum conceſſionis, & finitam lineam ad ipſam Cameram devoluta eſſent, confiſcamus, & applicamus. Sin autem Communitates, & Univerſitates in præmiſſis communi conſilio deliquerint, eas omnibus, & quibuſcumque Caſtris, Villis & juriſdictionibus, ac communibus bonis, rebus, & juribus ad illas pertinentibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis eis quomodolibet conceſſis ſimiliter privamus, privataſque declaramus, ac dicta Caſtra, Villas, ac juriſdictiones, bona, res, & jura ſimiliter Fiſco, & Cameræ prædictis applicamus, & appropriamus. Statuentes etiam contra principales auctores, & particulariter delinquentes, tanquam dicti criminis læſæ Majeſtatis reos, ut præfertur, procedi debere. Et nihilominus omnem & quamcumque poſſeſſionem, ſeu quaſi ſic de facto contra præſentem noſtram conſtitutionem, cum manu, ſeu collecta armatorum hominum in futurum pro tempore apprehenſam, uſurpatam, detentam, vel occupatam, ſive adipiſcendo, ſive taliter adeptam retinendo, ſive recuperando, omneſque actus poſſeſſorios vel quaſi quomodolibet factos, necnon ſuper illis confecta inſtrumenta, rogitus, & alia acta, & inde ſecuta quæcumque annullamus, irritamus, & viribus evacuamus, necnon penitus caſſamus, & abolemus, ac pro irritis, nullis & infectis, & merè attentatis habenda, nulliuſque roboris vel momenti eſſe, ac nullum inde jus, nullamque actionem cuiquam de novo acquiri, naſci, aut competere, neque poſtmodum lapſu temporis, etiam longiſſimi ex hujuſmodi poſſeſſione ab initio, ut præfertur, vitioſa, ullam præſcriptionem ſequi, aut cuiquam ullo tempore ſuffragari poſſe. Quinimò prædictis delinquentibus amotis & expulſis, priorem poſſeſſorem in primis, & ante omnia in ſuam priſtinam poſſeſſionem, ſeu quaſi reſtituendum & plenariè reintegrandum, & donec & quouſque cui illa de jure competat legitimè decernatur, manutenendum eſſe, eoſdemque delinquentes ad damna, expenſas & quicquid intereſt parti læſæ reficienda, & reſarcienda teneri, & obligatos exiſtere, ac ad id cogi & compelli. Super præmiſſis verò omnibus & ſingulis per accuſationem, delationem, inquiſitionem, & quovis alio meliori modo, tam ad partis, & Fiſci inſtantiam, quàm ex mero officio civiliter, & criminaliter, aut mixtim procedi poſſe.

*Decr... irritan.*

§. 4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane pariter decernimus & declaramus.

*Clauſul... rogator...*

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus quarumvis Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum & locorum, necnon privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis, ac inveſtituris conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma ... & effectus ... cationis ... jus con...*

§. 6. Volumus autem, ut eædem præſentes ad valvas Lateranenſis & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ de more affigantur, & illis detractis tranſumpta inibi affixa relinquantur, factaque hujuſmodi publicatione hic in Urbe, & in ejus diſtrictu poſt quindecim, alibi verò poſt triginta dies, quoſcumque perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Sed & quo facilius poſſint ad univerſorum notitiam pervenire, mandamus omnibus, & ſingulis Vicelegatis, Præſidentibus & Gubernatoribus Provinciarum, & Civitatum quarumcumque dictæ noſtræ ditionis Eccleſiaſticæ, ut in ſua quiſque reſidentia, Civitatibus, Oppidis, Terris, & Caſtris ſibi beneviſis, curent eaſdem noſtras literas in locis conſuetis de more publicari.

*Tranſum... rum fide... ſanctio... nalis.*

§. 7. Et quia difficile foret illas ad eorum quemlibet & ad ſingula loca ubi opus erit deferre, decernimus tranſumptis ipſis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio & extra illud ubique eandem fidem adhibendam eſſe, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A... die 19. F...*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. 11. Kalend. Martii, Pontific. noſtri anno tertio.

Ego

*subſcr.* **Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.**

*ſubſcr.* Ego Alex. Cardinalis Farneſius Epiſcopus Oſtienſis, Vicecancellarius.
Ego Joan. Antonius Epiſcopus Card. S. Georgii.
Ego Alphonſus Card. Geſualdus, Epiſc. Tuſculanus.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Epiſc. Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Epiſc. Præneſtin.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comenſis Epiſc. Albanen.
Ego M. Siticus Cardin. ab Altaëmps, tit. Sanctæ Mariæ Transtiberim.
Ego Proſper Card. Sanctacrucius, tit. S. Clementis.
Ego Gabr. Cardin. Paleottus, tit. S. Laurentii in Lucina.
Ego Frater Michaël Bonellus Card. Alexandr. tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ludovicus tit. S. Anaſtaſiæ Presb. Card.
Ego N. de Pelleve tit. S. Praxedis Card. Senonen.
Jul. Ant. tit. S. Barthol. in Inſula Presb. Card. S. Severinæ.
Ego Hieron. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ.
Ego Jo. Hier. Card. Alban. tit. S. Joannis ante portam Latinam.
Ego Hier. Card. Simoncellus tit. S. Priſcæ.
Ego P. Card. Deza tit. S. Hieron. Illyricorum.
Ego Ant. tit. SS. Joannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Franc. Card. de Joyeuſe, tit. Sanct. Trinit. in Monte Pincio.
Ego Jul. Card. Gananus, tit. S. Euſebii.
Ego Nic. Card. Gremonen. tit. S. Cæciliæ.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. Veronæ, tit. S. Marci.
Ego Vincentius titul. S. Mariæ in Via, Card. Montis regalis.
Ego Philippus Card. Spinola tit. S. Sabinæ.
Ego Scipio tit. Sancti Salvatoris in Lauro Card. Lancellotus.
Ego Vincentius Card. Gonzaga tit. S. Alexii.
Ego Henricus Card. Caietanus, tit. S. Pudentianæ, S. R. E. Camerarius.
Ego Jo. Baptiſta Cardin. Caſtrucius, tituli S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius, tit. S. Stephani in Monte Cœlio.
Ego Dominicus tit. S. Laurentii Card. Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrand. tit. S. Pancratii, Major Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.
Ego Philippus Card. de Lenoncourt, titul. Sancti Honuphrii.
Ego Fr. Hier. Card. Aſcul. tit. S. Thomæ in Parione.
Ego Ant. Maria titul. S. Agnetis in Agone Card. Peruſinus.
Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Card. Alanus, titul. S. Martini in Montibus.
Ego Scipio tit. S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Ant. Card. Saulius tit. S. Vitalis.
Ego Evangeliſta tit. S. Matthæi in Merulana Card. Cuſentinus.
Ego Fr. Stephanus tit. SS. Marcellini & Petri Card. Presbyt. Arretinus.
Ego F. Card. Sfortia diac. S. Nicolai in Carcere.
Ego Alexander Cardinalis Montaltus, diaconus S. Euſtachii.
Ego Hieron. S. Mariæ in Coſmedin, diaconus Cardin. Matthæius.
Ego Benedict. S. Agathæ diac. Card. Juſtinianus.
Ego Aſcan. SS. Viti & Modeſti & Creſcentiæ diac. Card. Columna.
Ego Federicus S. Mariæ in Dominica diac. Card. Borromæus.

*Anno [illegible] D. 158[illegible]. [illegible] die vero [illegible] 21. menſis Martii, Pontif. [illegible] in Christo Patris, & D. N. D. [illegible] anno ejus 3. [illegible] Apoſtolicas [illegible] fuerunt [illegible] valvis [illegible] portis S. Joannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium [illegible], per nos Joannem Baptiſtam Bagut, & [illegible] Burlar[illegible] D. N. Papæ Curſ.* *Palcatu.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

**Adſcriptio S. Bonaventuræ Balneoregienſis inter egregios, ſanctoſque Catholicæ Eccleſiæ Doctores, cum Indulgentiis pro ejus feſtivitate die 14. Julii celebranda.** LXXVI.

*Canonizationem hujus Sancti præſtitit Sixt. IV. in ſua conſtit.* 21. Superna.

Aliorum Eccleſiæ Doctorum & Evangeliſtarum feſta duplici officio celebrari juſſit Bonif. VIII. in Extrav. 1. de Reliq. & ven. Sanct.

*SIXTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei: Univerſis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis aliarum Eccleſiarum Prælatis per univerſum Terrarum Orbem conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* *Edita A. D. 1588.*

TRiumphantis Hieruſalem gloriam ſempiternam, & ſanctorum cum Christo feliciſſimè regnantium nunquam marceſcentes coronas cum gaudio admirans Sancta mater Eccleſia, adhuc in terris militans, ad eandem verò juſtitiæ coronam feſtinans, Deum in Sanctis ſuis mirabilem prædicare non ceſſat. Nec verò inſignes tantum victorias & præclara Sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, ſed eoſdem Sanctos, quos Deus mirificè honorificat, ipſa quoque piè veneratur, ac colit, quorum nimirum prædicatione, ſalutarique doctrina inſtituta, ſanguine fundata, illuſtribus charitatis operibus atque exemplis educata ferventibus illorum apud Deum precibus quotidiè adjuvatur. Quamobrem debitis etiam, congruiſque honoribus unicuique Sanctorum ſingulatim tribuendis, ad cœleſtis illius Hierarchiæ, ubi omnia in charitate perfecta ordinata ſunt, normam atque imaginem ſeſe conformare, quantum quidem in hujus prætereuntis mundi exilio licet, maximè ſtudet. Nam quemadmodum in magna illa ſummi Patrisfamilias, boniſque omnibus cumulata domo, manſiones multæ ſunt, & beatæ illæ animæ mira quadam varietate unius gloriæ beatitudine perfruuntur, ſic Catholica Eccleſia, quæ cœleſtis illius effigies eſt, ut caſtrorum acies ordinata, in veneratione Sanctis Dei adhibenda ſacros illos ordines, divino illuſtrata lumine agnoſcit atque diſtinguit. Itaque dum glorioſum Apoſtolorum Chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortiſſimorum Martyrum laudat exercitum, cæteriſque Sanctis ſuo loco, & ordine ritè honores defert, in uno charitatis ſpiritu, & conſimili piæ devotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos verò beatiſſimos SS. Choros, quorum memoria à cunctis fidelibus religioſo cultu meritò celebratur, inſigni ſplendore elucet ſanctorum Doctorum Ordo à Paulo Apoſt. diſertè enumeratus, cum ait: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſt. quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores; quos vineæ ſuæ ſtrenuos, fideleſque cultores atque operarios conſtituit, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Christi. Hi ſunt, de quibus divina Sapientia clamat: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt: de his Angelus apud Danielem loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: eos denique *Proœmium*

Salvator ipſe Chriſtus Dominus inſigni illo elogio honeſtavit; Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum. Quum autem omnibus temporibus ſacrorum Doctorum ſtudium, & doctrina in Eccleſia Dei utilis, & ſalutaris fuit, tum maximè fructuoſum, & plenè neceſſarium eſſe res ipſa demonſtravit, cum perſecutorum Chriſtiani nominis horribili furore repreſſo, & ipſa Eccleſiæ pace, teterrima hæreſum bella vehementius excitata ſunt; tunc enim hæreticorum doli & fallaciæ, qui diabolo inſtigante in agro Domini zizania ſuperſeminare non intermittunt, Doctorum cura, & diligentia detectæ, & peſtiferi, ac deteſtabiles errores gladio ſpiritus amputati, & Catholicæ veritatis vi, ſacris Doctoribus adminiſtris mendacium proſtratum: quare jure optimo Hyadum ſtellarum nomine Sancti Doctores in Eccleſia deſignantur, qui perſtrigida hyeme, & longis infidelitatis noctibus expletis, & perſecutionis tempeſtate ſedata, tunc clariores Sanctæ Eccleſiæ exorti ſunt, cum veritatis ſol per corda fidelium altius caleſceret, & tanquam novo fidei vere lucidior annus aperiretur.

*S. Bonaventura à Sixt. IV. eſt canonizatus, ut in rub.*

§. 1. Jam verò inter eos, quos Dominus magnus ſpiritu intelligentiæ replere voluit, quique tanquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ in Eccleſia Dei emiſerunt, meritò numeratur Sanctus Bonaventura Confeſſor, & Pontifex, & in eadem Catholica Eccleſia Doctor eximius, quem felic. record. Sixtus Papa Quartus prædeceſſor noſter, ob admirabilem vitæ ſanctitatem, & præcellentem doctrinam in Sanctorum numerum adſcripſit.

*S. Bonaventura vita recenſetur.*

§. 2. Is enim Balneoregii in Etruria natus, ut piæ matris voto ſatisfaceret, adoleſcens Seraphicam S. Franciſci Religionem eſt ingreſſus, per cujus veſtigia recentia adhuc novus Chriſti miles humiliter & conſtanter incedens ſalubertimâ regularium inſtitutorum obſervantiam tanto animi ardore, tantaque cordis aviditate auxit, ut ſumma in eo ſanctitas appareret, ac vitæ innocentia & caſtitate, ſancta humilitate, patientia, manſuetudine, terrenarum rerum diſplicentia, cœleſtium deſiderio omnibus & exemplo, & admirationi eſſet, tanta quoque ſpiritus dulcedine, & divini amoris fervore inflammatus in Deum rapiebatur, ut jam in cellam vinariam ſponſi introductus, & vino optimo charitatis ebrius, JESUM CHRISTUM Crucifixum, & patientem utique intueri, & in ejus vulneribus habitare videretur. Ad hanc verò eximiam vitæ ſanctitatem vir Dei magnam præſtantis doctrinæ laudem adjunxit, Deo ita diſponente, ut ad ejus gloriam, & Eccleſiæ utilitatem non ſolùm exemplo, ſed verbo & eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in ſacrarum literarum ſtudio, Sanctorum Patrum lectione, & Scholaſticæ Theologiæ perneceſſaria diſciplina, Alexandro de Ales magiſtro, inſigni illius ætatis Theologo, diligentiſſimè verſaretur, brevi temporis ſpatio, excellentis ingenii bonitate, aſſiduo labore, & quod caput eſt, gratia Spiritus ſancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem pervenit, ut Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi Gymnaſio ſolemni more decoratus ſacram Theologiam ibidem publicè profeſſus ſit.

*S. Bonaventura virtutes laudes, & præclara geſta enarrantur.*

§. 3. Tantam verò laudem in interpretandi munere, & in univerſæ Theologiæ ſcientia eſt conſecutus, ut viri doctiſſimi ejus doctrinam, & eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices ſancti viri lucubrationes, & præclara ſcripta, quæ adhuc magna Eccleſiæ utilitate, & non mediocri Dei beneficio extant, quæque & noſtræ, & ſuperiorum ætatum viri eruditi multo cum fructu legerunt, & magnopere comprobarunt, quantus ille in Theologiam fuerit, ſatis declarant. Ea enim divini ingenii ſui monimenta poſteris reliquit, quibus perdifficiles, & multis obſcuritatibus involutæ quæſtiones, magna optimorum argumentorum copia, via, & ordine enucleatè ac dilucidè explicantur, fidei Catholicæ veritas illuſtratur, pernicioſi errores, & prophanæ hæreſes profligantur, & piæ fidelium mentes ad Dei amorem, & cœleſtis patriæ deſiderium mirabiliter inflammantur. Fuit enim in ſancto Bonaventura id præcipuum & ſingulare, ut non ſolùm argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate, definiendi ſolertia præſtaret, ſed divina quadam animos permovendi vi excelleret; ſic enim ſcribendo cum ſumma eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, & in intima animi receſſus illabatur, ac denique Seraphicis quibuſdam aculeis cor compungat, & mira devotionis dulcedine perfundat, quam ſanè gratiam in ejus ore, & calamo diffuſam admirans prædeceſſor noſter Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitavit, Spiritum ſanctum in eo locutum videri.

*S. Bonaventura G... Generalis ... ſter in ... ne ſe... poſt S. F... ciſcum ... tus fuit.*

§. 4. Cum igitur ſervo fideli tam multa, & præclara à Domino talenta eſſent credita, ut illis ad fraternam utilitatem exercendis & negotiandis, cœleſtis gratiæ theſauros amplificaret, divino conſilio, & ſummo totius ſui Ordinis conſenſu, Romæ Miniſter generalis ſeptimus poſt beatum Franciſcum eſt factus, quo in officii munere non ſolùm prudentiam, vigilantiam, ſollicitudinem præſtitit, ſed tanto fraternæ charitatis ardore exarſit, tantaque Chriſtianæ humilitatis demiſſione fratribus inſervivit, ut in eo illud Salvatoris agnoſceretur, qui major eſt in vobis, ſit veſter miniſter.

*Archiepiſcopatum Eboracen. à Clem. IV. oblatus, & recuſatus fuit.*

§. 5. Quin & piæ memoriæ prædeceſſor noſter Clem. Papa IV. qui ſanctum virum valdè dilexit, & ejus doctrina mirificè eſt delectatus, ut tam excellens virtus & prudentia ad multorum utilitatem latiori in campo excurreret, inſignem Eboracenſem Archiepiſcopatum ei obtulit. Ille verò cum ſe à Seraphicæ paupertatis complexu divelli non facilè pateretur, oblatam dignitatem modeſtè atque humiliter recuſavit.

*Ad ... Con... à Greg... vocatus ... humaniſſimè exceptus fuit.*

§. 6. Cæterùm cum Gregor. X. Summus Pontifex ob graviſſimas Chriſtianæ Reipublicæ cauſas Concilium generale Lugdunum indixiſſet, viroſque ſanctitate, doctrina, & ſapientia præſtantes perquireret, quorum forti & fideli opera ad rei maximæ tractationem, atque explicationem uteretur, duo in primis clariſſima illius ætatis lumina è duobus florentiſſimis Ordinibus Prædicatorum & Minorum delegit Sanctos Thomam, & Bonaventuram, quos ad ſe ire juſſit. Sed cùm alter in ipſo itinere in morbum incidiſſet, atque ad gloriæ coronam feliciter evolaſſet, S. Bonav. Lugdunum profectus, humaniſſimè exceptus eſt à Romano Pontifice Gregorio, qui in ejus virtute, & ſapientia ita acquieſcebat, ut Concilii rectè dirigendi, & adminiſtrandi partes ei præcipuè tribuendas eſſe decerneret. Quare ex publica Eccleſiæ utilitate & neceſſitate, ut majori cum dignitate, & auctoritate Conc. rebus non ſolùm intereſſet, ſed præeſſet, ſtatuit lucernam ardentem, & lucentem ſupra excelſum candelabrum ponere, ut in domo Dei magis luceret.

*Cardinalisque & Epiſcopus ... ab eo... Pont. ... creatus.*

§. 7. Itaque Sanctum Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potius, ſed Chriſti Vicario obtemperantem, nulloſque pro Eccleſia labores ſubire recuſantem, tanquam in totius Orbis terræ theatro in ſacrum Cardinalium Collegium, & in Epiſcoporum Ordinem ſtatim cooptavit, nam Eccleſiæ Albanenſi illum præfecit, qui honos antiquioribus Presbyteris Cardinalibus tribui ſolet. Qua ille ampliſſima dignitate auctus univerſam in Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem contulit, etenim in rebus Concilii arduis operam egregiam præſtitit, Catholicam fidem conſtantiſſimè defendit, pravas opiniones acerrimè refutavit, ejuſdemque prudentia, doctrina, ſanctitate, orationibus Gregorii Pontificis Paſtoralis ſollicitudo tantopere adjuta eſt, ut ſublato per Dei miſericordiam ſchiſmatis diſſidio, Michaël Palæologus Græcorum Imperator, Orientaleſque Nationes, ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, unitatem, communionemque redierint, ac denique dignus habitus eſt quem Græci Eutychii nomine appellarent.

*Et poſt ... ea ... clara in reb. Concilii & ... eodem Concilio de... & ad cœleſtem patriam migravit ... eius ... lorum ... percre...*

§. 8. Meritò igitur cum paulò poſt in eodem Concilio fortiſſimus Chriſti Athleta ex hujus vitæ peregrinatione ad cœleſtem patriam emigraſſet, omnes ejus mortem doluerunt, omnes communem jacturam deplorarunt, omnes illius funus lacrymis & laudibus ornarunt, ſed unus præter cæteros viri ſanctiſſimi vitam integerrimè actam, mores probatiſſimos, labores permultos pro Eccleſia ſuſceptos, doctrinam in illo ipſo Concilio ſpectatam inſigni laudatione veriſſimè celebravit.

libravit. Is fuit piæ memoriæ Petrus Cardinalis à Tarantaſia, vir eruditione & Chriſtiana eloquentia præſtans, qui poſtea ad Pontificatus faſtigium evectus, Innocentius Papa Quintus eſt appellatus. Ipſe verò Summus Pontifex Gregorius Decimus ex intimi animi ſenſibus amiſſum fratrem, adjutorem, & conſiliarium fidelliſſimum dolens, publicè gravibus verbis teſtificatus eſt, Catholicam Eccleſiam, quæ ex tanti viri pietate & doctrina fructus uberrimos acceperat, magnam illius morte jacturam feciſſe. Sed verè à Spiritu Sancto dictum eſt, In memoria æterna erit juſtus: nam qui in vita illuſtris fuerat, multò poſt mortem factus eſt illuſtrior, Deo qui admirabilis & glorioſus eſt in Sanctis ſuis, ſignis compluribus, ac prodigiis & miraculis maximè inſignibus ſervi ſui ſanctitatem comprobante.

§. 9. Quorum miraculorum fama cum apud omnes percrebreſceret, idem Sixtus prædeceſſor noſter è ſublimi Apoſt. Sedis ſpecula ea aſpiciens, digitum Dei qui facit mirabilia magna ſolus, ibi planè eſſe intellexit, itaque & ſponte ſua, & claræ memoriæ Federico Romanorum Imperatore, Regibus, Rebuſpub. Ducibus, Civitatibuſque permultis vehementer requirentibus, ac omnium ferè fidelium conſenſu efflagitante, de viro præſtantiſſimo Bonaventura Epiſcopo Card. in Sãctos referendo, Pont. Romanus dignã cogitationẽ ſuſcepit. Summa igitur cura, & diligentia, vitæ illius eximia ſanctitate, & miraculorũ veritate examinata atque comperta, omnibus denique, quæ ad eã rem pertinebant, ritè recteque actis ad Dei gloriam & Eccleſiæ Catholicæ exaltationẽ, pro ſua ſumma, eique à Deo in Beato Petro Apoſtolo tradita poteſtate, eundem Beatum Bonaventuram de fratrum ſuorum S.R.E. Card. & Prælatorum omnium conſenſu in Sanctos retulit, & in SS. Confeſſorum Pontificum Doctorum numerum adſcripſit atque aggregavit, ejuſque feſtũm anniverſariũ diem, ſecunda menſis Julii Dominica die celebrari, officiumque de eo, veluti de Confeſſore Pontifice Doctore in univerſa Eccleſia recitari juſſit, aliis item decretis adjectis, quæ in ejuſdem Sixti literis plenius continentur.

§. 10. Et quamvis glorioſus hic Doctor S. Bonaventura, & in Eccleſia Catholica celeberrimus ſit, & in Cœlo maximè reſplendeat, ubi corona illa eſt coronatus, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, nec ulla humana re indigeat, qui bonis illis cum Chriſto perfruitur, quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt; urget nos tamen charitas Chriſti, & ardens quidam devotionis affectus, quo erga eum ab ineunte ferè ætate perpetuò exarſimus, ut de ejus ſanctitate & doctrina magis magiſque propaganda, atque illuſtranda, quantum cum Domino poſſumus, cogitemus. Movemur quidem, ut par eſt, ſancta cum eo communione Seraphicæ Religionis noſtræ, in qua educati, & tot annos verſati ſumus, & cui tanquam matri optimè meritæ, omnia pietatis & grati animi monumenta præſtare debemus; ſed multò magis movent nos Dei gloria, paſtorale officium quod gerimus, viri ſanctiſſimi pro Eccleſia Dei tot ſuſcepti labores, tot illuſtria merita, tanta cum Romana Eccleſia conjunctio, in cujus ampliſſimo ordine, & Senatu ſumma cum laude conſedit. Denique movet nos Eccleſiæ univerſalis utilitas, quæ ex tanti doctoris eruditione ſemper major & uberior capi poteſt, præſertim cum hæreticorum inſidiæ, & diabolicæ machinationes, quibus ſacram Theologiam, quæ Scholaſtica appellatur, hoc luctuoſo ſæculo oppugnant, vehementiſſimè nos magnopere admoneant, ut eandem Theologiam, qua nihil Eccleſiæ Dei fructuoſius omni ſtudio retineamus, illuſtremus, propagemus. Divino enim illius munere, qui ſolus dat ſpiritum ſcientiæ & ſapientiæ & intellectus, quique Eccleſiam ſuam per ſæculorum ætates, prout opus eſt, novis beneficiis auget, novis præſidiis inſtruit, inventa eſt à majoribus noſtris ſapientiſſimis viris Theologia Scholaſtica, quam duo potiſſimùm glorioſi Doctores Angelicus Sanctus Thomas, & Seraphicus Sanctus Bonaventura, clariſſimi hujus facultatis profeſſores, & primi inter eos qui in Sanctorum numerum relati ſunt, excellenti ingenio, aſſiduo ſtudio, magnis laboribus, & vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optimè diſpoſitam, multiſque modis præclarè explanatam poſteris tradiderunt, ac hujus quidem tam ſalutaris ſcientiæ cognitio, & exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum literarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum fontibus dimanat, ſemper certè maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad ſcripturas ipſas verè, & ſanè intelligendas, & interpretandas, ſive ad patres ſecurius & utilius perlegendos, & explicandos, ſive ad varios errores, & hæreſes detegendos, & refellendas. His verò noviſſimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta, & homines blaſphemi, ſuperbi, ſeductores proficiunt in pejus, errantes, & alios in errorem mittentes, ſanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæreſibus confutandis pernecceſſaria eſt, & profectò rem ita ſe habere ipſimet veritatis inimici ſunt judices, quibus Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa, qui profectò intelligunt, apta illa, & inter ſe nexa rerum & cauſarum cohærentia, illo ordine, & diſpoſitione tanquam militum in pugnando inſtructione, illa argumentorum firmitate, & acutiſſimis diſputationibus lucem à tenebris, verum à falſo diſtingui, eorumque mendacia multis præſtigiis, & fallaciis involuta tanquam veſte detracta patefieri, ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitiſſimam Scholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare, & evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem patrum noſtrorum conſervare, & tueri, & acerrimos veritatis defenſores meritis honoribus quantum poſſumus decorare.

§. 11. Quamobrem ut Seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latius diffundatur, & ex ejus libris & operibus eruditi, & ſtudioſi viri copioſiores, ſuavioreſque in dies fructus capiant, (quod ad ipſius Sancti, quanquam in cœlo beatiſſimi, gloriam aliquam facere non eſt dubitandum) primum quidem in Alma Urbe noſtra in hac baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum, S. Bonaventuræ nomine Collegium inſtituimus, in quo ex hujus præcipuè eximii, devotique Doctoris operibus & commentariis ſacra Theologia publicè explicetur.

*Et ideò Collegium S. Bonaventuræ apud baſilicam SS. Apoſtolorum de Urbe inſtituit.*

§. 12. Deinde etiam opera illius omnia, quæ inveniri potuerunt, partim nondum edita, noſtraque auctoritate & impenſis undique conquiſita, partim jam evulgata ſimul omnia decenti forma, & quàm emendatiſſimè imprimi, & è Typographia noſtra Vaticana in lucem emitti curamus. Quod quidem ab ipſo Pontificatus noſtri initio, Deo piè credimus inſpirante, conſtanter propoſuimus S. hujus Doctoris nomen, & merita glorioſa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere & amplificare.

*Ejuſque opera omnia ſimul & emẽdatiſſimè è Typographia Vaticana in lucem emitti curavit.*

§. 13. Sanè ad id quoque non mediocriter excitati ſumus exemplo ſanctæ memoriæ Pii Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri de Chriſtiana Republica optimè meriti, & quem ut parentem adhuc reveremur, & colimus. Is enim religioſa pietate, & ſingulari devotione permotus, qua afficiebatur erga Sanctum Thomam de Aquino Ordinis ſui decus, & Eccleſiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eundem Sanctum ob ejus præſtantiſſima in Catholicam Eccleſiam merita, congruis honoribus exornare, præter alia hoc juſſit atque decrevit, ut illius feſtus dies quotannis duplicis officii ritu ad inſtar Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum perpetuò celebraretur, quod & Sancti Bonaventuræ Doctori eximio tribui debere æquum profectò exiſtimamus, cum tam multa inter eos virtutis, ſanctitatis, doctrinæ, meritorum conjunctio, & ſimilitudo intercedat. Hi enim ſunt duæ olivæ & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant: hi ſingulari Dei providentia eodem tempore tanquam duæ ſtellæ exorientes ex duabus clariſſimis Regularium Ordinum familiis prodierunt, quæ Sanctæ Eccleſiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maximè utiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxa fide ſubeunda paratæ ſemper exiſtunt, ex quibus tanquam ex fertili, & benè culto ſolo quotidie per Dei gratiam, fœcundæ & fructuoſæ plantæ procreantur, hoc eſt viri doctrina & ſanctitate præſtantes, qui Petri naviculæ tot fluctibus agitatæ &

*Et ſicut Pius V. S. Thomam ſui Ordinis Prædicatorũ decus exornare volens, eius feſtum celebrari juſſit.*

*Ita iſte Pont. idem S. Bonaventuræ ſui Ordinis Conventualium S. Frãciſci ornamento, deberi exiſtimavit ob multã inter ipſos Sanctos virtutis, Sanctitatis, doctrinæ & meritorum conjunctionem & ſimilitudinem.*

& Romano Pontifici, ejus clavum non ſine magna ſollicitudine tenenti, fortem & fidelem operam navant. Hi duo Sancti cum eſſent coævi, iiſdemque ſtudiis dediti, condiſcipuli, ſimul Magiſtri, pari ratione à Gregorio Decimo Summo Pontifice, cum ambo ad Concilium evocarentur, honorati, & in hujus vitæ peregrinatione fraterna charitate, ſpirituali familiaritate, ſanctorum laborum ſocietate valde conjuncti fuerunt, & denique pari greſſu ad Cœleſtem patriam commigrantes, pariter felices & glorioſi illa ſempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem charitatis affectu, ut piè credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, divinamque opem implorant, ut meritò idem Sixtus IV. hos duos Sanctos per ſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens, ſtatuerit S. Bonaventuram conſimili venerationis & honoris prærogativa, atque S. Thomam, decorandum eſſe.

*Et doctrinam S. Bonaven. commendat, & ipſum inter egregios Eccleſiæ Doctores annumerat.*

§.14. Quod igitur à nobis, & Seraphici Ordinis charitas, & Sancti Bonaventuræ meritorum magnitudo, & Catholicæ Eccleſiæ, cujus gubernacula nobis, licet immerentibus à Deo commiſſa ſunt, utilitas, & ædificatio requirit, habita ſuper his omnibus cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, deliberatione matura, de eorundem conſilio, & unanimi aſſenſu, & ex certa noſtra ſcientia, ac de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, doctrinam ipſius Sancti Bonaventuræ à ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clemente Quarto, Gregorio Decimo, & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in Florentino, etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, graviſſimorum virorum auctoritate teſtificatam & commendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam, nos quoque plurimùm in Domino laudamus & commendamus, ac literas ejuſdem Sixti IV. quas pro expreſſis hoc loco haberi volumus, excepta ejus ordinatione de feſto die S. Bonaventuræ ſecunda Dominica Julii celebrando, harum tenore approbantes & innovantes, ipſum Sanctum Bonaventuram jure Sanctorum Doctorum conſortio ab eodem Sixto IV. adſcriptum, & connumeratum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium inter præcipuos & primarios, qui Theologicæ facultatis magiſterio excelluerunt habendum, ac venerandum eſſe decernimus, & declaramus.

*Ejuſque opera à Typographia Vaticana emittenda, publicè citari decernit.*

§.15. Atque ob eam cauſam ſperantes in Domino, hujus Seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam & devotionem, quam in Clero populoque Chriſtiano magnopere lucere & ardere cupimus, maximo adjumento fore, illius libros, commentarios, opuſcula, opera denique omnia, prout ex noſtra Typographia Vaticana quamemendatiſſima, ut ſupradictum eſt, emittuntur, ut aliorum Eccleſiæ Doctorum qui eximii ſunt, non modo privatim, ſed publicè in Gymnaſiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, diſputationibus, interpretationibus, concionibus, ſermonibus, omnibuſque aliis Eccleſiaſticis Studiis, Chriſtianiſque exercitationibus citari, proferri, atque cum res poſtulaverit, adhiberi volumus & decernimus.

*Feſtum die 14. Iulii duplici officio celebrari iubet.*

§.16. Et nihilominus, ut ſapientiſſimi hujus Doctoris glorioſa recordatio, ſi non pro ipſius dignitate, at ſaltem pro humana tenuitate, ob ingentia illius merita ardentiori ſtudio recolatur, felic. record. prædeceſſorum noſtrorum Bonifacii Papæ Octavi, qui de ſanctis quatuor Doctoribus, & Pii Papæ Quinti, qui de prædicto Sancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti præcipimus, ut ejuſdem Sancti Bonaventuræ dies feſtus in omnibus Chriſtiani orbis partibus ſub duplici officio à cunctis perſonis, Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, tam publicè quàm privatim pridie Idus Julii, (non obſtante prædicta Sixti Quarti ordinatione de ſecunda Dominica dicti menſis) celebrari, atque in Kalendariis cum Doctoris nomine, & Feſti duplicis adjectione deſcribi, & imprimi debeat, etiamſi in noviſſimis Breviarii, & Miſſalis Romani reformationibus aliter diſpoſitum fuerit, neque ſecus atque à nobis, ut ſupra, ordinatum fuit, per quoſcumque quavis auctoritate præditos, cenſeri, aut interpretari poſſe decernimus.

§.17. *Hortantes univerſos utriuſque ſexus Chriſti fideles Civitatis Balneoregii, quæ clariſſimum hoc edidit lumen, & illius diœceſis, ut eodem die feſto à ſervilibus de ſanctæ Eccleſiæ more operibus abſtineant.* Ut autem Chriſti fidelium devotio ad Seraphici hujus Doctoris diem feſtum colendum, ejuſque opem piè implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc Cœleſtis gratiæ dono ſe uberiùs conſpexerint eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam in dicta Civitate & diœceſi Balneoregii, quàm in præclara Galliæ Urbe Lugduno, ubi ille bono certamine legitimè decertato, curſu conſummato, fide ſervata, ex hoc calamitoſo ſæculo ad meritorum ſuorum præmium & coronam in Cœlum feliciter migravit, in Almaque Urbe noſtra, ubi in hac Baſilica Sanctorum Duodecim Apoſtolorum Collegium, à nobis, ut jam diximus, eſt erectum, conſtitutus, qui ejus feſtum hujuſmodi, ut cæteras de præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitas feſtivitates, devotè colentes, verè pœnitentes, & ſacramentali peccatorum ſuorum confeſſione præmiſſa, eo die ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Qui verò Eccleſias Fratrum Minorum ſancti Franciſci ipſo die feſto à primis veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei devotè viſitaverint, pias inibi ad Deum preces, prout ſua cuique ſuggeret devotio, effundentes, decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis per præſentes literas perpetuò duraturas, quas ſub quibuſvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi volumus, miſericorditer in Domino relaxamus.

§.18. Quocirca fraternitati, & diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, in ſuis quilibet Provinciis, Civitatibus, Eccleſiis, & Diœceſibus ſolemniter publicari, & ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum & gentium inviolatè perpetuò obſervari procurent.

§.19. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

§.20. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrarum approbationis, innovationis, decretorum, declarationis, voluntatum, præcepti, conceſſionis, elargitionis, relationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Baſilicam Sanctorum Duodecim Apoſtolorum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. Pridie Idus Martii, Pont. noſtri anno tertio.

## Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Alex. Card. Farneſius Vicecancellarius, Epiſcopus Oſtien.
Ego Joan. Ant. Epiſc. Portuen. Card. S. Georgii.
Ego Alph. Card. Geſualdus, Epiſc. Tuſculan.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Epiſcopus Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Epiſc. Preneſtin.
Ego Ptolomæus Card. Comenſis Epiſc. Albanen.
Ego Marcus Siticus Card. ab Altaëmps, tit. S. Mariæ Tranſtiberim.
Ego Proſper Card. Sanctacrucius, tit. S. Clementis.
Ego Gabr. Card. Paleottus, tit. S. Laurentii in Lucina.
Ego Frater Michaël Bonellus Card. Alex. titul. S. Mariæ ſuper Minervam.

Ego

Ego Ludovicus tit. S. Anaſtaſiæ Presb. Card.
Ego N. de Pelleve, tit. S. Praxedis Card. Senonen.
Jul. Ant. tit. S. Barthol. in Inſula Presb. Card. S. Severinæ.
Ego Hier. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ.
Ego Joan. Hier. Card. Alban. tit. S. Joannis ante portam Latinam.
Ego Hier. Card. Simoncellus, tit. S. Priſcæ.
Ego P. Card. Deza, tit. S. Hier. Illyricorum.
Ego Ant. titul. SS. Joannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Franciſc. Cardin. de Joyeuſe, tit. Sanct. Trinit. in Monte Pincio.
Ego Jul. Card. Cananus, tit. S. Euſebii.
Ego Nic. Card. Cremonen. tit. S. Cæciliæ.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. Veronæ, tit. S. Marci.
Ego Vincentius, tit. S. Mariæ in Via Card. Montis regalis.
Ego Philippus Card. Spinola, tit. S. Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellotus, tit. Sancti Salvatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card. Gonzaga, tit. S. Alexii.
Ego Henricus Card. Caietanus, tit. S. Pudentianæ S. R. E. Camerarius.
Ego Jo. Baptiſta Card. Caſtrucius, tit. S. Mariæ in Aracœli.
Ego Federicus Card. Cornelius, tit. S. Stephani in Monte Cœlio.
Ego Dominicus tit. S. Laurentii Card. Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrand. tit. S. Pancratii, Major Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.
Ego Philipp. Card. de Lenoncourt, tit. S. Honuphrii.
Ego Fr. Hier. Card. Aſcul. tit. S. Thomæ in Parione.
Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Card. Peruſinus.
Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego G. Card. Alanus, tit. S. Martini in Montibus.
Ego Scipio Card. Gonzaga, tit. S. Mariæ de Populo.
Ego Ant. Card. Saulius, tit. S. Vitalis.
Ego Evangeliſta Card. Cuſentinus, tit. S. Matthæi in Merulana.
Ego Fr. Stephanus Cardin. Aretinus, tit. SS. Marcelli & Petri.
Ego F. Card. Sfortia diac. S. Nicolai in Carcere.
Ego Alex. Card. Montaltus diac. S. Euſtachii.
Ego Hieron. S. Mariæ in Coſinedin, Diaconus Cardin. Matthæius.
Ego Benedict. S. Agathæ diac. Card. Juſtinianus.
Ego Aſcan. SS. Viti & Modeſti, & Creſcentiæ diac. Card. Columna.
Ego Federic. S. Mariæ in Dominic. diac. Card. Borromæus.

*…tatio*

*Anno à Nativit. Domini* 1588. *indict.* 1. *die verò Veneris* 18. *menſis Martii, Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papa V. anno ejus tertio, retroſcripta litera Apoſt. affixa & publicata fuerunt in valvis, ſeu portis S. Ioan. Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtol. & in acie Campi Floræ, & per aliquod tẽporis ſpatiũ dimiſſa, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Io. Burlurault S. D. N. Papa Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## XVII. Quomodo Clerici regulares S. Pauli decollati, novitios ad eorum Religionem admittere poſſint.

*De inſtitutione hujus Congregationis, & aliis quæ eam reſpiciunt, dixi plenè ad conſt.* 37. *Clem. VII.* Vota, *ſup.*

*…A.D. 1588.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*…dium.*

EXigit incumbentis nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium, ut Monaſteriorum, & Regularium locorum quorumlibet propagationi, pauperumque Clericorum in eis pro tempore recipiendorum pio deſiderio, quantum cum Deo [illegible]mus, providere ſtudeamus.

*Cavebatur in conſtitutionibus Congreg. ne illegitimi vel ære alieno gravati, vel facinoroſi ad hanc religionem admitterentur.*

§. 1. E[illegible] ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti generalis, ac Presbyterorum & Clericorum Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli decollati canonicè inſtitutæ, petitio continebat, quod alias per conſtitutiones dictæ Congregationis, quæ cum interventu bon. mem. Caroli tituli Sanctæ Praxedis Presb. Card. Borromæi nuncupati dum viveret Eccleſiæ Mediolanenſis ex diſpenſatione Apoſt. Præſulis, necnon dilecti filii noſtri Joannis Antonii Epiſcopi Portuen. Sancti Georgii nuncupati, ejuſdem Congregationis Protectoris ad id accedente voto & conſenſu factæ & ſtabilitæ extiterunt, inter alia ſancitum fuit, ne illegitimè nati, etiam per ſubſequens matrimonium poſtea legitimati, æreque alieno gravati, & qui antea facinoroſam vitam duxiſſent, in dicta Congregatione admitterentur, aliaque diligens ſuper hoc inquiſitio, ipſaque receptio volentium dictam Congregationem ingredi in Civitate Mediolanenſi ad quam poſt longam probationem à locis in quibus præfati fuerint propterea mittuntur, à Præpoſito generali, & quatuor aſſiſtentibus ejuſdem Congregationis fieret.

*Et ab iſto Pontifice prohibita fuit receptio extra Capitulum, ut ſup. in eius conſtitut.* 71.

§. 2. Noviſſimè verò noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſuper hoc edita, ſtatuimus ac voluimus, ut antequam quis in eadem Congregatione reciperetur, cauſæ hujuſmodi examinarentur, ipſaque receptio in Capitulo generali, ſive Provinciali dictæ Congregationis fieri deberet, prout in ſingulis conſtitutionibus prædictis pleniſſimè dicitur contineri.

Cum de omnibus.

*Et quia iſta Congregatio quolibet tãtum triennio Cap. generale celebrat, & Provinciale nuſquam, ideò receptio venientium ad religionem nimium protrahitur.*

§. 3. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, Presbyterici, & clerici dictæ Congregationis nondum ſint in Provincias diſtincti, ac proinde nunquam Capitulum Provinciale, generale verò ſingulo quoque triennio tantum facere ac celebrare ſolet, cupientes & petentes in ipſam Congregationem recipi cogantur expectare, donec ipſum Capitulum fiat, hac mutataque poſtea eorum voluntate, & pia intentione, aliam vitam eligant, in maximum Congregationis hujuſmodi damnum, præjudicium & incommodum.

§. 4. Quare Præpoſitus generalis, Presbyteri & clerici prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

*Congregatio itaque à Papa proviſionem petit.*

*Hic ideo Pōt. dat auctoritatem Præpoſito, ejuſque aſſiſtentibus, omni tempore venientes ad religionem, & à ſua conſtit. non prohibitos recipiendi.*

§. 5. Nos igitur dictæ Congregationis amplitudinem, & ſingulorum in illa profectum, inter cæteras noſtri paſtoralis officii curas, tota animi propenſione cupientes, ipſoſque Præpoſitum generalem, presbyteros & clericos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac veriores noſtræ & Congregationis conſtitutionum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Præpoſito generali, presbyteris & clericis prædictis, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus modernus & pro tempore exiſtens Præpoſitus generalis, illiuſque Aſſiſtentes, quoſcumque cupientes in dicta Congregatione recipi, qui tamen à conſtitutione noſtra prædicta poſt prohibeantur, non expectato Capitulo generali, ſed quocumque alio tempore, de conſenſu omnium Aſſiſtentium, nemine penitus diſcrepante recipere & admittere liberè, & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò indulgemus, eiſque deſuper licentiam concedimus, & impartimur. Decernentes Præpoſitum generalem, presbyteros & clericos prædictos nullatenus unquam deſuper per quoſcumque quomodolibet moleſtari, vel impediri poſſe, ac ex nunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derog.*

§. 6. Non obſtantibus noſtra prædicta, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omninò, &c. Si quis autem, &c.

*Dat. P. A. 3. die 15. Mart.* Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1588. Idibus Martii, Pont. noſtri Anno tertio.

LXXVIII. **Inſtitutio præſidii ducentorum millium ſcutorum, pro ubertate Annonæ in Alma Urbe.**

*Congregationem Cardinalium ſuper iſta Annona inſtituit hic idem Pontifex, in conſtitut.* 74. Immenſa, *in Congreg.* 4. *Et aliam Congregationem ſubordinavit Paulus V. in ſua conſtitut.* 70. Paſtoralis, *ubi dicam.*

*Edita A. D. 1588.* *SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus inſtit.* ABundantes divinæ gratiæ divitias, & incredibilem benignitatis ubertatem ſæpenumero recogitantes, quam ſuper humilitatem noſtram, ab ipſo ſuſceptæ Apoſtolicæ ſervitutis initio ille dignatus eſt oſtendere, qui ſolus dives eſt in miſericordia, cogimur multorum beneficiorum tanquam ingenti pondere oppreſſi, cum ſancto Propheta exclamare: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: Etenim notum eſt omnibus, in quas rerum anguſtias & difficultates Pontificatus noſtri initia inciderint, cùm infinita quadam exulum & facinoroſorum hominum licentia omnia perturbata eſſent, cum rei frumentariæ inopia omnis ferè ditio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in temporalibus ſubjecta, & ipſa potiſſimùm Roma magnopere laboraret, cum denique Apoſtolicum Ærarium ita exinanitum reperiſſemus, ut in ſumma pecuniarum difficultate verſaremur, quibus tot incommodis nequaquam deterriti, ſed Dei auxilio freti, cui bona omnia accepta referimus, in eas omnes curas eodem tempore alacriter incubuimus. Quare & compreſſa improborum audacia tranquillitas publica reſtituta eſt; & Ærarium abundè inſtructum, & frumento ſtatim non mediocri ſumptu & labore ſuppeditato, Annonæ caritas ita ſublevata eſt, ut eam copiam & abundantiam, quæ poſtea benedicente Domino conſecuta eſt, & qua nunc fruimur, æquo omnes animo expectare potuerint. Fatemur tamen, paterna viſcera noſtra, quibus omnes fideles, ſed præcipuè eos, qui ſunt in temporali Dominio noſtro, in Chriſto complectimur, nulla re magis commota eſſe, quàm illa Annonæ caritate: nam in Urbe hominibus refertiſſima, ſi fames ingruat, aut Annona durior ſit, pauperes maximè, quorum ingens eſt multitudo, vehementius conflictantur, qua ex re quàm multa mala dimanent, nihil neceſſe eſt multis verbis explicare, cum planè perſpicuum ſit humanarum calamitatum caput eſſe famem, & quovis mortis genere acerbiorem. Quod quidem, & miſerabilis illa apud Prophetam lamentatio declarat: Omnis populus ejus gemens & quærens panem. Scientes igitur nos, licet immeritos, ejus locum in terris tenere, qui non ſolùm panem ſuperſubſtantialem tribuit, quo anima reficitur, ſed terrenum etiam panem, quo corpus quotidie ſuſtentatur, quique in deſerto ſemel miſericordia motus eſt ſuper turbas non habentes cibaria, eiſque Apoſtolos ſuos panem divinitus multiplicatum diſtribuere juſſit. Nos quoque pro noſtra paſtorali ſollicitudine ſummoperè cupimus, quantum cum Domino poſſumus, quam longiſſimè providere, ut hæc noſtra Alma Urbs, ad quam quotidie tanquam ad communem patriam Nationes omnes confluunt, quamque omnibus commodis, & ornamentis augere ſtudemus, non ſolum rei frumentariæ inopia nequaquam vexetur, ſed uberiore potius copia, & utilitate, quantum fieri poteſt, perfruatur. Nec verò ignoramus bonorum omnium largitorem Deum, qui fructum frumenti, vini & olei multiplicat, qui ſemen ſeminanti adminiſtrat, & panem ad manducandum præſtat, ſed illud etiam ſcimus à ſervo ſuper familiam Domini conſtituto, & fidem & prudentiam requiri, ut det illi cibum in tempore; & in divinis ſcripturis pigrum ad formicam mitti, ut diſcat in æſtate parare quod in [illegible] comedat, & denique humanæ providentiæ adjumenta illa meritò laudanda eſſe, quæ ad Dei gloriam relata, ejus in primis ope nituntur, & in eo præcipuè conquieſcunt. Illud autem eleemoſynæ genus Deo gratiſſimum eſſe arbitramur, quod in commune diſtributum, ad omnium egeſtatem ſublevandam maximè accommodatur. Quamobrem nullis quamvis magnis impenſis parcentes, & publicæ præſertim pauperum utilitati opportunè providere cupientes, prægrandem pecuniam ſeponere, & certo in loco collocare decrevimus, quæ annonæ & abundantiæ, quam appellant, perpetuò attributa ſit, reique frumentariæ copiæ curandæ & comparandæ in poſterum perpetuò deſerviat.

§. 1. Habita igitur ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, ex certa noſtra ſcientia, ac de nobis attributæ Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ducenta millia ſcuta monetæ ad rationem decem juliorum pro quolibet ſcuto ex pecuniis noſtra parſimonia & frugalitate, ac diligentia ad publicam utilitatem comparatis, apud dilectum filium Joannem Auguſtinum Pinellum laicum Genuenſem, noſtrarum & Cameræ Apoſtolicæ pecuniarum Depoſitarium, realiter & cum effectu depoſita, & collocata, prout de eorum reali & actuali receptione ac confeſſione, & quietatione ipſius Joannis Auguſtini publico inſtrumento per dilectum filium Tydeum de Marchis dictæ Cameræ Notarium deſuper rogatum hodierno mane in eadem Camera confecto plenè conſtat, prædictæ piæ cauſæ ad Annonam pertinenti perpetuò applicamus, appropriamus, & incorporamus, ac pro potiori cautela, titulo donationis, quæ dicitur inter vivos perpetuò valituræ irrevocabiliter concedimus, donamus & elargimur, atque omnem prædictæ pecuniæ proprietatem, jus & dominium, etiam à nobiſmetipſis & Camera Apoſtolica penitus abdicantes, eadem ducenta millia ſcuta ad parandam Annonæ copiam, ſive illius penuriam, inopiam, & caritatem ſublevandam dumtaxat, nec in aliam cauſam, ſive univerſam quantitatem, ſive illius partem, quæcumque illa fuerit, inſumendam eſſe.

§. 2. Idque etiamſi cujuſvis alterius rei propoſitæ, aut de qua tunc eſſet agendum, major vigeret neceſſitas, vel aliud expetere, aut efflagitare præſens utilitas videretur, ſanctè & religioſè omninò ſervari debere, de ſimilibus conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium pariter perpetuò ſtatuimus & ordinamus. Siquidem ad certas alias urgentes & graves, quæ contingere poſſent indigentias vel neceſſitates, Ærarium benedicente Domino locupletiſſimum, noſtra etiam cura ac ſollicitudine partum, & Deo dicatum perpetuò extabit.

§. 3. De iiſdem verò pecuniis ad hanc maximè piam cauſam, omnibuſque in Urbe degentibus, atque ad illam undequaque confluentibus apprimè ſalutarem benignè, & liberaliter jam per nos applicatis, donatis atque elargitis, ſicuti de cæteris piis per nos factis largitionibus, aliter quàm ut præfertur, perpetuis futuris temporibus diſponi ſtrictè interdicimus & prohibemus, certa ſpe ducti Rom. Pont. noſtros pro tempore ſucceſſores ad Annonæ incómoda ſublevanda paratam hujuſmodi pecuniam nedum imminuturos, verum exemplo Patriarchæ Joſeph in Ægypto, dum ipſi veri Joſeph, qui eſt Chriſtus Dominus, pro injuncto munere locum obtinebunt in terris, nova adjumenta adverſus famem, illiuſque incommoda eſſe laturos, ac pro eo, quem erga Chriſti pauperes univerſi Status Eccleſiaſtici, ac præcipuè Sacerdotalem & Regiam hanc Urbem Chriſtianæ Religionis domicilium, beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli pretioſo martyrio conſecratam, gerere debent inſigni affectu, alia in dies majora ſubſidia præparaturos eſſe.

§. 4. Ac præterea Congregationi venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper ubertate Annonæ, nunc & pro tempore deputatorum per nos nuper inſtitutæ, earundem pecuniarum ad rei frumentariæ atque aliarum cujuſvis generis frugum, quibus ad vitæ humanæ ſuſtentationem indigemus, copiam & ubertatem, tam in Urbe noſtra, quàm in univerſo Statu Eccleſiaſtico temporali parandam & providendam, adhibitis ſecum dilectis filiis Cameræ Apoſtolicæ Theſaurario generali, Clerico Annonæ Præfecto, & Commiſſa-

rio

rio, etiam generali. Ita tamen quod ipſæ pecuniæ in hujuſmodi Annonæ uſus, ad nutum & juſſionem ejuſdem Congregationis, cum mandato à dicto Præfecto, prout adhuc ſervatum eſt, expedito, nec alias erogentur, vel expendantur, ac rurſus ſic erogatæ vel expenſæ ſuo tempore recuperentur, liberam abſolutamque adminiſtrationem, dictaſque pecunias, ſiquando peccatis populi id promerentibus, terræ ſtabilitas, quod Deus avertat, in temporali Eccleſiaſtica ditione contigerit, ad convehendum aliunde commeatum, in toto vel in parte per eoſdem Theſaurarium, Annonæ Præfectum, & Commiſſarium erogari, ac rurſus ſi quid tempore famis ex dicta ſumma deceſſerit, poſtea ubi temporis opportunitas tulerit, illam redintegrari, atque ubi expedire videbitur, in Ærarium Apoſtolicum Caſtri S. Angeli referri & aſſervari, atque inde, quoties occaſio poſtulaverit, liberè depromi & extrahi eorum arbitrio faciendi. Ita tamen ut datorum & acceptorum rationes & computa, in Camera Apoſtolica ſingulo trimeſtri, in ipſa verò Cardinalium Congregatione ſingulis annis integrè reddantur, plenam ac pariter liberam & omnimodam concedimus facultatē. Volentes eundem Joannem Auguſtinum & pro tempore exiſtentem Depoſitarium dictæ pecuniæ ad Annonam pertinentis, in erogandis, aut exigendis, vel in unum redigendis pecuniis prædictis eam ob cauſam exponendis, aliorum quam dictæ Annonæ Præfecti mandato, in illis verò in dictum Ærarium redigendis, ſeu inde extrahendis, aliorum quam dictæ Congregationis Cardinaliū, aut eorum majoris partis ordinationibus & mandatis, etiamſi quaſcumque pœnas aut cenſuras in ſe continerent, parere minimè teneri, & quorumvis etiam aliorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, illiuſque Collegii, ac Cameræ Apoſtolicæ juſſa, & imperium impunè ea in re detrectare poſſe, quinimmò ipſum Joannem Auguſtinum & pro tempore exiſtentem Depoſitarium, ab omni cujuſcumque alterius Judicis aut Magiſtratus quavis dignitate & auctoritate fungentis ſuperioritate, & juriſdictione, quoad negotia ipſam Annonam concernentia, prorſus eximimus & liberamus, atque immunem conſtituimus. Inhibentes quibuſvis Judicibus, Præſidentibus & Officialibus ne circa præmiſſa ſe intromittere vel ingerere, aut Joannem Auguſtinum vel Depoſitarium pro tempore exiſtentem prædictos quomodolibet moleſtare, perturbare, aut inquietare audeant vel præſumant.

*Cardinales ejuſdem Congregationis protectores ejus conſtituit.*

§.5. Quocirca dictos Cardinales nunc & pro tempore in eadem Congregatione deputatos, ejuſdem negotii Protectores atque defenſores, ad hoc ut in omnibus, quæ his literis continentur, auctoritatem ſuam interponant, ac difficultates quæ ſuboriri poſſent removeant, perpetuò conſtituimus & deputamus, eiſque per præſentes committimus & mandamus, ut quando & quoties opus fuerit, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, ac tam dicto Joanni Auguſtino, & Depoſitario, qui pro tempore erit, quam aliis quibuſcumque, quos præmiſſa cōcernent in futurum, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant omnia & quæcumque in eiſdem præſentibus literis contenta perpetuò, firmiter & inviolabiliter obſervari, contradictores & rebelles per ſententias & cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Succeſſoribus ... legē impoſitā decernit, ... pro re... ... hac ... deprō... licebit ... contra ... ſiſcis eſ... ...nientis Cardina... ac alio... qui par... ... erunt ... &*

§.6. Si quis autem fortaſſe, quod vix nobis perſuaderi poteſt, Succeſſorum noſtrorum huic noſtro ſtatuto & ordinationi, palam vel occultè contravenerit, atque conſtitutam pecuniam in alium quàm præſcriptum uſum verterit, aut ab aliis ejus auctoritate fretis id fieri paſſus fuerit, eum ſeriò admonemus, ut meminerit quam nobiſmetipſis quoad diſponendum de hujuſmodi pecuniis, noſtra, ut præfertur, parcimonia & ſollicitudine ad hoc publicum & pium opus comparatis; & intuitu pietatis, atque ad ſublevandas Chriſti pauperum neceſſitates per nos applicatis, & irrefragabilis donationis titulo, ut dictum eſt, conceſſis ac donatis, legem impoſuimus, eandem etiam ab ipſo, qui ex debito paſtoralis officii annonæ ubertatem ad commune bonum ſubditorum ſummo ſtudio procurare tenetur, inviolatè ſervari debere, alioquin ſe in diſtricto Dei judicio ſuæ adminiſtrationis, & hujus peculii ad ipſam hujuſmodi cauſam deſtinati, ſi illud temerè violaverit, ac damnorum & malorum quæ inde provenient, rationem fore redditurum, & præter actionem popularem, quam adverſus eos omnes, qui eorundem participes fuerint, proponimus, quoniam publica in hoc læderetur utilitas, ſcire etiam volumus univerſos, poſt derogantis, aut contra ſtatuentis aut mandantis obitum, quibuſvis Romanis Pōtificibus ſucceſſoribus licere & liberum eſſe, iis quæ contra ſtatuta, aut mandata fuerint nequaquam obſtantibus, etiam ſingulis de populo, ſicuti in actionibus popularibus fit, ad agendum admiſſis, vel etiā nemine inſtante, pro reſarcienda pecunia deſumpta, illaque recuperanda adverſus Pontificis derogantis, & contra facientis, atque Cardinalium & aliorū quorumcumque qui ejus rei participes fuerint, poſteros, ſeu conjunctos omnes, quibus ab ipſo Pontifice, aut Cardinalibus, vel quibuſcumque ex prædictis, bona quovis titulo, aut quavis de cauſa obvenerint, agere, & poſſeſſionem bonorum, quæ ad ipſos teſtamento, vel ab inteſtato delata fuerint, apprehendere & retinere, donec quicquid ex ſumma prædicta imminutum fuerit, id omne quam citiſſimè, etiam per bonorum alienationem & diſtractionem redintegretur, ac in priſtinum reſtituatur. Ac propterea omnia bona præcipuè huic oneri, atque obligationi, cum ea quæ publici juris ſunt, privatorum commodis omninò præferantur, addicta eſſe.

*... conjunctos omnes, ad quos eorum bona quolibet modo pervenerint.*

*Decretum irritans apponit.*

§.7. Sicque in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, necnon ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus.

*Clauſulas derogatorias addit.*

§.8. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Cameræ Apoſtolicæ prædictæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentio, aut quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Formam & effectum publicationis hujus conſtitutionis ſubſtituit.*

§.9. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs perveniant, jubemus eas ad valvas Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ de more affigi inibi, & inibi ac in Camera Apoſtolica quamprimùm publicari, ac earum exempla, tam in prædictis locis affixa relinqui, quàm etiam in libris ipſius Cameræ deſcribi, & ad perpetuam memoriam conſervari. Quibus quidem exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem in judicio & extra illud ubique fidem adhiberi volumus, quæ eiſdem præſentibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctionem pœnalem ſubjicit.*

§.10. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ applicationis, appropriationis, incorporationis, conceſſionum, donationis, elargitionis, abdicationis, ſtatuti, ordinationis, interdicti, prohibitionis, voluntatum, exemptionis, liberationis, conſtitutionum, inhibitionis, deputationis, commiſſionis, mandati, admonitionis, propoſitionis, decreti, declarationis, derogationis, & juſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. An. 3. die 16 Martii*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo

 octavo,

octavo, 17. Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio.

*Papa ſubſcr.* Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

*Card. ſubſcr.* Ego Alexand. Card. Farneſius Epiſcopus Oſtienſis, Vicecancellarius.
Ego Joan. Ant. Epiſc. Portuen. Card. S. Georgii.
Ego Alph. Card. Geſualdus, Epiſc. Tuſculan.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Epiſcopus Sabinen.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comenſis Epiſc. Albanen.
Ego M. Siticus Cardin. ab Altaëmps tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.
Ego Proſper Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis.
Ego Frater Michaël Bonellus Card. Alexandr. tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ludovicus Card. Madrutius tit. S. Anaſtaſiæ.
Ego Nic. Card. de Pelleve, tit. S. Praxedis.
Jul. Ant. tit. S. Barthol. in Inſula Presb. Card. S. Severinæ.
Ego Hier. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ.
Ego Jo. Hier. Card. Alban. tit. S. Joannis ante portam Latinam.
Ego Hieron. Card. Simoncellus.
Ego Petrus Card. Deza.
Ego Ant. tit. SS. Joannis & Pauli Presb. Card. Carafa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Jo. Baptiſta Card. S. Marcelli.
Ego Franciſcus Cardin. de Joyeuſe, tit. S. Trinitatis in Monte Pincio.
Ego Julius Card. Cananus, tit. S. Euſebii.
Ego Nicolaus tit. S. Cæciliæ Card. Cremonen.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Aug. Card. Veronæ, tit. S. Marci.
Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Card. Mōtis Regalis.
Ego Scipio Card. Lancellot. tit. S. Salvatoris in Lauro.
Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Card. Caietan. S.R.E. Camerarius.
Ego Jo. Baptiſta, tit. S. Mariæ in Aracæli Card. Caſtrucius.
Ego Domin. tit. S. Laur. Card. Pinellus.
Ego Hipp. tit. S. Pancratii Cardin. Aldobrandinus Major Pœnit.
Ego Hieron. tit. S. Thomæ in Parione Card. Aſculan.
Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Presbyt. Cardin. Peruſin.
Ego Fr. Conſtantius Cardin. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego G. Alanus, tit. S. Martini Card. Anglican.
Ego Scipio, tit. S. Mariæ de Populo Presbyt. Cardinalis Gonzaga.
Ego Antonius Card. Saulius, tit. S. Vitalis.
Ego Evang. Cardin. Cuſentinus, tit. S. Matthæi in Merulana.
Ego Fr. Stephanus Cardin. Aretinus, tit. SS. Marcellini & Petri.
Ego F. Card. Sfortia, diac. S. Nicolai in Carcere.
Ego Ant. diac. S. Euſtachii, Card. Montaltus.
Ego Hier. S. Mariæ in Coſmedin, diac. Card. Matthæius.
Ego Benedictus S. Agathæ diac. Card. Juſtinianus.
Ego Aſc. SS. Viti, Modeſti, & Creſcen. S.R.E. diac. Card. Columna.
Ego Federicus S. Mariæ in Dominica diac. Cardin. Borromæus.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate Domini* 1587. *indictione* 15. *die verò Sabbati* 7. *menſis Maii, Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina Providentia Papa V. anno ejus* 4. *retroſcripta litera Apoſtolica affixa, lecta & publicata fuerunt in valvis, ſeu portis S. Ioannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Ioan. Burlurault, S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

LXXIX. Quod vacent omnes Eccleſiæ & beneficia eorum qui ad dignitatem Cardinalatus promoventur. Et quando eis datur retentio, intelligantur de beneficiis non requirentibus reſidentiam in loco dictæ dignitati non convenienti.

*Alia de Cardinalibus notavi ſup. in conſt.* 50. Poſtquam, *ubi videas.*

SAnctiſſimus D. N. Sixtus Papa V. decrevit quod per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & omnia beneficia, cujuſcumque nominis, & tituli ſint, niſi fuerit data retentio, quæ conceſſa intelligatur, & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, ad Monaſteria, etiam commendata, ad Prioratus, & ad cætera omnia alia beneficia, quæ videntur convenire dignitati Cardinalatus.

§. 1. Ad alia verò quæ videntur repugnare dignitati & gradui Cardinalatus, putà Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia beneficia non extendatur, cum obtinentes hujuſmodi beneficia teneantur reſidere in Choro, & habere debeant locum poſt Epiſcopum, Cardinalis dignitati non convenientem.

Actum Romæ apud S. Petr. die Mercurii decima ſexta Martii 1588. in Conſiſtorio.

LXX[illegible] De tribus decies centenis millibus nummûm aureorum, in arce Sancti Angeli repoſitis, inde nullo unquam tempore, niſi præſcriptis caſibus, certaque deſuper ſervata forma depromendis.

*Alia decies centena millia hic Pont. pro S. R. E. præſidio in primo, & alia decies centena millia in ſecundo ſui Pont. anno collegit, & in eadem Arce repoſuit, indeque promi vetuit in conſtit.* 31. Ad Clavum, *& in conſt.* 69. Anno. *Et has conſtitutiones Pont. ſucceſſores omnes confirmarunt.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

ETſi non permultis ſuperiorum temporum experimentis edocti ſatis ſuperque intelleximus, quot quantiſque caſibus humana ſit obnoxia conditio, mens tamen noſtra divina quadam inſpiratione à Patre luminum Deo eſt tandem admonita, ad ea pro viribus paranda præſidia, quibus B. Petri Navis, cujus gubernacula nobis, licet immeritis, commiſſa ſunt, inter varias miſerabilis hujus vitæ procellas tuta incolumiſque ſervari poſſet. Proinde cum ad res difficiles explicandas, ac maxima pericula, graviſſimaque diſcrimina evitanda, pecuniarum copiam quamplurimùm conferre dignoſceremus, primo noſtri Pontificatus anno decies centena nummûm aureorum millia, altero verò altera itidem decies centena millia in certum ſanctiuſque Ærarium (quod in Pontificia S. Angeli Arce conſtitutum eſt) ſumma diligentia induſtriaque retulimus, ac de utriſque decies centenis millibus nummûm perpetuò aſſervandis, nec ullo inde unquam tempore, niſi ad præſcriptos, maximeque neceſſarios uſus depromendis & erogandis binas conſtitutiones edidimus, quarum tenores tametſi hic pro inſertis, & expreſſis haberi volumus, illos nihilominus etiam de verbo ad verbum, quatenus opus ſit, inſeri mandamus.

§. 1. Verumtamen cum adverſus ejuſdem Apoſtolorum Principis Navem novos quotidie concitari fluctus, ac Turcarum præcipuè Tyrannum, atrociſſimum Chriſtiani nominis hoſtem, ab immaniſſimis hæreticis & ſchiſmaticis, (qui jam non amplius de fide, aut de religione contendunt, ſed de Catholicorum pernicie & interitu dies noctesque cogitant) ſollicitari audiamus, ut ingentem inſtruat claſſem, totiſque viribus in Chriſtianorum exitium inſurgat, eoſdemque Eccleſiæ Dei perduelles, nihil in dies enixius moliri, quam ut inconſutilem Chriſti JESU Redemptoris tunicam (hoc eſt Catholicam Eccleſiam) diſcindant, ac Regna & Populos

pulos à Chriſtianis Principibus teterrimo [illegible] eorum ſchiſmate alienent. Quocirca ingentes & luctuoſas turbas in florentiſſimo Galliæ Regno jamdiu excitatas quotidie magis alere atque conflare non deſiſtunt, atque adeò in variis Germaniæ locis, equitum peditumque collecta manu paſſim, ac impunè acerbiores injurias, gravioraque damna minitantur. Venerabiles fratres noſtri S.R.E. Card. quibuſcum à nobis hac de re ſæpiùs actum eſt, animadvertentes, majoribus malis ingruentibus majori etiam pecuniarum præſidio Apoſtolicæ Sedi opus eſſe, operæpretium duxerunt, ut à nobis alia decies centena nummûm aureorum millia præter bina ſuperiora Pontificio noſtro in Ærario collocaremus.

§. 2. Nos verò, qui non ignoramus, & Præſidem Civitatis fruſtra vigilare, niſi eam Dominus cuſtodiat, & ipſum Dominum tentari, niſi qui præeſt vires nervoſque omnes intendat ut ea faciat & præſtet, quæ ad Civitatem tuendam, ſervandamque pertineant, eorundem fratrum noſtrorum conſilium ſummopere probantes, clementiſſimi Dei benignitati freti, ad hujuſmodi pecuniarum ſummam cogendā, eamque in idem Pontificium Ærarium referendam, mentem omnem animumque adjecimus. Motu proprio igitur, & ex certa noſtra ſcientia, ac habita ſuper hoc cum eiſdem venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto matura deliberatione, de eorum conſilio, & unanimi conſenſu, hac præſenti noſtra perpetuò valitura conſtitutione, dicta alia tertio loco decies centena millia nummûm aureorum in eadem Arce noſtra Pontificia S. Angeli, in ſanctiori Ærario nunc recondimus, reponimus, & collocamus, ac Chriſto Domino noſtro, B. Mariæ ſemper Virgini, & Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo offerimus & dedicamus, iiſdem omninò legibus & conditionibus, quæ in prioribus noſtris ſuperiùs deſcriptis conſtitutionibus præſcriptæ & præfinitæ ſunt. Declarantes noſtræ voluntatis, mentiſque eſſe, ut quod in ipſis prioribus conſtitutionibus de recuperatione Terræ Sanctæ & generali expeditione contra Turcas dictum fuit, idem etiam locum obtineat quoad omnes has Deo dicatas pecuniæ ſummas, in recuperatione Regnorum à quibuſcumque Catholicæ Romanæ Eccleſiæ hoſtibus occupatorum, & in expeditione, quam contra eoſdem decerni ac fieri contigerit.

§. 3. Ubi verò in præſcriptis caſibus pecuniarum aliquid ſumi neceſſitas poſtulaverit, volumus ut de tota ſumma, tam ſuperioribus annis quàm etiam nunc repoſita, hoc prorſus, & non alio modo pecuniæ ſumantur & erogentur: nimirum ut in Conſiſtorio ſecreto præſcriptarum neceſſitatum qualitate, ac rerum & temporum ratione diligenter perpenſa, atque ita cogente, trium ſaltem ex quatuor partibus Cardinalium, qui Conſiſtorio interfuerint, ſicuti in præinſerta conſtitutione noſtra ſancitum eſt, conſenſu, decreto, & ſubſcriptione adhibitis, ex ternis decies centenis millibus aureorum nummûm à nobis repoſitis non ultra ſextam partem, id eſt non ultra quingenta millia nummûm promi liceat. Et ea quidem quingentorum millium ſumma, non tota ſimul, ſed paulatim, moderatè & ſucceſſivè depromatur per certas potiones, quæ in eodem Conſiſtorio, in quo de tota re deliberabitur à tribus Cardinalium, ut dictum eſt, omnibus diligenter examinatis, decretæ & præfinitæ fuerint. Quod ſi ipſis quingentis millibus erogatis, & conſumptis, præſcripti caſus & neceſſitates novam impenſam requiſierint, tunc iterum propoſita & adhibita in Conſiſtorio conſultatione, ſi conſenſus, decretum, & ſubſcriptio trium ex quatuor partibus Cardinalium, ut ſupra dictum eſt, acceſſerint, aliam ſummam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non ſtatim totam, ſed moderatione ea ſervata, eoque quem diximus modo limitatam & præfinitam, ſumi poſſe permittimus. Cæterùm ſtatuimus prout aliis prioribus noſtris conſtitutionibus ordinatum eſt, ut partes, & portiones pecuniæ ſupradictæ, quæ in aliquo ex præmiſſis caſibus ſumptæ fuerint, cum ejus impenſæ faciendæ ratio ceſſaverit, omninò in ærarium unde depromptæ fuerint, integrè reſtitui ac reponi primo quoque tempore debeant.

§. 4. [illegible] autem Deo dicatis pecuniis nullo unquam tempore, niſi aliqua ex iis quas diximus neceſſitas [illegible], & requirat, neque in totum, neque ex aliqua parte amoveri, erogative quovis modo à nobis poſſe volumus, eamque amovendi & erogandi poteſtatem & facultatem à nobis ipſis abdicamus. Idque ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices propoſito ſibi tremendo judicio, in quo ſummo patrifamilias de adminiſtrata villicatione exquiſita reddetur ratio, eodem planè modo facturos eſſe confidimus & ſperamus. Tandemque Deo per præſentes oblatam pecuniam, unà cum illa priori nos integram, ut dictum eſt, conſervaturos eſſe, ac perinde omninò, ac res & bona Eccleſiæ immobilia nos habituros promittimus, juramus & vovemus, & ſicuti omnes Cardinales præſentes, & infraſcripti voverunt, promiſerunt ac jurarunt, ita per alios Cardinales nunc & pro tempore exiſtentes, ac per ſucceſſores noſtros, quando & quoties ſuperiùs ordinatum fuit, & juxta formam nunc traditam jurari, promitti, ac voveri decernimus.

*Pradicta [illegible] obſervaturū vovit, & ſimul Card. ibi. infraſcripti praſentes idem promiſerunt, ita & ab aliis Card. pro tempore idem promitti jubet, prout in conſt. ib. ubi. cit.*

§. 5. Denique cætera omnia & ſingula in eadem conſtitutione ſupraſcripta, quomodolibet expreſſa, conſtituta, & decreta, etiam in hac pecunia à nobis ut præfertur, nunc collocata & recondita, & quoad præſentes noſtras literas, in omnibus & per omnia, penitus, omninò, & inviolabiliter obſervari, & locum habere volumus, præcipimus & mandamus.

*Cætera omnia in d. conſtit. contenta denuò decrevit & præcepit.*

§. 6. Si quis autem fortaſſe noſtrorum ſucceſſorum, id quod minimè credimus, huic noſtræ conſtitutioni omninò, aut aliqua ex parte derogare, aut contra ſtatuere voluerit, aut deprompram pecuniam, ut ſupra ſancitum eſt, in idem Ærarium non reſtituerit, admonemus poſt derogantis, aut contra ſtatuentis, contraque facientis obitum liberum eſſe ſucceſſoribus, ea derogatione & quibuſvis aliis, quæ contra ſtatuta ſunt, non obſtantibus, pro pecunia contra hujus conſtitutionis præſcriptum, ſumpta ac deprompta recuperanda, tam adverſus Pontificis derogantis, & contra facientis poſteros, ſeu conjunctos omnes, quàm adverſus Cardinales idem conſentientes, aut quoſcumque eorum hæredes, quibus ab ipſo Pontifice aut Cardinalibus bona quovis titulo, vel quavis ratione obvenerint, agere, & poſſeſſionem bonorum, quæ ad ipſos poſteros pervenerint, adipiſci, retinerique, donec quicquid pecuniæ depromptum eſt, id omne in Ærarium referatur & reſtituatur, eaque ipſa bona, ſi quo modo, ut ſupra dictum eſt, à forma per nos conſtituta recedi contigerit, hujuſmodi obligationi, atque oneri obnoxia & addicta eſſe volumus, ſingulis quæ in noſtris literis adverſari poſſent, vel quoquo modo obeſſe, penitus remotis, ac non obſtantibus.

*Succeſſoribus contravenientibus indicit pænas.*

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ reconditionis, repoſitionis, collocationis, oblationis, dicationis, declarationis, permiſſionis, juramenti, voti, decreti, præcepti, mandati, & admonitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Sanctio pænalis.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. 5. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno quarto.

*D. P. An. 4. die 27. Apr.*

## Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, promitto, voveo, & juro.

*Papa ſubſcr. & iuramentum.*

Ego Alex. Cardinalis Farneſius Epiſcopus Oſtienſis, Vicecancellarius, promitto, voveo & juro.

Ego Joan. Antonius Epiſcopus Card. S. Georgii, promitto, voveo & juro.

Ego Alphonſus Card. Geſualdus Epiſc. Tuſculanus, promitto, voveo & juro.

Ego Innic. Avalos Card. de Arag. Epiſc. Sabinen. promitto, voveo & juro.

Ego Ptolomæus Cardin. Comenſis, Epiſcopus Albanen. promitto, voveo & juro.

Ego Marcus Siticus Cardinalis ab Altaëmps, tit. S. Mariæ Tranſtyberim promitto, voveo & juro.

*Card. ſubſcr. & iuramentum.*

Ego P.

Ego P. Card. Sanctacr. tit. S. Clem. promitto, voveo & juro.

Fr. Mich. Bonellus Card. Alexandrin. tit. S. Mariæ ſup. Minervam, promitto, voveo & juro.

Ego Ludovicus Card. Madrutius, tit. S. Anaſtaſiæ, promitto, voveo & juro.

Ego Nic. Card. de Pelleve, tit. S. Praxedis, promitto, voveo & juro.

Jul. Ant. titul. S. Barthol. in Inſula Presb. Card. Sanctæ Severinæ, promitto, voveo & juro.

Ego Hier. Card. Ruſtic. tit. S. Suſannæ, promitto, voveo & juro.

Ego Jo. Hier. Card. Alban. titul. S. Joannis ante portam Latinam, promitto, voveo & juro.

Ego Hieron. Card. Simoncellus, promitto, voveo & juro.

Ego Petrus Card. Deza, promitto, voveo & juro.

Ego Ant. tit. SS. Joannis & Pauli Prebyt. Card. Carafa, promitto, voveo & juro.

Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor, promitto, voveo & juro.

Ego Jo. Baptiſta Card. S. Marcelli, promitto, voveo & juro.

Ego Franciſcus Cardin. de Joyeuſe, tit. S. Trinitatis in Monte Pincio, promitto, voveo & juro.

Ego Julius Card. Cananius, tit. S. Euſebii promitto, voveo & juro.

Ego Nicolaus tit. S. Cæciliæ Cardin. Cremonen. promitto, voveo & juro.

Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace promitto, voveo & juro.

Ego Aug. Card. Veronæ, tit. S. Marci promitto, voveo & juro.

Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Card. Montis Regalis, promitto, voveo & juro.

Ego Scipio Card. Lancellotus, tit. S. Salvatoris in Lauro promitto, voveo & juro.

Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Card. Caietan. S. R. E. Camerar. promitto, voveo & juro.

Ego Jo. Baptiſta tit. S. Mariæ in Aracœli Card. Caſtrucius promitto, voveo & juro.

Ego Domin. tit. S. Laur. Card. Pinellus promitto, voveo & juro.

Ego Hipp. tit. S. Pancratii Cardin. Aldobrandinus Major Pœnit. promitto, voveo & juro.

Ego Hieron. titul. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere promitto, voveo & juro.

Ego Hieron. titul. S. Thomæ in Parione Card. Aſculan. promitto, voveo & juro.

Ego Ant. Maria, tit. S. Agnetis in Agone Presbyt. Card. Peruſin. promitto, voveo & juro.

Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo promitto, voveo & juro.

Ego G. Alanus, tit. S. Martini Card. Anglican. promitto, voveo & juro.

Ego Scipio, tit. S. Mariæ de Populo Presbyt. Cardinalis Gonzaga promitto, voveo & juro.

Ego Antonius Card. Saulius, tit. S. Vitalis, promitto, voveo & juro.

Ego Evang. Cardin. Cuſentinus, tit. S. Matthæi in Merulana, promitto, voveo & juro.

Ego Fr. Steph. tit. SS. Marcellini & Petri Presb. Card. Aretinus, promitto, voveo & juro.

Ego F. Card. Sfortia, diac. S. Nicolai in Carcere, promitto, voveo & juro.

Ego Ant. diac. S. Euſtachii, Card. Montaltus, promitto, voveo & juro.

Ego Hier. S. Mariæ in Coſmedin diac. Card. Matthæius, promitto, voveo & juro.

Ego Benedictus S. Agathæ diac. Card. Juſtinianus, promitto, voveo & juro.

Ego Aſc. SS. Viti, Modeſti, & Creſcen. S. R. E. diac. Card. Columna, promitto, voveo & juro.

Ego Federic. S. Mariæ in Domin. diac. Cardin. Borromæus, promitto, voveo & juro.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate D.* 1588. *indict.* 15. *die verò Sabbati 7. menſis Maii, Pontif. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papa V. anno ejus 4. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, lecta & publicata fuerunt in valvis, ſeu portis S. Ioannis Lateranenſis, & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſa, per nos Io. Baptiſtam Bagni, & Io. Burlurault S. D. N. Papa Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## Approbatio Congregationis Clericorum Regularium Minorum, cum aliquarum gratiarum conceſſione. LXXXI

*Alia dedit privilegia Greg. XIV. inf. in conſt.* 2. Romanus. *Et omnia confirmavit Clem. VIII. ut ibi dicam.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS, Ad futuram rei memoriam.* *Edita A. 1588.*

SAcræ Religionis propagationem noſtris potiſſimùm temporibus ubique vigere, ejuſque fructus Domino gratiſſimos, & univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ utiliſſimos, animabuſque fidelium nimium ſalutares, quos ex perſonarum ibi degentium devotis & continuis precibus, cum vitæ probitate & ſanctitate conjunctis provenire cognoſcimus, accreſcere ſemper ex animo deſiderantes, quo Eccleſia hæc viſibilis, quæ contra harum tenebrarum Principes & Rectores perpetuò militat, hujus mundi nequitiis & hoſtilibus inſidiis faciliùs reſiſtere, & mortifera tela propulſare queat, fidelium vota in ipſum tendentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illiſque favorem Apoſtolicum impartimur, prout ipſa videntur expoſcere, & nos conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. *Proœmium.*

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Joannis Auguſtini Adorni Presbyteri Januen. & ſociorum nobis exhibita petitio continebat, quod ipſi pluribus abhinc annis, tanquam divino afflatu inſpirati, ad Omnipotentis Dei gloriam & animarum ſalutem, unam Presbyterorum, & Clericorum Regularium Congregationem inſtituere, ac ut cum majori animi quiete Deo ſervire, & illi magis adhærere poſſint, tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, Paupertatis ſcilicet, Caſtitatis & Obedientiæ vota emittere, ac ſub ſolito & communi habitu clericali in unum habitantes, & in communi, ac de communi viventes, necnon Deo humiliter & devotè quantum ipſe dederit ſervientes, ſub noſtra & Apoſt. Sedis immediata ſubjectione, & ſpeciali protectione, regularem vitam ducere, ac continuis orationibus, ſpiritualiumque operum exercitio, & aſpera carnis maceratione, ad ſuarum, aliorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem, & profectum, vacare decreverunt. *Io. August. Adornus … alii quidam Clericorum Congregationem inſtituerunt, … regularem vitam in continuis orationibus, aliiſque piis operibus ducendo.*

§. 2. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum pio deſiderio hujuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Et Papæ approbationem ſupplicarunt.*

§. 3. Nos igitur Joannem Auguſtinum, & ſocios prædictos, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unam Congregationem Regularem Presbyterorum, & Clericorum Regularium Minorum nuncupandorum, per unum Præpoſitum generalem qui presbyter eſſe, & hac prima vice per Joannem Auguſtinum & ſocios prædictos, vel eorum majorem partem, poſtquam profeſſionem emiſerint, & deinceps futuris temporibus per Capitulum generale dictæ Congregationis per majorem partem ſuffragiorum ad vitam eligi debeat, regendam & gubernandam, ad noſtrum & Sedis Apoſt. beneplacitum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium permittimus & indulgemus, illamque ſub Beati Petri, ac noſtra, & d. Sedis immediata ſubjectione & ſpeciali protectione recipimus. *Qui d. Congregationem approbat … ab uno … poſtea generali regi …*

§. 4. Necnon eidem Congregationi, ut pro Eccleſiarum, domorum, & perſonarum ſalubri ſtatu, & directione, quæcumque ſtatuta & ordinationes rationabilia & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Trid. decretis non contraria, per Sedem Apoſtolicam approbanda con- *Statuta … dedi pro … regimine … facultatem … cedit.*

dere

dere & facere, illaque pro temporum qualitate, ac prout expedire videbitur mutare, & in totum tollere, aliaque de novo edere.

§.5. Iiſdemque Joanni Auguſtino & ſociis, ac cuilibet ipſorum, ut tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, ut præfertur, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota publicè in cujuſcumque Archiepiſcopi, vel Vicarii in ſpiritualibus generalis manibus, conjunctim vel diviſim, tam in Urbe, quàm alias ubilibet emittere & ſolemniter profiteri.

§.6. Ac ſub communi & humili habitu pauperum clericorum, ſubque denominatione & nuncupatione Clericorum & Presbyterorum Regularium Minorum, in communi ac de communi viventes in locis religioſis, aut ſæcularibus, prout ipſis ab illis, quorum loca ipſa erunt, cõceſſum fuerit, ſeu expedire videbitur, in unum habere.

§.7. Ac alios quoſcumque ſæculares clericos, & etiam laïcos, qui Deo aſpirante ad hujuſmodi vitæ frugem & communem vivendi modum ſeſe conferre voluerint, recipere, & poſt annum probationis ad talem trium votorum profeſſionem in manibus ipſius Præpoſiti generalis, vel alterius juxta Congregationis inſtituta, & faciendas ordinationes, ac ſacrorum Canonum, & Concilii hujuſmodi diſpoſitionem emittendam, & ad hujuſmodi in communi vivendi modum admittere.

§.8. Ac horas canonicas, diurnas pariter & nocturnas, necnon Miſſas & alia divina officia ſimul & diviſim ſecundùm uſum & morem Romanæ Eccleſiæ, & juxta Breviarium Romanum noviter compilatum, etiam in Eccleſia dicere & recitare.

§.9. Quodque ipſius Congregationis Presbyteri, ab ipſius Congregationis Præpoſito generali, vel alio Superiore, ac ab Ordinario loci approbati, & de licentia ipſius generalis, ſeu Præpoſiti domus, in qua pro tempore habitaverint, quorumcumque Chriſti fidelium confeſſiones audire, illoſque à quibuſvis peccatis, exceſſibus, & criminibus, non tamen Sedi Apoſt. quomodolibet reſervatis abſolvere.

§.10. Ac quibuſcumque Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſine tamen ſuorum Parochorum, & jurium Parochialium præjudicio, miniſtrare.

§.11. Necnon quaſcumque domos regulares dictæ Cõgregationis pro illorum uſu & habitatione, cum Eccleſia, campanili, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, vel jam conſtructas, & ædificatas recipere liberè & licitè valeant, dictaſque domos ex tunc, & è cõtra poſtquam conſtuctæ & ædificatæ, ſeu receptæ, ut præfertur fuerint, in domos regulares dictæ Congregationis auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus.

§.12. Quocirca univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus, aut officialibus generalibus, ac Curiæ cauſarum Cam. Apoſt. generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac aliis ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurũ, per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quomodo opus fuerit, ac quoties pro parte Congregationis Minorum hujuſmodi, illiuſque Præpoſiti, Officialium, Miniſtrorum, & perſonarum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra obſervari. Ipſamque Congregationem Minorum, illiuſque ſingulares perſonas præmiſſis omnibus pacificè frui & gaudere. Non permittentes Congregationem prædictam, illiuſque perſonas deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.13. Non obſtantibus fel. record. Bonif. Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſt. ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultũ, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. *Contradict. derogat.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 1. Julii 1588. Pont. noſtri anno quarto. *Dat. P. A. 4. die 1. Iulii.*

---

## Canonizatio S. Didaci Confeſſoris, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia profeſſoris, ſuæque Feſtivitatis inſtitutio pro die 12. menſis Novembris quotannis celebrandæ. LXXXII.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1588.*

REx Regum ante omnia ſæcula Chriſtus Dominus, qui propter perditi ſalutem hominis, forma ſervi accepta, in plenitudine temporis factus eſt homo, Eccleſiam ſuam unicè dilectam, ſuoque pretioſo ſanguine acquiſitam, ſupra Beatiſſimum Apoſtolorum Principem Petrum, cui Petræ firmitatem dedit, in ſeipſo ſummo angulari lapide à Chriſtianæ fidei primordiis ædificavit, & uſque ad ſæculi conſummationem per omnes temporum ætates mirabiliter ſemper ædificat. Divinum verò admirabilis hujus ædificationis artificium, nec inflata mundi ſapientia capit, nec terrena & carnalis prudentia ullo modo aſſequitur, Diaboli autem aſtutia & ſuperbia contremiſcit. Nimirum quemadmodum ex pauperibus & contemptis plerumque hominibus humili & obſcuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia inſtructis, nullo denique humanæ potentiæ præſidio communitis, tanquam ex abjectis & reprobatis lapidibus tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis, tam ſtabilis, in tantam demùm conſurgat altitudinem, ut ipſæ inferorum portæ ejus robur ac firmamentum perhorreſcant. Sed viæ Dei non ſunt viæ hominum, nec cogitationes ejus ſicut cogitationes eorum. Itaque non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Sic omnipotens Deus per ſcandalum Crucis, & per ſtultitiam prædicationis ſalvos fecit credentes: ſic ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initiis per ſapientem Apoſtolorum infantiam, & per fortiſſimam Martyrum infirmitatem, Græcorum ſapientiam infatuavit, & gentium potentiam dejecit atque proſtravit, ſic denique per ſuccedentes ætates brachio fortitudinis ſuæ depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles Sanctos ſuos. *Proœmium.*

§.1. Hinc ſuperiori ſæculo, & patrum noſtrorum memoriæ valde propinquo, ex humili familia fratrum Minorum S. Patris Franciſci humilem Beatum Didacum, in Hiſpania natum, non doctrina præcellentem, ſed quales primi illi noſtri Magiſtri & Principes fuerunt, ſine literis humano ſtudio comparatis, ſed idiotam & in ſancta Religionis profeſſione laïcum delegit, in quo oſtenderet abundantes divitias gratiæ ſuæ, cujus admirabili vitæ ſanctitate, & exemplo multos ad viam ſalutis perduceret, & ſeneſcentem, ac penè decrepitum Mundum magis magiſque coargueret, quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. *S. Didacus Religionis Fratrũ Minorum S. Fr. profeſſor fuit.*

§.2. Itaque Pater miſericordiarum Deus qui facit mirabilia magna ſolus, hunc ſervum ſuum parvulum, & demiſſum, cœleſtibus donis ſuis adeò ornavit, tantoque Spiritus Sancti igne incendit, manumque ſuam ad ſanitates & ſigna & prodigia, B. Didaci meritis, cùm in ejus vita, *In Regnis Hiſpan. virtutibus & miraculis claruit, quarum virtutũ aliqua recenſentur.*

vita, tum poſt mortem efficienda, tam [illegible]cè extendit, ut is non ſolum apud ſuos in florentiſſimis Hiſpaniæ Regnis notus & clarus eſſet, ſed apud exteros etiam ejus nomen magna cum gloria pervulgaretur. Juſtus enim & miſericors Dominus ſervos ſuos fideles, quos ante Mundi conſtitutionem elegit & prædeſtinavit ad vitam, non ſolùm in Cœlo ſemper coronat, ſed ſæpè etiam in Terra, ubi fortiter & legitimè certaverunt, multo gloriæ ſplendore cumulat atque illuſtrat. Nimirum, ut præclaras illas ſuas promiſſiones perſolvat: *Dabo vos*, inquit, *nominatos, & in gloriam, & in laudem in cunctis Populis Terræ*, ut ſe ipſe in Sanctis ſuis mirabilem demonſtret, & potentiam ſuam ſignis & virtutibus declaret, ut propoſitis Sanctorum glorioſis laboribus & meritis, qui homines fuerunt nobis ſimiles, circumdati infirmitate, ſegnitiem & tarditatem noſtram in via virtutis excitet, & frigeſcentem charitatem accendat, ut hæreticorum pravitatem coërceat, perverſitatem confundat, dum ad ſacras eorum reliquias divina virtute ægroti curantur, dæmones pelluntur, ut mortuos qui in Domino ſunt mortui, beatos eſſe, & multo feliciùs vivere omnes intelligant. Poſtremò ut amici Dei multo maximè honorentur, & qui Sancti ſunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus habeantur, ad quorum nos opem confugientes, eoſque piè invocantes, eorum ſuffragiis adjuti cœleſtem miſericordiam faciliùs impetremus. Meritò igitur Beatum Didacum laudamus, quem Deus multis, & illuſtribus oſtendit miraculis prædicandum, de cujus beati viri vita, & rebus geſtis, puriſſimæ fidei integritate, morum excellenti ſanctitate, ſignorum admirabilitate pauca quædam libenter pro noſtro Paſtorali officio Populo Dei proponimus, ut laudetur Deus in ſancto ſuo, & fidelium devotio tanquam ſalutari quodam & perjucundo cibo nutriatur, omneſque Deo gratias agant, publico noſtro, & hujus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis teſtimonio, quæ à Spiritu ſancto gubernatur & regitur, Beati Didaci ſanctitatem optimo jure declaratam eſſe & promulgatam.

*B. Didacus in Hiſpania natus eſt.*

§. 3. Natus eſt Beatus Didacus in Hiſpania, in Provincia Bætica, & in Oppido, cui nomen eſt Sanctus Nicolaus de Portu, quod eſt in diœceſi Hiſpalenſi. Et is quidem ut fœcundus ager cœleſtis gratiæ imbre irrigatus uberes fructus citò protulit.

*Adoleſcens apud quendam pium Sacerdotem vixit.*

§. 4. Nam adoleſcens, ex medio Babylonis fugiens, hoc eſt, ex laqueis & periculis ſæculi, pœnitentis habitu indutus in propinquam ſolitariam Eccleſiam unà cum pio quodam ſacerdote ſpiritalis vitæ duce, & ſocio ſeceſſit, ubi novus Chriſti miles in hujus fallacis Mundi contemptione, & omnium humanarum rerum deſpicientia, in cœleſtium contemplatione, in corpore domando, & ſpiritui ſubjiciendo ſe aſſiduè exercens, magna cum ſuorum oppidanorum ædificatione, præclarum tyrocinium poſuit.

*Religionemque S. Franciſci deinde profeſſus fuit.*

§. 5. Poſt aliquot verò annos, ut ſe arctioribus vinculis Chriſto adſtringeret, & à Mundi tempeſtatibus quam longiſſimè diſcederet, & ſub ſuavi obedientiæ jugo Deo ſecurius & fructuoſius ſerviret, in portum Seraphicæ S. Franciſci Religionis confugit, eamque prope Cordubam in Conventu de Arrizafa, ut vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obſervantia nominantur, incolunt, verbis expreſſis eſt profeſſus. Hic jam Athleta Chriſti ampliſſimum virtutum ſtudium ingreſſus, tanquam obliviſcens quæ retro erant, & ad ea quæ ſunt priora ſe extendens, cœpit omni contentione corporis & ſpiritus perſequi, divina gratia ſuffragante, bravium ſupernæ vocationis. Summa cura & diligentia in Regulæ obſervatione verſabatur, quam in omni vita ſanctè adeò inviolateque ſervavit, ut ipſe in cunctis Religioſis functionibus & officiis, vivens quædam, & expreſſa regula eſſe videretur.

*Humilis & obediens admodum fuit.*

§. 6. In primis verò, quia ſapientiſſimus Architectus Spiritus Sanctus ſublime regularis perfectionis ædificium in eo extruebat, altiſſimum humilitatis fundamentum jecit, & ut prudens ille ædificator in Evangelio laudatus, fodit in altum & ædificavit domum ſuper petram: nihil ſibi tribuens, nihil ſe anteponens, quo plura à Deo accipiebat, eo demiſſiùs ſe gerens. Itaque nullæ tentationum procellæ, nulli ſuperbiæ, & inanis gloriæ venti, nullæ diaboli machinationes domum illam tam egregiè fundatam movere, aut labefactare potuerunt. Superiorum & Prælatorum mandata & juſſa tanta obedientia, tantaque alacritate exequebatur, ac ſi Deum in eis loquentem audiviſſet. Sanctam paupertatem, Domini ſui ſponſam chariſſimam, quamdiligentiſſimè cuſtodiebat, omnia arbitratus ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Cumque Satanæ aſtutias non ignoraret, ſed optimè intelligeret infenſiſſimum, humani generis adverſarium, tanquam leonem rabidum & rugientem, dies noctesque circuire, ut Chriſti oviculas dilaceret ac devoret, nunquam otio, aut torpori ſe dabat, ſed ſtabat ſuccinctus lumbos ſuos in veritate, indutus loricam juſtitiæ, galea ſalutis aſſumpta, & ſcuto fidei arrepto, in quo omnia poſſet ignita nequiſſimi hoſtis tela extinguere.

*Triju... flagel... pus ſu... ſtigab...*

§. 7. Corpus igitur & carnem ſuam illecebram peccati labore, jejuniis ferè continuis & flagellis caſtigabat, & in ſervitutem redigebat, præcipuè verò ad excelſam illam arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc eſt ad ſanctæ Orationis præſidium, cujus alis in Cœlum frequenter ſublatus, terrenorum oblitus, ſuaviſſimo Dei colloquio fruebatur.

*De ... vivi..., rudis ... mirific... quebat...*

§. 8. In ea igitur ſchola divinitus eruditus vir alioqui planè rudis, & literarum minimè ſciens, admirandum in modum de rebus divinis loquebatur, ſenſuſque mirificos proferebat, ita ut viri eruditiſſimi, qui in ſacræ Theologiæ ſtudiis ætatem contriverant, ſummoperè obſtupeſcerent, illudque memoriæ traditum eſt, & gravi teſtimonio comprobatum, doctos & pios viros, cum abſtruſas & perdifficiles quæſtiones, ad res divinas, animarumque ſalutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine literarum experte cumulatè didiciſſe quod in celeberrimis Academiis à magnis Doctoribus addiſcere nequiverant.

*Orati... cumb...*

§. 9. Ille prætereà Orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedictionibus dulcedinis præventus, & calicem illum præclarum, qui cor inebriat delibans, ardentis charitatis igne erga Deum & proximos toto pectore æſtuabat: quare bonorum omnium auctorem Deum & Beatiſſimam Dei Genitricem ſemper Virginem humani generis Advocatam, quam ſumma devotione ſemper coluit, non pro ſe ſolo, ſed pro omnibus hominibus, & præſertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementiſſimeque orabat.

*Paup... amab...*

§. 10. Pauperes verò Jeſu Chriſti tanto affectu diligebat, tantaque erga eos miſericordia commovebatur, ut omni ſtudio, quantum ei licebat, eorum inopiam, & calamitates ſublevare ſedulò procuraret, quod ſi interdum præſtare non poſſet, vim lacrymarum profundebat, eoſque verbis amantiſſimis conſolabatur.

*Ægroti... tribus ... ſtrabat*

§. 11. Ægrotos fratres omnibus charitatis officiis proſequebatur, aſſidere ad lectum, cibum miniſtrare, vigilare totas noctes, perferre omnes moleſtias tanta patientia, tanta humilitate, ut quorundam purulentas plagas, non ſolùm medicamentis curare, ſed quoque eas lambere & abſtergere nõ abhorreret, quo in genere eximia ſervi Dei charitas Romæ aliquando in Cœnobio fratrum ſuorum, quod eſt ad Aram cœli, inſigniter eluxit. Nam anno quinquageſimo ſuperioris ſæculi, cum piæ memoriæ Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter ſacrum Jubilæum de more celebraret, Romam venit B. Didacus, ut ſalutarem indulgẽtiam conſequeretur, & Beatorum Apoſtolorũ ſepulchra, cæterorumque Sanctorum Martyrum illuſtres memorias religioſè veneraretur. Magna erat annonæ inopia, gravibus, & periculoſis morbis Urbs laborabat, cum Beatus Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, à Guardiano, ſeu Cœnobii Præfecto, qui jam ejus ſanctitatem deguſtaverat, eſt præpoſitus; cujus officii munus tam fideliter feliciterque adminiſtravit, ut in publicis anguſtiis omnia apud pauperes abundarent, omneſque in ſervo Dei, & copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem illius apud Deum gratiam agnoſcerent.

*Charita... eo maxi... erat.*

§. 12. Nec ſanè mirandũ eſt, virum Dei membris Chriſti Fratribus ſuis, in quibus Chriſtus ipſe ægrotabat, tanto charitatis ſtudio inſerviſſe, tam impigrè miniſtraſſe, qui eò jam perfectionis progreſſus erat, ut charitatem illam, qua nemo majorem habet, Sponſo animæ ſuæ præſtare

&

& [illegible] contemplaretur, & pro Chriſti nomine, & [illegible] vitam & ſanguinem profundere deſideraret. Ea nimirum [illegible] amoris vis & natura, ut non facilè conquieſcat, ſed majora ſemper, & maxima appetat, & moliatur, ſemperque animoſus, & operoſus ſit. Itaque cum aliquando ad Inſulas Canarias Miſſus eſſet, ut Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Conventu fungeretur, ſervus Chriſti, cui vivere Chriſtus erat, & mori lucrum, cœpit Martyrii deſiderio vehementer flagrare. Erat in eo, non ſolum columbæ ſimplicitas, ſed & ſerpentis prudentia: quare multa cum vigilantia, & regularis diſciplinæ obſervantia vir Dei in ſua cuſtodia excubabat in omni ſanctitate, & juſtitia, forma factus puſilli gregis ſui, & fidelium Inſulanorum, quibus bonus odor Chriſti erat ad vitam, ita ut frequentes eum adirent, ex ejuſque ſpiritualibus colloquiis miram caperent conſolationem, & voluptatem.

§. 13. Magnam verò exercendæ charitatis ſegetem in Inſulis illis nactus, ſimulque conſequendi Martyrii ſpe incitatus, multos ex Canarienſibus infideles, & impuris adhuc idolorum ſuperſtitionibus addictos, verbo, exẽplo, orationibus ad Chriſti fidem perduxit, quo in munere dum ſtrenuè verſaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ magna appellatur, diaboli invidia conflavit, ſæpè in capitis, & vitæ diſcrimen venit, ut ſeſe jam Martyrii palma potiturum ſperaret; ſed Deo aliter diſponente, non Martyrio animus & voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit, at certè gloria non defuit, cum præclarè à Beato Martyre Cypriano ſcriptum ſit, ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui judicaturus eſt, qui arcana renum ſcrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportavit, reſervatus à Deo ut multòs Chriſto lucrifaceret.

§. 14. Jam enim in univerſa Hiſpania clariſſimum erat B. Didaci nomen, magnamque apud omnes & venerationem, & admirationem habebat, & tanquam Angelũ quendam in Terris agentem ſic eum homines intuebantur, nihil illo lenius, nihil manſuetius, lac & mel ſub lingua ejus, & cor ejus mundum, & ſimplex Chriſtiana dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere, de nemine malè judicare, nullum adverſus aliquem verbum acerbius immittere. Si quem verò contra legem Dei, & regularem diſciplinam peccantem animadverteret, zelo Dei incenſus, liberè objurgabat; nullà tamen re gloriam ſuam, ſed Dei honorem, & fraternam utilitatem quærebat. Signis etiam, & miraculis viventem ſervum ſuum illuſtravit Deus, ejuſque excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum, ita ut undique ad eum ejus rei cauſa quamplurimi confluerent; ille verò fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem, quæ ante ſacram Beatiſſimæ Virginis imaginem collucebat, demiſiſſet, ex ejus oleo ægrotos ſigno Crucis obſignatos perungebat, multorumque varios languores, & morbos ejuſdem Crucis virtute, in qua ſola gloriabatur, mirabiliter ſanabat. Accidit aliquando, ut è cœnobio, in quo erat, ad oppidum Sancti Lucæ de Batameda proficiſceretur, fratre uno comite: cumque nullis cibariis acceptis jam ſumendi cibi tempus adveniſſet; & ex itinere defeſſi eſſent, nec in proximo vico quidquam, quo ex aliena miſericordia reficerentur, Deo ita diſponente, reperire potuiſſent, ad comitem ſereno vultu converſus Beatus Didacus: Eia, inquit, frater in Domino confidamus, ipſe nos paſcet. Cum iter ſtrenuè proſequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam poſitam vident, propiuſque accedentes album panem, piſces recentes coctos, & vini vaſculum inveniunt; inſiſtunt ſervi Dei, & in latiſſimo campo unde in omnes partes liber erat proſpectus, omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt, ſi quis fortè eo in loco prandium reliquiſſet, denique id quod erat rati, ad menſam ſibi à Deo in deſerto paratam veri Iſraëlitæ accumbunt, ac cibo, & potione ſiti, fameque depulſa, quod ſuperfuit ibidem liquerunt, Deo patri miſericordiarum gratias agentes, qui ſervis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno. Quid, illud quod Hiſpali geſtum eſt, quàm magnæ fidei eſt argumentum? Nam cum ſeptennis puer, qui à matre vapulare ſolitus erat, in furno, in quem ejus iracundiam fugiens ſe abdiderat, & furno ab ignara matre ſuccenſo expergefactus clamaret, vir Dei exanimatam matrem ejulatu omnia complentem, nec quò ſe verteret ſcientem, ad majorem Eccleſiam ire, ibique matrem miſericordiarum devotè orare juſſit: ipſa te, inquit, ô mulier adjuvabit. Cum illa, quaſi Dei Nuntium audiviſſet, pergeret, ipſe ad furnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulò poſt ad idem templum adduxit, matrique ſuæ ſalvum, & incolumen reddidit. Cæterùm cum juſtus Judex Deus Athletam ſuum tot victoriis illuſtrem carne, mundo, diabolo per Dei gratiam devicto, corona juſtitiæ, quæ illi ab omni æternitate repoſita erat, coronare decreviſſet, ſervumque multiplicatis talentis induſtrium, & in pauca fidelem ſupra multa conſtituere, & in gaudium vellet Domini ſui introducere, Beatus Didacus in ſenectute bona, plenus dierum, & operum bonorum in Conventu Complutenſi, in quo annos complures eſt commoratus, in ſupremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam autem nocte extra ſe raptus, ſenſu omni, & vitali motu amiſſo, ita ut à Medicò, & qui adſtabant fratribus, mortuus planè crederetur, tandem ſoluta eeſtaſi, ter aut quater hæc verba locutus eſt: O quales flores habet Paradiſus. In profundæ verò humilitatis ſtatione uſque ad extremum vitæ ſpiritum ſervanda, ita firmus manebat, ita nuſquam de ſuo loco decedebat, ut cùm fratres ſinguli ab eo peterent, ut pro ipſis oraret, ipſe contrà ſe eorum orationibus vehementer commendabat, ut ipſis prò eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in ſanctæ Religionis obſervantia cumulaverant, ſibi quoque à Deo communicaretur, atque ita miſericordiam impetraret.

§. 15. Poſtremò cum ſe jam moriturum intelligeret, comitis illius, & adjutricis fideliſſimæ, quæ illum in hujus vitæ peregrinatione nunquam deſeruerat, hoc eſt ſanctæ paupertatis, ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in ejus intimo ſinu, quam maximè fieri poſſet, ſpiritum emittere cupiens, convocatis fratribus, eos obnixè rogavit, ut ſibi veſtem obſoletam, & laceram, habitumque omnium viliſſimum in quo moreretur, concederent, quo impetrato, multis profuſis lachrymis, ab his qui adſtabant, offenſionum atque erratorum veniam poſtulavit, quibus copioſè collacrymantibus, ipſe Cruce lignea quam ad caput habebat, arrepta, eamque amplexus, & oſculatus, utroque brachio in altum fortiter ſublato (cum tamen alterum gravi apoſtemate tumens, ac debilitatum antea movere non potuiſſet) oculiſque in vitale ſignum defixis, verba illa ex ſacro Hymno, magnoque pietatis ſpiritu pronuntiavit: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem Cœlorum, & Dominum: quæ cum dixiſſet, in ipſo ſalutiferæ Crucis complexu quam unicè dilexerat, quam in corde, & corpore ſemper geſtaverat, in qua Chriſto confixus, & mundo crucifixus fuerat, animam efflavit, & in Domino obdormivit, pridie Idius Novembris, Anno Domini 1463.

*B. Didacus in amplexu Crucis, quam maximè diligebat, & in corde, & corpore ſemper geſtaverat, die 12 Nov. 1463. in Domino obdormivit, cãtato Hymno, Dulce lignum, &c.*

§. 16. Ad ejus corpus (B. Didaci morte audita) magni undique concurſus facti, illud devotè omnes contingere, amictus particulas præſcindere, capillos devotionis cauſa evellere, demum Chriſtiano ritu corpus honorificè humatum eſt. Hìc jam ſtatim Deus mortui ſervi ſui, cui in vita cooperatus fuerat, eximiam ſanctitatem ſignis ſequentibus comprobavit. Nam corpus, quod jam quatriduo humi ſepultum fuerat, iterum non abſque miraculi interventu effoſſum, non ſolum integrum, incorruptumque apparuit, ſed cum per multos menſes, ut pio ſtudio ſatisfieret & civium, & aliorum, qui ex diverſis partibus accurrebant, inſepultum jacuiſſet, non computruit, nullum tetrum odorem emiſit. Imò verò corpus illud, quod vivens Spiritus Sancti templum fuerat, odorem ſuaviſſimum efflabat, quo omnes mirificè recreabantur, qui quidem & in hodiernum uſque diem ex ejus ſepulchro ſuaviter, & jucunde ſpirans,

*Miraculis etiam multis, quorum aliqua hic recenſentur, poſt obitum illuſtris fuit.*

à pleriſque ſæpè ſentitur. Illud quoque in Beati Viri mortuo corpore mirum acceſſit, quod ejus membra, & artus, vitali calore deſtituti non obriguerunt, nec duri aut rigidi ſunt effecti, ut cadaverum ſolent, ſed molles erant, & flexibiles quocumque verterentur. Quocirca laudanda eſt pietas, & magnificentia claræ memoriæ Henrici IV. Caſtellæ Regis, qui unà cum filia periculosè ægrotans, & Beati Didaci precibus ſanitate impetrata nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in Arca ferreis laminis diligenter communita Beati Didaci corpus decenter recondi juſſit. Ad quod quidem ſacellum, ut conſtat, non ſolum Complutenſes cives, ſed vicini, & remotiores Populi, atque ex omni ferè Hiſpania fideles tanta devotione confluunt: nam multi beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem ejus ſacello celebrantur, tam multa, & illuſtria dona voti reddendi gratia offeruntur, ut hæc de Beati Didaci ſanctitate non exigui temporis tanquam rumoris aura, ſed per annos centum viginti & amplius conſtans, & perpetua fama, & opinio, tantuſque illorum fidelium, omnium generum, omnium ordinum conſenſus magni profectò, & illuſtris teſtimonii loco habendus ſit ad Beati Didaci ſanctimoniam comprobandam. Verumtamen multis quoque poſt obitum miraculis vir commemorabili ſanctitate præditus claruit. Nam in actis tranſmiſſis centum ferè, & triginta leguntur, Deo qui glorificatur in Concilio ſanctorum, ſignis & prodigiis teſtante, ſervuum ſuum non ſolum morum, ſed etiam ſignorum virtute, nec operibus modò pietatis in vita, ſed etiam miraculorum luce poſt mortem, clarum & venerabilem eſſe. Duron oppidum eſt in Hiſpania, in diœceſi Seguntina: ex eo Catharina Martini filia, virgo annos duodecim nata, cum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda, & muta evaſiſſet, brachiis item pedibuſque paralyſi diſſolutis incedere nequiret, ad B. Didaci ſacellum delata, cum ibi pervigilaret, ejus tacta manu, & in Crucis formam conſignata, illicò & aurium ſenſum, & loquendi facultatem recepit, membrorumque uſu reſtituto, totoque corpore confirmato, liberè quà libuit, inceſſit, laudans & benedicens Deum. Adoleſcens quidam erat annorum ferè viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, ita ut ſæpiùs interdum in die arreptus, & ad terram alliſus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur: hic ſe Beato Didaco humiliter commendans, & in ejus ſacello aliquandiu invigilans, à miſerabili vexatione omninò eſt liberatus. Cum Catharina Bartholomæi Sanchez uxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet, fœtus enim in utero tranſverſus alterum tantummodo pedem eduxerat, materque miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & planè morti propinqua eſſet, ſocrus ejus Maria Garzia uxor Joan. Garziæ incolæ Oppidi de Ambros beati Viri in maximis anguſtiis recordata, ad ejus opem confugit, itaque fruſtum amictus Beati Didaci, parumque pulveris è ſepulchro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubitò mortuum fœtum edidit, ipſa ſalva. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed ejuſdem avia Maria jam ſemel beati Viri opem in matre experta, cum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitavit, quod cum devotè feciſſet, alterum etiam beneficium impetravit, & puella ſacro Baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere à Deo donata diu poſtea ſupervixit. Illud autem quod in Maria della Peñuela Petri Hernandez Complutenſis filia, Dei virtute, per merita Beati Didaci mirificè effectum eſt, notum & valdè pervulgatum in Hiſpania, multique qui meminerint ſuperſunt. Invaſerat virginem horribilis, & deformiſſima paralyſis, tanta nervorum diſſolutione, & membrorum luxatione, brachiis, cruribuſque diſtortis, totoque corpore convulſo, ut non jam mulier, ſed monſtrum eſſet, & Medici ſe nihil unquam tale vidiſſe profiterentur, accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera graviſſimè afflictabatur. Ea igitur ad Beati Didaci corpus delata, cum in ejus interceſſione, & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum diſtortione, & depravatione, omnique corporis infirmitate eſt liberata, quæ tanti accepti beneficii non ingrata Deo virginitatem ſuam vovit, & ſacrarum Virginum Collegio adjuncta, in Monaſterio Sancti Joannis, quod à pœnitentia nominatur, ſanctè & religiosè vitam duxit. Sed quod in Principe Carolo chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio divinitus actum eſt, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adoleſcens Princeps, anno humanæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui cum è ſcalis decidiſſet, graviſſimum ex eo caſu, & prolapſione in capite vulnus acceperat: omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humana induſtria præſtari poterant, ut in tanto Principe par erat; ſed cum nihil humanum proficeret, morbuſque magis ſemper ingraveſceret, jamque ejus gravitati natura ſuccumberet, Medici, Principis ſalute prorſus deſperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idque Regi patri, ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denuntiant. Cùm igitur omnis humani adjumenti ſpes defeciſſet, ad divinum, quod unum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaque devotionis ardore ſuccenſi à fratribus ſuis Beati Didaci corpus decenter & religiosè in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos ferè centum integrum, & incorruptum: quod cum Princeps Beati Viri patrocinio ſe commendans devotè tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete Beatum Didacum ante lectum ſtantem, & crucem arundineam manu gerentem, ſeque admonentem bono animo ut eſſet, & in Deo confideret, fore enim, ut ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimùm tempore, quo Medici Principem moriturum prædixerant, non ſolum melius habere cœpit, ſed paulò poſt ex omni illo vitæ diſcrimine divinis, ac ſupra naturam adjumentis tam mirabiliter eſt ereptus, ut digitum Dei per merita Beati Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent. Sed præter cæteros Princeps ipſe, & Philippus pater, incredibili lætitia tanquam redivivi filii affectus, id agnoſcere, & Deum glorificando palam profiteri cœpit.

§.17. Itaque pius Rex cum chariſſimi, & primogeniti filii vitam, ſummæ Dei clementiæ, per merita, & preces Beati Didaci ferret acceptam, cuperetque quacumque ratione poſſet gratiam aliquam Deo in Sancto ſuo referre, anno inſequenti ad felic. record. Pium IV. prædeceſſorem noſtrum, unà cum Principe filio, & cuncta ferè Hiſpania literas dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, ut pro ſua, & ſanctæ hujus Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate Beatum Didacum tam excellenti ſanctitate virum, & tanta miraculorum claritate illuſtrem, in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab univerſa Catholica Eccleſia pro Sancto venerandum eſſe ſtatueret.

§.18. Tam devotis, iteratiſque Catholici Regis, aliorumque poſtulationibus permotus idem Pius prædeceſſor, de iis in conſiſtorio ſuo ſecreto referri juſſit, & quinque Cardinales, conſilio & doctrina præſtantes delegit, qui ejuſmodi permagni momenti negotio præeſſent, inter quos unus fuit Cardinalis Alexandrinus, cujus memoria in benedictione eſt, qui poſtea Pontifex factus, Pius ejus nominis V. eſt appellatus. Res ſuo nomine agi cœpta eſt ſub Pio IV. literis in Hiſpaniam tranſmiſſis, ad teſtes ex formula examinandos, actaque ritè conficienda.

§.19. Cumque ipſe Pius Quartus è vita migraſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedentes Pontifices ſanctæ recordationis Pium Quintum, & Gregorium Decimumtertium itidem prædeceſſores noſtros ſedulò inſtare, ſed Deo ita diſponente, quamvis pleraque ſuperioribus annis ſint acta, res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus, atque abſolvi non potuit. Cum primùm igitur humilitas noſtra, non noſtris meritis, ſed divinæ clementiæ abundantia, in excelſa Apoſtolicæ ſollicitudinis ſpecula his difficillimis temporibus eſt conſtituta, ſtatim idem Philippus Rex nulla ex parte reſtincto, aut refrigerato fidei ſuæ zelo, nobis per

dilectum

dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman Comitem de Olivares, ſuum apud Nos & Sedem Apoſtolicam Oratorem magnoperè ſupplicandum curavit, ut poſteaquam ea ferè omnia, quæ ad acta, & proceſſum Beati Didaci pertinebant, ex hujus ſanctæ Sedis præſcripto confecta erant, Nos quibus univerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos ejus rei judicium pertineret, tam pio, & tam ab ejus Majeſtate, totaque Hiſpania exoptato operi, quod eſt de eodem Beato Didaco Sanctorum Catalogo adſcribendo, ſupremam manum imponere vellemus.

§. 20. Et nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium & perſeverantem hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus ejus piæ petitioni, quantum cum Domino liceret, ſatisfacere, tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus, in re tam gravi nulla præpropera feſtinatione utendum, ſed omnia ex Eccleſiaſtica diſciplina, ex majorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circumſpectione diligentiſſimè agenda eſſe: itaque duobus antiquioribus cauſarum Palatii noſtri Auditoribus, doctrina & rerum uſu præſtantibus, ipſis ferè primis Pontificatus noſtri diebus mandavimus, ut acta omnia, totumque proceſſum ſumma cum diligentia perlegerent, & examinarent, quo illi in munere menſes complures ſedulò, accurateque verſati, copioſam relationem omnium, ſuamque ſententiam nobis ſcripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio IV. huic negotio olim præpoſiti, viam eſſent univerſæ carnis ingreſſi.

§. 21. Nos primo anni ſuperioris menſe, in Conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum locum ſuffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus, ut in gravi cauſa prudenti multorum gravium virorum judicio adhibito, cuncta exquiſitius diſcuterentur. Hi verò fuêre more majorum ex tribus Ordinibus delecti venerabiles fratres Epiſcopi Alexander Oſtienſis Farneſius, Marcus Antonius Prænestinus Columna, & dilecti filii noſtri Frater Michael ſanctæ Mariæ ſuper Minervam Alexandrinus, Julius Antonius ſancti Bartholomæi in Inſula S. Severinæ, Antonius SS. Joannis, & Pauli Carafa, Frater Conſtantius Sancti Petri in Monte Aureo titulorum Presbyteri Sarnanus, Ferdinandus ſanctæ Mariæ in Via lata de Medicis, & Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, diaconi Matthæius nuncupatus, S. R. E. Cardinales; quibus commiſimus, ut pro rei gravitate, proque ea, quæ Deo cordium ſcrutatori, & nobis quoque in ejuſmodi publico munere obeundo à primariis Eccleſiæ membris fidelitas, & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus, & miraculis beati Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quanta maxima fieri poſſet diligentia inſpicerent, & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent, ut divina Spiritus Sancti gratia illuſtrati, de ipſorum, & cæterorum fratrum noſtrorum conſilio, quæ Dei gloriæ, qui juſtitia, & veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus.

§. 22. Multis igitur elapſis menſibus cum interea Cardinales ipſi frequenter congregarentur, acta proceſſus, rerum geſtarum ſeries, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum, maturè & accuratè conſiderarent, examinarent, atque inter ſe conferrent, viros etiam ſacræ Theologiæ, & Pontificii Juris ſcientia peritiſſimos in conſilium adhiberent, cum jam omnia parata eſſe intelligeremus, ſecretum Conſiſtorium de more convocari juſſimus, in quo venerabilis frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, ſuo & Collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, gravi, & accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit, quandoquidem beati Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optimè eſſent comprobata, ſe & Collegas ſuos unanimes in eam ſententiam veniſſe, ſi ita nobis videretur, ulterius nos progredi, & Beatum illum virum in Sanctorum numero poſſe adſcribere, quorum cum ſententia, etiam cæteri Fratres noſtri Cardinales, cum à ſingulis graves ſententiæ dictæ eſſent, ad unum omnes conſenſerunt.

§. 23. Quæ cum audiſſet gaudens erat cor noſtrum in Domino, quod beati ſervi ſui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipſo benedicente tam feliciter procederent. Quare in tam ſancto pioque opere nihil omninò neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtitutoque majorum decrevimus, ut ad ulteriora procederetur. Ac diebus aliquot interpoſitis, publicum Conſiſtorium indiximus, in quo præter Cardinales, etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati omnes, ac familiares noſtri de more interfuerunt. In eo verò dilectus filius Pompeius Arigonius Romanus Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis, & miraculis beati Didaci, & denique Catholici Regis, totiuſque Hiſpaniæ nomine, ut eundem beatum Didacum tantis meritis illuſtrem ſanctorum numero aggregaremus, nobis humiliter ſupplicavit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cujus manu cor Regis eſt, & quocumque voluerit inclinat illud. Etenim planè videbamus, non ſine divino inſtinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum Regnorum graviſſima adminiſtratio à Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc beati Didaci negotio abſolvendo verſaretur, ut in magnis temporum difficultatibus ſe ſuaque Regna apud Deum novi patroni ſuffragiis, & piè, & prudenter communiret. Quare reſpondimus Philippi Regis Catholici de beato Didaco noſtra & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adſcribendo, tam diuturnam, & perſeverantem poſtulationem dignam eſſe ſingulari ejus pietate, dignam perpetuo Catholicæ Religionis propagandæ ſtudio, lætari nos, & Deo gratias agere, quod Beatos ſervos ſuos, quos in cœlis coronat, à noſtra quoque tenuitate in terris honorari velit, eoſque nobis ad auxilium, & exemplum proponat. Et nos quidem ad pium ejus deſiderium explendum propenſiores eſſe, facere tamen rei graviſſimæ magnitudinem, ut de Regia petitione adhuc cum fratribus noſtris Cardinalibus, & Epiſcopis, etiam atque etiam deliberandum cenſeremus, quare eoſdem fratres hortati ſumus, ut omnia quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſimè conſiderarent, quodque nos ipſi jam pridem faciebamus, Deum magnoperè orarent, ut corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamque hanc actionem ad ſui gloriam, & Eccleſiæ utilitatem diſponeret, & dirigeret.

*Publicum Conſiſtorium indixit, in quo Arigonius Advocatus Conſiſtorialis habuit orationem de geſtis, & miraculis B. Didaci, & denique Catholici Regis, & totius Hiſpaniæ nomine ſupplicavit eidem Pont. ut eundem B. Didacum in SS. numerum referre vellet, & ipſe mandavit Card. & Epiſcopis ut omnia ad hanc cauſam pertinentia diligentiſſimè perpenderent.*

§. 24. Hæc cum eſſent acta, alterum item Conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romana Curia præſentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe juſſimus. Tum nos ipſi de ſacroſanctæ hujus Apoſtolicæ Sedis, in qua Dei providentia ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritus ſancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſſiſtentia à Deo in omnibus verbis ſuis fideli promiſſa, uſque ad conſummationem ſæculi perpetuò affutura, quibus gubernatur, ea diximus, quæ cauſæ, & temporis ratio potiſſimùm requirere videbantur. Demum à Fratribus noſtris petivimus, ut quoniam alias ſtatutum eſſet, ut ad ulteriora in hoc negotio procederetur, nunc præciſè, & expreſsè dicerent, an ex iis actis, quæ ipſi viderant, & audiverant, beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur à S.R.E. Cardinalibus primùm, deinde à Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis piè, graviter & eruditè ſententiis dictis, omnes unanimes id ipſum ſentientes, dixerunt ſibi videri ex iis quæ maturè ipſi hac de re viderant, & audiverant, beatum Didacum à nobis meritò inter Sanctos eſſe adſcribendum.

*Deinde aliud Conſiſtorium ſecretum indixit, & multa quæ ad negotium pertinebant prænarravit, & Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſc. & Epiſc. aſtantes dixerũt B. Didacum in SS. numerum adſcribendum eſſe.*

§. 25. Deo autem, qui in domo ſua fratres in unum habitare facit, gratias agentes de tanta fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad ſervum, & amicum ſuum, quantum nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret, & illuſtraret, cum per ejus gratiam hucuſque omnia ritè atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem canonizationis præſtituimus ad ſextum Nonas Julii, quo die memoria Viſitationis beatæ Mariæ ſemper Virginis ad ſanctam Eliſabeth piè ab Eccleſia recolitur, ut ejuſdem humani generis Advocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus proſperè, & ſalutariter à nobis abſolveretur.

*Pont. igitur diem canonizationis pro die 2. menſis Julii conſtituit.*

*Hortaturque Fratres ad divinum deſuper auxilium invocandum.*

§.26. Fratres interea noſtros hortati ſumus, ut intermedio tempore unà nobiſcum precibus, eleemoſynis, (quas nos & libenter, & piè erogavimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) jejuniis, ſacrificiis Dei auxilium invocare non ceſſarent.

*Ea die Pontifex, cum ſolito apparatu ad Baſilicam S. Petri proceſſit, & oravit.*

§.27. Is igitur feſtus Viſitationis dies, id eſt, hodiernus cum adveniſſet, Nos & fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per nos ipſos in noſtra Pontificia Capella Hymno, Ave maris ſtella, Cantorumque choro proſequente, ut ipſa, quæ mater eſt gratiæ, nobis præiret, & præluceret, cæteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis, & officialibus, familiaribuſque noſtris, ac univerſo regulari, & ſæculari clero, longo devotoque ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in manibus geſtantes in ejus honorem, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor ſanctorum, è Palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam, & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum, in cujus medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumque Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam, totaque templi facies in communi Eccleſiæ lætitia hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaque ſpiritualibus cãticis perſonabant, funalia & faces circumquaque ardebant, & vexilla appenſa, in quibus beati viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtra Crucem invictiſſimam gerit, & intuetur, cujus nimirum auxilio hoſtes teterrimos carnem, mundum & diabolum ſuperavit. Hac nos in maxima fidelis Populi, totiuſque adſtantis cleri frequentia, cœleſtis illius, & triumphantis Hieruſalem effigiem quãdam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lacrymarum valle licet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare oravimus, mox in ſublimi Apoſtolico Throno cõſidentes, fratres noſtros S.R.E. Cardinales, & Epiſcopos omnes ſacris veſtibus ornatos, & paratos, nobis obedientiam de more præſtantes excepimus.

*Et iterum ad inſtantiam Regis requiſitus B. Didacum Sanctum pronuntiavit, & canonizavit.*

§.28. Tunc dilectus filius noſter Petrus tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Dez Hiſpanus, Catholici Regis Philippi, totiuſque Hiſpaniæ nomine ſemel, iterum, & tertio ſuppliciter, & inſtantiſſimè à nobis petiit, ut beatum Didacum in Sanctorum numerum adſcriberemus, noſque ad ſingulas ejus petitiones Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta intervalla, noſtras totiuſque Cleri, & Populi Orationes, Litanias, & ſacros Hymnos interpoſuimus. Demum cum jam nihil omninò ex his, quæ à majoribus piè ſancteque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, imò potius matura deliberatio, ſummaque diligentia abundantiùs adhibita, invocato ſancto Creatore Spiritu, cujus conſilio, & ſapientia ſancta Eccleſia columna, & firmamentum veritatis regitur, ejuſque numen ſæpè à nobis ex intimo corde, multis etiã lachrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes. Ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad exultationem ſupernæ, & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem ſanctæ Trinitatis, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia exiſtentium conſilio, & unanimi conſenſu beatum fratrem Didacum de S. Nicolao Provinciæ Bæticæ Hiſpanum, Ordinem Minorum S. Franciſci expreſsè profeſſum, ſepultumque Compluti in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis, de cujus fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vitâ, & poſt mortem claritate nobis pleniſſimè conſtat, in Sanctorum Confeſſorum numerum, & Catalogum adſcribendum eſſe decrevimus, & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus, eumque ut Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus.

*Feſtum eius die 12. Nov. celebrari iuſſit.*

§.29. Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet die 12. Novembris feſtum ipſius, & officium ſicuti pro uno Sancto Confeſſore tantum, ad formam in rubricis Romani Breviarii præſcriptam, devotè celebretur; quodque in ejus honorem in Eccleſia Altaria, in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint, eademque auctoritate omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam Oppidi Complutenſis Toletanæ Diœceſis, ubi ipſius corpus requieſcit, necnon Altaria, & Eccleſias, quæ in ejus honorem conſtructæ erunt, devotè viſitaverint, eaſdem indulgentias, privilegia, & gratias conceſſimus, & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus, & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis ſanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

*Miſſam ſtea celebravit, & ſtantibus indulg. ... ſit.*

§. 30. Quibus omnibus quæ ad ſancti Didaci canonizationem pertinebant, abſolutis, ac laudis, & gratiarum actionis Hymno Deo decantato, ejuſque auxilio per beati Didaci preces peculiari oratione, quam nos clara vocè pronuntiavimus, implorato, tandem eodem in loco, & Altari, Miſſam ſolemnem de beatiſſimæ ſemper Virginis Viſitatione cum Beati Didaci commemoratione nos ipſi celebravimus, fidelibuſque, qui tam piæ, & religioſæ actioni, & ſacroſancto ſacrificio devotè interfuerant, ad Dei, & Sancti ſui gloriam, & laudem plenariam indulgentiam conceſſimus.

*Omnes ... hortatur Deo ... cendum pro ... ſis ...*

§.31. Omnes igitur Deum cœli benedicamus, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, agnoſcamuſque non ſine magna Dei providentia factum eſſe, ut hiſce afflictis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, quibus maximè multiplici Sanctorum ſuffragio indigemus, novus hic Suffragator, & Patronus fideli Populo tribueretur. Et nos quoque, qui in hac paſtorali ſtatione, in qua nos Deus collocavit, de univerſi gregis Domini ſalute anxii dies, nocteſque pervigilamus, Dei erga nos ſingularem clementiam agnoſcimus, qui poſt tot annos, poſt tot beatiſſimos Pontifices prædeceſſores noſtros nobis humilibus hujus magni operis abſolutionem reſervaverit, qui cum Sancto ſuo ejuſdem Seraphicæ Religionis communione conſociati ſumus. Quamobrem eundem Patrem miſericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per merita, & interceſſionem ſancti Didaci, Eccleſiæ ſuæ pacem, & tranquillitatem, Regibus & Principibus Chriſtianis unionem, vitam & fœlicitatem, miſeris, & obcæcatis hæreticis lucem Catholicæ veritatis largiatur.

*Hujus Bullæ dat ... ptis ... dem.*

§.32. Cæterùm quia nimis difficile foret præſentes noſtras originales literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem quæ ipſis præſentibus fides ubique adhibeatur.

*Sanct... adjicit ... nalem.*

§.33. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*Dat. ... die 5. ...*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1588. Non. Julii, Pontif. noſtri anno 4.

*Papa ſ...*

## Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

*Card. ſ...*

Ego Alex. Cardinalis Farneſius Vicecancellarius, Epiſcopus Oſtienſis.
Ego Joan. Antonius Epiſcopus Card. S. Georgii.
Ego Alphonſus Card. Geſualdus, Epiſc. Tuſculanus.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Epiſc. Sabinen.
Ego Marcus Ant. Card. Columna Epiſc. Præneſtin.
Ego Ptolomæus Cardinalis Comenſis Epiſc. Albanen.
Ego M. Siticus Cardin. ab Altaëmps, tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.
Ego Proſper Card. Sanctacrucius, tit. S. Clementis.
Ego Gabr. Cardin. Paleottus, tit. S. Laurentii in Lucina.
Ego Frater Michaël Bonellus Card. Alexandr. tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ludovicus Card. Madrutius, tit. S. Anaſtaſiæ.
Ego Nic. Card. de Pelleve, tit. S. Praxedis.
Jul. Ant. tit. S. Bartholomæi in Inſula Presb. Card. S. Severinæ.

Ego

Ego Hier.Card.Ruſtic.tit. S.Suſannæ.
Ego Jo.Hier.Card.Alban.tit. S.Joannis ante portam Latinam.
Ego Hier.Card.Simoncellus, tit. S. Priſcæ.
Ego P.Card.Deza tit. S. Hieron. Illyricorum.
Ego Ant.tituli SS.Joannis & Pauli Card.Carafa.
Ego Jo.Ant.Card. SS.Quatuor.
Ego Jo.Baptiſta Card. tit. S.Marcelli.
Ego Franciſc.Card.de Joyeuſe, tit.Sanct.Trinit.in Monte Pincio.
Ego Jul.Card.Cananus, tit.S.Euſebii.
Ego Nic.tit.S.Cæciliæ, Card.Cremonen.
Ego Ant.Maria Card.Salviatus, tit.S.Mariæ de Pace.
Ego Aug.Card.Veronæ, tit. S.Marci.
Ego Vincentius tit.S.Mariæ in Via Card.Montis regalis.
Ego Philippus Card. Spinola, tit.S.Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellotus, tit. Sancti Salvatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card.Gonzaga, tit.S.Alexii.
Ego Henricus Card.Caietanus, tit.S.Pudentianæ, S.R.E. Camerarius.
Ego Jo. Baptiſta tituli S.Mariæ in Aracœli, Cardin. Caſtruccius.
Ego Federicus Card. Cornelius, tit. S.Stephani in Monte Cœlio.
Ego Dominicus tit. S. Laurentii Card.Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrand.tit.S.Pancratii, Major Pœnitentiarius.
Ego Hier.tit.S.Petri ad Vincula Card.de Ruvere.
Ego Philippus Card.de Lenoncourt, tit.S.Honuphrii.
Ego Fr.Hier. tit.S.Thomæ in Parione, Card.Aſcul.
Ego Ant. Maria tituli S. Agnetis in Agone Card. Peruſinus.
Ego Fr. Conſtantius Cardin. Sarnanus, tituli S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Alanus tituli S. Martini Cardinalis Anglican.
Ego Scipio tit. S.Mariæ de Populo Card.Gonzaga.
Ego Ant.Card.Saulius, tit. S.Vitalis.
Ego Evangeliſta Cardin. Cuſentinus, tit. S. Matthæi in Merulana.
Ego Fr. Stephanus tituli SS. Marcellini & Petri Cardin. Aretinus.
Ego Alexander diaconus S. Euſtachii, Cardinalis Montaltus.
Ego Hier. S. Mariæ in Coſmedin diaconus Card. Matthæius.
Ego Benedict. S. Agathæ diac.Card.Juſtinianus.
Ego Aſcan. SS.Viti & Modeſti & Creſcentiæ diac.Card. Columna.
Ego Federicus S. Mariæ in Dominica diac. Card. Borromæus.

atio. *Anno à Nativit. Domini 1588. indict. 1. die verò Lunæ 5. menſis Septemb. Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D.N.D. Sixti divina providentia Papæ V. anno ejus quarto, retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, & S. Ioan. Lateranenſis de Vrbe, & ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Horatium de Raynaldis, & Ioannem Baptiſtam, ejuſdem S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

XXIII. **Inſtitutio Archiviorum ſcripturarum, in quibuſcumque Civitatibus, & locis ſtatus Eccleſiaſtici, Alma Urbe, & Bononia exceptis. Et erectio officii Regentis dictorum Archiviorum, cum juriſdictionis, & privilegiorum aſſignatione.**

*In Vrbe extat Archivium, de quo habes ſup. in conſtit. 15. Iulii 2.* Sicut. *Officium autem hujus Regentis eſt hodie ſuppreſſum, & ejus loco quotannis deputatur unus ex Clericis Rever. Cameræ Apoſtolicæ.*

*Archivium ſacri Collegii S.R.E. Cardinalium in Vaticano Palatio inſtituit S. D. N. Urban. VIII. conſtit. 53. Admonet, inf. tom. 4. quam omnino videas.*

*SIXTVS EPISCOPVS* Edita A. D. 1588.
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Sollicitudo paſtoralis officii humeris noſtris licet imparibus divina diſpoſitione injuncti, aſſiduè cor noſtrum pulſat, & commovet, ut non ſolùm ad ea quæ univerſi Chriſtiani gregis nobis ex alto commiſſi animarum ſalutem reſpiciunt, verùm etiam quæ ad populorum noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ temporali ditioni ſubditorum utilitatem, pacem, tranquillitatem, perpetuamque ſecuritatem pertinere noſcuntur, vigilantiæ noſtræ aciem dirigamus, & præſertim noxiis illis, quæ ob non adhibitam ſatis exactam diligentiam in conſervandis tam publicis, quàm privatis ſcripturis, inter ſubditos noſtros gravi cum noſtra, eorumque moleſtia, fortunarumque ſuarum diſpendio, & jactura frequenter exoriri, & vigere intelligimus, commoda aliqua ratione provideamus. Proœmium.

§. 1. Cum itaque ex diligenti earundem ſcripturarum cuſtodia fraudes & falſitates quæ litibus, diſcordiis, ac periculis hujuſmodi utpluriſmum viam præbent, arceantur, dominia, poſſeſſiones, & familiæ ipſæ cōſerventur, juſtitia denique cum animi certitudine, ac publica, & privata omnium utilitate æqua lance adminiſtretur. Ac proinde publica Archivia, nedum in Europa, ſed etiam in pluribus aliis univerſi Orbis etiam Barbarici partibus, qui hac potiſſimùm ratione commune bonum ſubditorum ſuorum, atque adeò ſocietatis humanæ vinculum inter ſe retinuerunt, accuratè inſtituta fuerint. Operæpretium verò, & condecens ſit, ut quod omnibus in exemplum ſalubrioris regiminis, & adminiſtrationis rerum publicarum cedere dignoſcitur, id ipſum noſtro Statu Eccleſiaſtico, cui ſuperioribus illis ſæculis ob bellicos tumultus, quibus ille ac univerſa ferè Italia tunc exarſit, tantum publicæ quietis beneficium impendi non potuit, nunc tandem noſtræ proviſionis miniſterio ſalubriter introducatur. *Cauſa inſtitutionis.*

§. 2. Idcircò nos more pii patris, & paſtoris, hujuſmodi quietem, & utilitatem univerſalem ſubditis noſtris afferre volentes, ad dictarum ſcripturarum conſervationem, fidem, & ſecuritatem, ac illatum deperditioni, & falſitatibus obviandum, lites quoque, diſcordias, cæteraque pericula omnia tollendum, Motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, meraque deliberatione, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in toto Statu Eccleſiaſtico nobis, & Sedi Apoſtolicæ mediatè, & immediatè ſubjecto, hac Alma Urbe noſtra, Civitateque & Comitatu Bononien. dumtaxat exceptis, ſcilicet in quibuſvis ipſius Status Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Caſtris, Villis, ac locis aliis, etiam quibuſvis Metropolitanis, Cathedralibus, vel aliis Eccleſiis, etiam Monaſteriis, Abbatiis & aliis etiam regularibus, ac piis locis ſubjectis, Archivia publica, & generalia, in quibus inſtrumenta, necnon apochæ, cedulæ, chirographa, aliæque ſcripturæ tam publicæ, quàm privatæ, quas quomodolibet occaſione quorumcumque contractuum, ex quibus actio, ſeu receptio, etiam ad tempus reſultet, fieri contigerit, etiam à Notariis, & Cancellariis, ſeu Notariis curialibus nuncupatis, ac officialibus quibuſcumque, etiam à Camera noſtra, ſeu à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris cauſam, etiam cum titulo oneroſo habentibus, & quibuſvis aliis particularibus perſonis, cujuſcumque dignitatis, officii, ſtatus, gradus, ordinis, & cōditionis fuerint, etiamſi clericali, vel alio quocumque, etiam cum titulo oneroſo, indulto, & privilegio potiantur, jam confecta, & deinceps quovis nomine, & titulo pro tempore conficienda, roganda & ſtipulanda, tam venditiones, emptiones, mutua, debita, credita, & qualvis alias obligationes, ſocietates, ſoccidas, cenſus, locationes, livellos, concordias, compoſitiones, tranſactiones, quaſcumque cujuſvis generis ſententias, compromiſſa, lauda, donationes, permutationes, ceſſiones, quietantias, delegationes, ſolutiones, dationes etiam in ſolutum, ac inter vivos, & cauſa mortis donationes, inventaria, revocationes, hypothecationes, pignorationes, etiam judiciales, mādata quæcumque, ratificationes, paces, ſubſtitutiones, diviſiones, *Inſtitutio Archiviorum.*

nes, confeſſiones debitorum, tam in judicio, quàm extra, emancipationes, atrogationes, adoptiones, renuntiationes, inſinuationes, teſtamenta in ſcriptis, & nuncupativa, codicillos, aditiones & repudiationes hæreditatum, fideicommiſſa, ſubſtitutiones, prohibitiones, poſſeſſiones bonorum continentia, quàm quoſcumque alios contractus, nominatos & innominatos, inter quaſcumque, Eccleſiaſticas & cujuſvis Ordinis regulares, & ſæculares perſonas, quavis Eccleſiaſtica, aut ſæculari, ſeu temporali, vel mundana dignitate, etiam ducali præeminentia fulgentes, necnon Univerſitates, Eccleſias, Capitula, Collegia, Conventus, Monaſteria, Hoſpitalia, & quæcumque alia pia, & non pia loca, eorumque univerſales, & particulares perſonas, necnon Eccleſiarum, & Monaſteriorũ hujuſmodi, ac quoſcumque alios Prælatos, ſeu Priores, pro tempore initos, & celebratos, ſub modo, & forma in Capitulis quæ per dilectum filium noſtrum Henricum tituli ſanctæ Pudentianæ Presbyterũ Cardinalẽ Caětanum, noſtrũ & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, dictæque Cameræ Theſaurarium, Decanum, & Clericos, Præſidentes, aut eum, vel eos qui à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſuper adminiſtratione, & gubernio dictorum Archiviorum pro tempore deputabuntur, ſtatuendis & declarandis, aſportari, & reſpectivè recipi, adnotari, & diligenter perpetuò conſervari, & cuſtodiri debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Incorporatio ad iſtud Archivium, aliorum omnium Archiviorum.*

§.3. Et ſi in aliquibus Provinciis, Civitatibus, & aliis locis prædictis, vigore quarumcumque facultatum deſuper, etiam à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, aut Apoſtolicæ Sedis Legatis, Vicelegatis, Præſidentibus, Gubernatoribus, ſeu Officialibus, vel etiam à Camera Apoſtolica, & pro ea agentibus, quibuſvis Provinciarum, Civitatum & locorum hujuſmodi Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, Capitulis, aut aliis etiam particularibus perſonis, & officialibus, ac Cancellariis & aliis præfatis, quavis cauſa, vel occaſione, ac ex titulo etiam oneroſo conceſſarum, aliqua Archivia, vel aliquid ad illorum inſtar ad præſens reperiantur, vel erigi deberent, illa omnia & ſingula Archiviis per præſentes erectis, & inſtitutis, ac earundem præſentium vigore inſtituendis, & ſtabiliendis, etiam perpetuò aggregamus & incorporamus. Cum modificationibus tamen, & limitationibus, ac declarationibus in dictis Capitulis juxta mentem noſtram eiſdem Henrico Camerario, & Cameræ præfatæ Clericis declaratam, aliiſque declarationibus, etiam futuris temporibus, tam per nos, quàm alium, vel alios ad id à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſi eis videbitur, atque eorum arbitrio, toties quoties eis placuerit faciendis, ſtatuendis, & reformandis.

*Revocatio facultatis erigendi Archivia, alteri conceſſa.*

§.4. Facultates verò erigendi & inſtituendi Archivia, vel aliquid ad illorum inſtar aliis forſan, ut præmittitur, conceſſas, necnon privilegia, indulta, immunitates, ſeu exemptiones quaſcumque, etiam ex titulo oneroſo, ac ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus conceſſa fuerint, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ſimiliter perpetuò caſſamus, & annullamus.

*Juſſio deputandi Præfectum Archiviorum.*

§.5. Necnon ut pro felici regimine, & gubernio Archiviorum præfatorum aliqua perſona ad hoc munus apta, & idonea, in eorundem Archiviorum totius præfati Status Eccleſiaſtici Præfectum, vel ſub quovis alio titulo nobis benè viſo, ac per nos declarando, ſubque certa forma, &c. habeatque plenam, liberam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem hujuſmodi Archivia in omnibus, & ſingulis Provinciis, civitatibus, terris, oppidis, & aliis locis antedictis ejuſdem ſtatus, in quibus illa ex forma dictorum capitulorum conſtitui debere duxerit, toties quoties ſibi videbitur, per ſe, vel alium, ſeu alios ad id ab eo deputandos conſtituendi, & ſtabiliendi, eaque amovendi, transferendi, ſeparandi, aggregandi, & incorporandi, cæteraque omnia & ſingula, in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, &c. Ac pro ſalubriori eorundem Archiviorum directione, ſucceſſu, gubernio & adminiſtratione illa omnia & ſingula per unum ex [illegible] Cameræ Clericis, in Præſidentem, ſeu Præfectum annalem, juxta ejuſdem Cameræ inſtituta per ipſam Cameram ſorte extrahendum, ſeu alias eligendum, & deputandum.

*Juriſdi[illegible] Præfecti.*

*Ta'vil[illegible]*

§. 6. Qui ſumma auctoritate, & manu Regia notarios, Cancellarios, ac alios prædictos, & quaſcumque alias perſonas, tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares, necnon Communitates, Univerſitates, Eccleſias, Capitula, Collegia, Conventus, Monaſteria, Hoſpitalia, cæteraque alia, etiam pia loca, eorumque univerſales, & particulares perſonas, necnon Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi, ac quoſcumque alios Prælatos, & Superiores, quacumque Eccleſiaſtica dignitate, aut mundana, ac temporali, etiam Ducali, aut Marchionali honore, & præeminentia fungentes, ut ad Archivia ſic erecta, & inſtituta, inſtrumenta, & alias ſcripturas prædictas juxta dictorum Capitulorum formam deferant, & aſportent: Communitates verò ac Univerſitates Civitatum, & locorum hujuſmodi, illorumque Priores, & noſtri, & Cameræ prædictæ officiales, ut commodas ac idoneas manſiones pro ſcripturarum, & inſtrumentorum prædictorum conſervatione aſſignent, cæteraque in dictis capitulis ſtatuenda, & declaranda obſervare, & adimplere debeant, cogat & compellat, cauſaſque tam civiles, quàm criminales, meraſque & mixtas, etiamſi in eis obligationes quantumvis ſtrictæ intervenerint, occaſione Archiviorum hujuſmodi, & ab ipſis quomodolibet dependentes, emergentes, annexas, & connexas, etiam ratione terminorum, ſeu pagarum & ſolutionum occaſione, ſubappaltus, ſeu affictus contra quaſcumque perſonas, & inter quoſcumque particulares Archiviſtas, ac inter eum, ſeu eos, & quaſcumque Communitates, Collegia, Univerſitates, & alias perſonas procedendo, ac etiam alias cauſas, & differentias ſuper præſentium intelligentia, declaratione, ac ampliatione, & ſuper omnibus privativè quoad omnes alios Judices ordinarios, & extraordinarios, tam in Urbe, quàm extra, & in toto Eccleſiaſtico Statu, etiam ſummariè, ſimpliciter & de plano, & abſque ſtrepitu, & figura judicii, &c. cognoſcat, audiat, decidat, finéque debito terminet, regi, gubernari, & adminiſtrari poſſe, ac debere ſtatuimus, & ordinamus, necnon Archiviis præfatis, ac perſonarum illorum manutentione, ac ſtabilimento, necnon regiminis, gubernio, & adminiſtrationi pro tempore incumbentium laboribus, & ſalariis, omnia & ſingula jura, obventiones, emolumenta, & alia regalia in dictis capitulis ſpecificanda pariter perpetuò applicamus, & appropriamus, &c.

*Clauſ[illegible] præſerva[illegible]va.*

§. 7. Decernentes quoque, eaſdem præſentes nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus, vel controverſiam revocari poſſe, ſed illas ſemper perpetuò validas, & efficaces fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, atque ita per quoſcumque judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ Cameræ Clericos, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata illis quavis aliter judicandi, vel interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derog[illegible] contrari[illegible]*

§.8. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra de non tollendo jus quæſitum, & fel. record. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſub datum videlicet octavo Idus Auguſti, Pontificatus ſui anno ſexto edita, inter alia diſponentes, quod forſan ſimiles gratiæ infra certum tunc expreſſum tempus, præſentari & regiſtrari debeant, dummodo ſaltem intra biennium à data præſentium omninò regiſtrentur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum Status Eccleſiaſtici hujuſmodi, ac quarumvis illius civitatum, locorum, diſtrictuum, necnon Monaſteriorum, Eccleſiarum, & aliorum piorum, ac non piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis,

&

& literis Apoſtolicis, exemptionibus, immunitatibus, etiam cum titulo oneroſo, tam à Camera quàm à nobis, ſeu prædeceſſoribus noſtris quomodolibet, etiam illis, eorumque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Judicibus, Notariis, Cancellariis, & aliis præfatis quibuſcumque Communitatibus, Univerſitatibus, Cameræque noſtræ & illius Auditori generali, ac Fiſco, aliiſque etiam perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet facientibus, & conceſſis, ac in futurum concedendis, quibus omnibus, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.9. Volumus autem quod præſentium exemplis, etiam impreſſis, ſigilloque ejuſdem Camerarii obſignatis, ac manu unius dictæ Cameræ notarii ſubſcriptis, ea prorſus fides adhibeatur, tam in judicio quam extra, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi exhiberentur ac oſtenderentur.

§.10. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, aggregationis, incorporationis, voluntatum, caſſationis, annullationis, mandatorum, ſtatuti, ordinationis, applicationis, appropriationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto,

*Sequitur erectio Officii Regentis ſupradicti Archivii, cum juriſdictionis, & privilegiorum conceſſione.*

*A. D. 1588.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SOllicitudo miniſterii paſtoralis nos admonet & inducit, ut pro felici progreſſu eorum quæ ad communem Reipublicæ, & ſubditorum noſtrorum utilitatem & commodum per Nos ordinata fuerunt, illorum curam egregiorum virorum prudentiæ demandemus, quorum opera & ſtudio feliciter regantur & gubernentur, lites quoque & diſcordiæ quæcumque faciliùs decidantur & terminentur, prout tam pro juſtitiæ complemento, quàm ſubditorum eorundem quieti conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque Nos ſuprà ad publicarum ſcripturarum conſervationem, & illarum deperditioni ac falſitatibus, quæ niſi diligens cura & ſollicitudo adhibeatur circa eas, in fraudem juſtitiæ, ac ſubditorum noſtrorum grave præjudicium evenire poſſunt, obviandum, lites quoque, diſcordias, & alia pericula, quæ dictarum ſcripturarum occaſione inter eoſdem ſubditos noſtros in dies magna cum eorum jactura & læſione hactenus motæ fuerunt, extirpandum, certiſque aliis rationabilibus animum noſtrum moventibus, & tunc expreſſis cauſis in toto Statu Eccleſiaſtico Nobis & Sedi Apoſtolicæ mediatè & immediatè ſubjecto (Alma Urbe noſtra, ac Civitate & Comitatu Bononienſi dumtaxat exceptis) archivia publica, in quibus dictæ ſcripturæ, ac inſtrumenta publica aſportari, & diligenter cuſtodiri debeant, erexerimus & inſtituerimus, &c.

§. 2. Operæpretiumque duxerimus, ut pro ſalubri directione, providoque gubernio dictorum Archiviorum aliquis ſupremus Judex, qui ſumma auctoritate omnes & quaſcumque differentias, lites, querelas & controverſias, tam inter particulares perſonas, & Archiviſtas, &c. quàm de & ſuper taxis, & mercedibus, nullitatibus & falſitatibus, ac quibuſvis aliis rebus, ad præfata Archivia, illorumque adminiſtrationem, gubernium, ac directionem quomodolibet, & ex quavis cauſa pertinentibus, oriri & ſuſcitari contigerit, audiat, cognoſcat, decidat, fineque debito terminet, conſtituatur & deputetur. Unde rei hujuſmodi virum morum gravitate, literarumque ſcientia conſpicuum præficere, & in præmiſſis providere ſummoperè cupientes, ac erectionis & inſtitutionis Archiviorum, &c. necnon privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, & aliarum gratiarum, necnon quarumcumque literarum deſuper confectarum, ac edictorum circa præmiſſa emanatorum, cæterorumque præmiſſorum, ac inde ſecutorum tenores, etiam veriores, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes.

§. 3. Motu proprio, &c. Unum officium Regentis Archivii generalis Status noſtri temporalis Eccleſiaſtici nuncupandum, pro uno Prælato, aut utriuſque, ſeu alterius jurium Doctore Licentiato, aut alia perſona ad hoc munus habili & idonea, Regente Archivii generalis Status noſtri præfati nuncupando, qui præfatas & quaſcumque alias differentias, lites, querelas, & controverſias occaſione dictorum Archiviorum, etiam ex obligatione in forma Cameræ Apoſtolicæ provenientes, etiam alias ac inter alios quàm ut præmittitur ſuſcitandas, & judiciariam indaginem, aut quamvis aliam cognitionem, deciſionem, probationem, declarationem, interpretationem & executionem, qualitercumque & quomodocumque requirentes, pro tempore movendas, civiles, criminales, meras & mixtas, unà cum inciden. emergen. annexis & connexis, ſuprema auctoritate, & manu regia, tela judiciaria penitus omiſſa, ſolaque facti veritate inſpecta, ac omni & quacumque appellatione, recurſu, & remiſſione remotis, etiam privativè quoad omnes alios judices, ordinarios & extraordinarios, tam in Urbe quàm extra eam, totoque Statu præfato, jus dicendi, audire, cognoſcere, terminare, decidere, ac debitæ executioni demandare.

*Illud erigit cum facultate quaſcumque cauſas movendas occaſione Archiviorum d. ſtatus, ſummariè, &c. ac appellatione remota cognoſcendi.*

§. 4. Delinquentes quoque, & quos falſi & cujuſvis alterius generis crimen vel errorem, aut delictum, in ſcripturarum & inſtrumentorum præfatorum in Archivium regiſtratione, & ex eo tranſumptione, recollectione, cuſtodia & conſervatione, ſive taxarum illicita alteratione & exactione, præſentatione & ſubſignatione, ac aliàs in exercitio & adminiſtratione dictorum Archiviorum quomodolibet commiſiſſe accuſati, aut ſuſpecti fuerint, eorumque complices condigna punitione, & exemplari correctione, ac debitis pœnis in locis commiſſorum, ac ſi videbitur etiam in Urbe, & aliàs ubilibet plecti, & arbitrio ſuo puniri & caſtigari facere, ſententiare, judicare, condemnare, bonaque conſcribere & confiſcare, omniaque & ſingula alia, in præmiſſis & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna gerere, exercere, & exequi, per ſe vel alium, ſeu alios, omni & quacumque appellatione remota, perpetuum ſilentium deſuper imponere.

*Delinquentes etiam in præmiſſis, eius arbitrio puniendi.*

§. 5. Necnon edicta ac proclamationes & banna pro regimine, gubernio, & adminiſtratione Archiviorum, Archiviſtarum, & Rectorum, aliorumque præfatorum ſuo ſub nomine, pœniſque ejus arbitrio exprimen. &c. quoties ſibi expedire videbitur, proponere & publicari facere. Illaque ac jam emanata declarare, interpretari, reformare, ampliare, & innovare, ac tam per eum edenda, quàm alia deſuper de mandato noſtro quomodolibet, &c. ſub eiſdem pœnis obſervari facere.

*Edicta pro regimine dictorum Archiviorum proponendi. Necnon pono hic infra, quia ſunt præ manibus jam impreſſa.*

§. 6. Cum facultate deputandi & conſtituendi proprium notarium, ſeu notarios, unum vel plures, tam in dicta Urbe quàm extra eam, tanquam actuarios cauſarum ad officium Regentis hujuſmodi quomodolibet ſpectantium, eoſque ſingulos toties quoties eidem Regenti viſum fuerit amovendi & ponendi, ac alios eorum loco ſubſtituendi.

*Notarios tanquam cauſarum huius officii actuarios eligendi.*

§. 7. Commiſſarios quoque ad Archivia præfata viſitandum cum ſimili aut limitata facultate, necnon poteſtate & auctoritate, tam archiviſtas, & ab eis deputatos præfatos, quam notarios viventes, ac eorum hæredes, qui vita functi fuerint, cæteroſque eorundem defunctorum quovis titulo ſucceſſores, ac earundem ſcripturarum detentores, ſeu poſſeſſores. Necnon in quantum ad ipſa Archivia ſpectat, quoſcumque contrahentes, cujuſcum-

*Commiſſarios ad viſitan. dicta Archivia, & cogendi Notarios, ac alios ad portandum ſcripturas in Archiviis deputandi.*

que ſtatus, ſexus, gradus, ordinis, & conditionis, etiamſi Collegium, Communitas, Univerſitas, Capitulum, etiam Collegiatarum & Cathedralium, ac Metropolitanarum Eccleſiarum, earumque Præſules, Monaſteriorum Abbates, Conventus, & pia loca, eorumque Gubernatores & Officiales, ac Præſidentes, necnon Duces, Marchiones, Comites, aut aliæ perſonæ quantumvis privilegiatæ, ac Eccleſiaſtica vel temporali & mundana dignitate, excellentia, & honore præfulgentes fuerint, ad ſcripturas & inſtrumenta pro tempore celebrata in eiſdem Archiviis deportandum cogendi, aliaque quoad hæc neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, &c. toties quoties ſibi videbitur deputare.

*Patentes literas pro quibuſcumque ſuis Miniſtris, ſuo ſub nomine & ſigillo expediendi.*

§.8. Ac de præmiſſis omnibus & ſingulis, pro quibuſcumque aliis in officio Regentis Archivii hujuſmodi Miniſtris, cæteriſque omnibus & quibuſcumque ad præfatum officium, illiuſque juriſdictionem, tam in Urbe quàm extra eam quomodolibet ſpectan. & pertin. patentes, & quaſcumque alias litteras, ſub eodem nomine & ſigillo ſuo, per unum vel duos Secretarios ab eo ſimul vel ſucceſſivè nominandos (qui ad eorum vitam, ejus, & in dicto officio ſucceſſorum obſequiis hac in parte inſiſtere debeant, ac pro generali ex patentibus hujuſmodi à ſubſtitutis, Commiſſariis, & Miniſtris ſuis hujuſmodi, ſine alicujus gravaminis nova impoſitione, &c. aliqua regalia exigere & levare queat) confici & expediri facere, aliaque & ſingula officium, illiuſque liberum exercitium quomodolibet concernentia adimplere libere & licite poſſit & valeat.

*In Archiviſtas, Notarios, & alios circa ea quæ hujuſmodi officium concernunt omnimodam juriſdictionẽ exercendi.*

§.9. Ita etiam quod illud pro tempore obtinens, in archiviſtas, notarios, & alios præfatos in præmiſſis, & quoad ea quæ officium hujuſmodi concernunt tantum, ſupremam & omnimodam juriſdictionem & auctoritatem habeat, & exerceat. Illique ad eum dumtaxat pro juſtitiæ complemento recurrere, ac ad ipſum reclamare debeant, eaque in parte curiæ ſuæ ſuppoſiti cenſeantur. Nec cuipiam Tribunali, aut moderno & pro tempore exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, nec Cameræ Apoſtolicæ, minuſque curiæ cauſarum dictæ Cameræ generali Auditori, aut cuivis alteri Iudici, ſed nobis & dictis ſucceſſoribus noſtris immediatè ſubſit, &c. cujus conceſſio & omnimoda diſpoſitio, quoties illud quovis modo vacare contigerit, ad Nos & eoſdem Succeſſores noſtros in perpetuum ſpectet & pertineat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, &c. perpetuò erigimus & inſtituimus. Decernentes, &c. ſicque & non aliter, &c. Quocirca, &c.

*Derogatio contrariorũ.*

§.10. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, necnon quatenus opus ſit, regula de non tollendo jure quæſito, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum Status Eccleſiaſtici hujuſmodi, ac quarumvis illarum civitatum, locorum, terrarum, diſtrictuum, & aliorum locorum, dictæque Urbis & quarumcumque Curiarum, & Tribunalium ſuorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, reformationibus, uſibus, ſtabilimentis, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam illis, earumque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, Iudicibus, Notariis, Communitatibus, Univerſitatibus, aliiſque ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu pari, etiam conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet facientibus conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, Motu ſimili derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptorum fi[...]*

§.11. Volumus autem, quod earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, ac ſigillo ejuſdem Regentis, vel cujuſvis perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. Rom. apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. Prid. Kal. Novemb. Pontificatus noſtri anno 4. *D.P.A.[...] 31.O[...]*

---

LXX[...]

Prohibitio conferendi Canonicatus & præbendas, ac dignitates Eccleſiæ Valentinæ, ſpuriis, aut illegitimè natis, quamvis legitimatis, & natalibus reſtitutis.

*Aliam prohibitionem admittendi ad beneficia Regni Valentiæ alienigenas Regnorum Hiſpaniæ edidit hic idem Pontif. in conſtit. 64.* In ſacroſancto. *Et antea de Studii generalis Valentini regimine diſpoſitionem fecerat in conſtit.* 11. Copioſus, *ubi notavi.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS,*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Edita [...] 158[...]*

*Cauſa [...] conſtit.*

CUm Cœleſtis ille Agricola vineam ſuam & agrum nobis cuſtodiendum commiſerit, ut ex illis tempore ſuo fructum afferamus, profecto nos ne in ea palmites fatui & infructuoſi luxurientur, neve in illo herbæ inutiles, & ſpinæ quæ ſementem ſuffocant patrisfamilias, internaſcantur omni ſtudio curare debemus. Quod planè peragemus, divino favente auxilio, ſi in Eccleſiis quibuſdam Metropolitanis inſignibus, tanquam in agro frugifero bene culto, ne inimicus homo noxium interſeminet lolium, ſpurios ſcilicet & ex illegitimo ac damnato coïtu natos (ſecundum legem Moyſis ingredi Eccleſiam Domini uſque ad decimam generationem prohibitos) à canonicatibus & præbendis, ac dignitatibus arcentes invigilabimus. Idque præſertim in Eccleſia Valentina, quam nos novo lectorum ſcientiæ, & divinæ & humanæ numero, ac aliis gratiis abunde locupletavimus & decoravimus. Nam inibi, ſicut accepimus, ex quo ad canonicatus & præbendas, ac dignitates hujuſmodi ſemel ſic minus dignè aſſumpti ſunt, poſtmodum ſucceſſu temporis ad publica Eccleſiæ, Civitatis & Regni Valen. gerendi munia electi, utplurimum paternæ incontinentiæ imitatores, quietem publicam & ſtatum cæterorum Deo famulantium perturbare conſueverunt.

*Prohibi[...] confer[...] Canoni[...] & præb[...] ac digni[...]tes Eccle[...] Valentin[...] ſpuriis [...] illegitim[...] natis, eti[...] legitima[...] aut nata[...]bus reſti[...]*

§.1. Nos igitur hujuſmodi incommodis pro noſtro paſtoralis officii debito occurrere, & ut homines illarum partium (qui hac ſpe ad filios ſpurios in peccato gignendos ſunt propenſiores) eo magis abſtineant à carnis flagitiis, quo ſuæ proli hoc refugium præcluſum eſſe videant, providere volentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties canonicatus & præbendas, ſeu dignitates dictæ Eccleſiæ Valentinæ, per ceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem, etiam ex cauſa permutationis, vel amiſſionem, aut obitum, etiam apud Sedem Apoſtolicam, ſeu in aliquo ex menſibus, in quibus beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio nobis & dictæ Sedi, per conſtitutiones noſtras deſuper editas, aut aliàs quomodolibet reſervata exiſtit, aut Ordinariis collatoribus per conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulas, vel literas alternativarum, vel quæcumque privilegia, & indulta Apoſtolica hactenus, aut pro tempore conceſſa fuerit, vacare contigerit, etiamſi actu nunc forſan quovis modo aliqui, vel aliqua ex eis

vacent,

vacent, ipſi Canonicatus & præbendæ, ac dignitates dictæ Eccleſiæ Valentinæ, alicui, vel aliquibus, qui ex legitimo & vero matrimonio procreati non ſint, ſpuriis, aut illegitimè genitis (etiam Apoſtolica, Imperiali, Regia, vel quavis alia auctoritate legitimatis, aut natalibus & primævis juribus naturæ reſtitutis, per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, ſeu de latere Legatos, vel nunc & pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Valentin. aut alios ad quos id de jure, vel aliàs quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum) conferri nullo modo debeant. Decernentes ex tunc omnes & ſingulas collationes, proviſiones, & quaſvis alias diſpoſitiones de ipſis canonicatibus & præbendis ac dignitatibus, pro ipſis ſpuriis, & illegitimè genitis, etiam per nos, ſeu ſucceſſores noſtros, aut de latere Legatos, ſeu Archiepiſcopum Valentin. aut alios prædictos, etiam cum quibuſvis clauſulis & decretis faciendas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti exiſtere, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, aut etiam coloratum titulum poſſidendi tribui.

§. 2. Ac præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per quaſcumque literas aut conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu dictæ Cancellariæ regulas, per nos & ſucceſſores noſtros, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon conſiſtorialiter, etiam cum earundem præſentium ſpeciali, ſpecifica & expreſſa mentione, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac conſiſtorialiter, & alias in contrarium forſan quomodolibet pro tempore factis & conceſſis, minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas fore & eſſe, ac quoties eas revocari, vel limitari contigerit, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & plenariè reintegratas eſſe & cenſeri.

§. 3. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari ac definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Valentinæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Auguſti 1588. Pontificatus noſtri anno 4.

---

## XXXVI Exemptio Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis Sancti Benedicti, à juriſdictione Sacriſtæ Hoſpitalis Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ Neapolitan. cui Leo X. dudum univerat.

*Approbavit iſtam Congregationem Cæleſtin. III. ut ſup. in ejus conſtit.* 3. Religioſam, *ubi alia tibi indicavi.*

*Et mox circa ejus Monaſteria, titulos, [illegible], & alias conſtitutionem edidit Paul. V. qua [illegible].* Poſtulat, *inf. tom.* 3.

*SIXTVS PAPA QVINTVS,* *Edita A. D. 1588.*

*Dilectis filiis monachis Congregationis Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti.*

DUdum felic. recordat. Leo X. certis tunc expreſſis cauſis adductus, Congregationem veſtram Hoſpitali Annuntiationis B. Mariæ Virginis Neapolitan. Apoſtolica auctoritate perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, ac quod pro tempore exiſtens Sacriſta dicti Hoſpitalis eſſet, & eſſe deberet ſuperintendens, & Judex ordinarius veſter & pro tempore exiſtentium dictæ Congregationis Monachorum. *Leo X. Congregationem univit Hoſpitali Annuntiationis B. Mariæ Virginis Neapolitan.*

§. 1. Et deinde piæ mem. Pius Papa Quintus prædeceſſor noſter de conſilio nonnullorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium tunc viventium, hanc unionem, annexionem, & incorporationem diſſolvens, nonnullas conſtitutiones novas, juxta quas vos vitam moreſque veſtros conformare deberetis, fieri mandavit, ita tamen quod dictus Sacriſta, Epiſcopus, & Regularis exiſtens, ſuperintendens & Judex uti prius eſſet, haſque conſtitutiones poſtmodùm factas & editas idem Pius prædeceſſor dicta auctoritate approbavit, & confirmavit, prout in ſingulis literis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis pleniùs continetur. *Pius V. unionem ſuſtulit, Sacriſtæ tamen d. Hoſpitalis ſuperioritatem præſervavit.*

§. 2. Cum autem non conveniat, nec decens ſit, ut Sacriſta dicti Hoſpitalis, quamvis eſſet Epiſcopus & Regularis, ut præfertur, quod tamen nunc non eſt, immiſceat ſe rebus, & negotiis veſtræ Congregationis, & vos ſub melioribus, & arctioribus ejuſdem regulæ inſtitutis jamdiu vitam agere cœpiſtis, adeò ut majores in mandatorum Dei obſervantia progreſſus in dies ſperari poſſint, Nos qui memoriam tenemus, eundem Pium V. prædeceſſorem noſtrum expreſſis verbis nobis ſæpiùs aſſeveraſſe, hujuſmodi facultatem prædicto Sacriſtæ conceſſam ſe omninò eſſe revocaturum, pium & religioſum vivendi propoſitum veſtrum, & quietem regularem deſiderantes, ac tenores dictarum literarum præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vos, Congregationemque veſtram, & Capitulum ab omni juriſdictione, auctoritate, & judicio ipſius Sacriſtæ dicta auctoritate tenore præſentium in perpetuum eximimus & liberamus, & omnem ab eodem Hoſpitali licentiam & facultatem mittendi Sacriſtam tanquam ſuperintendentem & Judicem ad Capitulum veſtrum, aut in gubernio & correctione veſtra ſe quoquo modo ingerendi, adimimus. *Hic modo Pont. jam tollit.*

§. 3. Inhibentes dicto Sacriſtæ in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contrafacientem eo ipſo incurrenda, ne præmiſſorum, ſeu quovis alio prætextu, ſeu occaſione vel cauſa, in dicto Capitulo, aut alibi intervenire audeat, ſeu præſumat. *Et Sacriſtæ inhibet.*

§. 4. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod dictum Hoſpitale ad præmiſſa vocatum non fuerit, notari, impugnari, aut ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam revocari, ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Huic ſanctioni clauſulas præſervativas appenit.*

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Capuano, & Epiſcopo Avellinen. ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties ſuper hoc pro parte veſtra, vel alicujus veſtrûm fuerint requiſiti ſolemniter publicâtes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ab omnibus ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari, non permittentes *Executores ejus deputat.*

vos,

vos, & Congregationem veſtram per dictum Hoſpitale aut quoſlibet alios contra præſentium continentiam, ac tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 4. die 27. Aug.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 1. Julii 1588. Pontificatus noſtri anno 4.

---

## LXXXVI Juriſdictio Iudicis cauſarum & litium Hoſpitalis, pro recipiendis, pieque alendis Mendicis per Urbem vagantibus. Et ampliatio exemptionis ei conceſſæ, authoritatiſque Adminiſtratorum ejus.

*Inſtituit d. Hoſpitale hic idem Pont. ut ſup. in conſt. 57* Quamvis.

*Edita A. D. 1588.*

*SIXTUS PAPA QUINTUS,*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

POſtulat ratio paſtoralis officii, nobis licet imparibus meritis divina providentia commiſſi, ut Hoſpitalibus, & piis locis, quæ ad Chriſti pauperum neceſſitates ſublevandas, noſtra primùm cura, & paſtorali vigilantia erecta & inſtituta fuerunt, quo majora in dies ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiant incrementa, uberiora etiam ſubſidia, & ampliora privilegia concedamus.

*Hic Pont. inſtituit Hoſpitale Mendicorum.*

§. 1. Cum itaque nuper ingenti noſtra, pia tamen impenſa, in hac Alma Urbe, ne ulterius Mendici per vias & plateas ejuſdem Urbis, &c.

Omittitur reſiduum, quia totam conſt. habes ſup. *Quamvis.*

*Et modò dat auctoritatem eius Adminiſtratoribus carcerandi Mendicantes per ſegnitiem.*

§. 2. Quoniam verò ea eſt perditorum quorundam hominum impudentia, ut quamvis validi & robuſti ſint, tamen interdum ficta aut ſimulata infirmitate, aut alio prætextu, per ſegnitiem & ſocordiam, malignè incertis ſedibus huc illuc vagando, ex mendicitate quàm ex honeſtis laboribus & induſtria victum ſibi comparare, eiſdem Hoſpitalis præfati Adminiſtratoribus contra eos omnes, qui mendicare per Urbem præſument Edicta & Banna proponendi & publicandi, & inobedientes pœnis tam pecuniariis quam etiam corporis afflictivis, & triremium, vel aliis eorum arbitrio, non tamen ultimi ſupplicii puniendi, plenam & liberam tribuimus poteſtatem.

*Peregrinorumque refectiones inducendi.*

§. 3. Tres autem refectiones Peregrinis per alias noſtras literas aſſignatas, iis dumtaxat dari volumus, quos Congregatio Adminiſtratorum ipſius Hoſpitalis verè pauperes judicaverit.

*Iudicem quoque cauſarū Hoſpitalis deputandi.*

§. 4. Cæterùm cum idem Hoſpitale, ejuſque Adminiſtratores ob varias quæſtiones, lites, & controverſias, quæ circa illius curam excitari in dies contingit, etiam coram diverſis judicibus & Tribunalibus, magno cum diſpendio vexentur, nos in hoc quoque ejuſdem Hoſpitalis indemnitati conſulere volentes, motu & ſcientia ſimilibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, moderni, & pro tempore exiſtentes dicti Hoſpitalis Adminiſtratores, unum utriuſque juris Doctorem clericum, & ſi ita videbitur, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, Judicem cauſarum Hoſpitalis prædicti eligere, ſeu deputare poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

*Cui ampliſſima facultates hic conceduntur, & præſertim.*

§. 5. Ac eidem Doctori ſic pro tempore electo & deputato, ex nunc prout ex tunc, & è contra poſt electionem & deputationem hujuſmodi, omnes & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controverſias, inter dictum Hoſpitale, ſive illius Adminiſtratores, Officiales & Miniſtros, nunc & pro tempore exiſtentes, ac quaſcumque alias, tam laïcas, quàm Eccleſiaſticas perſonas, cujuſcumque gradus, ſtatus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtentes, etiam Cardinalatus honore præfulgentes, Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum quàm mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia loca pia, etiam coram & nunc pro tempore exiſtentibus S. R. E. Camerario, Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, & ejuſdem Cameræ cauſarum Auditore generali, necnon Vicario, Gubernatore & Senatore dictæ Urbis, illorumque Locatenentibus, Collateralibus, Judicibus, & Appellationum Curiæ cauſarum Capitolii ejuſdem Urbis Capitaneo, necnon cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ac ejuſdem S.R.E. Cardinalibus & aliis quibuſcumque Judicibus ordinariis, à nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſpecialiter quomodocumque Commiſſariis deputatis & delegatis, ac deputandis & delegandis, *nunc &* pro tempore motas & *pendentes*, ac *quomodolibet movendas* & *pendendas*, de & ſuper quibuſcumque *locationibus*, venditionibus, donationibus, *legatis*, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, & *illarum diſcuſſionibus*, ac quibuſcumque aliis *diſpoſitionibus ad favorem* ejuſdem Hoſpitalis, *quorumcunque jurium & actionum* ceſſionibus, aliiſque quibuſcumque *inter vivos, &* cauſa mortis, & quaſi contractibus, etiam *vigore obligationis* in forma *Cameræ executionibus, revocationibus*, bonis, rebus, *juribus & actionibus* Hoſpitalis, ejuſque *Adminiſtratorum, Officialium, Miniſtrorum præfatorum*, eorumque litis *conſortium*, tam *conjunctim* quàm *diviſim*, ac tam activè quam *paſſivè*, ac tam ſecundariò quàm *principaliter* intereſſe concernentes, & ad ipſum Hoſpitale, etiam per viam neceſſariæ defenſionis, & aliàs quomodolibet ſpectãtes & pertinentes, in quacumque inſtantia, quorum omnium ſtatus & merita, ac judicum & colligantium *nomina*, cognomina, & qualitates, cæteraque etiam de neceſſitate exprimenda, præſentibus pro expreſſis habemus, in ſtatu & terminis in quibus ad præſens reperiuntur, & quandocumque reperientur, harum ſerie ad nos & Sedem Apoſtolicam advocantes, illaſque omnes & ſingulas alias ſimiles, vel diſſimiles cauſas, quomodolibet nunc & *pro* tempore motas & pendentes, ac quas dictum Hoſpitale, illiuſque Adminiſtratores, Officiales, & Miniſtri habere & movere volent contra eaſdem perſonas, Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, Monaſteria, Hoſpitalia, aut alia æquè aut magis privilegiata pia loca, etiam quomodolibet, & qualitercumque privilegiata & exempta, pro ipſius Hoſpitalis rebus, bonis, hæreditatibus, legatis, juribus, & actionibus hujuſmodi, tam *agendo pro ipſo Hoſpitali*, & quacumque perſona ab eo cauſam habente, quàm etiam ſi contra ipſum Hoſpitale ad inſtantiam quarumcumque perſonarum qualitercumque qualificatarum, & privilegiatarum quomodolibet agatur, eidem Doctori, ut præfertur, electo & deputato, unà cum omnibus & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, ſummariè, ſimpliciter & de plano, & ſola facti veritate inſpecta, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, & abſque tela judiciaria, ac aliquorum terminorum etiam ſubſtantialium obſervatione, aut alicujus regeſtri vel extractus confectione, per ſeipſum vel in ejus à dicta Urbe abſentia, aut aliàs ex quavis cauſa per alium ab eiſdem Adminiſtratoribus, durante abſentia, aut aliàs quomodolibet eligendum, uſque ad finalem ſententiarum executionem incluſivè audiendas, cognoſcendas, fine debito terminandas, aut etiam alibi pro tempore introductas, ſeu commiſſas reaſſumendas, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò committimus & mandamus. Ipſumque Doctorem, ut præfertur, electum & deputatum in dictis cauſis, tam pro ipſo Hoſpitali quàm contra illum motis & pendentibus, & in futurum movendis, in judicem ordinarium, Apoſtolica auctoritate deputatum, cum facultate eaſdem cauſas uſque ad finem, abſque tamen alicujus propinæ receptione, cognoſcendi, decidendi atque terminandi, ac etiam cum poteſtate citandi & inhibendi quos, quibus, & quoties opus fuerit, etiam per ſe, vel alium, ſeu alios quoſcumque, tam in Romana Curia quàm extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi etiam ſummariè de non tuto acceſſu, eiſdem, & prædictis, ac quibuſcumque aliis ejuſdem Urbis Curiarum, ſeu Tribunalium

judicibus

judicibus & perſonis, tam Eccleſiaſticis quam etiam pecuniariis pœnis, prout ſibi videbitur inhibendi, & in eventum non paritionis contra inobedientes contumaces & rebelles, ad declarationem incurſus cenſurarum & pœnarum hujuſmodi, illarumque aggravationes, & aliàs prout ſibi melius expedire videbitur, ſeu placuerit, ſervata forma Concilii Trident. procedendi, ſententiaſque, ſeu mandata per eum pro tempore latas, ſeu relaxata debitæ executioni demandandi, ſive demandari faciendi. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis quovis prætextu non parentes, per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, auxiliumque brachii ſæcularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocandi, aliaque omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exequendi, ac cum aliis facultatibus ad id quomodolibet neceſſariis, auctoritate & tenore prædictis ſimiliter perpetuò facimus, conſtituimus, & deputamus, ſibique plenam, & liberam facultatem atque auctoritatem etiam concedimus & impartimur.

§. 6. Decernentes quod à pro tempore exiſtentis Doctoris ut præfertur electi & deputati ſententiis, mandatis, ordinationibus & decretis nullatenus ſuſpenſivè appellari, reclamari, de nullitate dici, ſive quomodolibet adverſus illa ad effectum impediendi, ſeu ſuſpendendi executionem aliquod remedium attentari poſſit devolutivè, aut ſemel tantum pro qualibet parte liceat appellare, & alia remedia intentare coram pro tempore exiſtenti Urbis Gubernatore, ſeu alio Judice ab ipſo Gubernatore nominando: ei verò parti, quæ ſemel appellavit, ſecundo vel ulterius ſublata ſit omnis & quæcumque appellatio, ſed duæ ſententiæ conformes, plenariam executionem obtineant, ac firmæ & illibatæ permaneant, ac ſi eſſent tres conformes.

§.7. Ac nullitas aliqua, exceptis tribus ſubſtantialibus opponi nullo modo poſſit.

§.8. Et licet ad inſtantiam quorumcumque hæredum, ſeu quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modò pendeat commiſſa cauſa diſcuſſionis alicujus hæreditatis, & dicto Hoſpitali, ſeu illius Adminiſtratoribus vel officialibus & Miniſtris, etiam virtute commiſſionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in præjudicium Hoſpitalis hujuſmodi protrahatur, data idonea cautione per dictos Adminiſtratores, Officiales, ſeu Miniſtros, de reſtituendo ſummam debitam in eventum ſuccumbentiæ, prioribus & paucioribus creditoribus, pro tempore exiſtens Doctor prædictus eoſdem hæredes, ſive alios quoſcumque debitores, ſeu ipſorum quemlibet, & ex quocumque titulo cauſam habentes ad ſatisfaciendum integraliter dicto Hoſpitali de ejus credito, juris & facti remediis cogat & compellat.

§.9. Ac in omnibus & ſingulis cauſis prædictis ad dictum Hoſpitale, ut præfertur, quomodolibet ſpectantibus ſingulis diebus & horis feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem Dei procedat.

§.10. Et notarium actuarium per eoſdem Adminiſtratores eligendum, ac ab eis & eorum arbitrio, ac ad eorum nutum ponendum, & amovendum, quem eis placuerit, habeat, qui teneatur dare idoneam cautionem eiſdem Adminiſtratoribus in ejus deputatione, de reſtituendo abſque aliqua pecuniarum ſolutione & fraude, & omni mora & dilatione atque exceptione, ſeu excuſatione poſtpoſitis, quoties ab eiſdem Adminiſtratoribus ab hujuſmodi Notariatus officio amotus fuerit, omnes & ſingulas ſcripturas ad dictum Hoſpitale, ut præfertur, quomodolibet ſpectantes, per eoſdem Adminiſtratores facto de illis inventario, Notario ſucceſſori ab eiſdem Adminiſtratoribus deputato conſignando, quodque citationes in cauſis prædictis, etiam per Curiæ Capitolii, ſeu alios quoſcumque, etiam dicti Hoſpitalis Mandatarios fieri poſſint.

§. 11. Ac quod quicumque executores Curiarum, ſeu Tribunalium dictæ Urbis poſſint, & debeant exequi, & effectualiter executioni demandare, omnes & ſingulas ſententias, decreta & mandata pro tempore exiſtentis Doctoris hujuſmodi, ſive in ejus abſentia, aut aliàs ipſo impedito, ab eiſdem Adminiſtratoribus eligendi, quos non obſtante regula Cancellariæ, ſub ejuſdem plumbo ſigillo expediri poſſint.

§.12. Ac inſuper Hoſpitale prædictum, ejuſque Adminiſtratores, officiales, & miniſtros, affictuarios, & alios ab eis cauſam habentes, ex nunc deinceps occaſione præmiſſorum principaliter, ſeu ſecundariò alibi quam coram pro tempore exiſtente Doctore, ut præfertur electo, & deputato conveniri, aut ad alios conveniendum conſtringi non poſſe, & proceſſus, ſententias, mandata & decreta, per alium, ſeu alios, tam ordinarios quàm etiam ſpecialiter deputatos & delegatos Judices, quavis auctoritate fungentes, in cauſis prædictis quomodolibet pro tempore formatos, in quacumque inſtantia latas & facta, cum inde ſecutis quibuſcumque, nulla, irrita & inania, nulliuſque roboris & momenti fore, inhibentes expreſsè moderno & pro tempore exiſtenti Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, aut alias pro tempore Juſtitiæ Signaturam habenti, necnon Regenti Cancellariæ qui pro tempore erit, omnibuſque & ſingulis Referendariis, ne de cætero ad inſtantiam & requiſitionem cujuſcumque ſupplicationem aliquam recipere, referendariare, ſeu proponere Præfecto Signaturæ Juſtitiæ audeat vel præſumat, & ſimiliter Signaturam faciens, non ſignet ſive avocatoriam, ſive ſimplicis juſtitiæ, ſive appellatoriam & ſimilem, neque in medio litis, & quod ſignatæ nullius ſint roboris & momenti, nullamque tribuant juriſdictionem, neque ipſe Judex cui fuerint commiſſæ, audeat illarum virtute citare, inhibere, vel quomodolibet procedere, irritumque & inane quicquid ſcienter vel ignoranter ſecus factum fuerit, ipſo jure decernimus, ſalva ſemper noſtra, ac pro tempore exiſtentis Romani Pontificis manu propria ſignatura, ſine qua omne reſcriptum cenſeatur, & ſit invalidum, & à noſtra voluntate alienum. Et nihilominus Doctor ſic, ut præfertur, deputatus à prædicto Hoſpitali, abſque vitio attentatorum procedere poſſit & valeat.

§.13. Exemptionem verò & immunitatem alias eidem Hoſpitali conceſſam extendentes & ampliantes, volumus, ut tam ipſum Hoſpitale quàm ejus perſonæ, necnon agri, poſſeſſiones, prædia urbana & ruſtica, ac quæcumque res & bona immobilia, mobilia & ſe moventia, ubilibet gentium & locorum conſtituta, eorumque affictuarii & conductores, ratione quorumcumque fructuum, frugum & mercium, ac rerũ ad victum, aut veſtitũ, aut alias ad uſus humanos pertinentium, qui in ipſius Hoſpitalis agris, aut prædiis colliguntur, aut extrahuntur, aut ad uſum Hoſpitalis aliunde importãtur, tam in emendo quàm in vendendo, aut de loco ad locum extrahendo, aut transferendo, etiam quoad tria pro centenario Doaneriis Ripæ Urbis noſtræ ſolvi ſolita, & quoad Sal pro uſu Hoſpitalis, quod gratis, prout aliis locis piis, dari ſolet, etiam prædicto Hoſpitali dari debeat, & à quibuſcumque datiis, portoriis, gabellis, dohanis, oneribus & actionibus, ſubſidiis, talliis, collectis, angariis, ordinariis & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, ex quacumque etiam urgentiſſima cauſa nunc & pro tempore impoſitis & imponendis, tam in dicta Urbe quàm extra eam in quocumque loco ditioni noſtræ temporali Eccleſiaſticæ mediatè & immediatè ſubjecto, protſus libera, exempta & immunia ſint ac cenſeantur, nec ad aliquam ſolutionem quocumque modo cogi, aut compelli poſſint.

§.14. Diſtrictè autem interdicimus quibuſcumque perſonis ad quas exactio hujuſmodi onerum, gabellarum, collectarum, talliarum, ſubſidii & Dohanæ quomodolibet ſpectabit, ne quicquam quovis prætextu contra noſtram hujuſmodi cõceſſionem petere aut exigere, ipſumque Hoſpitale, vel ejus miniſtros, aut alios ab eo cauſam habentes moleſtare quoquo modo audeant, vel præſumant. Quinimmò dilectis filiis modernis & pro tempore exiſtentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, necnon Cameræ Apoſtolicæ Clericis præſidentibus per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel eorum aliquis quoties pro parte Hoſpitalis prædicti fuerit requiſitus, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, Hoſpitale prædictum, ejuſque miniſtros, affictuarios, & alios quoſcumque pro eo agentes, faciant

exemptio

*Perſonæ Hoſpitalis, &c. alibi conveniri non poſſint, & eiſque ... commiſſionis Signaturæ Juſtitiæ.*

*Ampliatio exemptionis à ſolutione Gabellarum, & aliorum onerum & gravaminũ.*

*Prohibitio moleſtandi Hoſpitale ſuper prædictis.*

exemptione, immunitate, illiſque extenſione & ampliatione prædictis pacificè frui & gaudere. Non permittentes illos quovis modo indebitè moleſtari, contradictores per opportuna juris & facti remedia compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, &c.

*Capellani, qui nū. ſunt ab Adminiſtratoribus non amoveantur. Et corū quilibet habeat ſcut. 90. ſingulis annis.*

§. 15. *Poſtremò ſtatuimus & ordinamus*, quod ii quatuor *Clerici ſæculares*, qui nunc ſunt pro Capellanis ad Miſſas celebrandas, Sacramentaque Eccleſiaſtica adminiſtranda in eodem Hoſpitali deputati, inde quoad vixerint, per modernos, aut pro tempore exiſtentes Adminiſtratores amoveri nullo modo poſſint nec debeant, quinimmò eorum cuilibet nonaginta ſcuta monetæ Romanæ ex fructibus, redditibus, & proventibus dictarum Eccleſiarum, Capellaniarum, & beneficiorum unitorum, per modernos & pro tempore exiſtentes ipſius Hoſpitalis Adminiſtratores annuatim perſolvantur, ac præſentes literæ validæ & efficacis collationis & proviſionis eorum cuilibet factæ vim & robur obtineant. Atque ex nunc in Capella ejuſdem Hoſpitalis quatuor perpetuas ſine cura, perſonalem tamen reſidentiam requirentes Capellanias, necnon duo alia etiam ſine cura, perſonalem tamen reſidentiam requirentia beneficia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupanda, per præſentes perpetuò *erigimus & inſtituimus*, eiſque ſic erectis & inſtitutis pro congrua dote, ac dictorum, etiam pro tempore exiſtentium Capellanorum & Clericorum congrua ſuſtentatione, qui videlicet Capellani in ipſa Capella Miſſas celebrare, ac perſonis Hoſpitalis prædicti, juxta formam priorum noſtrarum literarum ſuper ipſius Hoſpitalis erectione editarum, Sacramenta Eccleſiaſticā miniſtrare, Clerici verò eis in Altaris miniſterio & Sacramentorum adminiſtratione inſervire debeant, ſingulis quidem Capellaniis nonaginta, ſingulis verò beneficiis prædictis pro quolibet Clerico viginti ſcuta hujuſmodi annuatim eorum cuilibet per ipſos Adminiſtratores, ut præfertur, ex dictis fructibus beneficiorum hujuſmodi perſolvenda, Si quid verò ex eiſdem fructibus ſupererit, id omne Sacriſtiæ ejuſdem Capellæ perpetuò applicamus & appropriamus.

*Capellaniæ ad præſentationem Adminiſtratoris de cætero cōferantur.*

§. 16. In poſterum verò quoties perpetuis futuris temporibus aliquod ex hujuſmodi Capellaniis vel beneficiis, Clericatus nuncupatis, ex Capellanorum eaſdem Capellanias ad præſens obtinentium, vel eorum ſucceſſorum quorumcumque perſonis, quandò & ubilibet vacare contigerit, tunc non ad nutum Adminiſtratorum, ſed in titulum perpetui beneficii Eccleſiaſtici perſonalem reſidentiam requirentis, ad præſentationem Adminiſtratorum prædictorum, nec alias, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat conferantur.

*Clauſula præſervativa hujus cōceſſionis.*

§. 17. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium conceſſionum & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus & derogationibus minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas & plenariè reintegratas eſſe & cenſeri, Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ R. E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri deberē, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula contrariorū derogatoria.*

§. 18. Non obſtan. conſt, & ordinationibus Apoſt. præfatæque Cam. juramento, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis eidem Cameræ, necnon quibuſvis Judicibus & Tribunalibus, etiam Auditori cauſarum ejuſdem Cameræ quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio facienda, ſeu quævis expreſſio ad hoc ſervanda foret, illorum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 19. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici munu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarn. Dominicæ 1588. 8. Idus Septemb. Pont. noſtri anno 4. — *D. P. A… die 6. …*

---

## Contra abortum quovis modo procurantes, aut ſterilitatis potiones dantes vel ſumentes, eiſque auxilium, conſilium, ſive favorem præſtantes. LXXXVI…

*Hæc Bulla in duabus ejus partibus moderata fuit à Gregorio XIV. inf. in ejus conſtit. 8. Sedes.*

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* — *Edita A… 15…*

*Deteſt… criminis ortus.*

EFfrenatam perditiſſimorum hominum contra divinæ legis præceptum de non occidendo, peccandi audaciam atque licentiam, ſanctiſſimis legibus, variiſque conſtitutionibus ſæpius repreſſam animadvertentes, cogimur nos quoque in ſupremo juſtitiæ throno à Domino conſtituti, juſtiſſima ratione ſuadente, vetera jura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam impunitatem pari pœna propoſita coërcere, qui immaturos fœtus intra materna viſcera adhuc latentes crudeliſſimè necare non verentur. Quis enim non deteſtetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, ſed quod gravius eſt, etiam animarum certa jactura ſequitur? Quis non graviſſimis ſuppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine inſignitam, pro qua redimenda Chriſtus Dominus noſter pretioſum ſanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad conſortium Angelorum deſtinatam, à beata Dei viſione excluſit; reparationem cœleſtium ſedium quantum in ipſo fuit impedivit, Deo ſervitium ſuæ creaturæ ademit: qui liberos prius vita privavit, quam illi à natura propriam lucem accipere, aut ſe materni cuſtodia corporis ab efferata ſævitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinoſam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eò uſque proceſſit, ut etiam venena procuret ad conceptos fœtus intra viſcera extinguendos & fundendos, etiam ſuam prolem prius interire quàm vivere, aut ſi jam vivebat, occidi antequam naſci nefario ſcelere moliendo? Quis denique non damnet graviſſimis ſuppliciis illorum ſcelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus ſterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ne pariant, maleficis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moyſen, non patieris vivere; nimis enim impudenter contra Dei voluntatem ſe opponunt qui, ut S. Hieronymus ait, dum natura recipit ſemen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra diſtinguit, dum inter ventris anguſtias Dei manus ſemper operatur, idemque corporis creator, & animæ eſt, impiè deſpicit bonitatem Figuli, id eſt Dei, qui hominem plaſmavit, fecit ut voluit: ſiquidem ut Sanctus teſtatur Ambroſius, non mediocre munus eſt Dei dare liberos propagatores generis. Divinum donum eſt fœcunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio privantur liberis parentes qui generaverant, vita filii qui generati ſunt, matres conjugii præmiis, terra quæ ab his coleretur, mundus qui ab eiſdem cognoſceretur, Eccleſia quæ devotæ numero plebis aucta gauderet. Unde non immeritò ſexta Synodo Conſtantinopolitana ſancitum eſt, ut perſonæ quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis ſubjiciantur, ſed & veteri Concilio Ilerdenſi cautum eſt, ut qui conceptos ex adulterio fœtus necare ſtuduerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliſerint, ſi poſtea pœnitentes ad Eccleſiæ manſuetudinem recurrant, omni tempore vitæ ſuæ fletibus humiliati inſiſtant, ſi verò Clerici fuerint, officium miniſtrandi eis recuperare non liceat, omneſque tam Eccleſiaſticæ quàm

prophanæ

prophanæ leges gravibus pœnis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, ſive ut conceptos fœtus ejiciant, nefariè machinantur.

§. 1. Nos igitur poſt repreſſam eorum temeritatem, qui matrimonii jura violare, & quantum in ipſis eſt vinculum indiſſolubile diſſolvere præſumunt, quive turpioribus quibuſdam inceſtis ſe inquinare non erubeſcunt, hoc quoque malum, quantum viribus nobis à Domino traditis contendere poſſumus, noſtris potiſſimum temporibus exterminare volentes: Omnes & quoſcumque, tam viros quam mulieres, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam Clericos ſæculares vel cujuſvis Ordinis regulares, quavis dignitate & præeminentia, Eccleſiaſtica vel mundana fulgentes, qui de cætero per ſe, aut interpoſitas perſonas abortus, ſeu fœtus immaturi, tam animati quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint, percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis etiam incognitis, vel maximè exquiſitis rationibus, ita ut re ipſa abortus inde ſecutus fuerit, ac etiam prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas tam divinò quam humanò jure, ac tam per canonicas ſanctiones, & Apoſtolicas conſtitutiones, quam civilia jura adverſus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & re ipſa patraverint, propoſitas & inflictas (quorum omnium tenores his noſtris literis pro expreſſis, & ad verbum inſertis habemus) eo ipſo incurrere, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, ipſaſque pœnas, leges, & conſtitutiones ad caſus præfatos extendimus.

§. 2. Eos verò qui Clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, quæ ſic vacatura noſtræ & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni perpetuò reſervamus, ipſo facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus, adeò ut illi qui hoc delictum commiſerint, non ſecus atque ii qui ſua voluntate homicidium perpetraverint juxta Concilii Tridentini decreta, etiamſi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, ad ſacros ordines promoveri, aut in ſuſceptis ordinibus miniſtrare nullo modo poſſint, nec illis aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat; ſed omni ordine, ac beneficio & officio perpetuò careant.

§. 3. Necnon & illos qui Clerici non fuerint, & talia perpetraverint, non ſolum pœnas incurrere ſupra narratas, ſed etiam inhabiles ad ordines & alia prædicta decernimus & declaramus.

§. 4. Volentes quod hi qui foro Eccleſiaſtico ſubjecti, ut præfertur deliquiſſe comperti fuerint, per judicem Eccleſiaſticum depoſiti & degradati curiæ & poteſtati ſæculari tradantur, quæ de eis illud capiat ſupplicium, quod contra laicos verè homicidas per divinas leges, ac civilia jura eſt diſpoſitum.

§. 5. Præterea eiſdem pœnis teneri omninò ſtatuimus eos, qui ſterilitatis potiones, ac venena potionibus propinaverint, & quominus fœtum concipiant impedimentum præſtiterint, ac ea facienda, & exequenda curaverint, ſive quocumque modo in his conſuluerint, ac mulieres ipſas quæ eadem pocula ſpontè, ac ſcienter ſumpſerint.

§. 6. Quocirca mandamus univerſis & ſingulis judicibus ordinariis & delegatis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, quibus contra criminum reos, etiam quoad cauſas hujuſmodi, de jure vel ratione delicti, aut perſonarum legitimè competet juriſdictio, ita tamen ut inter eos præventionis locus ſit, ut in his delictis, quæ utplurimùm in occulto perpetrantur, contra quoſcumque, non ſolum per accuſationem & declarationem, verum etiam per inquiſitionem, ac ſimplicem denuntiationem procedant, ac ad illa probanda teſtes alias de jure inhabiles, eorundem tamen Judicum arbitrio, habita ratione perſonarum, cauſarum & qualitatum illarum; ac circumſtantiarum quarumcumque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per nos ſancitum eſt, demùm animadvertant.

§. 7. Inſuper ut immaniſſimi hujus delicti gravitati non ſolum temporalibus, verum etiam ſpiritualibus pœnis proſpiciamus, ac provideamus, omnes & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentes, tam laicos quam clericos, ſæculares & cujuſcumque Ordinis regulares, necnon mulieres ſæculares vel quemcumque Ordinem profeſſas, qui vel quæ veluti principales, vel ut factæ conſciæ ad tale facinus committendum opem, conſilium, favorem, potionem, vel alia cujuſcumque generis medicamenta ſcienter dederint, ac etiam ſcribendo literas privatas vel apochas, vel aliàs verbis, aut ſignis juverint, aut conſuluerint, ultra ſupradictas pœnas, ipſo facto, ex nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus.

§. 8. Decernentes, ac declarantes, quod per quæcumque Jubilæa & Indulgentias, per nos & ſucceſſores noſtros, etiam anno Jubilæi, aut alio quovis tempore, etiam Cruciatæ ſanctæ, Jubilæi vel quovis aliò titulo conceſſas & concedendas, necnon per quaſcumque literas Apoſtolicas quibuſvis Principibus, ſeu ad eorum inſtantiam per nos & ſucceſſores noſtros pariter conceſſas & concedendas, ac etiam vigore privilegiorum mare magnum vel aliàs quomodolibet nuncupatorum, quibuſvis Congregationibus Regularium, aut Epiſcopis vigore Concilii Tridentini vel alias, per nos & prædeceſſores noſtros quomodocumque conceſſorum, vel in futurum concedendorum, nec perſonæ ſic ut præfertur delinquentes & excommunicatæ, præterquam in mortis articulo abſolvi valeant, nec cum iis clericis, qui hujuſmodi delicta perpetraverint, etiamſi eorum crimen occultum fuerit, ſuper irregularitate præmiſſorum occaſione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fungentes, quam per nos & Rom. Pont. noſtros ſucceſſores, & tunc nonniſi urgentiſſimis de cauſis diſpenſari poſſit. Ac tam abſolvendi quam diſpenſandi facultatem hujuſmodi, etiam quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperiùs expreſſis, nobis & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat reſervamus.

§. 9. Statuentes ſic in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, aut aliis legibus aliter forſan circa præmiſſa diſponentibus, aut in caſibus præfatis diſtinguentibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 11. Volumus autem ut præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides in judicio & extra adhibeatur, quæ originalibus literis exhibitis adhiberetur. Quodque eædem ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, de more publicatæ & affixæ, dimiſſis inibi earum exemplis, poſt quindecim dierum ſpatium à die hujuſce publicationis numerandorum quemcumque afficiant, ac ſi unicuique forent intimatæ, cum non ſit veriſimile quenquam ea poſſe ignorare, quæ palam, ac publicè fuerint evulgata.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, ſtatutorum, ordinationis, extenſionis, decretorum, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, &c.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnat. Dominicæ 1588. 4. Kal. Novemb. Pont. noſtri anno 4.

*Anno à Nativitate Domini 1588. indict. 1. die verò 16. menſis Novemb. Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 4. retroſcriptæ literæ Apoſt. affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiarum S. Ioannis Lateran. & S. Petri Principis Apoſtolor. de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Horatium de Raynaldis, & Octavium Taglietum S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

LXXXVIII. **Inſtitutio feſtivitatis SS. Placidi & Sociorum Martyrum Profeſſorum Ordinis Monachorum S. Benedicti, ubique ſimplici, & in Meſſanen. Civitate duplici officio die 5. menſis Octobris celebrandæ, ac etiam die 4. menſis Auguſti in Eccleſia Meſſanen. Ubi eorum corpora nuper reperta fuerunt.**

*Edita A. D. 1588.* SIXTUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Martyrum præclara ſunt merita.* DOminus Omnipotens, qui ſuaviter cuncta diſponit, miſericordiarum Pater, & Deus totius conſolationis, ſacroſanctam ejus Eccleſiam pretioſo unigeniti Filii ſui ſanguine acquiſitam, & in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidatam; voluit nedum inter mundi adverſa & turbines Sanctis Martyribus, quaſi fortiſſimis propugnatoribus tueri, verùm eorundem glorioſis trophæis ita in dies illuſtrari, ut non modo illi feliciſſimas de impiis perſecutoribus & Chriſtianæ fidei hoſtibus in hoc ſæculo victorias reportando, eandem propagarent; ſed mox ad æternam ipſi cœleſtis patriæ beatitudinem evecti piè apud Deum intercedendo, illam vel maximè juvarent, ac perpetuò juvent. Unde non immeritò ſacræ eorum reliquiæ, & eorundem paſſionum monumenta in terris relicta, Chriſtianum populum ad laudandum in eis divinam majeſtatem, ad illorum ſalutaria exempla imitanda, ad rerum humanarum, & prætereuntis hujus ſæculi deſpicientiam, ad eorum denique opem & patrocinium in tribulationibus & neceſſitatibus invocandum mirum in modum excitant.

*S. Placidus & ejus Socii ſub regula S. Benedicti ſe Deo dicarūt, & in Monaſterio apud Meſſanam civitatem per ipſum Placidum in paterno fundo extructo famulatum Deo exhibuerunt.* §. 1. Inter hos verò ipſos quos Martyrii corona donatos Gatholica invocat & veneratur Eccleſia, meritò inſigni honore celebranda eſt memoria ſanctorum Placidi & ſociorum Martyrum, qui Juſtiniani Magni Imper. temporibus cum S. Benedicti tunc adhuc viventis, Religionis zelum, & vitæ ſanctitatem admirati, ſub illius regula ſe Dei obſequiis dicaviſſent, & in Monaſterio cum Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, propè muros Meſſanæ civitatis tunc recenter ab ipſomet Placido in paterno fundo extructo & inſtituto, cui idem Placidus à ſancto Benedicto eò miſſus, tanto magiſtro dignus diſcipulus præerat, gratum Altiſſimo exhiberent famulatum, ad eam perfectionem brevi pervenerunt, ut cum eorum ſanctimoniæ fama longè lateque diffuſa, etiam urbem Romam pervaſiſſet, impulerit pios ipſius Placidi fratres germanos Eutychium, & Victorinum, & virginem Flaviam eorundem ſororem, ad iter ſuſcipiendum Placidi fratris viſendi cauſa; ſed divina providentia factum eſt, ut cum Meſſanam veniſſent, & apud eum vix per paucos dies morati eſſent, crudeliſſimi Saracenorum Regis, vel potius Tyranni Abdalæ claſſis Chriſtiano nomini nefarium bellum, Inſulæ verò Siciliæ vaſtitatem, incendia, rapinas inferens, ad eandem Civitatem ex improviſo appulerit. Ubi ejus claſſis Dux Mammucha cùm in Monaſterium cœpit mira feritate contra eos omnes in vincula conjectos ſævire, & acerbiſſimis quibuſdam cruciatibus, exquiſitiſque tormentorum generibus conari, ſi qua ratione poſſet eos à Chriſtiana Religione dimovere.

*Martyriique coronā adepti fuerunt, & eorū corpora in Eccleſia S. Joānis Meſſanæ ſepulta, multùm latuerunt, & nuper aliqua eorum reliquiæ, in reparatione dictæ Eccleſiæ ſunt reperta.* §. 2. Verumtamen ipſi adjuvante Spiritus Sancti gratia, & non modo religioſis viris, ſed in aliis quoque Placidi fratribus, atque adeò in ſexu fragili & virgineo pectore, ſuam divinam virtutem mirabiliter oſtendente, cuncti in Chriſtianæ fidei præclara confeſſione fortiter perſeverantes, agonem ſuum glorioſo Martyrio conſummarunt. Cumque eorum quidem animæ triumphalem palmam adeptæ in cœlum evolaſſent, corpora verò multis, ut antiquæ teſtantur hiſtoriæ, magniſque miraculis illuſtria, in Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ Meſſanenſis, quæ poſtmodum ſucceſſu temporis in Prioratum Hoſpitalis ejuſdem Sancti Joannis Hieroſolymitani fuit erecta, piè ſepulta, & recondita, temporum injuria per multa ſæcula ita inibi occulta latuiſſent, ut jam noſtra ætate, licet ex pluribus antiquitatis monumentis conſtaret, ea in præfata Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ ſepulta fuiſſe, tamen certus ejus Eccleſiæ locus, ubi ſita forent, penitus ignoraretur; placuit tandem divinæ miſericordiæ ſacra nonnullorum ex iis monumenta & reliquias, dum pro fundamentis in reparatione ipſius Eccleſiæ jaciendis humus effoderetur, poſt longum temporis intervallum nuper in lucem proferre.

§. 3. Quare cum primum ex relatione Venerabilis fratris Antonii Archiepiſcopi Meſſanen. compluribus deſuper examinatis teſtibus, ac proceſſu formato, & ad nos tranſmiſſo id nobis ſignificatum fuit: Nos attendentes juxta antiquiſſimum Gatholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum unanimem conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum, ac noviſſimè œcumenici Tridentini decreta, beatorum Martyrum, & aliorum cum Ghriſto in cœlis regnantiū ſancta corpora, per quæ multa beneficia à Deo mortalibus præſtantur, congruo quidem honore veneranda eſſe, ſed etiā adhibendam cautionem in ſacrarū reliquiarum veneratione, ut omnis ſuperſtitio tollatur; nec novas reliquias recipiendas eſſe, niſi priùs ab Epiſcopo recognitæ & approbatæ fuerint, recognitionem proceſſus hujuſmodi venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Card. ſuper interpretatione & executione dicti Conc. Trid. deputatis duximus committendam, qui ipſo proceſſu diligenter, prout rei gravitas poſtulabat, conſiderato & recognito, necnon vocato & audito eodem Antonio Archiepiſcopo, qui & ſacras reliquias, & alia complura antiquitatis monumenta in ea Eccleſia inſpexit, deinde ad nos & beatorum Apoſtolorum limina viſitanda in urbem venit, cum nobis retuliſſent ſatis conſtare de aliquorum ex dictis ſanctis corporibus inventione.

§. 4. Nos primùm quidem ingentes Deo omnipotenti gratias egimus, quod inter cætera, quæ his calamitoſis & turbulentis temporibus Chriſtiano populo in dies largitur, plurima & maxima beneficia, hoc quoque inſigni munere, quaſi pretioſiſſimo theſauro detecto, dignatus ſit dictorum Placidi & ſociorum Martyrum memoriam renovare.

§. 5. Nunc autem, ut pro noſtro paſtorali officio, quantùm in nobis eſt, curemus ne invictorum Martyrum corpora, divinæ erga nos charitatis pignora, quæ viva membra fuerint Chriſti, & templa Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, diutiùs obſcuret vetuſtas, aut ex animis Chriſti fidelium deleat oblivio, ſed ut potius eis omnium gentium & ſæculorum prædicatione digniſſimus honor debitus, ſi non pro ipſorum dignitate ac meritis, ſaltem pro noſtra tenuitate tribuatur, ſimulque excitentur iidem fideles ad eorum veſtigia pro cujuſque captu proſequenda, & ad invocandam opem illorum, quos & ipſius Eccleſiæ amantiſſimos, & propter religioſæ vitæ profeſſionem & obſervationem, caſtimoniam, ſanctitatem, & conſtantem Chriſtianæ fidei confeſſionem Martyrio conſummatam Deo acceptiſſimos eſſe intelligimus; ac denique, ut in eorundem veneratione, Dei qui ſe per os David in Sanctis ſuis laudari præcipit, immenſa bonitas glorificetur, & piæ Chriſti fidelium mentes ad eorum memoriam recolendam anniverſaria commemoratione & celebritate admoneantur, habita prædictorum Cardinalium relatione, de eorum conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentiū præcipimus, ut eorundem ſanctorum Martyrum Placidi & ſociorum dies feſtus, quo ipſi bono & legitimo certamine pro Chriſti gloria abſoluto, curſu conſummato, fide ſervata, nobiliſſima martyrii corona decorati, ad cœleſtem patriam migraverunt, nimirum tertio Non. Octobris in omnibus Chriſtiani Orbis partibus ſub officio ſimplici, in Meſſanenſi verò civitate, diœceſi, & Provincia, duplici, & præterea alter dies feſtus Inventionis eorundem Pridie Non. Auguſti, in Eccleſia præfata Sancti Joannis Baptiſtæ Meſſanenſis, duntaxat ſub duplici pariter officio à cunctis perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, ac quorumvis Ordinum Regularibus, de communi plurimorum Martyrum, ubi proprium deerit, perpetuò celebretur. Voluimuſque ut in Kalendario, quo nunc utimur, ſicut in Romano Martyrologio, & antea in quibuſdam Kalendariis habebatur, ad eum diem eorundem

Sanctorum

Sanctorum nomina adſcribuntur, etiamſi in noviſſima Miſſalis & Breviarii Romani editione ea fuerint prætermiſſa. Hortantes utriuſque ſexus Chriſti fideles civitatis Meſſanenſis incolas, ut eorundem Martyrii diem feſtum piè ac religiosè colant & obſervent, & ſicuti in reliquis diebus feſtis de præcepto ſanctæ matris Eccleſiæ, ut moris eſt, à ſervilibus operibus abſtineant.

§. 6. Ac demùm ad augendam Chriſtiani populi ergà eoſdem inclytos Martyres devotionem, utque eo frequentiùs & ardentiori pietatis ſtudio confluant ad ſacra eorum ſepulchra, quo uberiùs cognoverint ſe per hoc cœleſtis gratiæ donis eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, eiſdem Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, qui peccata ſua ſacerdotibus idoneis ab Ordinariis locorum approbatis confeſſi fuerint, ac ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſceperint, & prædictæ Inventionis die feſto dictam Eccleſiam, ubi eadem ſancta Corporà requieſcunt, *devotè viſitaverint, atque inibi pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem perpetuò concedimus & elargimur.*

§. 7. *Quocirca mandamus univerſis & ſingulis venerabilibus* fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis, ut præſentes literas in ſuis quilibet Provinciis, civitatibus & locis ſolemniter publicari, & ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus & regularibus ubique gentium & locorum inviolatè obſervari curent.

§. 8. Volumus autem ut earundem præſentium exempla, etiam impreſſa, Notarii publici manu ſubſcripta, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignata, eandem prorſus ubique fidem faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi oſtenderentur vel exhiberentur.

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, voluntatis, hortationis, conceſſionis, elargitionis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſt. ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1588. Id. Novemb. Pontific. noſtri anno 4.

---

LXIX. Collegii Montis Alti pro quinquaginta ex Provincia Marchiæ Scholaribus, in Civitate Bononiæ erectio, cum beneficiorum & annuorum reddituum, privilegiorumque & exemptionum elargitione, Judiciſque & Protectoris deputatione, facultatibuſque & juriſdictione.

*Hunc Montem Altum olim Oppidum in Civitatem ſublimavit, & ejus Collegiatam Eccleſiam in Epiſcopalem hic idem Pont. erexit, ut ſupra, in conſtit.* 48. Super.

A. D. 1588.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

INter cæteras ſollicitudines quæ nobis ex officio creditæ ſervitutis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam literarum ſtudia, & adoleſcentium illi vacare volentium Collegia ad fructuoſam agri Dominici culturam, ac doctrinæ & ſapientiæ incrementa ubique, præſertim in locis temporali noſtræ ditioni ſubjectis propagentur, ipſaque Collegia pro illorum ſtabilimento congruis facultatibus communiantur, ut ex eis optimarum diſciplinarum proventus ad communem utilitatem & profectum valeant provenire.

§. 1. Dudum ſiquidem dum Cardinalatus honore fungeremur, pio erga dilectos filios Communitatem Civitatis Montis Alti unde originem duximus, necnon Univerſitates & homines Porculæ, ac Patrignoni, & Montis novem oppidorum Provinciæ noſtræ Anconitanæ, affectu, paciſque inter eos conſervandæ & ſtabiliendæ zelo ducti, in dicta civitate, ſive oppido, & quibuſdam domibus ad id per nos emptis, publicum Gymnaſium in quo illius & aliorum oppidorum prædictorum juventus religioſè educaretur, ac primis literarum rudimentis, aliarumque bonarum artium diſciplinis inſtrueretur, aſſignatis etiam redditibus annuis ad mercedem ipſius juventutis Præceptori, & uni Phyſico perſolvendam, noſtris ſumptibus magnificè conſtrui curavimus, ac in his ſummam octo millium ſcutorum, vel circa erogavimus.

*Juventutis in bonis artibus inſtructione, & educatione, conſtruxit.*

§. 2. Et deinde immenſa Redemptoris noſtri benignitate ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigiū evecti, ne juventus ipſa ob rei familiaris anguſtiam & inopiam, ad altiora literarum ſtudia progrediendi commoditate deſtitueretur, in civitate Bonon. quæ omnium liberalium artium doctrinarumque ſtudiis ſemper floruit, & quibuſdam ædibus de Zambeccariis nuncupatis per fel. rec. Gregor. Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum, Cameræ Apoſtolicæ impenſa pro Collegio ibidem inſtituendo acquiſitis, unum Collegium Scholarium ex civitatis Montis Alti, & oppidorum prædictorum indigenis, uſque ad certum tunc præſcriptum numerum eligēdorum, duximus erigendum & inſtituendum. Poſtmodum verò erectionis & inſtitutionis hujuſmodi negotio maturius perpenſo, ædes prædictas ad uſum ipſius Collegii nondum reductas ex certis cauſis venundari mandavimus animo & intentione dictū Collegium in alio commodiori loco ejuſdem civitatis Bonon. ſtabiliendi. Cùm autem Prioratus S. Antonii Bononien. Ordinis S. Auguſt. ex eo quod dilectus filius Antonius Giaverinus, ſeu Glaverinus illius Prior, eundem Prioratum quem tunc, ſeu nuper obtinebat, aut in quo vel ad quem jus ſibi competere aſſerebat, reſignavit, & ſeu juri ſibi competenti hujuſmodi ceſſit in manibus noſtris ſponte ad effectum infraſcriptum, & aliàs liberè, noſque reſignationem, & ſeu ceſſionem hujuſmodi duximus admittendam, per reſignationem eandem apud Sedem Apoſtolicam vel aliàs certo modo, & ſicut accepimus S. Mariæ de Strata, alias della Strada, quod bon. mem. Philippus ſancti Euſtachii diaconus Cardinalis Vaſtavillanus nuncupatus, & alium Sancti Michaëlis de Caſtro Britonum, quod ſimilis mem. Alex. Epiſcopus Viglevanen. ac reliquum Monaſterii Abbatiæ nuncupatæ ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani Vallis de Lavino Sancti Benedicti, vel alterius Ordinis, Bonon. diœc. quod quondam Vincentius Beccarellus; necnon Prioratus S. Mariæ de Angelis propè & extra muros Bonon. Camaldulen. Ordinis, quem quondam Achilles Torfaninus, clerici ex conceſſione & ſeu diſpenſatione Apoſtolica in commendam dum viverent, obtinebant, commendis hujuſmodi per Philippi Cardinalis apud Sedem prædictam Alexandri Epiſcopi, ac Vincentii, necnō Achillis prædictorum extra Romanam Curiam defunctorum reſpectivè obitus ceſſantibus, adhuc eo quo ante commendas ipſas vacabant modo, & una Orationum nuncupata ejuſdem S. Antonii de Diola, ſeu Diolo, quem etiam bon. mem. Leonardus Epiſcopus Haulen. ex ſimili diſpenſatione, & altera plebania, etiam nuncupata ſine cura Eccleſiæ, ſeu Capellæ S. Joannis Evāgeliſtæ de Paſtino, alias de Paſto dictæ diœc. quam quondam Auguſtinus Bondiolus ipſius Eccleſiæ, ſeu Capellæ Sancti Joannis Rector plebanus nuncupatus, necnon perpetua etiam ſine Capellania ſub Sancti Lazari in Sancti Petri prope & extra muros terræ Guaſtallæ nullius diœc. Provinciæ Mediolan. quam quondam Auguſtinus Reſte ibidem perpetuus Capellanus, ac unum ſub Sanctæ Agathæ intus, & alterū perpetua ſimplicia Beneficia Eccleſiaſtica ſub Sanctorum Petri & Pauli invocationibus in Præpoſitura ſimiliter nuncupata ejuſdem S. Petri prope & extra muros oppidi Vitellianæ, ſeu Viadanæ, Cremonen. diœc. Parochialibus, vel aliis Eccleſiis, quæ quondam Herennius Perottus, Clericus in ultimò dictis duabus Eccleſiis perpetuus beneficiatus, dum viverent obtinebant; pro Leonardi Epiſcopi, qui extra dictam Curiam, & Auguſtini Reſte, qui in loco à dicta Curia ultra duas dietas legales non diſtante, ubi propriū ejus domicilium non exiſtebat, ac Auguſtini Bondioli, & Herennii prædictorum, qui apud Sedem eandem diem vitæ clauſerunt extremum, vacaverint & vacent ad præſens, Nulluſque de Prioratu S. Antonii, quatenus per dictam reſignationem vacet, ac

*Et ad ſummum Apoſt. aſſumptus, Collegium pro Scholaribus ex civitate Montis Alti indigenis, in Civitate Bonon. inſtituit.*

Eccleſia, ſeu Capella S. Joan. Evangeliſtæ, necnon Capellania & beneficiis præfatis, pro eo quod nos dudum omnes Prioratus, ac ſimplicia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſæcularia & quorumvis Ordinum regularia apud Sedem prædictam tunc vacantia & in antea vacatura. Ac etiam quorumcumque ad dictam Curiam pro quibuſvis negotiis venientium, ſeu ab ea recedentium, ac etiam Curialium recreationis, ſeu alia quacumque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præfertur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium ibidem non exiſteret, decedere contingeret, per eorum obitum hujuſmodi etiam vacatura, collationi, & diſpoſitioni reſervavimus, ac ex tunc irritum & inane decrevimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione & decreto hujuſmodi obſiſtentibus. *Ipſiuſque Prioratus S. Antonii in meditullio dictæ civitatis Bononienſis conſiſtentis ædes & ædificia jampridem juſſu noſtro à fundamentis eleganti, ac ſumptuoſo opere pro dicto Collegio Montis Alti ibidem ſtabiliendo, ſeu transferendo, ac illius Scholarium perpetuis uſu & habitatione reſtaurata & accommodata exiſtant. Nos pium & fructuoſum* opus hujuſmodi, quod dudum animo revoluimus, tandem ad debitum effectum perducere, congruiſque redditibus, ac ſpecialibus favoribus & privilegiis communire, neque hanc nobis oblatam ſubditorum noſtrorum commoditates & profectus procurandi & augendi occaſionem prætermittere volentes, ac Rectorem, Scholares, & ſingulares perſonas, ſi qui ſint Collegii hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes. Necnon emptionis & acquiſitionis ædium de Zambeccariis, & illarum retrovenditionis, ac quarumcumque erectionum & inſtitutionum ipſius Collegii Montis Alti, ſive in ædibus de Zambeccariis, aut Prioratu S. Antonii hujuſmodi, necnon unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, appropriationum, & conceſſionum eidem Collegio Montis Alti de prædictis & quibuſvis aliis Monaſteriis, Prioratibus, Eccleſiis & beneficiis, aliiſque rebus & bonis quibuſcumque hactenus quomodolibet factarum. Necnon literarum Apoſtolicarum, tam ſub plumbo quàm in forma Brevis, etiam in favorem Cameræ, ſeu Collegii hujuſmodi, & aliàs deſuper quomodolibet confectarum, ac poſſeſſionum ſubſecutarum, & quorumcumque inſtrumentorum deſuper quomodolibet celebratorum tenores, fructuumque inde perceptorum quantitates & valores, verumque & ultimum Monaſteriorum, Prioratuum, Eccleſiarum ſine cura, ſeu Capellarum, Capellaniæ & beneficiorum vacationis modum, etiãſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa, etiam per obitum apud Sedem prædictã reſultet. Necnon quarumcumque penſionum annuarum ſuper illorum, ſeu alicujus eorum fructibus, redditibus & proventibus, ſeu ipſorum fructuum, redditvum, & proventuum, etiam cum facultate illos, & illas transferendi, ac regreſſu, acceſſu, & ingreſſu ad Monaſteria, Prioratus, Eccleſias ſine cura, ſeu Capellas, Capellaniam & beneficia hujuſmodi, etiam per ceſſum vel deceſſum, ac in quoſcumque alios evẽtus reſervationum, ſi quæ ſint, ac facultatum tenores, & penſionum hujuſmodi quantitates, nominaque & cognomina, ac qualitates eorum, quibus penſiones, fructus, regreſſus, acceſſus, & ingreſſus hujuſmodi reſervati forſan exiſtunt, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes.

*Et beneficia hic expreſſa, quorum annui redditus ſunt ſcutorũ trium milliũ idcircò ſupprimit, aictoque Collegio unit, & aſſignat.*

§. 3. Motu proprio, non ad Rectoris & Scholarium prædictorum, vel quorumcumque aliorum ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſive Monaſteria & Prioratus, Eccleſiæ ſine cura, ſeu Capellæ, Capellania & beneficia prædicta, quorum inſimul & illis forſan annexorum fructus, redditus, & proventus, trium millium & ſexcentorum ducatorum auri de Camera ſecundum communem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, præmiſſis ſive aliis quibuſvis modis, & ex aliorum quorumcumque perſonis, ſeu per ſimilem Antonii vel liberas Leonardi Epiſcopi & Achillis, ac Auguſtini Reſſe, necnon Auguſtini Bondioli, & Herennii prædictorum, vel quorumvis aliorum de Prioratibus, Eccleſiis ſine cura, ſeu Capellis, Capellania & beneficiis prædictis, aut ceſſiones quorũvis de regimine & adminiſtratione Monaſteriorum hujuſmodi, in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram notario & teſtibus ſponte factas, aut Prioratus, Capellanias, & beneficia prædicta per aſſecutionem aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quavis auctoritate collatorum vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod illorum reſpectivè collatio & proviſio, juxta Lateran. Statuta Concilii, aut alias canonicas ſanctiones, ad Sedem præfatam legitimè devoluta, necnon Prioratus, Eccleſiæ ſine cura, ſeu Capellæ, Capellania & beneficia prædicta diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtant, & proviſio Monaſteriorum hujuſmodi ex quavis cauſa ad Sedem eandem ſpecialiter vel generaliter pertineat, & ad dictos Prioratus conſueverint qui per electionem aſſumi, eiſque cura, etiam juriſdictionalis immineat animarum, ac de ipſis Monaſteriis conſiſtorialiter diſponi cõſueverit, ſeu debeat, ac ſuper eorum regimine & adminiſtratione, necnon prioratibus, Eccleſiis ſine cura, ſeu Capellis, Capellania, & beneficiis prædictis inter aliquos lis, ſeu in eorum poſſeſſorio moleſtia, cujus litis ſtatum & merita cauſæ, ac nomina & cognomina Judicum & colligantium, eorumque, necnon Antonii & defunctorum prædictorum, ac quorumcumque aliorum proviſiones, commendas, conceſſiones, aliaque jura & titulos, etiam nullos & infectivos, cauſaſque illorum annullativas & infectivas, etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſis pendeat indeciſa, Prioratum videlicet S. Ant. prædictum, illiuſque nomen, titulum, & denominationem, ac quodcumque onus hoſpitalitatis ibidem forſan exercendæ, ac tam in eo quàm Monaſteriis & Prioratu S. Mariæ hujuſmodi, illorumque Eccleſiis, clauſtris, domibus, membris, ædificiis, & pertinentiis prædictos S. Auguſt. & S. Benedicti, ac Camaldulen. & ſi qui ſint alios Ordines, omnemque ſtatum, eſſentiam, & dependentiam regulares, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſupprimimus & extinguimus.

§. 4. Dictumque Collegium Montis Alti ex ædibus de Zambeccariis prædictis, quatenus ibidem erectum, ſeu inſtitutum dici vel cenſeri poſſit, cum omnibus & ſingulis illius privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus, indultis, favoribus & gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, necnon juribus, actionibus, proprietatibus, cenſibus, montibus, ſeu illorum locis & portionibus, ac fructibus, aliiſque rebus, & bonis illi conceſſis, & ſeu ad ejus uſum & commodum acquiſitis, unitis, applicatis, & appropriatis, ad dictum Prioratum S. Antonii ſic ſuppreſſum auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò transferimus, & ſeu illud de novo in ſuppreſſo Prioratu S. Antonii, illiuſque ædibus & ædificiis prædictis pro quinquaginta Scholaribus, quorum octo per ipſius Collegii Protectorem pro tempore exiſtentem undecumque ſibi placuerit, & alii octo per Montis Alti, & tres per Firman. & alii tres per Aſculan. necnon alii tres per Camerinen. & duo per Ripan. Communitates, aliique duo Offidæ, & alii duo per Montis Elpari, necnon alii duo per Montis Floræ, & alii duo per Sanctæ Victoriæ, & alii duo per Porchiæ, ſeu Porculæ, necnon alii duo per Montis novem, & alii duo per Patrignoni, aliique duo per Grottarum ad Mare, ac alii duo per Caſtignani, & ſimiliter duo per Forchias, alias Furcis, & alii duo per Montis Monachi, & reliquus per Cuſignani terrarum, ſeu oppidorum dictæ Provinciæ Univerſitates & homines ex ſuis civitatibus, terris, ſeu oppidis hujuſmodi, vel ſi tot ibidem idonei & apti non reperiantur, aliunde eorum reſpectivè arbitrio noſtro, non tamen extra dictam Provinciam eligi & nominari.

*Et pro quinquaginta Scholaribus quorum protector Collegii decumq; voluerit aliosque Civitatis Alti alios Univerſitates hic nata possint.*

§. 5. Sicque electi & nominati in eodem Collegio recipi, ac ibidem ſub unius Rectoris cura & gubernio ad ſeptennium, & non ultra ali, atque confoveri, ac in

*Studentium que all... no, ac ... Eccleſiam ſigillum ſam com... nem, ac ... inſignia Collegii ita ... ſignat.*

univerſitate

univerſitate Studii generalis ejuſdem Civitatis Bononien. artium & Theologiæ, necnon utriuſque juris & aliis ſtudiis, eis pro cujuſque capacitate præſcribendis, operam navare debeant, cum Capella, ſeu Eccleſia, Oratorio, Refectorio, menſa communi, ſigillo, bibliotheca, archivio, cæteriſque inſignibus Collegialibus, ac membris & officinis neceſſariis, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac militantis Eccleſiæ exaltationem, ſubditorumque noſtrorum prædictorum in literarum ſtudiis felicem progreſſum eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò erigimus & inſtituimus.

*[...]le Collegio gratias, [...]ia, & [...]legia, [...]ius con[...].*

§. 6. Idemque Collegium ſic tranſlatum, & ſeu de novo erectum in locum, jus, & actionem dicti Prioris Collegii quoad privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, cóceſſiones, indulta, favores, gratias, proprietates, cenſus, montes, loca, portiones, res, bona, & alia prædicta, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Collegio per præſentes erecto ſpecialiter & expreſsè ab initio conceſſa, unita, applicata & appropriata fuiſſent, ponimus, ſubſtituimus, & *ſubrogamus, ac erectionem & fundationem ſuppreſſi Prioratus hujuſmodi, necnon hoſpitalitatis in eo forſan ſervandæ, cæteraque onera illi quomodolibet incumbentia in dicti Collegii functiones, miniſteria & exercitia, ſalvis tamen anniverſariorum, Miſſarum, & divinorum Officiorum obligationibus & commiſſionibus,* ac piis defunctorum ſuffragiis conſuetis, ſi quæ ſint, ita ut illa per ipſius Collegii Capellanos, aut alias congruè adimpleri debeant, convertimus & commutamus, eidemque Collegio Montis Alti Eccleſiam ſuppreſſi Prioratus S. Antonii hujuſmodi, cum ſacriſtia, cæmeterio, campanis, crucibus, calicibus, patenis aureis, & argenteis, ac ornamentis, paramétis, aliaque ſacra & non ſacra ſupellectile in ea exiſtentibus, necnon ambitu, circuitu, clauſtro, domibus, ſtructuris, ædificiis, mébris, adhærentiis, annexis, & pertinentiis ſuis univerſis, auctoritate, & tenore ſimilibus pariter perpetuò concedimus & aſſignamus. Monaſteria verò & Prioratum S. Mariæ de Angelis, ac vacantes Eccleſias, ſeu Capellas, necnon Capellaniam & beneficia prædicta, omniaque & ſingula illorum, ac dicti ſuppreſſi Prioratus S. Antonii, & eis reſpectivè annexorum fructus, redditus, proventus, proprietates, domos, villas, terras, agros, poſſeſſiones, fundos, céſus, decimas, prata, paſcua, hortos, & alia bona quæcumque, cum juribus, juriſdictionibus, rebus, & pertinentiis ſuis quibuſcumque, etiamſi alias Monaſteria, Prioratus, Eccleſiæ, ſeu Capellæ vacātes, ac Capellania & beneficia prædicta, vel eorum aliqua, ipſi Collegio in priori illius erectione & inſtitutione hujuſmodi, vel poſtea quandocumque unita & annexa forſan reperiantur, ſine unionum & annexionum hujuſmodi; ac juris illarum vigore quæſiti præjudicio, ſed jus juri addendo & accumulando, atque antiquum conſervando, dictis auctoritate & tenore itidem perpetuò unimus, annectimus, incorporamus, applicamus & appropriamus. Ita quod liceat ipſius Collegii Montis Alti Rectori & Scholaribus pro tempore exiſtentibus, illorum omnium corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, per ſe vel alium, ſeu alios, eorum & dicti Collegii nominibus propria auctoritate, etiam abſque alicujus judicis mandato, decreto, aut miniſterio, ac ſpolii & attentatorum vitio, necnon alicujus cenſuræ vel pœnæ incurſu liberè apprehendere, aut jam etiam Cameræ, & ſeu Collegii hujuſmodi nominibus, etiam literis Apoſtolicis deſuper non expeditis apprehenſam continuare, & perpetuò retinere; eaque regere & adminiſtrare, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcumque inde provenientia percipere, exigere & levare, ac in ſuos, dictique Collegii & illius Eccleſiæ, ſeu Capellæ uſus, utilitatem, & neceſſitates convertere, necnon Monaſteriis, Prioratibus, Eccleſiis, Capellis, Capellaniæ, & beneficiis unitis per Presbyteros ſæculares, vel de ſuperiorum ſuorum licentia, cujuſvis Ordinis regulares, idoneos inibi juxta ſtatuta deſuper edenda ponendos & amovendos, in divinis deſerviri facere, diœceſanorum locorum, vel quorumvis aliorum licentia deſuper minimè requiſita.

*[...]legii præ[...]rum, ejuſ[...] bona & [...]ſonas ab*

§. 7. Inſuper Collegium Montis Alti hujuſmodi, illiuſque pro tempore exiſtentes Rectorem, Scholares, Capellanos, œconomos, Officiales, Miniſtros, & perſonas, ac bona mobilia & immobilia, præſentia & futura, cujuſcumque qualitatis & quantitatis exiſtentia, ac ubilibet conſiſtentia, ab omni juriſdictione, dominio, ſuperioritate & poteſtate pro tempore exiſtentium noſtri & dictæ Sedis in prædicta civitate Bonon. Legati de latere, & Archiepiſcopi Bononien. necnon Gubernatoris, Auditoris Turoni, Antianorum, Vexilliferi, Poteſtatis, Quadraginta virorum reformatorum, ac Regiminis & Senatus ipſius Civitatis Bonon. Necnon Rectoris Univerſitatis Studii generalis ejuſdem, aliorumque Legatorum, Archiepiſcoporum, Ordinariorum locorum, Gubernatorum, & Poteſtatum, eorumque Vicelegatorum, Locatenentium, officialium, Judicum, & quarumcumque aliarum perſonarum ubilibet conſtitutarum, ac quavis auctoritate & dignitate, tam Eccleſiaſtica quàm mundana, etiam Cardinalatus honore fulgentium, ac etiam aquis, fontibus & fluminibus præſidentium, ac eorum Curiarum & Tribunalium.

*Archiepiſcopi, & Legati Bononien. aliorumque Iudicum juriſdictione eximit.*

§. 8. Idemque Collegium ab Annatarum, quindenniorum, communium, minutorum, ac aliorum jurium & ſervitiorum dictæ Cameræ, & quibuſvis etiam S. R. E. Cardinalibus, & dictæ Curiæ officialibus, etiam in annatis, quindenniis, communibus, minutis, & alijs juribus prædictis & participantibus, eorumque Collegiis ratione prædictarum, & quarumcumque aliarum unionum, applicationum, & conceſſionum, eidem Collegio, & prædictis & quibuſcumque aliis Monaſteriis, Prioratibus, beneficiis, rebus, & bonis Eccleſiaſticis hactenus & deinceps quomodolibet pro tempore factarum, aut aliàs quomodolibet debitorum.

*Exemptionē quoque ab Annatarū, communium, & aliorum quorumcumque onerum ſolutione concedit.*

§. 9. Et tam ipſum Collegium in propriis ſuis bonis & rebus præſentibus & futuris; quàm illius ratione Rectorem, Scholares, Capellanos, Oeconomos, officiales & Miniſtros, ac cum eis contrahentes, & etiam pro parte atque portione colonica, quam ex proprietatibus & bonis ipſius Collegii pro tempore percipient, illius colonos, arrendatarios, cenſuarios, & emphyteutas, non tamen proprietarios, & bona hujuſmodi in emphyteuſim perpetuam, aut ultra tertiam nominationem, ſeu generationem, vel centum annos poſſidentes, à quorumcumque pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, bullettinorum, tallearum, cuſtodiarum, taxarum, equorum, tam vivorum quàm mortuorum, quatreni carnis, portus Antonitani, tertiarum unius ſcuti & medii reſpectivè pro centenario, quartarum, collectarum, præbendarum, ponderum, molendinorum ſæcularium, paſcuorum, herbaticorum, pecudum & aliorum animalium, fictuum & ſubſidiorum, etiam triennalium, charitativorum, ac quorumcumque aliorum ſimilium vel diſſimilium onerum & gravaminum, tam ordinariorum quam extraordinariorum, ac realium, perſonalium, & mixtorum quibuſcumque nominibus & vocabulis nuncupatorum, etiam hic de neceſſitate exprimendorum, per nos & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores & ſucceſſores noſtros, ac Sedem & Cameram prædictas, ipſiuſque Sedis Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Commiſſarios & quoſcumque alios, quavis auctoritate & poteſtate fungentes, etiam pro orthodoxæ fidei defenſione, ac Status Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſervatione, divinique cultus augmento, necnon Baſilicæ Principis Apoſtolorum Fabrica, Cruciata ſancta, ac expeditione contra infideles & rebelles, necnon Eccleſiarum, murorum, pontium, viarum, & ſtratarum conſtructione & reſtauratione, ac aquarum, fontium, & fluminum deductione, pauperumque ſubventione, necnon Sedis & Cameræ prædictarum neceſſitatibus, ac ex quibuſcūque aliis cogitatis, inexcogitatis, etiam quantumvis maximis, urgentiſſimis, & privilegiatis cauſis, etiam Sedis & Cameræ earundem, ac quarumcumque Provinciarum, civitatum, & terrarum, publicam utilitatem & commoditatem concernentibus, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, nunc & pro tempore quomodolibet impoſitorum & imponendorum, etiam à quibuſcumque aliis ſimilibus Collegiis, ac Hoſpitalibus & piis locis, quovis exemptionis privilegio gaudentibus, exigi & præſtari ſolitorum, etiam ratione carnium, vinorum, granorum, frumentorum, hordeorum, leguminum, frugum, lignorum, pannorum, librorum, cartharum,

*Idem Collegium in propriis bonis, illiuſque Rectores, Scholares, officiales omnes, & cum eis contrahentes, à pedagiorum & impoſitionum, ac ſubſidiorum ſolutione eximit.*

faciuæ, & quarumcumque aliarum rerum ad dicti Collegii Montis Alti, & illius Eccleſiæ, ſeu Capellæ, ac Rectoris, Scholarium, Capellanorum, Oeconomorum, Officialium, Miniſtrorum, & perſonarum pro tempore exiſtentium uſum, in quantumvis magna ſumma, & quantitate emendorum, ac etiam ex toto Statu Eccleſiaſtico, & quibuſvis Provinciis, Civitatibus, terris, & locis, tam intus quam extra dictum Statum conſiſtentibus, ſive per terram, ſive per mare, & aquam dulcem, & alias quomodolibet conducendorum, cujuſcumque generis, quantitatis, qualitatis, valoris, & ſpeciei fuerint, exactione, ſolutione, præſtatione & contributione, necnon quorumcumque aliorum, etiam juxta Concilii Trid. decreta ubilibet inſtitutorum & inſtituẽdorum Collegiorum vel Seminariorum puerorum Eccleſiaſticorum, & alias quomodolibet nuncupatorum, & qualificatorum, ac Hoſpitalium & piorum locorum ſubventione, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò eximimus & liberamus, ac ſub B. Petri & dictæ Sedis, atque noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis protectione ſuſcipimus, nobiſque & eidem Sedi immediatè ſubjicimus. Ac exemptionem, liberationem, ſuſceptionem & ſubjectionem hujuſmodi in quocumque foro & tribunali, ac dicta Camera, etiam reſpectu cujuſcumque ſolutionis illi faciendæ, ſemper favorabiles cenſeri debere, & de illis in quacumque cauſa, lite, & controverſia eam interpretationem extenſivam habendam eſſe, quæ pro alia quantumvis pia & privilegiata, ac ad pios uſus deſtinata & applicata cauſa fieri poſſet, declaramus.

*Privilegia Studii & piorum locorum Bononiæ Collegio elargitur.*

§. 10. Ipſi quoque Collegio Montis Alti, ac illius Rectori, Scholaribus, Capellanis, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris, perſonis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, favoribus, cæteriſque gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus Univerſitas Studii generalis Bononien. hujuſmodi, necnon alia collegia, & pia loca in dicta civitate Bonon. inſtituta, illorumque Rectores, Scholares, Capellani, Oeconomi, Officiales, Miniſtri, & perſonæ de jure vel conſuetudine, aut ex privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, ac pariformiter, in omnibus & per omnia uti, potiri, & gaudere.

*Ipſis etiam & eorum colonis & conductoribus, & emphyteutis frumenta & fruges, ex poſſeſſionibus d. Collegii, & de omnibus locis Status Eccleſiaſtici, abſque licentia & ſolutione extrahẽdi ubique in d. Statu, & vendendi auctoritatem concedit. Tu vide conſtit. 10. S. D. N. Pauli V.*

§. 11. Necnon tam ipſi quàm eorum coloni, arrendatarii, livellarii, conductores, & emphyteutæ præfati, vinum, triticum, hordeum, legumina, blada, frumenta & cujuſvis generis fruges, ac grana, ex quibuſcũque proprietatibus, poſſeſſionibus & bonis dicti Collegii, illiuſque membrorum & connexorum quorumcumque provenientia, de quibuſcumque Provinciis, terris & locis, nobis & Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubjectis, cujuſvis licẽtia deſuper minimè requiſita, & abſque alicujus pecuniæ, vel alterius rei ſolutione, & præſtatione propterea facienda, aut cenſuræ, vel pœnæ incurſu extrahere, & extrahi facere, ac ad dictum Collegium pro illius uſu conducere, & etiam illa in dicta civitate Bononien. illiuſque comitatu, necnon univerſo Statu Eccleſiaſtico vendere, diſtrahere, & de illis ad eorum libitum diſponere liberè & licitè valeant, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò indulgemus. Diſtrictiùs quoque in virtute ſanctæ obedientiæ inhibemus Legatis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis, necnon Gubernatoribus, Auditoribus, Antianis, Vexillifero, Poteſtati, Quadraginta viris, Reformatoribus, Regimini, Senatui, Vicelegatis, Locatenentibus, Vicariis, Officialibus, Judicibus, & aliis præfatis, ejuſdemque S. Romanæ Eccleſiæ Camerario, ac dictæ Cameræ Theſaurario, Clericis, Præſidentibus & Commiſſario, necnon Annonæ Præfectis, ac pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, bollettinorum, decimarum, tallearum, taxarum & aliorum onerum, ac ſubſidiorum prædictorum Appaltatoribus, dohaneriis, exactoribus, datiariis, ac quibuſvis aliis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, ac quacumque auctoritate & poteſtate fungentibus, ne quorumcumque privilegiorum, indultorum, & literarum eis ſub quibuſvis tenoribus & formis conceſſorum & concedendorum, ſeu etiam Annonæ vel abundantiæ cujuſvis neceſſitatis, vel quovis alio prætextu, Collegium Montis Alti, illiuſque Rectorem, Scholares, Capellanos, Oeconomos, Officiales, Miniſtros, & perſonas hujuſmodi, ſeu eorum aliquem, ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtare, perturbare, vel inquietare audeant, ſeu præſumant.

*Protect... & Indi... d. Colleg... Cardin. ... Monte ... & poſt ... alios ... parentela ... ſin ... antiqu... Cardin. ... Provinc... Marchiæ ... ſi nullus ... rit, ... Card. ... legio, ... nandum ... nunc ... tuit.*

§. 12. Ut autem ipſius Collegii Montis Alti bono regimini, gubernio, & conſervationi opportunè conſulatur, dilectum filium noſtrum Alexandrum S. Euſtachii diaconum Cardinalem de Monte Alto nuncupatum, ex ſorore germana ſecundùm carnem pronepotem noſtrum, & eo vita functo, alium ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ex noſtra familia & parentela, vel in ejus defectum ex dicta Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum antiquiorem Cardinalem, ſeu, ſi nullus fuerit, alium ex ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quem Rector & Scholares præfati, ſeu eorum major pars duxerint eligendum, ejuſdem Collegii Montis Alti, illiuſque perſonarum, rerum, bonorum, jurium, & privilegiorum Protectorem, defenſorem & conſervatorem, ac judicem ordinarium, cujus conſilio & ope omnia ſupradicta, & quæcumque alia in iis, & circa ea neceſſaria & opportuna ſtatuantur & ordinentur, conſtituimus & deputamus.

*Prote... facultas ... ficiales ... putandi.*

§. 13. Necnon Alexandro Cardinali, ac pro tempore exiſtenti Protectori Collegii Montis Alti hujuſmodi, illius Rectorem, Capellanos, Oeconomos, Officiales, Advocatos, Procuratores, cæteroſque miniſtros deputandi & amovendi, ac loco amovendorum alios ſufficiendi.

*Statuta ... dendi.*

§. 14. Necnon quæcumque ſtatuta & ordinationes, Capitula & decreta ad ejuſdem Collegii Montis Alti, illiuſque perſonarum, rerum & bonorum ſpiritualium & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, ac Scholarium prædictorum receptionem, & admiſſionem, ætatem, qualitates, victum, amictum, inſtructionem, diſciplinam, & ſtudii curſum pertinentia, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus & dicti Concilii decretis non contraria, quæ eo ipſo Apoſtolica auctoritate prædicta confirmata & approbata ſint & eſſe cenſeantur, & ab omnibus ad quos pro tempore ſpectabit, etiam ſub pœnis in contravenientes ſtatuendis obſervari debeant, faciendi & edendi, ac illa quoties pro eorum & temporum qualitate, ſeu aliàs expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, & etiam alia ex integro condendi.

*Lites ... legium, ... que p... nas, & ... concernentes, tam ... vè quàm paſſivè, ... contra ... Collegia ... pia loca ... gis privi... giata, ... cognoſcendi.*

§. 15. Omneſque & ſingulas lites, cauſas & differentias, tã civiles quàm criminales, ac mixtas dictum Collegium Montis Alti, illiuſque res, bona & perſonas quomodolibet concernentes, tam activè quàm paſſivè, etiam contra alia Collegia, & pia loca, etiam æquè vel magis privilegiata, eorumque res, bona, & perſonas, vel è converſo, ac ultro citroque ad invicem, vel aliàs quomodolibet motas & movendas, ac etiam per appellationem, & in quacumque inſtantia coram quibuſvis Judicibus introductas & indeciſas pendentes, etiam illas ab ipſis Judicibus avocando, per ſe vel ejus Viceprotectorem, aut alium, ſeu alios quos ad hoc duxerit deputandos, etiam ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, ſed ſola facti veritate inſpecta, ac etiam manu Regia, cùm omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ac toto negotio principali, etiam privativè quoad omnes & ſingulos alios Judices ordinarios & delegatos, eorumque curias & tribunalia, Eccleſiaſtica vel ſæcularia, audiendi, cognoſcendi & fine debito terminandi.

*Judicibus ... aliis inhi... di, & in... dientes ... cendi.*

§. 16. Necnon quoſcumque intereſſe habentes, tam in dicta Curia quàm extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi ſummariè de non tuto acceſſu, citandi, & quibuſvis, etiam ejuſdem Curiæ Judicibus & perſonis, quibus & quoties opus fuerit, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis, de quibus ei videbitur inhibendi, & in eventum non paritionis ad declarationem incurſus ſententiarum, cenſurarum, & pœnarum hujuſmodi procedendi, ac ſententias deſuper ferendas debitæ executioni demandandi, ſeu demandari faciendi, contradictores quoſlibet & rebelles per ſimiles ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque opportuna

opportuna juris & facti remedia compeſcendi, ac etiam auxilium brachii ſæcularis ad hoc invocandi.

§. 17. Necnon quæcumque dubia & difficultates, ſi quæ præmiſſorum occaſione quomodolibet oriri contigerit, declarandi & interpretandi, omniaque & ſingula eiſdem præmiſſis, & circa eas quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, etiam omni & quacumque appellatione remota, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem pariter perpetuò tribuimus & elargimur.

§.18. Decernentes præſentes literas & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore, etiam pro eo quod cauſæ propter quas hæc omnia facta fuerint, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam à Sede prædicta delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac ipſorum Monaſteriorum, Prioratuum, & Ordinum Superiores, & quicumque alii intereſſe habentes ad id vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſive aliàs ex quibuſcumque cauſis quantumvis legitimis, & juridicis, de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, vel adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum, etiam ſuppreſſionum, unionum, & applicationum, effectum ſuum plenarium nondum ſortitarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, etiam in craſtinum aſſumptionis ipſorum ſucceſſorum ad ſummi Apoſtolatus apicem, ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus & formis, etiam motu, ſcientia, poteſtatis plenitudine ſimilibus pro tempore factis comprehendi, ſed tanquam pro fundatione, & ſeu dotatione dicti Collegii Montis Alti ad bonarum artium cultum Inſtituti conceſſa minimè comprehendi, ac ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtituta, repoſita & plenariè reintegrata, ac de novo, etiam ſub dat. per Protectorem, Rectorem, & Scholares pro tempore exiſtentes præfatos quandocumque eligenda de novo conceſſa fore & eſſe, ſuumque plenarium effectum ſortiri debere, nec quenquam ad eaſdem præſentes literas in Camera præfata, juxta conſtitutionem piæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aut aliàs quandocumque præſentandum, inſinuandum, & regiſtrari faciendum teneri, neque illas propterea irritas, ſed omninò valere & ſuffragari, perinde ac ſi conſtitutio prædicta, vel alia contraria minimè emanaſſent.

§.19. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari ac definiri debere: necnon quoad ſuppreſſum Prioratum S. Antonii, quatenus per reſignationem prædictam vacaverit, & Eccleſiam, ſeu Capellam Sancti Joannis Baptiſtæ, ac Capellaniam & beneficia hujuſmodi, prout ibi attentatum forſan eſt hactenus vel in poſterum; quo verò ad Monaſteria ac Prioratum B. Mariæ, & Eccleſiam, ſeu Capellam S. Ant. de Diola, ſeu Diolo, omniaque alia præmiſſa, etſi alias quàm per dictam reſignationem vacet ſuppreſſus Prioratus hujuſmodi, ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores ... conſti-...nis de-...as, & fa-...ltates con-...dit.*

§. 20. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Bononienſi, & Epiſcopo Montis Alti, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore exiſtentium Protectoris, Rectoris, Scholarium, Capellanorum, Oeconomorum & perſonarum Collegii, ac aliorum intereſſe habentium prædictorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ac pro tempore exiſtentes Protectorem, Rectorem, Scholares, Capellanos, Oeconomos, & perſonas Collegii hujuſmodi, ac alios intereſſe habentes illis pacificè frui & gaudere, non permittentes ipſos vel eorum quempiam per quoſcumque deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.21. Non obſtantibus præmiſſis ac felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi, etiam prædeceſſoris noſtri, etiam qua cavetur expreſſè ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati, extra civitatem vel diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac noſtris de non tollendo jure quæſito, & unionibus ad partes committendis, vocatis quorum intereſt, & exprimendo valore, etiam beneficii cui aliud uniri petitur, ac Lateranenſis & aliorum, etiam generalium & ultimò celebratorum Conciliorum, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri, ac etiam beneficia unius diœceſis cum aliis beneficiis, Eccleſiis, Collegiis, vel locis alterius diœceſis uniri prohibentium, ac rec. mem. *Clauſulas derogatorias ...nendis.*

Pauli Secundi & Pauli Quarti, aliorumque Romanorum Pontificum ſimiliter prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & alienatis recuperandis. Necnon prædicti Pii de gratiis intereſſe dictæ Cameræ concernentibus infra certum tunc expreſſum tempus in ea regiſtrandis, ac ſanctæ mem. Julii Secundi, ac Julii Tertii pariter Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, contra apprehendentes poſſeſſionem bonorum prætextu quarumcumque gratiarum, ſuper quibus literæ Apoſtolicæ integraliter expeditæ non fuerint; aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, ſynodalibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Cameræ, Urbis, civitatum, Provinciarum, locorum, Monaſteriorum, etiam Sancti Antonii de Sancto Antonio, à quo primò dictus Prioratus dependet, Prioratuum & Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Dilecto filio noſtro Gabrieli tit. Sancti Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali Paleotto nuncupato, ſuper Monaſteriis, Prioratibus, Præpoſituris, dignitatibus, cæteriſque beneficiis Eccleſiaſt. in civitate & diœceſi Bononien. conſiſtentibus, ad ejus collationem, proviſionem, vel quamvis aliam diſpoſitionem ratione Eccleſiæ Bononien. cui ex diſpenſatione Apoſtolica præſidet, vel aliàs quomodolibet pertinentibus, non niſi per eum vel Vicarium ab eo deputatum, ſeu de ipſius Gabrielis Cardinalis conſenſu conferendo, ſeu quod de illis provideri vel diſponi aliter non poſſit. Necnon Legatis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ordinariis, Gubernatoribus, Auditoribus, Antianis, Vexillifero, Poteſtatibus, Quadragintaviris, reformatoribus, regimini, Statui, Senatui, Vicelegatis, Locatenentibus, Vicariis, Officialibus, Judicibus, Camerario, Præſidentibus, Clericis, Theſaurariis, Commiſſariis, Appaltatoribus, Dohaneriis, Datiariis, Præfectis, Exactoribus, & aliis perſonis prædictis, necnon ipſius Bononien. aliarumque civitatum & locorum Communitatibus, Univerſitatibus, & hominibus; necnon Cameræ, Urbi, Civitatibus, Provinciis, oppidis,

*Hanc Pauli IV. conſt. & alias ſimiles indicavi in ipſius cõſt. 1.*

*locis, [illegible]ſteriis, Prioratibus & ordinibus prædictis, ipſorumque Monaſteriorum, Prioratuum, & Ordinum Abbatibus, Superioribus, Conventibus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & [illegible], ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, [illegible]que efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis in genere vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum inſtantiam, vel eorum contemplatione & intuitu, ac alias quomodolibet, etiam iteratis & multiplicatis vicibus, etiam contra exemptos* conceſſis, approbatis, & innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſsè quod illis, etiamſi vigore clauſulæ implicitæ derogationis latiſſimè extendendæ, ultra quam in ſuppoſitione deſuper ſignatà expreſſum fuerit, etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, etiam quaſvis clauſulas, generales vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia & alia decreta, ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, nullatenus [illegible]gari, neque derogatum cenſeri poſſit, niſi illorum tenores [illegible] verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſerti, ac hujuſmodi derogationes conſiſtorialiter, & de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, ac cum expreſſionibus cauſarum in hujuſmodi privilegiis & indultis, ac deſuper confectis literis expreſſarum factæ, & per trinas literas eundem tenorem in ſe continentes, tribus diſtinctis vicibus iis quorum intereſt legitimè intimatæ & inſinuatæ fuerint, ac demum ipſorum intereſſe habentium ad id expreſſus acceſſerit aſſenſus, & aliter factæ derogationes nemini ſuffragentur. Quibus omnibus, etiamſi alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores & formas, ac cauſas propter quas conceſſa fuerunt, necnon decreta in illis appoſita præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac ſufficienter derogatum eſſe, & cenſeri decernimus, ita ut contraria quæcumque nullatenus obſtent, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Prioratibus, ac hujuſmodi ſpeciales vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque ad Monaſteria, Prioratus, Eccleſias ſine cura, ſeu Capellas, Capellaniam & beneficia hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Prioratuum, ſeu beneficiorum aliorum præjudicium generari, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Et quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo quod propter poſteriores unionem, annexionem, incorporationem noſtras prædictas, Monaſteria in ſpiritualibus non lædantur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineant, ac Prioratus S. Mariæ, Eccleſiæ ſine cura, ſeu Capellæ, Capellania & beneficia hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis, ſi qua illis immineat, nullatenus negligatur, ſed illorum, ac Monaſteriorum prædictorum congruè ſupportentur onera conſueta.

Nulli ergo, &c.

*Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1588. 15. Kalend. Decembris, Pontific. noſtri anno quarto.* D. P. A. die 17.

---

XC

## Fructus beneficiorum Regni Neapolis, tempore obitus Beneficiatorum, qui cum Camera Apoſtolica ſuper ſpoliis tranſegerunt, pendentes, vel non exacti, non ad eorum hæredes vel Capitulum & Clerum, ſed ad ipſam Cameram ſpectant.

*Ad materiam Spoliorum vide ſup. conſtitut. 7. Julii III.* Cùm ſicut, *tom. 1. cum aliis ibi indicatis.*

*SIXTUS PAPA QUINTUS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita A... 1588.

CUm ſicut accepimus variæ dubitationes, ac etiam contentiones inter modernum, & pro tempore exiſtentem noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Nuntium in Regno Neapolitano ex una, & Clerum ſingularum civitatum & diœceſum ejuſdem Regni, qui ſuper ſpoliis Clericorum & Presbyterorum beneficiatorum, ac aliorum dicti Regni ab humanis pro tempore decedentium, cum nobis & Camera noſtra Apoſtolica tranſegerunt, & concordarunt, eorumque hæredes, prætendentes fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum, Clericorum & Presbyterorum d. Regni ab humanis pro tempore decedentium tempore eorum obitus pendentes, & maturatos, ac etiam à ſolo minimè ſeparatos, ſeu à quibus id contingit nondum exactos ad clerum, ſeu capitulum, vel hæredes beneficiatorum hujuſmodi, non autem Cameram prædictam ſpectare, quanvis in cedulis tranſactionum ſuper ſpoliis hujuſmodi mentis intentioniſque noſtræ fuerit eoſdem fructus pendentes, quorumcumque benef. Eccleſiaſt. in quovis menſe pro tempore vacantium, etiam juxta fel. rec. Julii Papæ III. prædeceſſoris noſtri conſtitutionem deſuper editam, eidem Cameræ noſtræ reſervare, eoſque à die obitus beneficiatorum, uſque ad diem captæ poſſeſſionis per illorum ſucceſſores in dictis beneficiis decurrendos, eidem Cam. applicare, in dies oriri ſoleant.

Dubit... tum ... ſpolia in Regno Neap... an ſcilic... fructus beneficiorum pendentes, ... non exa... ſpectent a... Cam. Ap...

§. 1. Nos igitur pro noſtri Paſtoralis officii munere dubitationes & contentiones, ſeu controverſiam hujuſmodi è medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, omnes & ſingulos fructus, redditus, & proventus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & etiam quorumvis Ordinum Regularium in dicto Regno conſiſtentium, etiam in quocumque menſe pro tempore vacantium, tam ante obitum illorum poſſeſſorum pendentes, & maturatos, ac etiam à ſolo minimè ſeparatos, ſeu nondum exactos, quàm etiam poſt eorum obitum uſque ad diem captæ poſſeſſionis dictorum beneficiorum per ſucceſſores in eis maturandos, & ſeu decurrendos, pro rata temporis à die adeptæ poſſeſſi[illegible]s eorundem beneficiorum, ad ipſam Cameram noſtram ſpectare, illoſque eidem Cameræ ap[illegible]os eſſe, & illos per venerabilem [illegible]em Marcu[illegible]onium Epiſcopum Fulginatenſem, modernum & pro tempore exiſtentem Nuntium Apoſtolicum in Regno prædicto, pro eadem Camera, & ejus nomine percipi, exigi, & levari, ac etiam pro faciliori illorum exactione, ſi videbitur in fine anni, cum ſucceſſoribus in dictis beneficiis computandi, dividendi, & illorum ſic diviſorum, quemlibet eorundem Notarii, ſeu ab eo deputatorum commiſſariorum in dictis beneficiis ſucceſſorum ratas partes modo & forma præmiſſis in dictis beneficiis reſpectivè tangentes, etiam percipere, exigere, & levare poſſe & debere declaramus. Ac de cætero perpetuis futuris temporibus, ita & non aliter in præmiſſis obſervari volumus, ac etiam perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

Declar... & deciſ... prædicti ... bii, ad ... vorem Ca... meræ.

§. 2. Omneſque & ſingulas lites, cauſas, quæſtiones, & controverſias ſuper præmiſſis fructibus, & illorum perceptione

Litium ... tinctio.

perceptione inter ipſum nuntium ex una, & quoſvis Clericos hæredes, & ſucceſſores dictorum beneficiatorũ defunctorum, coram quibuſvis Judicibus, etiam ordinariis & delegatis hactenus quomodolibet introductas, & adhuc indeciſas pendentes, partibus ex altera, in eiſdem ſtatu & terminis in quibus reperiuntur, ab eiſdem judicibus ad nos advocamus, illaſque penitus extinguimus & annullamus, ſicque per quoſcumque judices, &c.

§. 3. Non obſtantibus litis pendentia, & aliis præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra de non tollendo jure quæſito, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 1. Januarii 1589. Pontificatus noſtri anno 4.

---

## CI. Contra Clericos malè aut ſimoniacè promotos, & Epiſcopos, & alios in Ordinum collatione peccantes.

*Contra hos malè promotos habes etiam conſt. 7. Pii II.* Cum ex. *Hæc autem Bulla ad terminos ſacrorum Canonum, & dicta Pii II. & Conc. Trid. (præterquam quoad ſimoniacè promotos & promoventes) reducta fuit à Clem. VIII. infra in ejus conſtitut.* 40. Romanum.

Non diſſimilem contra malè ad ſacros, vel minores Ordines, ſeu Clericalem characterem ordinantes, vel malè ordinatos, edidit conſt. S. D. N. Urb. VIII. quæ eſt inf. tom. 4. n. 33. incipiens, *Secretis.*

*SIXTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SAnctum & ſalutare ſacri ordinis Sacramentum ab ipſo Domino & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto inſtitutum, beatiſque Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus ſingulari divinæ bonitatis munere traditum, ita ad Dei omnipotentis gloriam, ſalutemque animarum ſanctè ac religioſè adminiſtrari decet, ut quæ vel ex typo & figura veteris legis, vel alias ex multa Sanctorum Patrum providentia, circa ordinandorum natales, ætatem, vitæ ac morum probitatem, ſanctitatem, ſcientiam, & alias qualitates in ſacris ordinationibus requiſitas, per ſacros Canones, vel Apoſtolicas conſtitutiones, aut generalium Conciliorum decreta ſalubriter ſtatuta fuerunt, ea inviolatè obſerventur. Nam ſi in veteri Teſtamento tam multa de integritate & munditia Sacerdotum & miniſtrorum Altaris, deque eorum præſtantia & dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiam Prophetam: Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt; certè multò major ratio & diligentia adhibenda erit in promovendis tam inferiorum graduum clericis, quàm etiam presbyteris, qui ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti conſtituuntur, prout de his ipſis & divino verbo & Beatorum Apoſtolorum præceptis, ac ſimul Sanctorum Patrum ſtatutis ſæpiſſimè traditum eſt.

§. 1. Quare nos pro ea quæ nobis à Domino injuncta eſt cunctarum Eccleſiarum cura & ſollicitudine, ipſos Paſtores & Præſules Eccleſiarum, quorum proprium munus eſt perſonas idoneas Clericali militiæ adſcribere, & ad minores majoreſque ordines ritè promovere, auctoritate noſtra duximus admonendos, ut in exequendo hac in parte ſuo paſtorali officio attentiùs poſthac invigilent, canonicas ſanctiones, ut par eſt, obſervent, ac ut nemini detur offenſionis occaſio, neve eorum miniſteriũ vituperetur, ſtudeant vitare ea omnia ſcandala & abſurda, quæ ex vitioſa & minus canonica Clericorum ordinatione cernimus cum magno animi noſtri dolore frequentius exoriri. Cum enim multi etiam interdum inhabiles & indigni, non vocati ſancta Dei vocatione, ſed potius Satanæ dolis decepti, prætextu devotionis & pietatis, rem quidem ſacram & divinum munus, intempeſtivè tamen & inordinatè affectantes, ſeu temporale aliquod commodum aut lucrum ſibi proponentes, vel nimia ſimplicitate & imperitia, malitiave aut fraude ad ſuſcipiendum Clericalem characterem, alioſque ordines ante ætatem legitimam, vel à non ſuo Epiſcopo, aut non prævio debito examine & approbatione, ſive alias minus ritè, vel etiam temerè ſe ingerant. Debent ſanè Epiſcopi paterna charitate & prudentia eorum ſaluti, qui ſæpè neſciunt quid petant, melius etiam quàm ipſimet poſtulant, & ſalubrius conſulere, nec tam quid flagitent, quàm quid expediat conſiderare; ſumma verò diligentia providere, tum in alienæ diœceſis ſubditis ordinandis, ne quemquam promoveant ſine eorum Ordinarii literis dimiſſoriis, tum in recognoſcendis ipſis literis, ne falsò aut ab aliquo, qui auctoritatem illas concedendi non habeat, confectæ ſint, tam denique in examinandis natalibus, ætate, vita, moribus, ſcientia, idoneitate, titulo, & reliquis qualitatibus, ne quid in ſuæ vel alienæ diœc. perſonis ad Clericalem honorem & Eccleſiaſticos ordines promovendis deſideretur eorum, quæ ex præſcripto ſacrorum Canonum requiruntur.

§. 2. Ut igitur Præſules Eccleſiarum intelligant, ſi in re tam gravi & tanti momenti, culpa aut negligentia peccaverint, ſe non modò in tremendo Dei judicio, verùm in hoc quoque ſæculo Rom. Pontifici ſuæ villicationis rationem fore reddituros, præſenti conſtitutione perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ut ſi in poſterum Antiſtes aliquis, Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas ad primam tonſuram, minoreſque ordines ſuis ſubditis conferendos à Sede Apoſtolica auctoritatem habens, quemcumque ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis, aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, ſeu aliàs inhabilem vel irregularem exiſtentem, vel extra tempora à jure ſtatuta, vel abſque veris dimiſſoriis ſui Ordinarii literis, aut per ſaltum, vel furtivè, aut quoad ſæculares ſine titulo ſufficientis beneficii, vel patrimonii, aut ante ætatem per ſacri generalis Trid. Concilii decreta primæ tonſuræ, ac cuique ordini præſcriptam, aut non ſervatis temporum interſtitiis, ita ut aliquis unico die, ſeu continuatis diebus ad plures ordines ſacros, vel poſt unum ordinem ſuſceptum ſine cauſa rationabili, antequam tempus ab eodem Concilio Tridentino præfixum elabatur, ad alium ordinem promoveatur, ſine diſpenſatione, aut indulto Apoſtolico, Clericali charactere non legitimè inſigniverit, aut ad ordines minores vel ſacros, ut præfertur, vel alias malè promoverit, ſive id ſcienter, ſive ignoranter fecerit, niſi debita diligentia adhibita juſtus error, & probabilis facti ignorantia eum excuſet, ut in quo deliquit in eo puniatur, à quorumcumque ordinum atque adeò ipſius tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtat, aliiſque gravioribus pœnis noſtro & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. arbitrio puniatur. Quod ſi ſpreta hujuſmodi ſuſpenſione & interdicto, in præmiſſis ſe temerè ingeſſerit, etiam à regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, & à perceptione fructuum menſæ ejuſdem, ac quorumcumque beneficiorum per eum in titulum vel commendam, ſeu aliàs obtentorum, ſuſpenſionem eo ipſo incurrat; ejuſque interdicti, aut ſuſpenſionis relaxationem, aut pœnarum remiſſionem ab alio quàm à Rom. Pont. pro tempore exiſtente nequeat obtinere. *Pœna Epiſcopi, vel alterius malè aliquos promoventis.*

§. 3. Et nihilominus felic. record. Pii II. & aliorum Rom. Pontificum noſtrorum prædeceſſorum, qui per ſuas conſtitutiones, aut in Cancellaria Apoſtolica publicatas regulas, contra hujuſmodi clericos malè promotos diverſas pœnas inflixerunt, veſtigiis inhærentes, eoſdem clericos poſthac malè promotos, ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus; & ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic irregulares effectos, omnibus & quibuſcumque per eos, in titulum, commendam, aut aliàs obtentis dignitatibus, officiis & beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura, quomodocumque qualificatis; ſæcularibus *Pœnà malè promotorum. Tu vide bullas hic citatas in rubr.*

vel

vel cujuſvis Ordinis, aut militiæ regularibus, ac etiam ſi ipſi clerici regulares fuerint, activa & paſſiva voce ipſo facto privamus, & iis privatos, atque ad illa & alia ſimilia vel diſſimilia in poſterum obtinenda in perpetuum inhabiles & incapaces eſſe decernimus & declaramus, dignitatum, officiorum & beneficiorum hujuſmodi ſic pro tempore vacantium diſpoſitionem nobis, & Apoſt. Sedi perpetuò reſervantes.

*Reformatio pro Summo Pontifice facultatis abſolvendi cōtravenientes, præterquam in mortis articulo, & etiam ſuper irregularitate diſpenſandi.*

§.4. Ut autem homines, qui nimia indulgentia & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate hactenus fuerunt ad hujuſmodi facinora procliviores, ea ſublata & præcluſa, ab his abſtineant & caveant in futurum, tam abſolvendi quam diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperiùs expreſſis, etiam in foro conſcientiæ, Nobis & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat auctoritate & tenore præmiſſis perpetuò reſervamus. Inhibentes ne à quoquam ſæculari, vel cujuſvis Ordinis regulari Presbytero vel Prælato, quavis auctoritate fungente, nec per quæcumque Jubilæa & Indulgentias, etiam pleniſſimas & extraordinarias per noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos vel ſucceſſores noſtros, anno Jubilæi, aut alio quovis tempore & Cruciatæ ſanctæ, vel quocumque alio titulo, modo & forma, Motu proprio & conſiſtorialiter, ſeu ad quorumcumque Principum, Regum, aut Imperatoris inſtantiam, eorumve contemplatione & intuitu, cum quibuſvis ampliſſimis, in genere vel in ſpecie derogatoriis clauſulis conceſſa vel in poſterum concedenda, nec vigore, aut prætextu facultatum, aut privilegiorum, I' remagitum, aut aliàs quomodolibet nuncupatorum, quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, aut perſonis regularibus, aut Epiſcopis, per decreta Concil. Trid. aut officio ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, vel minoribus, aut etiam Majori Pœnitentiariis noſtris, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis, vel aliàs quomodolibet pro tempore conceſſorum perſonæ ſic ut præfertur delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites, ſeu Abbates promoventes, quàm Clerici malè inſigniti, ſeu ordinati, à reatibus & exceſſibus præfatis abſolvi, præterquam in mortis articulo poſſint, aut debeant. Nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contracta, etiamſi crimen penitus occultum fuerit, quovis modo valeat diſpenſari.

*Forma petendi abſolutionem, & diſpenſationem à Rom. Pont. & prohibitio eas petendi per officium ſacra Pœnitentiaria.*

§. 5. Verùm enimverò quia gravioribus morbis fortiora ſunt adhibenda remedia, & juxta perſonarum, & locorum, ac temporum qualitates leges ſunt immutandæ, pœnæque aggravandæ & emolliendæ, cum hujuſmodi peccatum Satana ſuggerente, hominumque fragilitate aſſentiente, videatur jam ad culmen vitiorum aſcendiſſe, & in præcipiti eſſe. Ideò ut homines ſaltem pœnæ timore, & proprii honoris confuſione à peccato deterreantur, novum huic veneno antidotum cogimur præparare. Ac propterea volumus, ut qui abſolutionem & diſpenſationem hujuſmodi petent, ſemper, quamvis delictum adhuc occultum extiterit, non per officium ſacræ pœnitentiariæ, ſed à nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice in utroque foro abſolutionem petere teneantur, alioquin ipſæ conceſſiones & abſolutiones, etiam cum clauſula quod præſentis conſtitutionis tenor, & alia prædicta habeantur pro expreſſis, prorſus nullæ, irritæ, & invalidæ exiſtant, ac nemini penitus ſuffragentur.

*Pœna contra ſimoniacè promoventes, & promotos.*

§. 6. Cæterùm ſi quis Antiſtes vel Abbg ſervatis quidem cunctis præmiſſis, & cæteris omnibus quæ in ipſius tonſuræ, & ordinum collatione obſervari debent, perſonas habiles & idoneas, ſed tamen recepta ab iis, quibus tonſuram, aut ordines conferet, pecunia, pretio, vel præmio, ſimoniacè in futurum inſigniverit vel promoverit, volumus ut præter alias cenſuras & pœnas contra ſimoniacè ordinantes & ordinatos à ſacris Canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis aliàs inflictas & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia & ſingula ſupradicta in ſic promoventibus & promotis locum habeant.

*Clauſula præſervativa.*

§.7. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis conceſſionibus, facultatibus, & gratiis, etiam in caſibus quibuſcumque Sedi Apoſtolicæ quomodolibet, etiam in Bulla Cœnæ Domini reſervatis, etiam ſub nomine Jubilæi plenarii, vel Cruciatæ ſanctæ abſolvendi facultatem quibuſvis perſonis generaliter vel ſpecialiter tribuentibus minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis ęceptas eſſe & cenſeri.

*Decr. irrita.*

*§.8. Sicque in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque* Judices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, & S.R.E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. rogat.*

§.9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. ac in Conc. etiam generalibus editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma ... hujuſ...*

*§.10. Ut autem præſentes literæ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas S. Jo. Lateranen. & Principis* Apoſt. de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ affigi & publicari, & poſt quindecim dies qui in Urbe ſunt, qui verò extra eam, & citra Montes intra quatuor menſes, qui demùm ultra Montes erunt, intra octo menſes à die publicationis hujuſmodi computan. perinde afficere & arctare, ac ſi eorum cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tr... ptum*

§. 11. *Ac earundem præſentium literarum exemplis,* etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem fidem in judicio, & extra illud adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio ... nalis.*

§.12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, declarationum, privationis, reſervationum, inhibitionis, voluntatum, decretorum, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. ... dies ...*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. Nonis Jan. Pont. noſtri anno 4.

*Publi...*

*Anno à Nativitate Domini 1589. indict. 2. die verò 9. menſis Ianuarii, Pont. Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Sixti divina providentia Papa V. anno ejus 4. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, lecta & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolor. de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & in acie Campi Flora, ut moris eſt per nos Hieronymum Lutium, & Pompeium Guerram S. D. N. Papa Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

---

## De habitu & tonſura Clericorum & Militum beneficia Eccleſiaſtica obtinentium. XC...

*Ad hoc habes etiam Conc. Trident. in ſeſſ. 14. cap. 6. & ſeſſ. 23. cap. 6. & 17.*

*Edita 15...*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

CUm ſacroſanctam Dei Eccleſiam, quam Salvator noſter ſuo pretioſiſſimo ſanguine acquiſivit, ſponſam ſibi elegerit, & nobis licet indignis cuſtodiendam tradiderit, eidem ſine ruga, ſine macula, atque in omnibus ſuis membris placentem conſervare debemus, ut in ea omnia ordinata, ſingula diſtincta, cuncta interius exteriuſque pietatem & devotionem redolentia inveniantur, & ut ineffabilibus circumamicta varietatibus ſpecioſa in oculis ſuis appareat, quantum favente Deo valemus, id ipſum munus exequi decrevimus.

*Cauſa conſt...*

§.1. Quare animadvertentes, quod qui in ſortem Domini ad ejuſdem Eccleſiæ decus & ornamentum ſunt vocati, & ex eo Clerici nomen conſequuti, quique cenſu Eccleſiaſtico vivunt, ſingulari aliquo ſigno à reliquo populo diſtingui debent, ne cui eorum jure dici poſſit: Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? & ad hoc ipſum ſollicitudinis noſtræ obtutus dirigentes, ne ſanguis eorum de manu noſtra requiratur, cum ingenti cordis noſtri dolore invenimus, complures ſupradicta

Domin...

Domini ſententiâ juſtè redarguendos. Nam eorum plerique Clericali honore neglecto, in veſtibus laïcalibus incedentes, eo ſe mirifico indignos privilegio reddiderunt. Quapropter licet ſacris Canonibus, Conc. generalibus, & Apoſt. conſtitutionibus certus circa eorum, qui Clericali charactere inſigniendi ſunt, habitũ, ætatem, & alias qualitates ſit præſcriptus modus, & contra Clericos in habitu Clericali, & tonſura non incedentes impoſita pœnâ, nempe ut gratiis, immunitatibus & aliis privilegiis Clericalibus minimè gaudeant; tamen cum injuria temporum, & forſan dormientibus paſtoribus, inimicus homo lethifera tranſgreſſionis zizania ſuperſeminaverit.

§. 2. Nos propterea his & aliis rationabilibus de cauſis adducti, ne quis nimia, ſive paſtorum, ſive temporum indulgentia & impunitate, ſeu oſcitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ ſalutis diſpendio de cætero abutatur, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione præcipimus & mandamus omnibus, & quibuſcumque Clericis, non ſolum in ſacris, ſed etiam in aliis minoribus Ordinibus conſtitutis, & Clericali tantum tonſura inſignitis; & nedum beneficia Eccleſiaſtica qualiacumque, etiam ſimplicia, nunc & pro tempore obtinentibus, & in illis vel ad ea jus habentibus, verum etiam penſiones ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, aut proventibus quarumvis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum quarumcumque Eccleſiarum, ſeu Abbatialium, Capitularium & Conventualium menſarum, necnon Monaſteriorum, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, Prioratuum, Præceptoriarum, Hoſpitalium, Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, officiorum & beneficiorum quorumcumque Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, ſeu illorum diſtributionibus quotidianis, ac juribus, emolumentis & obventionibus univerſis ſibi reſervatas, aut fructus ipſos, prædiave, aut bona Eccleſiaſtica loco penſionum ſibi aſſignatos, vel aſſignata, ex quacumque conceſſione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica, percipientibus; etiam conjugatis; præſertim ſi iidem Clerici conjugati juxta conſtitutionem piæ mem. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri in Conc. Trid. innovatam, privilegiis Clericalibus uti velint, tam in Romana Curia degentibus, quàm extra eam ubilibet gentium & locorum conſtitutis, ut ipſi & eorum quilibet, quantumvis exempti exiſtant, & quovis privilegio vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione, aut tergiverſatione poſtpoſita, debeant omninò qui in Urbe præſentes fuerint, intra quindecim dies, qui verò citra Montes, intra quatuor menſes, qui denique ultra Montes conſtituti ſunt, intra octo menſes à die publicationis præſentium literarum in Romana Curia faciendæ, tonſuram & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares, aut Milites infra dicendi, quibus penſiones, aut fructus, aliave bona Eccleſiaſtica reſervata ſunt, ſuæ Militiæ convenientem, quacumque remota excuſatione aſſumere, & jugiter deferre. In futurum autem nonniſi actu Clericis in habitu Clericali & tonſura, militibus infra dicendis in militari incedentibus, ſuæ militiæ propria, aut alia quæcumque Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia beneficia reſpectivè conferantur, aut commendentur, aut penſiones fructuſve, aut bona Eccleſiaſtica reſerventur.

§. 3. Alioquin ipſos & ipſorum quemlibet, qui quoad geſtandum habitum Clericalem & militarem ſupradictum, lapſo hujuſmodi tempore eorum unicuique, ut ſupra dictum eſt, præfixo, noſtris hujuſmodi præcepto & mandato nunc & in poſterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediverint, præter alias pœnas contra eos inflictas, etiam quibuſcumque dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis, Canonicatibus & præbendis, ac beneficiis etiam ſimplicibus & præſtimoniis per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel aliàs pro tempore obtentis, necnon penſionibus & fructibus, ac prædiis, boniſque Eccleſiaſticis hujuſmodi quocumque modo eis reſervatis, vel reſervandis, omnique jure ſibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti, harum ſerie ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine privamus, ac ſine ulla alia monitione, citatione, Judicis decreto, aut miniſterio ipſo facto privatos declaramus, ac tam beneficia ipſa per privationem hujuſmodi vacare, & liberè aliis conferri poſſe, quàm etiam penſiones caſſatas, extinctas eſſe & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reſervationes ceſſare; & quenquam ulterius ad illorum ſolutionem minimè teneri, & ob non ſolutionem, cenſuras & pœnas aliquas incurrere non poſſe, nec debere decernimus, ipſaſque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, necnon Canonicatus & præbendas, & beneficia ſic pro tempore vacantia, collationi, proviſioni & diſpoſitioni noſtræ, & Rom. Pont. pro tempore perpetuò reſervamus.

§. 4. Statuentes ſic in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, & S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quaviſaliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 5. Cæterùm Milites quarumvis Militiarum ſub regula aliqua approbata canonicè inſtitutarum, vel alios Ro. Cur. officiales, qui non uti Clerici, ſed potius tanquã Milites juxta privilegia & diſpẽſationes Apoſt. eis in genere vel in ſpecie, per nos aut prædeceſſores noſtros nominatim cõceſſa, & ſub fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri conſtitutione, quæ incipit, Sacroſanctum, &c. hujuſmodi privilegiorum forſan revocatoria minimè comprehenſa, beneficia militiæ quam profeſſi ſunt regularia obtinent, ſeu penſiones ſuper quibuſvis fructibus, redditibus & proventibus Eccleſiaſticis, etiam prædictarum Eccleſiarum & beneficiorum ſæcularium, aut fructus ipſos ſibi reſervatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipiẽt in futurũ, ſive clericali charactere inſigniti ſint, ſive non ſint, qui verò Clerici ſunt, etiamſi ab initio tempore reſervationis penſionum, ſeu fructuum hujuſmodi regularem habitum nõdum ſuſceperint, nec militiis officiorũ Rom. Cur. adſcripti fuerint, ſed poſt factas eorum cuique reſervationes, ante vel poſt publicationem præſentis conſtitutionis Milites effecti extiterint, ſub præcepto & mandato præfatis, de habitu & tonſura Clericali deferendis, nolumus comprehendi, ſed iis permittimus, ut regulari habitu Militiæ, quam profeſſi ſunt convenienti, vel ſi ipſi Milites Rom. Cur. officiales fuerint, qui penſiones, aut fructus, aliave prædia aut bona Eccleſiaſtica ex diſpenſatione, ſeu privilegio Apoſtolico percipiant, habitu militari ſupraſcripto abſque alicujus cenſuræ vel pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu licitè uti valeant; & nihilominus tam beneficia ſuæ Militiæ regularia retineant, quàm etiã penſiones ſuper Eccleſiarum & beneficiorum prædictorum, etiam ſæcularium fructibus, ſeu bona vel fructus præfatos ſibi pro tempore reſervatos percipiant. *Declaratio circa eos Milites & alios Rom. Cur. Officiales, qui conſtitutione iſta non ligantur. Alia conſtitutiones ſunt hic inferius.*

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon conſuetudinibus, etiam longiſſimo & immemorabili tempore obſervatis, quæ abuſus & corruptelæ potius cenſendæ ſunt: privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, quæ omnia nolumus cuiquam adverſus præmiſſa in aliquo ſuffragari. *Clauſulæ derogat.*

§. 7. Mandamus verò univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis; ac locorum Ordinariis, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Civitatibus & diœceſibus curent præſentes literas, earumque exempla publicari & inviolatè obſervari. *Publicatio & obſervantia ab Epiſcopis, &c. curari debent.*

§. 8. Et ne quis præſentium literarum ignorantia ſe valeat excuſare, jubemus illas ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateran. & Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, & in Cancellaria Apoſt. affigi & publicari, earumque exempla inibi affixa relinqui, & deinde in eadem Cancellaria Apoſtolica in libro Quinterno appellato, inter cæteras conſtitutiones perpetuas deſcribi & regiſtrari. Decernentes publicationem in Baſilicis præfatis, & in acie Campi Floræ faciendam, poſt lapſum temporis ſuperius præfixi unumquemque arctare & afficere, perinde ac ſi ipſæ præſentes literæ ſingulis perſonis præfatis perſonaliter intimatæ fuiſſent. *Forma & effectus publicationis hujus conſt.*

§. 9. Volumus

*Fides tranſumptorum, & ſanctio pœnalis.*

§.9. Volumus quoque earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, plenam & indubitatam fidem in judicio, & extra adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum, &c.

*Dat. P. A. 4. die 9. Ian.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. 5. Idus Jan. Pont. noſtri anno quarto.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1589. indict. 2. die verò 18. menſis Ianuarii, Pont. Sanct. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno ejus 4. retroſcripta litera Apoſtolica affixa & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum S. Ioan. Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtol. de Vrbe, necnon Cancellaria Apoſt. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Hieronymum Lutium, & Ioannem Baptiſtam Bagni, S. D. N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

*Sequitur declaratio quoad aliquos Papæ familiares, Militeſque & Officiales Romanæ Curiæ, penſiones non ultra 60. ducatos obtinentes.*

*Edita A. D. 1589.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Compendiũ conſtit. præcedentis.*

PAſtoralis eſt curæ noſtræ, & ita æquum arbitramur, ut quanto poſſumus ſtudio indemnitati, & utilitati, tum pauperum Clericorum, tum etiam perſonarum quæ noſtris obſequiis inſiſtendo, labores & incommoda aſſiduè ſubire non ceſſant, conſulere procuremus, ac earum neceſſitati proſpiciamus, ne dum promptè & expeditè miniſteria eis injuncta obire conantur, non ſolùm congrua præmia non recipiant, verum aliquid detrimenti patiantur. Cum itaque noſtra nuper edita conſtitutione de habitu & tonſura, per clericos, ſeu Milites beneficia vel penſiones obtinentes deferendis, quæ incipit, Cum Sacroſanctam, &c. præceperimus univerſis clericis, nedum beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, ſed etiam penſiones ſuper fructibus Eccleſiaſticis, aut fructus ipſos ſibi reſervatos percipientibus, ut habitum & tonſuram clericalem, veſtes ſcilicet talares, Militibus verò ipſas penſiones, aut beneficia ſuæ militiæ propria obtinentibus, ut habitum ſuæ Militiæ convenientem jugiter deferents pœna privationis beneficiorum, penſionum, ac fructuum hujuſmodi cuilibet inobedienti impoſita, prout in eadem conſtitutione latiùs continetur.

*Cauſa huius moderationis*

§.1. Nonnulli verò ex Clericis præfatis penſiones, aut fructus hujuſmodi admodum tenues percipientes, alii quoque noſtri familiares actu nobis inſervientes, variis obſequiis & miniſteriis addicti, qui ultro citroque, ubi opus eſt, commeare & accurrere coguntur, idcircò vix poſſint ſine maximo incommodo; impedimento & diſpendio habitum clericalem ſupraſcriptum geſtare.

*Moderatio d. conſtitutionis pro Clericis penſiones, fructus, aut bona Eccleſiaſtica 60. duc. auri de Cam. non. excedentia obtinentibus.*

§.2. Nos eorum commodis opportunè providere, eoſque ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, omnibus & quibuſcumque clericis, tam in Romana Curia, quàm extra eam ubilibet gentium & locorum conſtitutis, qui penſiones, fructus, aut prædia vel bona Eccleſiaſtica, ſibi in una vel pluribus vicibus reſervata & conceſſa, ſummam, ſeu valorem annuum ſexaginta ducatorum auri de Camera inſimul non excedentes, ſeu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum.

*Et pro nonnullis familiaribus Pôt. Aliam limitationem habes pro Conclaviſt. cit. in conſtitut. 3. Pauli V.*

§.3. Ac præterea noſtris familiaribus, nobis in quibuſdam inferioribus miniſteriis, quales ſunt à pedibus, ſeu parafrenarii, menſæ diſpoſitores, aut credentiarii, qui diſpenſatores vulgò dicuntur, & aliis his ſimilibus ſervitiis actu miniſtrantibus, quive in futurum inſervient; necnon quibuſvis noſtrorum intimorum familiarium actu nobis in Palatio noſtro Apoſtolico inſervientium familiaribus, continuis commenſalibus, præſentibus & futuris, qui penſiones aut fructus, bonave Eccleſiaſtica loco penſionum uſque ad quamcumque ſummam & valorem nunc percipiunt, aut in poſterum pro tempore percipient, ut ipſi & eorum quilibet in habitu, & tonſura clericali incedere minimè teneantur, ſed laïcali habitu impunè & licitè uti poſſint, quo ſua munia promptius expeditiuſque obire valeant, nec pœnis in eadem conſtitutione inflictis ſubjaceant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia concedimus & indulgemus.

§.4. Reliquis autem noſtris, aut perſonarum nobis inſervientium familiaribus, continuis commenſalibus, omnibuſque & ſingulis aliis, tam clericis quam militibus beneficia, fructuum vel bonorum Eccleſiaſticorum reſervationes, ac penſiones obtinentibus, aut in ipſis beneficiis, vel ad ea jus habentibus in Urbe præſentibus tempus quindecim dierum in dicta conſtitutione præfixum necdum elapſum, ad alios quindecim dies à fine primò dicti termini computandos extendimus & prorogamus. *Prim... termini d. conſt. ... prafix. alios 15*

§.5. Ac demum Militibus, tam Militiarum canonicè inſtitutarum, quam Rom. Cur. Officialibus, qui juxta præfatam noſtram conſtitutionem in Militari habitu incedere tenentur, ut veſtibus communibus, cum inſignibus tamen Crucis, aut Numiſmatis ſuæ Militiæ propriis uti valeant, atque hac ratione ipſius conſtitutionis præcepto plenè ſatisfacere cenſeantur, pariter indulgemus. *Et pr... tibus ... in ... habitu ... dere ... tis.*

§.6. Eos verò Clericos, aut Milites, quibus penſiones aut fructus, bonave, aut prædia Eccleſiaſtica ad quamcumque ſummam reſervata, aut reſervari conceſſa ſunt, vel poſthac reſervabuntur, non aliter ad gerendum hujuſmodi habitum teneri volumus, niſi poſtquam penſiones, fructus, aut alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cœperint, vel per eos ſteterit quominus exigant vel percipiant. *Decl... circa ... quo ... vel ... habitu ... tere ... tur.*

§.7. Decernentes ſic in præmiſſis judicari debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Præfata conſtitutione noſtra, quoad reliqua omnia præſentibus literis non excepta, nihilominus in ſuo robore perpetuò permanſura. *Decre... irritan...*

§.8. Volumus autem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem fidem ubique, tam in dicta Curia & in judicio quàm extra adhiberi, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum, &c. *Tranſu... rum f...*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1589. pridie Kalend. Febr. Pont. noſtri anno 4. *Dat. ... die 3. ...*

---

XCI

Pœnæ & confiſcationes maleficorum cujuſque Civitatis, & Terræ Status Eccleſiaſtici, locorumque ei ſubjectorum applicantur R. Camer. Apoſtolicæ, cum nonnullis ſtatutis & ordinationibus circa earum exactionem, atque diſtributionem obſervandis.

*Circa prædicta extant plures conſtitutiones Apoſtolicæ, quas indicavi in earum Apoſtillis, & hic non repeto. Iſtam verò Bullam in Vrbe etiam ſervari juſſit Clem. VIII. inf. in ejus conſt. 5.* Inter cætera, *tom. 3.*

*Edita ... 158...*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœm...*

AD Romanum Pontificem pertinet, non modò uti communem Patrem, ac Paſtorem, totius Chriſtianæ Reipublicæ generalem curam ſuſcipere, ſed privatim quoque Populorum ipſius S. R. E. ditioni, etiam in temporalibus ſubditorum proſpero ſtatui, ac bono regimini, ſimul etiam Cameræ Apoſt. indemnitati, propria quadam & peculiari ſollicitudine providere. Quod ita demùm (Deo favente) feliciter eventurum ſperamus, ſi ii qui in Civitatibus, & locis dicti Status temporalis Eccleſiaſtici jus dicunt, in officio contineantur, & quicumque eorum publica legum & Magiſtratuum poteſtate abutendo, à recto Juſtitiæ tramite declinare, vel turpis lucri cauſa, Cameræ Apoſtolicæ jura improbè fraudare præſumpſerint, ſe tandem divino judicio graviſſimas pœnas

daturos

daturos intelligant. Ideoque nemini mirum videri debet, ſi cùm quotidie inſtigante humani generis hoſte, hominumque malitia in dies ſuccreſcente, novæ fraudes, & corruptelæ detegantur, nos quoque prædeceſſorum noſtrorum exemplo nova cogimur ſubſidia præparare.

§. 1. *Bene ſiquidem, & prudenter fel. rec. Paulus Papa II. prædeceſſor noſter prohibuit inter alia, ne Gubernatores, & quicumque Officiales Provinciarum, Civitatum, & locorum S.R.E. ditioni in temporalibus ſubjectorum, mulctas & pœnas pecuniarias remittere, donare, aut gratiam de illis facere poſſent, ultrà ſummam ſex florenorum auri de Camera.*

§. 2. Quam prohibitionem piæ mem. Sixtus Papa IV. *etiam prædeceſſor noſter* non modò approbavit, *ſed voluit etiam ne in cauſis criminalibus, ante ſententiarum prolationem proceſſus circundari facerent, ſed cauſas ipſas, prout juſtitia ſuaderet, terminarent; ac mandavit, ut omnes ſupplicationes in quibus perſona delinquens, delictum ipſum, & pœna ei de jure irroganda, ac demum gratia ei per Officiales facta, exprimi deberet, in libro* ſpeciali regiſtrari facerent; librumque ipſumque in fine officii per fidelem Nuntium Cameræ Apoſtolicæ mitterent. Ac pro refectione murorum, fontium, viarum, aliarumque rerum ſimilium, ſeu illarum conſervatione, non aliter Theſaurarios Cameræ ad illarum ſolutionem teneri voluit niſi verè actualiter in hoc erogaretur.

§. 3. Per aliam verò ſuam conſtitutionem mandavit, ut ſi vere in tales cauſas expendendi facultas, & licentia à Sede Apoſtolica tributa foret, id tamen per manus Theſaurarii erogaretur; inhibendo ne eædem pœnæ, ac mulctæ ad alterius quam Theſaurarii manus, etiam ſub colore depoſiti; donec in prædictos uſus erogarentur, ullo modo pervenirent.

§. 4. Ac demum recol. mem. Pius Papa IV. noſter itidem prædeceſſor ſtatuit, quod omnes pœnæ, & mulctæ pecuniariæ, ſeu cujuſvis qualitatis bona, quarumcumque perſonarum, in prædictis Civitatibus, & locis degentium, Cameræ Apoſtolicæ privativè quoad omnes alios, etiam Communitates (exceptis tantum iis pœnis, quæ pro damnis, agris, & prædiis ruſticis illatis ſunt inflictæ) perpetuò integræ applicatæ exiſterent; nec per alios, quàm à Camera Apoſtolicá ad id ſpecialiter deputatos officiales exigerentur; de quorum manibus eas reciperent, ſi qui titulo oneroſo, aut ob aliquos pios, vel ſupradictos, aut alios ejuſmodi uſus; illas ſibi deberi prætenderent.

§. 5. Id autem declaravit poſtea habere locum etiam in iis Terris, Caſtris & locis, quæ non ipſi Romanæ Eccleſiæ immediatè, ſed alicui Communitati Civitatum præfata rum ſubditæ forent.

§. 6. Noviſſimè verò ordinavit, & præcepit, ut Officiales prædicti decima tantum hujuſmodi pœnarum, accuſator autem quarta partibus contenti forent, ſed illorum nemo alias, quam de manu Depoſitariorum dictæ Cameræ ullo modo exigerent, prout præfatis, & aliis forſan prædeceſſorum noſtrorum deſuper editis conſtitutionibus latius continetur.

§. 7. Sed quia poſtmodum ſucceſſu temporis nonnulli ex illis, qui in Statu temporali Eccleſiaſtico jus dicunt, varias artes, vel potius fraudes excogitarunt, quibus ſalubria hujuſmodi ſtatuta eluderent, & ſub diverſis prætextibus interdum per ſordes, pretio, aut gratia corrupti, crimino ſos manifeſtos, aut impune dimitterent, aut mulctas Cameræ Apoſtolicæ debitas interverterent. Interdum vero illos plus æquo opprimentes, non tamen pœnas ab eis exactas prædictæ Cameræ reſervarunt, ſed turpi lucro inhiantes ſibi contra fas retinuerunt. Nos huic malo mederi, & malitiis quantum cum Domino poſſumus obviare cupientes; ac dictorum prædeceſſorum exempla imitari, auctoritate Apoſtolica decernimus, & declaramus, omnes & quaſcumque pœnas pecuniarias, mulctas, & confiſcationes omnium, ſeu cujuſvis criminis, exceſſus, maleficji, delicti, vel quaſi, per quoſcumque Præſides, Rectores, Gubernatores, quavis dignitate, etiã Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel alia majori fulgentes, etiam S.R.E. Cardinales, & Sedis prædictæ de latere Legatos, eorumque Vicelegatos, Locatenen. Commiſſarios, Poteſtates, & Officiales, qui in quibuſvis Provinciis, Civitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, Villis, & locis noſtræ, & S.R.E. ditioni temporali ſubjectis quomodolibet juriſdictionem exercent, tum per ſententias, decreta, proceſſus, tum etiam per viam ſupplicationum, remiſſionum, abſolutionum, liberationum, condonationum, compoſitionum, gratiarum, abolitionum, ſeu caſſationum proceſſuum ab ipſis pro tempore conceſſarum, tam ex juris communis diſpoſitione, quàm juxta tenorem quarumcumque Apoſtolicarum, aut etiam Ægidianarum conſtitutionum, & ordinationum, vel ſtatutorum, & conſuetudinum cujuſvis Provinciæ, Civitatis, aut loci particularium, aut in vim dictorum decretorum, & bannimentorum, ab iiſdem Officialibus, ſeu eorum anteceſſoribus promulgatorum, Cameræ Apoſtolicæ realiter, & cum effectu perpetuò applicatas eſſe & fore, ipſique Cameræ, non autem quibuſvis Communitatibus, univerſitatibus, aut perſonis integre deberi, pœnis dumtaxat ratione damnorum in agris, vineis, poſſeſſionibus, ſilvis, pratis, aut quibuſvis prædjis illatorum exceptis, quæ ſicut Communitati, aut Vniverſitati applicatæ ſunt, quicquam circa eas innovare nequaquam *intendimus. Præmiſſa verò omnia locum habere volumus etiam in iis Terris, Oppidis, Burgis, Caſtris, Villis*, & locis quæ alicujus alterius Civitatis, aut Terræ, Communitati, vel Univerſitati, non autem immediatè Romano Pontifici ſubſunt.

§. 8. Cæterum volumus, ut quæcumque Communitates, Univerſitates, Collegia aut perſonæ, etiam Eccleſiaſticæ quavis dignitate fulgentes, aut eorum Magiſtratus, pœnas, compoſitiones, aut mulctas prædictas ſeu illarum portionem aliquam quovis titulo, etiam oneroſo, occaſione, vel cauſa, etiam juſtiſſima, & pro reparatione, ac refectione, & fabrica, vel conſervatione murorum, pontium, viarum, fontium, aut cujuſlibet publici boni, vel pii loci, Eccleſiæ, aut Hoſpitalis intuitu, aut alias quomodolibet ſibi deberi, vel applicatas eſſe prætendunt, debeant omninò intra duos menſes à die publicationis præſentium literarum in Romana Curia faciendæ computandos, conceſſiones, & applicationes prædictas, ſuaque jura, & privilegia quæcumque habent in Camera Apoſt. exhibere, deducere, & allegare: quæ quidem Camera, ſi ipſas conceſſiones validas ex oneroſo titulo, vel ex urgentiſſima cauſa factas eſſe cognoverit, & judicaverit, poſſit eas ad tempus quod ipſi Cameræ neceſſarium videbitur, confirmare, ſeu de novo concedere, & ſucceſſivè Depoſitario ejuſdem Cameræ in Provincia, ſeu Civitate in qua conceſſio hujuſmodi facta, & approbata fuerit, reſidenti ſpecialiter, & in ſcriptis committere, & mandare, ac ſpeciale mandatum deſuper opportunum relaxare; & pœnæ ipſæ, mulctæ, & compoſitiones hujuſmodi, earumve pars ipſi Cameræ bene viſa, dictis Communitatibus, & Univerſitatibus, ſeu Collegiis & perſonis ſolvantur; quas nimirum de manibus Depoſitarii prædicti, & præcedente ſpeciali mãdato, nec aliàs exigere poſſint, aut debeant. Revocantes, & annullantes omnes, & quaſcumque conceſſiones, applicationes, & aſſignationes dictarum mulctarum, pœnarum, & compoſitionum quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, perſonis etiam Eccleſiaſticis, ex titulis etiam oneroſis, aut cauſis prædictis, vel aliis etiam juſtiſſimis factas, quæ intra tempus ſupradictum, ut præfertur in Camera Apoſtolica exhibitæ & productæ, aut deinde ab eadem Camera approbatæ, & innovatæ non fuerint, etiamſi ſæpius per literas Apoſtolicas à quibuſcumque prædeceſſoribus noſtris approbatæ, & innovatæ ſint, ipſæque Communitas, Univerſitates, & Collegia in pacifica quaſi poſſeſſione illas exigendi ab immemorabili tempore exiſtant, & Camera Apoſtolica eas nunquam exegerit.

*Cõmunitatibuſque & alijs dictas pœnas prætendentib. terminum, ad id probanđ. & deſuper ſenẽtiam in Cam Apoſt. obtinẽ. præfigit, quo elapſo omnes cõceſſiones dictarum pœnarũ etiam ex oneroſis titulis factas, revocat.*

§. 9. Diſtrictè verò interdicimus, & prohibemus, ne in poſterum quicumque Præſes, Rector, aut Gubernator, quavis etiam Cardinalatus auctoritate, & dignitate præfulgens aut Sedis prædictæ Legatus, Vicelegatus, Locumtenens, aut Officialis ex ſupradictis quovis prætextu, occaſione, vel cauſa, etiam maxime rationabili, legitima, juſtiſſima, & urgentiſſima, tam in ſententiis, proceſſibus, decretis, bannis, proclamationibus, edictis, quàm in ſupplicationibus, gratiis, remiſſionibus, abſolutionibus, abolitio

*Officialibus etiã prohibet ne pœnas in eorum ſentẽtiis, edictis, gratiis, & abſolutionib. contentas alteri quam Camer. Apoſt. applicent.*

abolitionibus, aut caſſationibus proceſſuum ab ipſorum quolibet editis, vel edendis, pœnas, mulctas, aut compoſitiones, occaſione maleficiorum, vel quaſi, ab ipſis reis perſolvendas in pecunia numerata, vel in bonis mobilibus, immobilibus, aut ſe moventibus, cujuſvis generis, qualitatis, quantitatis etiam minimæ exiſten. in totum, vel in parte, etiam minima alias quàm Cam. Apoſt. prædictæ concedere, aut applicare, vel aſſignare quoquo modo audeant, vel præſumant.

*Nec aliis perſonis, quàm Depoſitariis ſolvi, neque aliquam earum partem per officiales retinere poſſe decernit.*

§. 10. Quam ob cauſam univerſas, & ſingulas pœnas, mulctas, & compoſitiones prædictas, non poſſint, nec debeant ullo modo ſolvi, exburſari, tradi, aut conſignari facere in manibus cujuſvis alterius perſonæ, quàm Theſaurarii, ſeu Depoſitarii Cameræ prædictæ in qualibet Provincia reſidentis; ſeu ad majorem partium commoditatem in manibus Vicedepoſitarii, ſeu Vicetheſaurarii in qualibet Civitate, & loco deputandi, ſed neque etiam valeant Gubernatores, & Officiales prædicti, etiam S.R.E. Cardinales, aut Fiſci Procuratores, vel accuſatores, propria auctoritate retinere, aut à partibus exigere portionem, au tratam ex hujuſmodi mulctis ſibi debitam, verum integrè, & ſine aliqua diminutione exburſari, tradi, ſolvi, & conſignari debeant in manibus Theſaurarii, Depoſitarii, aut ſubſtituti prædicti, ex quorum manibus, nec alias, Gubernatores, Officiales, Fiſci Procuratores, & accuſatores eas recipiant.

*Contravenientibuſque pœnas imponit.*

§. 11. Quod ſi vel pœnas ipſas aliis quam Cam. Apoſt. applicaverint, vel propria auctoritate, & non de manibus prædictis exegerint, tam Gubernatores, Officiales, & alii prædicti etiam S.R.E. Cardinales, quam Procuratores Fiſci, & accuſatores, & ipſorum quilibet contravenientes officiis per eos obtentis ipſo facto, abſque alia declaratione, aut miniſterio Judicis privati, & ad illa, & alia de cætero obtinenda perpetuò inhabiles & incapaces exiſtant, & inſuper pœnam trecentorum ſcutorum pro qualibet vice Cam. Apoſt. ſolvendorum eo ipſo incurrant.

*Delinquentibus prohibet, ne aliis quã Depoſitariis ſub pœnis ſolvãt, etiamſi aliter in ſententiis vel ſupplicationibus ſit reſcriptum.*

§. 12. Verum hujuſmodi prohibitionem, & interdictum ità extendimus, ut neque etiam ipſi delinquentes, aut rei, vel alii quicumque contra quos per viam inquiſitionis, accuſationis, denuntiationis, aut querelæ procedi cœptum fuerit, tam ſi condemnati, quam ſi abſoluti extiterint, pœnas, aut mulctas pecuniarias, vel alias res ad quas ſolvendas in quibuſvis condemnationibus, abſolutionibus, decretis, proceſſuum caſſationibus, ſeu abolitionibus, vel ſupplicationibus, ipſos, aut alios pro eis mulctari contigerit, in alterius, quàm Theſaurarii, ſeu Depoſitarii, aut ſubſtitutorum prædictorum manibus ſolvere, aut tradere poſſint, vel debeant, etiam ſi in ipſis ſententiis, abſolutionibus, abolitionibus, decretis, aut ſupplicationibus aliter reſcriptum exiſtat. Alioquin ſi in aliorum manibus eas ſolverint, prædictæ ſententiæ & gratiæ, quoad ea quæ illorum favorem, & commodum concerneat, eo ipſo nullæ, inanes, & irritæ, nulliuſque roboris vel momenti ſint; & tam ipſi rei, quàm qui pro eis ſolverint, qualibet vice pœnam vigintiquinque aureorum incurrant. Contra vero, ſi maluerint prædictis Theſaurariis, Depoſitariis, aut eorum ſubſtitutis ſolvere quam eis perſonis, quibus forſan ſolvere juſſi fuerint, bene & recte ſolviſſe, eorumque gratiæ, abſolutiones, & ſupplicationes integrum, & plenarium effectum ſortitæ cenſeantur, iiſque plenè ſuffragentur.

*Officiales ſupplicationes ab eis ſignandas Theſaurariis conſignent, & ſupplicantes infra decem dies pœnas ſolvant.*

§. 13. Mandamus præterea omnibus, & ſingulis Legatis, Gubernatoribus, & aliis Officialibus ſupradictis, ſub pœnis prædictis per inobedientes eo ipſo incurrendis, ut quilibet eorum cum primum ſupplicationes ſignaverit, & taxaverit, illas in manibus Theſaurarii, vel Depoſitarii, aut ſubſtituti hujuſmodi conſignet, à quibus ſupplicantes intra decem dies à die datæ ipſarum ſupplicationum numerandos, ſoluta integrè ſumma, & taxa in eis deſcripta, illas exigere omnino teneantur. Alioquin lapſis decem diebus prædictis, gratiæ nullæ, & irritæ ipſo facto exiſtant.

*Officiales, Notariique ſupplicationes in actis referant, & proceſſus an-* [...] *to pœnis ſolutas non caſſent.*

§. 14. Legati vero, Gubernatores, & alii Officiales prædicti, eorumque Cancellarii, aut Notarii ſupplicationes ipſas regiſtrare, & in acta referre, proceſſuſve caſſare, vel abolere non præſumant, niſi prius in calce ſupplicationis fidem ſolutionis jam factæ manu dictorum Theſaurarii, Depoſitarii, aut ſubſtituti ſubſcriptam viderint; ſecus ſi fecerint, vigintiquinque aureorum, & aliis arbitrio Superiorum imponendis pœnis plectantur.

*Officiales Barone[...] bona quæ carcerati tempore carcerationis deferebant iiſdem Theſaurariis conſignent ad eſſ[...] bis expr[...]*

§. 15. Omnia autem, & ſingula bona, mobilia, gemmas, pecunias, & alias res cujuſvis generis, aut qualitatis quæ perſonæ ex quavis cauſa criminali in carcere ductæ tempore carcerationis penes ſe geſtaverint, ac itẽ ea quæ banniti, condemnati, homicidæ, & latrones tempore quo apprehenduntur, penes ſe ſimiliter habuerint (archibuſiis, & aliis offenſivis armis tantum exceptis) ac denique ea quæ contra prohibitiones, & banna in fraudem deprehenduntur, & capiuntur, ſtatim prædicti Gubernatores, & alii Officiales, eorumque Locatenentes, Barigelli, Executores, Cuſtodes Carcerum, & Cancellarii in manibus eorundem Theſaurarii, Depoſitarii, aut ſubſtituti tradere, & conſignare debeant; alias ipſi Gubernatores, & Officiales ducentorũ, Barigelli verò, Executores, Cancellarii, & alii prædicti quinquaginta aureorum pœnas qualibet vice incurrant. Quæ quidem bona, pecunias, & res, dicti Theſaurii, Depoſitarii, aut ſubſtituti depoſiti nomine tandiu apud ſe conſervent, donec ipſi carcerati abſolvantur, aut veri eorum Domini inveniantur. Quod ſi carceratos condemnari, & veros Dominos intra unius menſis ſpatium à die condemnationis non reperiri contingat, ſint cuncta, & ſingula eo ipſo Cameræ prædictæ appropriata, & applicata, eaque ipſius Cameræ nomine Theſaurarii, Depoſitarii, aut ſubſtituti prædicti illa præſcribere, haſtæ ſubjicere, & plus offerenti vendere, & pretium eidem Cameræ acceptum ferre teneantur. Mandantes Notariis actuariis Judicum illorum locorum in quibus Theſaurarii, aut alii Miniſtri ad rationes ejuſdem Cameræ retinendas, pecuniaſque exigendas deputati fuerint, ad hoc, ut de his omnibus emolumentis certa ratio in Camera prædicta reddi, & haberi poſſit, ut librum rationum, & computorum ejuſdem Cameræ proventuum diſtinctum, & ſeparatum teneant: illumque in Camera annis ſingulis, quando eorum computorum quietantia, & ſolidatio, ut moris eſt fiet, præſentent, ad hoc ut certa de omnibus prædictis haberi ratio poſſit; quod ſi librum prædictum non tenuerint, vel non verum, & integrum, illos ad omnia Cameræ prædictæ damna, & intereſſe, quæ ex præmiſſis pati contigerit, teneri volumus, & mandamus.

*In cauſis criminalibus Officiales non poſſint reos abſolvere, aut gratiam facere, aut pœnam condonare, niſi per ſententiam aut ſupplicationem, adnotata ſumma quæ à reis ſolvenda.*

§. 16. In omnibus verò cauſis criminalibus, aut civilibus in quibus criminaliter agitur, gravibus aut levibus, in quibus pœna ordinaria, aut extraordinaria, vel arbitraria, ſeu pecuniaria imponenda veniat, Legati, Gubernatores, Rectores, aut alius quicumque ex ſupradictis Officialibus reos abſolvere, rehabilitare, reſtituere, vel eis gratiam facere, aut pœnam, ejuſve partem aliquam remittere, aut condonare in quantum ipſius jus dicentis auctoritas ſe extẽderet, non alio modo poſſit, aut debeat, niſi per ſententiam abſolutoriam in cauſis gravioribus, aut per decretum vim abſolutoriæ ſententiæ habens in levioribus, aut per ſupplicationem ab ipſo jus dicente ſignatam. In quibus ſententiis, decretis, ſupplicationibus teneantur iidem Gubernatores, & alii Officiales adnotare integrè totam ſummam pecuniæ, quam à reis ſolvi debere taxaverint, declaraverint, aut damnaverint. Eaque condemnatio, & taxa in pecunia numerata, ut præfertur, in manibus Depoſitarii, Theſaurarii, aut ſubſtituti ſolvenda, nec alias, aut in alia re, vel ſpecie fieri debeat. Omnes autem abſolutiones, rehabilitationes, reſtitutiones, remiſſiones, gratiæ, quæ per ſimplicem proceſſus caſſationem, vel abolitionem; aut alio modo, ſine ſententia, ſine decreto, aut ſupplicatione fient, eo ipſo nullæ, invalidæ, ac nullius roboris, vel momenti ſint & cenſeantur: & quilibet Gubernator, aut Officialis contraveniens, qualibet vice ducentorum aureorum pœnam incurrat.

*Fiſcus ſaltem Theſaurarius citentur [...] dictis [...] ſis.*

§. 17. Quoad ipſas verò ſententias, & decreta, tam merè abſolutorias, & gratioſas, quam mixtas, ſemper antequam ferantur, Procurator Fiſci, aut ejus ſubſtitutus, ſi in eo loco reſideat, alias ſaltem Theſaurarius, aut Depoſitarius, vel ſubſtitutus prædicti perſonaliter citari debeant, quorũ unuſquiſque ſi eaſdem abſolutiones injuſtas putaverit, debeat in actis proteſtari, & abſque citatione

prædicta

prædicta,ſententiæ,& decreta hujuſmodi ipſo jure nulla, invalida, nulliuſque roboris exiſtant.

§.18. Inſuper omnia, & quæcumque ſtatuta, decreta, conſuetudines, etiam inveterata, & à longiſſimo atque immemorabili tempore obſervata, cujuſvis Provinciæ, Civitatis,Terræ, aut loci Status noſtri prædicti, de cauſis criminalibus, aut civilibus in quibus criminaliter agitur, deque pœnis ratione delictorum, aut maleficiorum quorumcumque (*damnis in agris illatis tantum exceptis*) quomodolibet diſponentia, quæ à fel. rec. Paulo Papa IV. aliiſque poſt eum uſque ad noſtra tempora, noſtris prædeceſſoribus, aut à nobiſmetipſis in ſpecie expreſſe,& nominatim, ac ſimpliciter, pure, abſolute, & abſque aliqua conditione, reſervatione, aut reſtrictiva, confirmata non fuerint ipſo jure, & in vim præſentis conſtitutionis antiquata, abrogata, ac irrita, & nulla effecta ſint, & cenſeantur. Ac pariter ea quæ ab ipſomet Paulo IV.& aliis uſque ad noſtri Pontificatus tempora ſucceſſoribus, cum aliqua conditione, videlicet dummodo juſta ſint,& rationabilia, vel juri communi & rationi non repugnent, vel quatenus ſint in uſu,& ſacris Conciliis,& Canonibus non ſint cõtraria, vel cum aliis ſimilibus, vel diſſimilibus clauſulis, & limitationibus comprobata extiterint, ſimiliter quoad dictas cauſas & pœnas, nulla & irrita decernimus, & declaramus. Itaque ut neque Gubernatores, & cæteri Officiales ſupradicti ea obſervare, aut juxta illa judicare, aut decernere debeant, ipſiſque Officialibus quæcumque juramenta de illis obſervandis præſtita, vel forſan præſtanda, ex nunc eo ipſo relaxamus, eoſque in poſterum ad juramenta hujuſmodi præſtanda adſtringi volumus.

§.19. Declarantes quod in futurum in omnibus Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis Status noſtri prædicti, quicumque Gubernatores, etiam Cardinales, & Legati prædicti, aut alii Officiales, teneantur in primis, & ante omnia, quoad cauſas criminales prædictas, conſtitutionibus, ordinibus, & literis Roman. Pontificum noſtrorum prædeceſſorum, atque noſtris, & in caſibus in quibus ipſæ nihil diſponunt, ſtatutis locorum; ſi ut præfertur valide,& efficaciter confirmata fuerint, inviolabiliter inhærere,& parere: quod ſi ea valida non extiterint, debeant judicare, procedere, abſolvere, condemnare, & ſententias ferre juxta tenorem Conſtitutionum Provinciæ à bon. mem. Paulo Papa III. ſimiliter prædeceſſore noſtro per ejus expeditas literas confirmatarum, quas Pauli III. prædeceſſoris noſtri literas, per præſentes approbamus, & innovamus. In reliquis verò banna, & edicta in ipſis Provinciis, Civitatibus, & locis pro tempore publicata obſerventur.

§.20. Legati autem, Vicelegati, Gubernatores, Locatenen.& alii ſupradicti Officiales, non ultra decem pro centenario ex compoſitionibus, condemnationibus, pœniſque, & mulctis prædictis occaſione maleficiorum, ſeu bannimentorum provenientibus, exigere valeant. Revocantes, & annullantes quæcumque ſuper hoc in contrarium edicta, ordinationes, privilegia, indulta, niſi forſan in illis portio minor, quàm decem prædictorum aſſignaretur. Nam in iis in hac parte nequaquam derogare intendimus, ſed illa potius harum ſerie confirmamus,& innovamus. Ultra verò taxam eorundem decem pro centenario, à partibus, vel aliis perſonis quicquam emolumenti, aut pecuniæ, quovis prætextu, quæſito colore, vel ingenio, directe, vel indirecte recipere; etiam ſponte oblatum nullo modo præſumant.

§.21. Sed & Procurator Fiſci ſi aderit vigeſima,& Accuſator ſi intervenerit quarta parte prædicta, juxta Pii IV. prædeceſſoris conſtitutiones ſuperius expreſſas contenti eſſe debent, & nihil præterea, vel minimum petant, exigant, aut accipiant; eæque omnes portiones Judicis, Procuratoris, & Accuſatoris ſemper de manu Theſaurarii, aut Depoſitarii, vel ſubſtituti, ut præfertur, exburſentur ipſeque Theſaurarius, Depoſitarius, aut ſubſtitutus portiones Procuratorem Fiſci, aut Accuſatorem tangentes, non aliter ſolvant, niſi de expreſſo mandato Gubernatoris, aut Officialis in ſcriptis obtento, quod unà cum chirographo recepti penes ſe retineant.

§.22. Poſtremò dicti Theſaurarii, Depoſitarii, aut ſubſtituti, quamlibet vel minimam pecuniariam ſummam ex dictis confiſcationibus, & maleficiis provenientem, etiam de mandato, & juſſione expreſſa dictorum Legatorum,& Gubernatorum,& Officialium, cuiquam perſonæ ſolvere, aut tradere, aut in quoſcumque uſus erogare ullo modo nequeant præter ſupradictam portionem,& præter impenſas ſolitas ad exercitium, & uſum juſtitiæ neceſſarias; pro quibus ſolvendis qualibet vice mandatum ſpeciale ab ipſis Gubernatoribus, ſeu Officialibus ſubſcribendum expectent. Quinimò extra caſus prædictos nullam pecuniarum ſummam expendere queant, n.ſi de mandato expreſſo Congregationis Conſultæ negotiorum dicti Status, aut S. R. E. Camerarii, vel Generalis Theſaurarii, aut Commiſſarii prædictæ Cameræ; ſi ſecus ſolverint, de ſuo erogaſſe cenſeantur,& in reddendis rationibus id eis computari nequaquam debeat. *Portiones prædictæ ſolventur nec dictæ pecuniæ in alios uſus expendere poſſint.*

§.23. Decernentes ſic in præmiſſis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſula derogatoria.*

§.24. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus etiam antiquiſſimis, necnon privilegiis, & indultis & literis Apoſtolicis quorumcumque tenorum exiſtant,& qualibet alia dictæ Sedis indulgentia & conceſſione ſpeciali, vel generali, per quam earundem præſentium effectus impugnari, aut impediri quocumque modo valeat, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris literis mentio ſpecialis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Decretum irritans.*

§.25. Ut autem præſens conſtitutio perpetuis futuris temporibus obſervetur, néve aliquis ejus ignorantiam prætendere, ſeque excuſare poſſit, volumus ut ejus exemplis etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus adhibeatur fides in judicio, & extra, quæ adhiberetur ipſis originalibus litteris, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Exemplis hujus conſtitutionis plena fides adhibeatur.*

§.26. Ipſumque tranſumptum in qualibet Civitate, Terra, Oppido, Caſtro, Villa, aut Burgo Status noſtri prædicti,& ut melius intelligatur, ejus compendium, ſeu ſummarium vulgari lingua conſcriptum affigatur,& publicetur. Ac tam ipſius conſtitutionis, quàm ſummarii tranſumptum in Cancellariis criminalibus, & in locis reſidentiæ Gubernatorum,& Officialium affixum perpetuo conſervetur, & in ingreſſu novi Legati, Vicelegati, Gubernatoris, aut cujuſlibet Officialis ejus loci magiſtratus teneatur ab eo intra biduum de ea obſervanda jusjurandum exigere. In diſceſſu autem, ſeu Syndicatu eorundem Legati, Vicelegati, Gubernatoris,& Officialium, non ſolum debeant Procuratores Fiſci,& Theſaurarii, ſeu Depoſitarii aut ſubſtituti nomine Cameræ querelam exhibere, & denuntiare contraventiones, & tranſgreſſiones hujus conſtitutionis, ab iiſdem Gubernatoribus, & Officialibus factas, ſed liceat cuilibet de populo id efficere. Quod ſi ipſis Syndicis ex rei inſpectione, aut alia legitima probatione conſtiterit de ipſa contraventione, aut tranſgreſſione, teneantur ſub pœna quingentorum aureorum per quemlibet Syndicum inobedientem eo ipſo incurrenda, ad executionem pœnarum in eadem noſtra conſtitutione contentarum, ſine ulla mora, aut dilatione procedere. Nulli ergo, &c. *Tranſumptum verò, vel ejus compendium in qualibet Civitate publicetur & in Cancellariis affixum retineatur, & Officiales in ingreſſu ſervare teneantur, & in eorum diſceſſu contra eos pro tranſgreſſionibus procedatur.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1589. Idibus Martii, Pontif. noſtri Anno 4. *D. P. A. 4. die 15. Martii.*

*Die 16. menſis Aprilis 1589. præſentes litteræ Apoſtolicæ in plena Camera præſentatæ fuerunt, & Camera ipſa ex decreto deſuper facto illas admiſit, ac in ipſius Cameræ libris regiſtrari mandavit, prout ſucceſſivè regiſtratæ fuerunt, ſcilicet lib. 3. ſignaturarum S. D. N. apud me infraſcriptum ejuſdem Cameræ Notarium.* *Admiſſio, & regiſtratio in Camera Apoſtolica.*

*Anno à Nativitate Domini 1589. indict. 2. die verò 26. menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi & D. N. D. Sixti* *Publicatio.*

*divina providentia Papæ V. anno ejus 5. præſentes literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Cameræ, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & aciei Campi Floræ, ut moris eſt, dimiſſis copiis impreſſis affixis per nos Ioannem Freile, & Ioann. Burlurault, S.D.N. Papæ Curſ.*

*Alex. Parabiacus Mag. Curſ.*

## XCIV. Inſtitutio Rotæ in Civitate Maceratenſi, Provinciæ Marchiæ Status Eccleſiaſtici, ad cognoſcendas lites dictæ Provinciæ.

*Iuriſdictionem hujus Rotæ, quoad appellationes à ſententiis, & decretis Epiſcoporum ejuſdem Provinciæ, declaravit Gregor. XIV. inf. in ſua conſt.* 14. Romanum. *Et quoad cauſas Mercatorum Civitatis Anconæ, limitavit Clem. VIII. inf. in ſua conſt.* 16. Ex Apoſtolicæ.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1589.*

*Cauſa hujus inſtit.*

ROmanus Pontifex ſupremi Judicis in Terris Vicarius, inter innumeras ſibi imminentes curas, illam propenſiori animo amplectitur, per quam omnibus in locis, ſed præſertim in Provinciis ſibi, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectis, pro juſtitia unicuique æqua lance adminiſtranda Judices deputantur, & ad id neceſſaria tribunalia eriguntur, & inſtituuntur. Sanè etſi ſemper pro cunctarum Civitatum noſtro dominio ſubditarum ſtatu pacifico, tranquillo ac proſpero, fœlicique regimine cogitaverimus, ad Provinciam tamen noſtram Marchiæ tanto accuratius aciem noſtræ conſiderationis direximus, quanto illam (ex qua originem duximus) propenſiori patriæ amore proſequimur. Et cùm in ea etiam pro commoditate illius populorum, unum Tribunal Iudicum, Rotam nuncupandum, inſtituere decreviſſemus, nulla alia nobis commodior occurrit civitas, in qua id fieri poſſit, quã Civitas Maceraten. quæ aliàs inſignis exiſtit, & ferè in medio dictæ Provinciæ, ac Territorio fœcundo, & amœno ſita reperitur, ſolitaque Sedes Legatorum exiſtit, celebrique Gymnaſio, duplici Collegio clara, inſignium inſuper Doctorum copioſa, qui experientia, ſcientia, & ordine dicendi, interpretandi, advocandi, & patrocinandi eorum particulari ſtudio præcellant.

*Erectio Tribunalis Rotæ in Civitate Maceraten. ad deciden. cauſas Provinciæ Marchiæ.*

§. 1. Hanc igitur cogitationem noſtram ad effectum perducere ſtatuentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in dicta Civitate Maceraten. unum Tribunal Audientiæ cauſarum Rotam nuncupandum, perpetuis futuris temporibus duraturum; quod conſtare debeat quinque Judicibus, Auditoribus nuncupandis, quatuor videlicet per nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, & alio per Communitatem, & homines dictæ Civitatis Maceraten. eligendis, & deputandis, qui omnes & ſingulas Anconitan. Firman. Camerinen. Aſculan. Fanen. Æſin. Maceraten. & Montis Alti, earumque juriſdictionum, cæterarumque & aliarum dictæ Provinciæ Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, Villarum, & locorum quorumcumque dictæ Provinciæ immediatè ſubjectorum cauſas, lites & controverſias civiles, tam profanas, quàm Eccleſiaſticas, ac meras & mixtas, quomodolibet actitandas, necnon etiam criminales (in quibus appellationi locus fuerit) inter cives, incolas, diſtrictuales, habitatores, Eccleſiaſticos, & Sacerdotes, ac Collegia tam regularium, quàm nonregularium, ac Monaſteria virorum, agricolas quoque, & alios ſubjectos ſub dicta Provincia cognoſcere, decidere, fineque debito terminare, ac judicare poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Auditores ſint quinque, Clerici I. V. D. ab aliquo Collegio laureati, & per*

§. 2. Ut autem Tribunal hujuſmodi conſtitutionibus, & ordinationibus firmiter obſervandis fulciatur; per quas feliciter regi, & gubernari debeat, ſtatuimus, mandamus, & ordinamus quod dicti Auditores debeant eſſe Juris utriuſque Doctores excellentes, ac inſignes, uſu, & peritia judicandi præſtantes, Clerici, & non uxorati, & qui in eadem Civitate Maceraten. ſaltem per integri anni ſpatium, cum eorum familiis non habitaverint, necnon ab alio Collegio Doctorum rite, prævio examine ſevero, ad Doctoratus lauream promoti fuerint, & per quinquennium, aut in aliquo publico Gymnaſio legerint, aut in locis inſignibus judicandi officio functi fuerint, ac laudabiliter, & cum honore ſe geſſerint.

§. 3. Duret eorum officium ad quinquennium, quo elapſo non poſſint iterum eligi, niſi poſt quinquennium à die finiti officii. Propterea volumus quod dicti Auditores ipſorum officio durante, in eadem Civitate Maceraten. ſeu tota hujuſmodi Provincia, aliquod aliud officium, ſive publicum, ſive particulare nequeant exercere.

§. 4. Et poſtquam electi fuerint, in principio, ſeu ante ingreſſum eorum officii, in manibus pro tempore exiſtentium Legati, ſive Vicelegati dictæ Provinciæ, vel Gubernatoris ejuſdem Civitatis Maceraten. aſſiſtentibus in hoc Prioribus ipſius Civitatis, jurejurando promittant, ſeſe non contraventuros præſentibus ſtatutis, ac Civitatum, Terrarum, & aliorum locorum, necnon proviſionibus, & conſtitutionibus dictæ Provinciæ Marchiæ, ſed illa (quatenus dicta Apoſtolica auctoritate comprobata, licita, honeſta & in uſu exiſtant, ac ſacris Canonibus, & præſertim Concilii Tridentini decretis, atque Apoſtolicis conſtitutionibus contraria non ſint) inviolabiliter obſervaturos, juſtitiamque partibus adminiſtraturos, ſub pœnis in ſtatutis, & proviſionibus dictæ Provinciæ expreſſis, ac in Syndicatu infligendis.

§. 5. Inſuper ex eiſdem quinque Auditoribus, quolibet anno, & in principio anni, ſorte extrahatur unus, qui ſit Poteſtas ejuſdem Civitatis Maceraten. & Rotæ Prætor, cum juriſdictione & terminationibus, ac oneribus, & honoribus, ſalariis, & emolumentis, de quibus infra. Duret autem hujuſmodi Poteſtatis, & Prætoris officiem per annum, & eo elapſo, alius ex reliquis Auditoribus ſorte extrahendus in ejus locum ſuccedat. Et nihilominus dicto anno elapſo Auditor remaneat. Idemque Prætor teneatur quandocumque coram Notario Rotali, & duobus teſtibus ad inſtantiam petentis, etiam parte non citata, ſorte extrahere ſingulos Auditores ad ſingulas cauſas ſorte educendas, & cauſæ prius extrahantur, & deinde Auditores, dictaque extractio intelligatur facta ſalvis exceptionibus partis, & citra illarum præjudicium. Solus verò Prætor ſit Judex in cauſis pupillorum, viduarum, carceratorum, & miſerabilium perſonarum, etiamſi qualitates ipſorum non eſſent intentatæ, vel ſi non eſſet petitum ſecundum illa procedi, dummodo dictæ cauſæ ſint valoris, vel æſtimationis centum ſcutis infra, & ſi dictum valorem excedant, adhibeatur in deciſione illarum votum Auditorum, & in cauſa appellationis alius ſorte extrahatur, ſitque dictus Iudex vectigalium, & damnorum datorum, & adaptationis ſtratarum dictæ Provinciæ.

§. 6. Statuimus etiam quod Auditores prædicti cognoſcere debeant omnes, & quaſcumque cauſas cujuſcumque qualitatis, & ſummæ fuerint, Civitatis, ac Territorii, ſeu juriſdictionis Maceraten. in ſecunda, & aliis inſtantiis non autem in prima, quæ coram ſuis Judicibus remaneat, prout hactenus obſervatum fuit, nec quoad cauſas Eccleſiaſticas, ac ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet ſpectantes, quæ in prima inſtantia ad Epiſcopum Maceraten. juxta dicti Concilii decreta pertineant. In ſecunda verò, & aliis inſtantiis ad ipſos Auditores ſpectent. Totius verò Provinciæ cauſæ omnes etiam Eccleſiaſticæ, & ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, (dummodo non executivè agatur in præjudiciũ facultatum Auditoris Cameræ Apoſtolicæ, ſummam, & æſtimationem rei, vel facti ſcutorum centum excedentes, poſt primam inſtantiam, quæ apud ſuos Judices pariter remaneat, in ſecunda & aliis inſtantiis cognoſci debeant à ſupradictis Auditoribus, cum expreſſa tamen declaratione, quod propterea non ſit, nec cenſeatur eſſe derogatum, ſeu præjudicatum privilegiis, ſeu indultis Apoſtolicis illarum Civitatum & locorum, quibus conceſſum eſt quod cauſæ in ſecunda inſtantia cognoſcantur,

&

decidantur, ab illorum Judicibus ſeu Præſidibus, nec ad alia loca trahi poſſint. Volumus enim quod tunc quoad ſecundam inſtantiam ſit in poteſtate & voluntate appellantium proſequi dictas cauſas appellationum juxta dicta indulta coram dictis Judicibus, vel coram dicta Rota. In ulterioribus verò inſtantiis coram dicta Rota privativè quoad alios Judices cognoſci debeant, non obſtantibus quoad prædicta debitis privilegiis & indultis Apoſtolicis, quavis occaſione competentibus Univerſitatibus, & juriſdictionibus dictæ Provinciæ Marchiæ, hactenus conceſſis, & à nobis confirmatis de primis, & ſecundis inſtantiis, quibus per præſentem Rotæ erectionem cenſeatur quoad prædicta derogatum ac ſi de verbo ad verbum de illis particularis mentio facta fuiſſet ad effectum devolvendi tantum cauſas appellationis ad ipſam Rotam, & non aliunde.

§. 7. Habeant dicti Auditores juriſdictionem & poteſtatem procedendi, cognoſcendi & decidendi dictas cauſas, ac in illis vota, prout juris eſſe videbitur præſtandi, excepto eò, coram quo pendebit cauſa, qui in cauſis per ipſum proponendis votum non habeat, niſi vota eſſent æqualiter diviſa, quo caſu debeat uni parti accedere, & ſic ſemper obtinet illud quod major pars judicaverit.

§. 8. Sententiæ autem proferri debeant ab illo Auditore, coram quò proceſſus formatus fuerit; in quibus proferendis illud obſervetur, quod illæ ſententiæ, quæ de conſilio, & aſſenſu Coauditorum datæ fuerint, legantur & alta & intelligibili voce proferantur, ut mox Notario cauſæ ſubſcriptæ ab illo qui eas protulerit tradi debeant, alias ſint ipſo jure nullæ, ita tamen quod Judices Rotales prædicti in quavis cauſa, etiam à Sede Apoſtolica delegata aliquam definitivam ſententiam non proferant abſque ejus lectura & publicatione, & ſententia aliter lata etiam de conſenſu partium non valeat, nec jure ſubſiſtat, aut aliquo modo executioni demandari poſſit.

§. 9. Appellationes quoque & querelæ, & recurſus, nullitates, in integrum reſtitutiones, in prædictis cauſis etiam tempore publicationis præſentium noſtrarum literarum quomodolibet pendentes, ab ipſis Auditoribus, ſeu ab aliis quibuſcumque Judicibus dictæ Provinciæ Marchiæ, necnon etiam à prædictarum Civitatum Epiſcopis, eorumque Vicariis, ſeu Locatenentibus, ac etiam ab arbitris, ſeu arbitratoribus conjunctim vel diviſim interponendæ, porrigendæ, petendæ, ac reſpectivè quomodolibet proponendæ, (privilegiis tamen, ſeu indultis prædictis, ut præfertur, ſemper ſalvis) ad quemcumque interponendæ, ad eoſdem Auditores omnes devolvantur, ac ipſo jure devolutæ eſſe intelligantur & cognoſcantur, ac etiamſi ad nos & ſucceſſores noſtros Rom. Pontifices interpoſitæ fuerint; nihilominus per eoſdem Auditores Rotæ cognoſci & decidi debeant per Judicem extrahendum ſecundum ordinem præſentium, nec aliter, aut alio modo, & fiant proceſſus coram uno ex eis ſorte extrahendo, excepto eo, coram quo fuit formatus in prima inſtantia, qui licet votum habere debeat in ſecunda & ulteriori inſtantiis, tamen coram eo proceſſus formari non poſſint.

§. 10. Et ſimiliter Iudex extractus in ſecunda & ulteriori inſtantiis, votum non habeat in cauſa, niſi in caſu de quo ſupra.

§. 11. In cauſis verò ſummam vel valorem ſcutorum centum non excedentibus, quilibet Auditor ſolus poſſit cauſam cognoſcere, & judicare, cum diſtributione cauſarum per dictum Prætorem pro tempore exiſtentem ſorte facienda. Et in prædictis cauſis liceat ſemel tantum appellare, & cauſa appellationis, etiam quod ad nos & Romanos Pontifices devolvatur, tamen cognoſci & decidi poſſit per ipſam Rotam, & per alterum ex prædictis Auditoribus ſimiliter ſorte extrahendum.

§. 12. Quæ duæ ſententiæ ſi erunt conformes tranſeant illico, ut præfertur, in rem judicatam, & rei judicatæ vim habeant, & ulterius appellare, etiam ad ſummum Pontificem non liceat. Si verò prædictæ duæ ſententiæ erunt difformes, & contingat apppellare, etiam ad ſummum Pontificem, appellatio nihilominus cognoſci & terminari queat per aliquem ex tribus aliis Auditoribus, qui non judicarunt, ordine tamen de quo ſupra, nec liceat ulterius ad ſummum Pontificem appellare.

§. 13. A ſumma verò aut valore ſcutorum centum infra uſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta, ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta quotidie (meſſibus, & vindemiis, ac aliis temporibus feriatis, & Deo dicatis tamen exceptis) per Auditores prædictos, & in eorum domibus ſine extractione, & Coauditorum interventu procedatur, terminatione illarum in Palatio ad eorum Tribunalia reſpective ſine Coauditorum votis facienda, & ſemel tantum appellatio, recurſus, aut querela admittatur. Cauſas inſuper civiles cujuſlibet quantitatis, ſive valoris ſcutorum quinquaginta infra ſummariiſſimè, brevi manu ſingulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, & ſine terminorum obſervatione, & per breves dilationes ad ſummum duas, & etiam ſi negotium patietur, ſine ſcriptis, quilibet ex Auditoribus Rotæ, etiam ſine extractione aditus audiat, cognoſcat, & terminet, ac ab eorum terminationibus ſemel tantum ad Prætorem dumtaxat appelletur, in caſibus alias non prohibitis appellari ex forma ſtatutorum, ſive conſtitutionum dictæ Provinciæ.

*In cauſis à centum infra ſummariè & à ſcutis infra ſummariſſimè procedatur & in illis appellari non liceat.*

§. 14. Attamen omnes cauſæ, in quibus de jure appellatio non debet admitti, per omnes Judices ſupradictos conjunctim cognoſcantur, & terminentur, ita tamen quod coram uno eorundem ſorte extrahendo procedi poſſit, qui votum, ut ſupra dictum eſt, nullatenus habeat, & ſi inter partes fuerit diſcordia ſuper natura & qualitate ipſius cauſæ, videlicet utrum appellatio de jure veniat admittenda, necne, prædicti Judices ante omnia ſuper hoc pronuntient, & ab illorum pronuntiatione tunc non detur appellatio.

*Cauſæ non appellabiles quomodo cognoſcantur.*

§. 15. Omnes exceptiones juxta formam conſtitutionis Provinciæ Marchiæ, reſerventur in fine litis, & pro reſervatis habeantur, etiam præſentis conſtitutionis vigore, abſque aliqua Judicis pronuntiatione.

*Exceptiones omnes in fine litis reſervatæ cenſeantur.*

§. 16. Nullitates etiam quæcumque proceſſuum, ſive principaliter, ſive incidenter proponendæ, unà cum appellatione proponantur. Et nihilominus etiamſi propoſitæ non fuerint, pro propoſitis intelligantur, & de illis æqualiter cognoſci debeat juxta conſtitutiones dictæ provinciæ.

*Nullitates fiant cum appellatione.*

§. 17. In cauſis mercedum quarumcumque, ac cibi, & potus, ſinguli Auditores procedendi poteſtatem habeant, & illas manu Regia, prout poſſet Legatus Apoſtolicus à Latere, terminent, & decidant, ac executioni demandent.

*Sed Clem. VIII. ... tantum juſſit attendi, ut inf. in ejus conſt. 18.*

*In quibus cauſis manu Regia procedatur.*

§. 18. Cauſæ ad puncta reducantur, & juxta ſtylum & morem Romanæ Curiæ examinentur ac decidantur.

*Cauſæ examinentur juxta ſtylum Rom. Curiæ.*

§. 19. Ut autem vota præſtanda per ſupradictos Auditores facilius præſerventur, & omnibus pateant, Notarius ipſe Rotæ de eis rogari debeat.

*Vota rogentur à Notario Rotæ.*

§. 20. Deciſiones autem Rotales non publicentur niſi per manus Notarii cauſæ, à quo diligentiſſimè cuſtodiri debeant, ut perpetuis futuris temporibus pro faciliori litium expeditione inveniantur.

*Deciſiones publicentur per Notarium cauſæ.*

§. 21. Tam autem Prætor quam Auditores teneantur in cauſis coram eis vertentibus, præſertim ſummam & valorem ſcutorum centum excedentibus, aut in quibus aliquid fieri petitur ſine certa expreſſione quantitatis, aut ubi probabiles difficultates adeſſe apparebit, rationes & cauſas, ac motiva, ſeu jura & allegationes in deciſionibus deſcribere, ac partibus ad effectum ut ſuper eis ab Advocatis conſultari poſſit, tradere teneantur, ſub pœnis arbitrio Syndicatorum imponendis ipſis.

*Prætor, & Auditores rationes in deciſionibus deſcribant.*

§. 22. Auditoribus in cauſis coram ipſis vertentibus, non poſſit dari adjunctus qui non ſit de Rota, & ſic aliquo caſu non poſſint Auditores prædicti cum aliquo adjuncto extra Rotam ex qualibet ratione vel cauſa judicare, aliàs ſententia quoad impetrantem adjunctum, vel utentem tali reſcripto ſit ipſo jure nulla, ac de tali nullitate ſemper & quandocumque opponi poſſit, non obſtante quocumque & longiſſimi temporis intervallo, & nihilominus Auditores in ſyndicatu teneantur.

*Auditoribus adjunctus extra Rotam dari non poſſit.*

*Sequeſtra aſſociationis, &c. quæ decerni poſſint.*

§.23. Præterea quilibet ex Auditoribus proteſtationes quaſcumque & ſequeſtra (de jure tamen ex forma Conſtitutionum, ſeu ſtatutorum permiſſa) cum clauſula aſſociationis, quaſlibet etiam immiſſiones abſque alia extractione de eis facienda committere poſſint, dummodo prædicta à *cauſis coram aliquo extracto indeciſis pendentibus non dependeant, & in talibus cauſis à proteſtationibus, ſequeſtrationibus & aſſociationibus inchoandis, ſi ulteriori proceſſu egeant, fieri debeat*, extractio Judicis, & coram eo tunc extrahendo procedatur.

*Iudicium ſuper abſolutione à iuramentis non impediat proceſſus in Rota, data cautione de qua hic.*

§.24. Decernimus etiam quod pendentia judicii ſuper abſolutionibus à juramento in obligationibus appoſitis uſuraria pravitate, fictione, & ſimulatione, ac dolo corã Judice Eccleſiaſtico, non impediat proceſſum inchoatum vel *inchoandum à Rota ſuper executione instrumenti, nec executionem ipſam*, præſtita tamen per exequi volentem cautióne idonea juxta formam literarum Apoſt. fel. rec. Julii Papæ II. prædeceſſoris noſtri, quarum literarum vis, & effectus ad alios caſus præmiſſos, & ſimiles extendatur.

*Auditor ultimo pronuntians expenſas taxatas, & rẽ iudicatam, in Rota, & extra exequi poſſit.*

§.25. Auditor etiam qui ultimã ſententiam tulerit, expenſas non taxatas taxarũ, & ſententias definitivas, & interlocutorias vim rei judicatæ ſortitas, in Rota vel extra ipſam per quemcumque, etiam ſuperiorem Judicem latas exequi poſſit, & debeat. Et iſtud etiã ſervetur in eventum quod aliquis ex Auditoribus prædictis, propter aliquod impedimentum, aut finitum officium deficeret per ſucceſſorem in locum prædictum, ut ſuprà vacantem.

*Decreta voluntariæ iuriſdictionis Auditor ſicut Prætor interponat.*

§.26. Decreta voluntariæ juriſdictionis interponendi in Palatio, & extra Palatium, ſi dictis Auditoribus videbitur, & prout fuerint requiſiti, ac dandi, & decernendi Tutores, & Curatores minoribus, ſinguli Auditores, ſicut Prætor, poteſtatem habeant.

*Auditores quando inſimul convenire, ſedere & ius reddere debeãt.*

§.27. Auditores etiam prædicti, ſingulis diebus convenire debeant, etiamſi non ſedeatur, ſemel in die pro commoditate litigantium, iis verò diebus quibus ſedere debeant, & jus reddere, ſtatim poſt pulſum Campanæ Rotæ audiant principales, & Pronotarios cauſarum, & hora poſt pulſum dictæ Campanæ ſtatim dicti Auditores ſedere debeant per horam cum dimidia ad minus. Ad hoc iidem Auditores jus reddant in aula aſſignanda alternis diebus, videlicet Lunæ, & Mercurii, & Veneris, & ſi non potuerint prædictis diebus jam ordinatis, ſedeant reliquis diebus, & ſi eſſent duo vel tres ſucceſſivè continui ſeſſorii dies, aut in principio, aut in fine hebdomadæ, exceptis diebus feriatis, & diebus Sabbati.

*Auditores, & Prætor poſt litem motam & in cauſis corã eis penden. arbitri nomine eligi non poſſint.*

§.28. Præterea non poſſit quoquo modo in Prætorem, ſeu Auditores prædictos, vel aliquem ex eis ſub eorum nomine proprio compromitti, vel remitti in cauſis coram eis pendentibus, vel lite mota, quod tamen liceat quando lis non eſt adhuc judicialiter cœpta, & ſi acciderit quod cauſæ hujuſmodi ſic ut ſupra compromiſſæ, per laudum, ſive ſententiam à prædictis Auditoribus terminari non poſſint, tunc ille, ſeu illi Auditores qui fuerunt arbitri in tali cauſa electi aliquo modo intervenire, ſeu conſenſum, aut votum præſtare non debeant, ſed ſolum alii qui non fuerunt arbitri cauſam prædictam cognoſcere poſſunt, & judicare, excepto ſemper voto illius coram quo formantur proceſſus.

*Advocare etiam & cõſulere nequeant.*

§.29. Et ut fraudibus occurratur, non poſſint Auditores prædicti advocare in Civitate Maceraten. aut conſulere, aut conſiliis aliorum ſe ſubſcribere in aliqua cauſa civili, Eccleſiaſtica, vel criminali, aut cujuſcumque generis, quæ directè vel indirectè concernat, vel concernere poſſit intereſſe alicujus diſtrictualis, & Provincialis, ſeu Univerſitatis, vel Collegii dictæ Provinciæ Marchiæ, aliàs ſi mutatis nominibus, vel quomodocumque fuerit huic capitulo contraventum, contraveniens ſtatim amittat officium, & teneatur ad alias pœnas arbitrio Syndicatorum.

*Sententias non confecto regiſtro ferre non valeant.*

§.30. In cauſis etiam in dicta Rota vertentibus nulla ſententia ferri poſſit, niſi prius confecto regiſtro.

*Inhibitiones etiã à Rom. Curia emanatas poſt cõcluſum in cauſa reiicere poſſint.*

§.31. Iidem autem Auditores cauſas coram eis introductas expedire valeant prout de jure, & quaſcumque inhibitiones poſt concluſum in cauſa ei præſentatas, à quocumque, etiam à Romana Curia emanatas, rejicere poſſint, & admittere non teneantur.

*In cauſ... pedimen... Auditor... coram ... toribus ... rogatis ... cedatur.*

§.32. Et ſi contigerit obitus, vel abſentia, aut infirmitas, vel aliud juſtum impedimentum Prætoris, aut alicujus ex Auditoribus per octo dies continuos vel pauciores, cauſæ coram impedito, vel abſente vertentes ſtent in ſuſpenſo toto tempore octo dierum, & illis elapſis ulterius procedatur coram ſubrogatis, dummodo *acta ſcribantur per Notarios deputatos dicti Judicis infirmi, vel abſentis, aut aliàs impediti. Et ſi unus ex Collegio abſens, vel impeditus fuerit*, ut ſupra, coram aliis præſentibus cauſæ agitari poſſint, & Rota ipſa à tribus repræſentetur.

*Cauſ... ditoribus ... iuxta ... dum d... ratus ... gaudii ... miſſe ... ſeantur.*

§.33. Cauſæ omnes, tam ordinariæ quam Commiſſariæ, etiam à Sede Apoſtolica ad referendum delegatæ, quæ tempore renovationis Rotæ pendebant indeciſæ, *intelligantur novis Auditoribus commiſſæ, qui in idem Tribunal, & ſeſſionem juxta ordinem, & prioritatem Doctoratus ſucceſſerint.*

*Audi... & Præto... ne licen... Legati, ... Gubernat... ris abeſſ... queant.*

§.34. Non liceat autem *ipſis* Prætori, & Auditoribus abeſſe extra Civitatem Maceraten. & diſtrictum dictæ Provinciæ Marchiæ, niſi cum licentia Legati, Vicelegati, ſeu Gubernatoris legitimè obtenta, excepto tempore feriarum propter neceſſitates hominum introductarum; quo tempore abeſſe poſſint per menſem, obtenta tamen prius ſaltem verbo licentia à prædicto Gubernatore, ſeu Vicelegato. Ita tamen quod ipſorum Auditorum tempore prædictarum feriarum, tres computato Prætore in Civitate Maceraten. continuè reſideant, quæ tamen licentia detur juſta præcedente cauſa.

*Syndi... que an... quolibet ... in fine ... debeant.*

§.35. Prætera Prætor & alii quatuor Auditores ſtare debeant in ſyndicatu quolibet anno cum retentione ſalarii infra dicendi, vel debeant præſtare cautiones de Judicio ſiſti, & judicatum ſolvendo in forma depoſiti in cauſa ſyndicatus, qui ſyndicatus fieri debeat Kalendis Julii cujuſlibet anni, & ſucceſſivè proſequi, nec aliquo modo, vel cauſa prætermittatur. Et quoniam multi forſan non auderent querelare, cognoſcentes finitum non eſſe eorum officium, præcludatur via læſis, ut in fine quinquennii debeant ſtare ſyndicatui de omnibus cauſis, tam Ordinariis & Commiſſariis, quam à Sede Apoſtolica delegatis, ac de omnibus geſtis per eos, & eorum quemlibet reſpectivè toto tempore eorum officii, exceptis iis de quibus querelatum, & judicatum fuiſſet in aliis ſyndicatibus præcedentibus eorum officii.

*Sindicat... que elig... tur ut hi...*

§.36. Syndici autem eligantur per Conſilium Credentiæ, & Gubernatorem, ſeu Vicelegatum dictæ Civitatis Maceraten. qui in numero ſint duo Doctores de Conſilio Credentiæ, duo cauſidici, addantur duo mercatores pro majori & faciliori deciſione cauſarum mercantilium, ſi quæ erunt. Et contra tales ſyndicos ſic electos nulla exceptio, neque etiam incompetentiæ opponi poſſit.

*Condem... in Syndic... pœnas ... expreſſas ... currant.*

§.37. Et ſi quis de Auditorum numero fuerit condemnatus doli, fraudis, vel circumventionis, aut impoſturæ, ſeu baratariæ, ſit privatus officio ſuo, teneaturque de damno partis læſæ, & puniatur ſecundum formam conſtitutionum dictæ Provinciæ.

*Syndic... contra ... dicos ſ... cionis ca... proponere ... iuſtificar... debeant.*

§.38. Et ad tollendam omnem dubitationem, Auditores prædicti infra proximum diem à die extractionis, ſive electionis Syndicorum, & intimationis nominum eorundem, debeant proponere, allegare, & dicere coram Prioribus, & Legato, ſive illius Gubern. prædictis, omnes cauſas ſuſpicionis quas ſingulariter vel conjunctim habuerint contra aliquem ex prædictis Syndicis, ut ſuprà eligendis, quas ipſi juſtificare debeant infra ſex dies tunc proximè futuros, & prædicti Priores, unà cum Legato, ſive Gubernatore d. Civitatis Maceraten. eas admittere vel rejicere, aut aliàs ſuper illis providere, prout juri, æquitati, & honeſtati magis convenire videbitur, quibus ſex diebus durantibus, omnia dicti Syndicatus ſtent in ſuſpenſo, in reliquis autem in Syndicatu prædicto termini, & alia ſubſtantialia juxta conſtitutiones dictæ Provinciæ obſerventur.

*Prætor ... rũ hic p... nitum ... piat.*

§.39. Ut autem habeant dicti Auditores, ac Prætor unde ſuſtentari poſſint, ordinamus quod ipſe Prætor qui pro tempore fuerit, pro ſuo ſalario habeat ſcuta triginta monetæ Marchiæ quolibet menſe, & inſuper omnes redditus, proventus, emolumenta, regalia, & proviſiones quæ juxta ſtatuta dictæ Civitatis, vel ex approbata

confuetu

conſuetudine Prætoribus dictæ Civitatis hactenus præſtari conſueverunt, necnon quartam partem pœnarum maleficiorum, ſeu proventuum ex maleficiis, vel quaſi provenientium Cameræ dictæ Civitatis Maceraten. realiter & cum effectu incorporandorum, juxta ſtatuta, & reformationes dictæ Civitatis Maceraten. ac conceſſionem ſuper eiſdem maleficiis per piæ mem. Pium Papam Quintum, etiam prædeceſſorem noſtrum emanatam, prout hactenus obſervatum fuit.

*Auditores ... hic ... statum ... ant.*

§. 40. Alii verò ſinguli Auditores habeant pro eorum ſalario quolibet menſe pariter ſcuta triginta dictæ monetæ, & in cauſis Commiſſariis Apoſtolicis habeant ſportulas juxta formam conſtitutionum Provinciæ prædictæ. In aliis verò cauſis, pro ſportulis ſolvi debeat unum ſcutum auri pro quolibet centenario æſtimationis cauſæ tractandæ in ſorte principali uſque ad ſummam mille ſcutorum: quod ſi æſtimatio exceſſerit dictam ſummam in quacumque quantitate, nihilominus non amplius decem ſcutis juxta modum infraſcriptum diſtribuendis perſolvi debeat pro minori litigantium diſpendio. Et ſi contingat aliquem ex Auditoribus, pro inſpectione & viſione loci, ut facilius, & celerius poſſit cauſas decidere, illuc ſe conferre, ſi in Territorio, Civitatis Maceraten. fuerit, habeat equum pro ſe & famulo, & dimidium ſcuti auri: ſin verò extra, ita quod eadem die redire non poſſit, habeat expenſas victus pro ſe & famulo, ac equis, ac ſcutum unum auri pro quolibet die.

§. 41. Et ad tollendum omne dubium, ſalarium ſive publicum ſtipendium prædictum, ipſi Auditores percipere debeant pro eo dumtaxat tempore, quo officium ſuum hujuſmodi exercuerint, ita quod adveniente caſu vel mortis, ceſſionis, vel diſceſſus alicujus ipſorum Auditorum, nec ipſe, nec ejus hæredes prætendere, nec petere poſſint hujuſmodi ſalarium, niſi pro tempore quo officium exercuerint, niſi aliquid fortè deberetur pro reſiduo.

§. 42. Quo verò ad ea quæ Notarii, & Bajulorum, ſive Curſorum, ſive ſigilli mercedem, laborem, incommodum, & maximas expenſas, & detrimentum reſpiciunt, obſervetur taxa jam conceſſa S. R. E. Camerario. Aliter verò Prætor qui pro tẽpore erit, facere debeat imburſationem omnium nominum Cauſidicorum, & Advocatorum publicè exercentium in Civitate Maceraten. officium Procuratoris, & Advocati, & duas burſas retinere, in quibus erunt brevia nominum prædictorum, ſtareque debeant penes dictum Prætorem, qui quolibet ſemeſtri, & in principio ſemeſtris coram duobus teſtibus, & ſuo Notario ſorte extrahat duo ex nominibus imburſatis, quorum nomina ſorte extrahantur, pro ſemeſtri immediatè tunc ſequuturo, qui ſint, & appellari debeant Advocatus, & Procurator pauperum reſpectivè, & teneantur ſingulis diebus requiſiti coram quibuſcumque Judicibus gratis & amore Dei pro pauperibus, & miſerabilibus intercedere, & poſtulare, nec poſſint aliquid percipere, vel acceptare, per ſe vel alium, ſeu alios, etiam à ſponte dare volentibus, niſi fuerint eſculenta, & poculenta, quæ triduo conſumi poſſint, & ſi quis extractus pauperum Procuratorum abſque cauſa legitima recuſaverit, vel ſe negligenter geſſerit, impietatis nota afficiatur, & extraordinariè arbitrio pro tempore exiſtentis Legati, ſive Gubernatoris, aut Prætoris Rotæ puniatur.

§. 43. Poſtremò mandamus, quod cauſæ ſemel in dicta Rota introductæ, quovis modo, niſi per nos & eoſdem ſucceſſores noſtros Rom. Pont. pro tempore exiſtentes, ac in vim commiſſionis per nos & eoſdem ſucceſſores noſtros, noſtra vel eorum propria manu, ſeu de mandato, vel in præſentia ſignatæ, niſi de utriuſque partis conſenſu avocati nequeant. Nec Prætor, vel Auditores prædicti inhibitionibus, ſeu mandatis, eis vigore commiſſionum aliter quàm ut præfertur ſignatarum præſentatis, etiam vigore cujuſcumque ſententiæ, ac ſub cenſuris, & pœnis etiam pecuniariis parere teneantur, & ob non paritionem inhibitionibus, & aliis prædictis aliquam pœnam minimè incurrant.

*Privilegia Auditorum*

§. 44. Eiſdem quoque pro tempore exiſtentibus Rotæ hujuſmodi Auditoribus, ac Prætori, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, conceſſionibus & gratiis, etiam circa auctoritatem judicandi, votandi, ſententiandi, ſequeſtra & mandata decernendi, reponendi, reſtituendi, apoſtolos concedendi, relaxandi, inhibendi, citandi etiam ſub cenſuris, declarandi, aggravandi, reaggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi, omnibuſque aliis & ſingulis facultatibus, & auctoritatibus quibus ſimiles Rotæ Bononien. Auditores utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent (præterquam in his quæ præſentibus, aut aliis noſtris literis aliter diſpoſita reperiantur) pariformiter uti, frui, potiri, & gaudere omni tempore valeant, concedimus, & indulgemus.

*Rotæ Bonon. Auditoribus, quæ ſunt Rotæ concedantur.*

§. 45. Et ulterius, ut pro tempore exiſtentes Prætor, & Auditores, eorum officio durante à quibuſvis gabellis, & datiis, tam impoſitis quàm noviter, & in futurum quavis de cauſa imponendis, liberi, immunes, & exempti eſſe debeant pariter concedimus & indulgemus.

*Exemptioque ab omnibus datiis &c.*

§. 46. Præterea Congregationi Collegiorum Doctorum Curialium d. Provinciæ, & ipſius Civitatis Maceraten. & cum interventu moderni, ac pro tempore exiſtentis ejuſdem Civitatis Maceraten. Gubernatoris, ſeu Provinciæ prædictæ Legati, ſeu Vicelegati, necnon piorum dictæ Civitatis Maceraten. quandocumque pro perſonarum, temporum, & locorum qualitate expedire melius videbitur, ſupradicta ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes mutare, revocare, & alterare, ac alia de novo (licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, necnon dicti Concilii decretis minimè contraria, per nos tamen, & ſucceſſores noſtros confirmanda) illorum loco facere, ſtatuere, & ordinare poſſint, & valeant, licentiam & facultatem concedimus, & impartimur.

*Ordinationes iſta corrigi & mutari poſſint, ut hic.*

§. 47. Ac ut omnis dubitationis, & diſſenſionis occaſio inter dictos Auditores, & alios quoad præcedentias, & publicæ ſeſſionis, vel incedendi loca adimatur, habeant dicti Auditores tam incedendo, quam ſedendo immediatum locum poſt Locatenentes Legati, ſeu Vicelegati, aut Gubernatoris dictæ Provinciæ, & Civitatis Macaraten.

*Locus poſt Locumtenentes Legati, aut Gubernatoris, eiſdem Auditoribus conceditur.*

§. 48. Demùm pro commodiori exactionis ſportularum cauſarum ordinariarum hujuſmodi commoditate, unum Depoſitarium in eadem Civitate Maceraten. ad arbitrium dicti Gubernatoris, ſeu Legati, vel Vicelegati eligendum, qui ſportulas prout ſupra exigere, & conſervare debeat, ad hoc ut ex illis una maſſa communis conſtituatur, cujus medietas in ſolutionem ſtipendiorum Prætoris, & Auditorum convertatur, ultra ſupradictum ſtipendium deſuper conſtitutum ſcutorum triginta pro quolibet Auditore, & altera medietas Communitati, & hominibus d. Civitatis Maceraten. cedat, videlicet pro expenſis domus Rotalis, & eorum Auditorum, conſtituimus & deputamus.

*Sportularum maſſa modo hic expreſſo fieri debeat.*

§. 49. Cæterùm dilectum filium noſtrum Henricum, tit. S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem Caëtanum nuncupatum, modernum, & pro tempore exiſtentem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium in dictæ Rotæ, & ejus Auditorum, earumque jurium & privilegiorum, ac indultorum quorumcumque Protectorem, cum omnimoda facultate & auctoritate omnia & ſingula quæ ad Prætoris officium quomodolibet de jure vel conſuetudine ſpectant & pertinent, & quæ alii ſimiles Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales protectores facere & exercere poſſunt & conſueverunt, faciendi, dicendi, & exercendi dicta auctoritate perpetuò etiam conſtituimus, & deputamus.

*Protectoris Rotæ deputatio.*

§. 50. Decernentes præſentes literas ex quacumque cauſa nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, ſive eas infringi, invalidari, ſeu revocari poſſe, ſed illas ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, necnon inviolabiliter perpetuò obſervari.

*Clauſula præſervativa hujus erectionis Rotæ.*

§. 51. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam ejuſdem Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſeu Vicelegatos, aut Cameræ

*Decretum irritans.*

Apoſtolicæ Præſidentes & Clericos, vel quoſvis alios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique locorum judicati, definiri & interpretari debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Officiales Status Eccleſiaſtici mandata dictæ Rotæ exequi faciant.*

§. 52. Ac mandantes omnibus & ſingulis totius Status Eccleſiaſtici prædicti Gubernatoribus, Poteſtatibus & eorum Locatenentibus, Legatis, Vicelegatis, necnon venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, ut quoties ſuper hoc fuerint requiſiti, ſententias, decreta, ſtatuta, ſequeſtra, mandata, exequutoriales literas, remiſſoriales, citationes, & alia à dicta Rota, & ejus Auditoribus emananda pro tempore, omnibus opportunis remediis exequutioni demandari faciant realiter, & cum effectu, prout opus fuerit, & eis commiſſum extiterit.

*Clauſula derogatoria.*

§. 53. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam dictæ Provinciæ, & hujuſmodi Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, Villarum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, legibus etiam municipalibus, uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam ejuſdem Provinciæ Civitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, Villis & locis, eorumque Communitatibus, Univerſitatibus, juriſdictionibus, Gubernatoribus, Poteſtatibus, Officialibus & incolis, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, eorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus derogamus & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A. 4. die 15. Mart.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1588. Idibus Martii, Pontific. noſtri anno quarto.

*Admiſſio & regiſtratio in Camera Apoſtolica.*

*Die 21. Aprilis 1589. Præſentes literæ Apoſtolicæ in plena Camera præſentatæ fuerunt, & die 28. ejuſdem, Camera ipſa, referente Reverendo D. Bartholomæo Caſio dictæ Cameræ Clerico, & Iudice ad hoc ab ipſa Camera ſpecialiter deputato, citato prius R. P. D. dictæ Cameræ Generali Commiſſario, illas admiſit, & regiſtrari mandavit, prout ſucceſſivè regiſtratæ fuerunt in ejuſdem Cameræ libris, ſcilicet lib. 3. ſignaturarum S. D. N. apud me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium.*

*Tydeus de Marchis.*

***Sequitur tenor Conſtitutionis circa erectionem & conceſſionem Notariatuum, & Curſoratuum Rotæ.***

*Edita A. D. 1589.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN ſuprema Juſtitiæ Sede, & poteſtatis plenitudine à Domino conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quæ acta cauſarum quarumlibet à perſonis idoneis in omnibus Tribunalibus, & præſertim à nobis erectis, & inſtitutis, fideliter & diligenter cum litigantium commodo adnotentur.

*Compendium præced. conſt.*

§. 1. Cum itaque nos nuper ex certis rationabilibus cauſis in Civitate noſtra Maceratenſi unum Tribunal Audientiæ cauſarum Rotam nuncupatum, perpetuis futuris temporibus duraturum, quinque Judicum Juris utriuſque Doctorum excellentia, uſuque & peritia judicandi præſtantium, qui omnes, & ſingulas totius Provinciæ Marchiæ, ac ſub illa comprehenſorum, illique immediatè ſubjectorum Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum & locorum, illorumque habitatorum & incolarum cauſas & lites, ac controverſias civiles, tam prophanas quàm Eccleſiaſticas, ac meras & mixtas, quomodolibet actitandas, necnon etiam criminales in quibus appellationi locus foret, inter cives, incolas, diſtrictuales, Clericos & Sacerdotes, ac Collegia tam ſæcularium quàm Regularium, necnon Monaſteria virorum, agricolas quoque, & alios ſubditos ſub dicta Provincia, tam in prima diœceſi & juriſdictione Maceraten. quam in ſecunda, & ulterioribus inſtantiis, in cauſis appellationum totius Provinciæ hujuſmodi, cognoſcere, decidere, fineque debito terminare, ac judicare poſſent & deberent, Apoſtolica auctoritate, Motu proprio perpetuò erexerimus, & inſtituerimus, prout in noſtris inde confectis literis pleniùs continetur.

*Erectio … cioru … que Nu… rum, … ſcilicet … quolibet … ditore … ta.*

§. 2. Nos erectionem, & inſtitutionem hujuſmodi ad effectum perducere ſtatuentes, ac operæpretium eſſe reputantes, quo dictum Tribunal magis proſperè dirigatur, ac æquitati, & publicæ commoditati, utilitatique ſalubrius conſulatur, providere volentes: Motu ſimili, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione & certa ſcientia noſtris, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine, unum prædicti Tribunalis Notariatus Officium à quinque æquè idoneis Notariis exercendum, uno ſcilicet pro quolibet Auditore, & Prætore, quod pro tempore obtinens omnium & ſingularum cauſarum, litium & controverſiarum civilium, tam prophanarum, quam Eccleſiaſticarum, ac merarum, & mixtarum, coram ipſis Auditoribus pro tempore actitandarum, ac ab ipſis decidendarum, etiam omnium ſententiarum, tam definitivarum quam interlocutoriarum, ac decretorum, etiam vim definitivarum ſententiarum habentium, ac denique quorumcumque actorum, inſtrumentorum, ſcripturarum, conceſſionum, gratiarum, privilegiorum, facultatum & exequutionum, in præmiſſorum exequutionem, aut alias deſuper faciendorum, & quorumvis aliorum ab eiſdem Auditoribus tractandorum, definiendorum, decidendorum, & agendorum, ſigillo tamen ſolius prætoris, ſeu poteſtatis ipſius Tribunalis ſigillandorum, verus, & ſolus Notarius exiſtat.

*Erectio … ciorum … Curſor… citandi … in cauſ… Rotæ.*

§. 3. Necnon octo Curſoratus officia ejuſdem Tribunalis, qui omnes & ſingulas perſonas, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ & excellentiæ exiſtentes, prout opportunum fuerit, citare, eiſque intimare, & inhibere, ac quoſcumque alios actus ad Curſores & Mandatarios Civitatis noſtræ Bonon. de jure, uſu, vel conſuetudine, aut alias quomodolibet ſpectantes & pertinentes facere, gerere & exercere liberè ac licitè valeant, Apoſt. auctoritate prædicta tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Conceſſio … ctorum … nium … rum C… nitati … ceraten.*

§. 4. Illaque ſic erecta & inſtituta, dilectis filiis Communitatibus, & hominibus prædictæ Civitatis Maceraten. qui propter urgentes, quibus hoc tempore premimur, neceſſitates, ſummam quatuor millium ſcutorum monetæ, ad rationem decem juliorum pro quolibet hujuſmodi ſcuto realiter perſolverunt, & cuilibet ex Auditoribus prædictis ſalarium menſtruum triginta ſcutorum perſolvere promiſerunt, cum omnibus & ſingulis illorum ſcripturis, honoribus, oneribus, ſalariis, privilegiis, prærogativis, & emolumentis conſuetis, Apoſtolica auctoritate prædicta, etiam perpetuò concedimus & aſſignamus. Ita quod liceat Communitati & hominibus prædictis, Officia prædicta per ſubſtitutos idoneos, ad eorum nutum ponendos & amovendos, exerceri facere, aut illa perſonis ſibi bene viſi vendere, & alienare, ſeu ad vitam, vel ad tempus locare, arrendare, ad firmam dare, necnon de illis tanquam de re ſua propria diſponere, & ordinare, illorumque jura, pertinentias, obventiones, & emolumenta per dilectum filium noſtrum Henricum, tit. S. Pudentianæ Presbyterum Card. Caëtanum nuncupatum, S. R. E. Camerarium taxanda, & moderanda percipere, exigere, & levare, ac in ſolutionem dicti ſalarii menſtrui omninò convertere.

§. 5. De

§. 5. *Decernentes quod Communitates & homines prædicti, dictaque Officia pro tempore obtinentes & exercentes omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, prærogativis, honoribus, favoribus, gratiis & indultis*, quibus Notarii *cauſarum Rotæ Bononienſis*, *Auditorum*, & *prædicti* illius *Curſores de jure, conſuetudine*, vel *privilegio*, aut aliàs *quomodolibet utuntur*, *fruuntur*, *potiuntur* & *gaudent*, ac uſi fuerunt, ubique frui, potiri, & gaudere poſſint, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter & æquè principaliter, ac ſine ulla prorſus differentia uti, frui, potiri & gaudere, illiſque (quod nullus alius Notarius ſententias, acta, ſive ſcripturas aliquas coram dictis *Prætore* & Auditoribus in *cauſis* prædictis, & alias quomodolibet actitandas) rogare, ſcribere & ſubſcribere valeat, ſub pœna nullitatis ſententiarum, & ſcripturarum hujuſmodi.

§. 6. Inſuper, quod Officia prædicta obtinentes, illa per ſe, vel idoneos ſubſtitutos ab eis ponendos & amovendos exercere poſſint, & valeant, eadem auctoritate & tenore indulgemus.

§. 7. *Præterea pro* Communitatis & *hominum* prædictorum *ſecuritate* & cautela, præmiſſorum omnium obſervatione, & exequutione, nomine, loco damnorum & intereſſe, quæ per dictam Civitatem pati, aut ſentire poſſe contigerit, omnia & ſingula ejuſdem Cameræ jura, res & bona, tam præſentia quàm futura, nedum generaliter, verum etiam ſpecialiter, & expreſsè, ac ampliſſimè obligamus, & hypothecamus. Decernentes Cameram prædictam omninò teneri & obligatam eſſe Communitatem & homines, ac pro tempore officia hujuſmodi obtinentes, in quieta & pacifica illorum poſſeſſione defendere, & manutenere, præſenteſque ad probandum plenè quod eadem ſumma in noſtram, & Sedis Apoſtolicæ, ac ipſius Cameræ ſubventioné converſa fuerit, aliaque præmiſſa ubique tam in judicio quàm extra illud ſufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

§. 8. Necnon eaſdem præſentes nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri debere, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per qualcumque literas, vel conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu Cancellariæ Apoſt. Regulas, etiam nos & ſucceſſores noſtros Rom. Pont. etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, necnon ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis pro tempore factis & conceſſis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, necnon quoties illas revocari, vel limitari, aut ſuſpendi, ſeu eis in aliquo derogari contigerit, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, etiam ſub poſteriori data reſtitutas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri.

§. 9. Irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari,

§. 10. Quocirca dicto Henrico Cardinali & pro tempore exiſtenti Camerario, ac venerabili fratri noſtro Petro Epiſcopo Spoletan. Officiorum Rom. Curiæ, & Status Eccleſiaſtici Præſidenti; ac dilecto filio cauſarũ Cur. Cam. Apoſtolicæ generali Auditori motu pari per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, ac eiſdem Communitati & hominibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, eaſdem præſentes literas & in eis contenta hujuſmodi debitæ exequutioni demandent, ac demandari, necnon ab omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter perpetuò obſervari faciant, mandent atque procurent. Non permittentes Communitatem, & homines prædictos, atque officia hujuſmodi pro tempore obtinentes, ſeu exercentes, deſuper per quoſcumque contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari vel impediri; Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias & cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias & alias pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 11. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Civitatis Maceraten. & Provinciæ prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, *indultis*, & literis Apoſtolicis Civitatis Maceraten. & *Provinciæ hujuſmodi*, ac quibuſvis aliis ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, necnon de fratrum noſtrorum conſilio, & unanimi aſſenſu, ac alias quomodolibet & quandocumque etiam pluries in contrariũ forſan conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idẽ importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè, harum ſerie motu ſimili derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe volumus, decernimus & declaramus, contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. *Clauſula derogatoria.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1589. 11. Kal. Aprilis, Pont. noſtri anno 4. *Dat. P. A. 4. die 22. Mar.*

*Die 21. Aprilis 1589. Præſentes literæ Apoſtolicæ in plena Camera præſentatæ fuerunt, & die 28. ejuſdem, Camera ipſa, referente Reverendo D. Bartholomæo Ceſio Cameræ Apoſtolicæ Clerico, & Iudice S. D. N. Papæ apud me infraſcriptum dictæ Cameræ Notarium ad hoc ab ipſa Camera ſpecialiter deputatum, citato prius R. P. D. dictæ Cameræ Generali Commiſſario, illas admiſit, & regiſtrari mandavit, prout regiſtratæ fuerunt lib. 3. ſignaturarum.* *Admiſſio & regiſtratio in Camera Apoſtolica.*

*Tydeus de Marchis.*

---

## Erectio Eccleſiæ Epiſcopalis Civitatis Firmi, in Provincia Marchiæ, in Eccleſiam Archiepiſcopalem. XCV.

*Similem erectionem de Eccleſia Senenſi ſtatuit Pius II. in conſt.* 3. Triumphans, *& Greg. XIII. de Eccleſia Bononienſi in conſt.* 79. Univerſi.

In hac Civitate Studium quoque generale innovavit hic idem Pont. ſup. in conſt. 9. *Muneris.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1589.*

UNiverſi Orbis Eccleſiis, eo diſponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet imparibus præſidentes, in omnes agri Dominici partes oculos noſtræ mentis, vigilis more Paſtoris intendimus, inſpicientes quid Eccleſiarum ipſarum, præſertim Cathedralium inſignium ſtatui, & decori maximè conveniat, atque hoc quidem pro zelo charitatis noſtræ tantò liberalius promptiuſque curandum cenſemus, quanto magis, non ſolum petentium ſubditorum & preces, & merita id depoſcunt; *Proœmium.*

poſcunt, ſed nos etiam ad Omnipotentis Dei, & B. Mariæ Virginis gloriam, animarumque ſalutem, & fidelium diſciplinam confirmandam, necnon Eccleſiarum, quibus paterna dilectione, Apoſtolicaque auctoritate conſulimus utilitates, ornatumque pertinere, & rectè in Domino cognoſcimus expedire.

*Civitatis Firmi antiquitas, nobilitas, fidelitas, & aliæ quamplures laudes recenſentur.*

§. 1. Cum itaque nos compertum haberemus, Eccleſiam Firmanam Sedi Apoſt. immediatè ſubjectam, ac pridem ante annum à partu Virgineo quingenteſimum, in Cathedralem erectam, cui alias nos dum in minoribus conſtituti eſſemus, & Cardinalatus fungeremur honore, laudabiliter præfuimus, cuique etiam hodie venerabilis frater noſter Sigiſmundus Epiſcopus Firmanus præeſſe dignoſcitur, lapidibus marmoreis quadratis conſtructam ad collem in media Civitatis Firmanæ parte collocatam, ſingularem atque pulcherrimam ſpectantium oculis multis paſſibus à dicta Civitate Firmana ſeſe offerentem, in Provinciæ ferè medio, in qua nulla eſt Metropolis Eccleſia, in tranquilla aëris temperie; in loco diſtanti ab Urbe ſupra centum, & triginta milliaria ſitam, Beatæ Mariæ Virgini dicatam, tribus dignitatibus, videlicet Archidiaconatu pro uno Archidiacono, Archipresbyteratu pro uno Archipresbytero, & Decanatu pro uno Decano, necnon duodecim Canonicatibus, & totidem præbendis pro duodecim Canonicis, & octo præterea Manſionariis pro octo Manſionariis, duabuſque Sacriſtiis pro duobus Sacriſtis ipſi Eccleſiæ inſervientibus præſtare, quamplures Epiſcopos præterea orthodoxæ fidei defenſores, quorum nomina tum Sanctitatis opinione, tum præſtantia ſingulari præfulſerunt, alioſque Cardinalatus honore decoratos, alios etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ moderamini admotos habuiſſe, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Firmanum, Principatus inſignia, & ornamenta, præventionemque in multis cauſis, quoad Legatos, & Gubernatores retinere, & omnimodam juriſdictionem ex privilegiis Apoſtolicis jam pridem emanatis, & à fel. rec. Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro uſque in hæc tempora perpetuò confirmatis, in ſuos Commenſales, Familiares, Colonos, & Officiales, etiam privativè quoad Legatos, & Gubernatores quoſcumque, ac Montem Viridem Caſtellum in omnem juriſdictionem retinere, necnon Firmum, Piceni Urbem Romanorum Coloniam extitiſſe, ac ex qua ubi Chriſtiana Religione imbuta fuit, ſub Decio Imperatore ſeptuaginta Firmani Martyres prodiiſſe recenſentur, in qua multa corpora Sanctorum, ac innumerabiles aliæ reliquiæ magna cum veneratione aſſervantur, multis privilegiis, & indultis tam à piæ memoriæ Gregorio VII. à qua tunc temporis exiſtens Epiſcopus Firmanus, Crucis deferendæ facultatis confirmationem obtinuit à Gregorio VIII. IX. X. & Honorio III. qui eidem Epiſcopo Principis nomen, juriſdictionemque ſpiritualem & temporalem retinere conceſſit, Innocentio III. & VII. Eugenio IV. & Calliſto III. ac quamplurimis aliis Romanis Pontificibus, etiam prædeceſſoribus noſtris, tum claræ memoriæ Federico II. & Henrico III. multiſque aliis Rom. Imperatoribus illuſtratam, ampliſſimam in qua nihil ferè perſpicitur, quod ejus longè alteque repetitam antiquitatem non præ ſe ferat, in colle aëris ſaluberrimi, amœnitatis non exiguæ, in media Piceni parte, ad ſinum Adriaticum, non longè ab Apenninis Montibus ſitam, & quemadmodum Firmum Picenum olim nominabatur, ita aliis temporibus Marchia Firmana vocabatur, quòd Firmum primaria Civitas in dicta Provincia exiſteret. Principes quoque in ſuam juriſdictionem Marchiam vel receperint, vel redegerint in dicta Civitate Sedem, domiciliumque collocaſſe, ac ſemper detinuiſſe, eodemque exemplo ſub Romanis Pontificibus, multis annis Curiam generalem Legationis Marchiæ, tanquam in loco honorabiliori inibi reſediſſe, necnon generale Studium, ad inſtar Studii Bononien. à recol. mem. Bonifacio Papa VIII. ſimiliter prædeceſſore noſtro, & poſtea ab Eugenio IV. & Calliſto III. prædeceſſoribus prædictis, ac multis aliis Pontificibus confirmatum, & à nobis denuò erectum, & reſtitutum floruiſſe, & florere, in eaque extare Collegium Iuriſconſultorum jam inde ab immemorabili tempore ornatiſſimum, ac in numero & Doctorum præſtantia inſigne, hoc quidem tempore vel ſeptuaginta Doctores conſcriptos reperiri, eiſdem modo, & ratione quamplurimos Procuratores & Notarios eſſe, in ea quoque Seminarium ex Conc. Trid. decreto inſtitutum, aliorumque Illuſtrium virorum fide ſtudioſiſſimorum, pietati & religioni ſummoperè deditorum, necnon Epiſcopi & Paſtoris ſui ita officioſiſſimorum, ut nihil unquam prætermiſerint, quod ad ipſius Epiſcopi commoditatem, & dignitatem augendam faceret, ac multæ per Firmanos donationes, etiam Caſtellorum, priſcis illis temporibus Epiſcopo factæ reperiantur, copia refertam, quibus plurimum ſemper delatum fuerit, tum quod ipſa Civitas ſitu, loco, arce munita, ac hominū robore, & fortitudine, ac ingenii acumine & præſtantia adeò ornata ſit, ut cæteris Marchiæ Civitatibus hujuſmodi timorē maximū injicere ſoleat, multaque obſequia erga Sedem Apoſt. prædictā perpetuò præſtiterit, atque propriis actibus ab Imperio Deſiderii Longobardorum Regis ſe vindicarit, ſeque ac ſua omnia ſimilis mem. Adriano Papæ I. pariter prædeceſſori noſtro, Sedique Apoſtolicæ prædictæ ſponte dederit, ipſaque Civitas fidei cauſa, & ſinceræ devotionis gratia quam gerere ſolita eſt erga Sedem eandem, cum Federicum primum agnoſcere noluiſſet, igne ferè abſumpta fuerit, eademque de cauſa, & alias ſæpè multa damna, & detrimenta ſubierit, & in ſummas difficultates, & calamitates ſæpiùs inciderit, ut ſe ab eorum dominatu, qui Marchiam, in ſuam ditionem, contra Sedem Apoſt. redegerint, vindicaret, ut ad ipſam Sedem ejuſque Imperium redire poſſet, veluti ſub Eugenio eodem, ac aliis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & noviſſimè in bello Ferrarien. ſimilis mem. Julio II. & poſtea Clem. VII. Pontif. Maximis pariter prædeceſſoribus noſtris, præſto fuerint. Monaſteriorum inſuper tam virorum quam mulierum opulentiſſimorum æquè atque in quavis alia Civitate, Parochialium præterea Eccleſiarum, ac Confratern. & Hoſpitalium quamplurimorum frequentia commendabilem, diœceſim denique Firmanam prædictam ita opulentam, & amplam extare, ut major in dicta Provincia non reperiatur, agri ubertate fertiliſſimam, frumento, vino, oleo, & frugibus cujuſvis generis, vel etiam ſale, & rebus omnibus ad victum neceſſariis adeò abundantem eſſe, ut non ſolùm cæteris Provinciæ Civitatibus ſuppeditare, ſed ad Dalmatas, Illyricos, Venetos, ac alios tranſportare ſoleat, ita ut planè huic diœceſi deferenda fertilitatis laus, quæ agro Piceno paſſim tribuitur. Necnon ejus Comitatum, Terras, & Caſtra ſexaginta ferè habere, quo quidem Comitatu Firmum finitimum, ac confine exiſtit cæteris ferè omnibus Civitatibus dictæ Provinciæ, cujus majorem partem occupare conſtat.

*Erecti… Eccleſi… ſcopali… mani… chiepiſ… lem.*

§. 2. Nos aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui eodem honore decorarunt Eccleſias quibus olim in minoribus dum conſtituti eſſent, & Cardinalatus fungerentur honore præfuerunt, veſtigia ſequuti, ad illam meritis honoribus augendam, & promovendam adducti, piis quoque ſupplicationibus dilectorum filiorum Communitatis, & hominum ejuſdem Civitatis, nobis per dilectum filium Cæſarem Ortinellum, Civem Firmanum V. I. D. eorum Procuratorem ad hoc ab eis ſpecialiter conſtitutum deſuper porrectis excitati, poſt habitam cum venerabilibus fratribus noſtris prædictæ R. E. Cardinalibus maturam deliberationem, de eorum conſilio, atque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Maceraten. Tolent. Ripan. Montis Alti, & S. Severini in dicta Provincia conſiſtentes, necnon dictæ Sedi etiam immediatè ſubjectas Eccleſias, earumque Civitates, & diœceſes, cum omnibus, & quibuſcumque earum territoriis, & terminis, ac dilectos filios earum ſingularum Clerum & populum univerſum, cum ſuis Collegiatis, Parochialibus, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis utriuſque ſexus, cæteriſque beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, ſæcularibus & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularibus, necnon Hoſpitalibus, domibus, Collegiis & locis religioſis quibuſcumque, ab ejuſdem Sedis immediata ſubjectione, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò dividimus, & ſeparamus, necnon à dictæ Sedis

*Hujus Pont. bulla eſt ſup. Muneris, n. 9.*

immediata

*Immediata ſubjectione, viſitatione, correctione, & omni & quacumque alia juriſdictione, etiam perpetuò eximimus & liberamus. Ipſamque Eccleſiam Firmanam, ad laudem & honorem Omnipotentis Dei, ac Beatæ Virginis Mariæ, necnon fidei Catholicæ exaltationem, & totius militantis Eccleſiæ gloriam, in Metropolitanam Eccleſiam, & Sedem Epiſcopalem Firmanam in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopaliſque, & Metropolitan. Præſidis Sedem & Provinciæ caput pro uno deinceps Archiepiſcopo, qui pallii, & Crucis uſum, aliorum Archiepiſcoporum more habeat, omnibuſque aliis inſignibus Archiepiſcopalibus, necnon privilegiis, honoribus, & prærogativis Archiepiſcopis debitis & conceſſis gaudeat, ſimiliter perpetuò erigimus & inſtituimus, ac nomine, titulo, ac honore Archiepiſcopali, & Metropolitan. decoramus.

§. 5. Præterea Eccleſiæ prædictæ, Maceraten. Tolen. Ripanen. Montis Alti & Sancti Severini Eccleſias prædictas, modernoſque & pro tempore exiſtentes illarum Præſules, ſeu Adminiſtratores, pro ſuis, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Firmani Suffraganeis, qui tanquam membra capiti, eidem Archiepiſcopo Firmano jure Metropolitan. ſubſint, ita quod Archiepiſcopi Firmani, in eiſdem Maceraten. Tolentin. Ripan. Montis Alti, & Sancti Severini Civitatibus, & diœceſibus jus Metropoliticum ſibi vindicent, necnon Maceraten. Tolent. Ripan. Montis Alti, & Sancti Severini prædictæ, eidem Archiepiſcopo, & Metropolitano, ad omnia & ſingula habeantur, & ſint adſtricti, ad quæ ſuffraganei ſuis Metropoliticis Eccleſiis, & Metropolitan. tenentur, & obligati ſunt, ut judicentur ſecundum canonicas ſanctiones, ac eidem Archiepiſcopo Firmano prædictos ſuos ſuffraganeos conſecrandi, ac Provinciales Synodos evocandi, ac cum eis etiam Eccleſiaſtica negotia terminandi, earum Eccleſias diſponendi juxta ſtatuta ſacrorum Canonum, omniaque alia & ſingula quæcumque, quæ de jure vel conſuetudine, aut alias quoquo modo ad Archiepiſcopos & Archiepiſcopale munus ſpectare, & pertinere ſolent, & debent, gerendi, faciendi, & exercendi plenam & omnimodam auctoritatem, & tenore præſentis concedimus facultatem. Provinciæ quoque Firmanæ Clerum, & populum univerſum, pro eorundem Eccleſiæ, & Archiepiſcopi Firmani Provincialibus pariter, etiam perpetuò concedimus, & aſſignamus.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Maceraten. Tolentin. Ripan. Montis Alti, & S. Severini Eccleſiarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Eccleſiis, illarumque Præſulibus, Adminiſtratoribus, & Capitulis, ac quibuſcumque aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam irritantibus, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, atque ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, & ſub quibuſvis verborum formis, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium etiam tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſsè, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. Nono Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno quinto.

## Quod Fratres, & Moniales Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Congregationis Diſcalceatorum in Italia, recitare valeant Horas canonicas juxta ritum Breviarii Romani reformati, prætermiſſo Ordinis uſu. Et celebrandi feſta Sanctorum dicti Ordinis, etiam in Kalend. Rom. non deſcriptorum. XCVI.

*De ejuſmodi Breviario vide ſup. in Pii V. conſtitut. 64.* Quod à nobis, *ſup. Alia autem de toto Ordine Carmelitano notavi ſup. apud conſt.* 8. *Hon. III.* Ut vivendi. *Et de hac Congregatione vide plenè ſup. in conſt.* 64. *Greg. XIII.* Pia.

*SIXTVS PAPA QVINTVS,* *Edita A. D. 1589.*

*Dilectis filiis profeſſoribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, Provinciæ, ſeu Congregationis Regularis Obſervantiæ Diſcalceatorum nuncupatæ.*

EXimium quod in vobis elucet pietatis ſtudium, & præcipua Obſervantia regularis diſciplinæ, qua veſtram Congregationem ad Dei gloriam, communemque Chriſtiani populi utilitatem, in dies magis florere intelligimus, nos inducunt, ut cum multa ad eandem Congregationem feliciter regendam nuper à nobis ſtatuta fuerunt, nunc quoque in honorem Sanctorum, quos ipſa Congregatio, quaſi in eorum clientelam recepta, jam pridem ſæculari quadam veneratione colit, piis veſtris petitionibus libenter annuamus. *Proœmium.*

§. 1. Dudum ſiquidem per alias noſtras literas conceſſimus inter cætera & indulſimus vobis, atque univerſis & ſingulis perſonis utriuſque ſexus veſtræ Provinciæ, ut Horas canonicas, diurnas, & nocturnas, ſecundum uſum & ritum Romanæ Eccleſiæ, & Breviarii Romani ex decreto Concili Trid. reformati, & fel. rec. Pii Prædeceſſoris noſtri juſſu noviſſimè editi, tam communiter quàm diviſim, etiam in ſingulis veſtris Oratoriis, Monaſteriis & domibus, dicere, & recitare licitè poſſitis, & nihilominus præcepto atque obligationi plenè ſatisfactum per vos foret, neque ulterius ad ſequendum in hujuſmodi Officiis morem veſtri Ordinis teneremini, prout in eiſdem literis latiùs continetur. *Conceſſit hic Pont. Congregationi facultatē recitandi officia juxta ritum Breviarii R. m. reformati, prætermiſſo uſu Congregationis.*

§. 2. Quo quidem noſtro indulto utentes, jam ſicut nobis exponi curaſtis, ejuſdem Romanæ Eccleſiæ ritum in divinis officiis ſervatis. *Quæ d. ritum obſervare cœpit.*

§. 3. Sed quia vetus jam diu viget in veſtro Ordine laudabilis conſuetudo, dies feſtos in honorem Beatæ Mariæ, & quorundam Sanctorum ſolemniter celebrandi, ideò à nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut religioſum iſtud inſtitutum auctoritate Apoſtolica comprobare dignaremur. *Modo autem ſupplicat pro indulto celebrandi.*

§. 4. His itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, atque adeò univerſis, & ſingulis Fratribus, ac Monialibus veſtræ Congregationis pro tempore exiſtentibus, in quibuſvis domibus, Monaſteriis, Collegiis, & locis dictæ Congregationis, tam publicè quàm privatim, communiter vel diviſim, officium prædictorum feſtorum ubique recitare, & ſic recitando obligationi ſatisfacere liberè & licitè poſſitis (dummodo tam in Miſſa quàm in recitandis Horis canonicis diurnis, ac nocturnis modum, & formam deſcriptam in quinterno, ſeu libello per dilectos filios noſtros Antonium SS. Joannis & Pauli Caraffam, & Vincentium S. Mariæ in Via titulorum Presbyteros Cardinales Montis Regalis nuncupatos, de mandato noſtro reviſo, correcto, & approbato, inde obſervetis, & nihil penitus addatis, aut minuatis) plenam, & liberam licentiam, & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. *Pont. ideò d. facultatem elargitur.*

§. 5. Non obſtantibus dicti Pii prædeceſſoris ſuper reformatione, & approbatione novi Miſſalis, & Breviarii Romani, ac prædictis noſtris literis, necnon aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, veſtrique Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; *Quibuſcumque non obſtantibus.*

quod

quodque hujuſmodi dies feſti in noviſſimo Kalendario Romano deſcripti non ſint, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. R. A. 5. die 27. Iunii.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 27. Junii 1589. Pontificatus noſtri anno quinto.

---

XCVII. Quod Archiconfraternitas pietatis Carceratorum à Gregor. XIII. in Urbe inſtituta, habeat Officium proviſoris condemnatorum ad triremes totius Status Eccleſiaſtici. Et etiam Officium Viſitatoris Carcerum urbis ab ejus præfecto exercen. poſſitque annis ſingulis ſecunda Feria poſt j. Dominicam Quadrageſimæ, unum carceratum etiam pro capitali crimine damnatum liberare.

*Inſtitutionem hujus Archiconfraternitatis habemus ſup. in conſtitut.* 57. *Greg. XIII.* Pii Patris, *ubi alias tibi indicavi.*

*Edita A. D. 1585. 1586. 1587. & 1589.*

*S I X T V S   E P I S C O P V S, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

EX debito Miniſterii Paſtoralis ad ea noſtræ operationis ſtudia diligenter convertimus, per quæ pia fidelium vota, præſertim pauperum, & miſerabilium perſonarum ſtatum concernentia, optatum conſequantur effectum, & quæ propterea per fideles ipſos piè facta, & ordinata fuerunt, ut firma & illibata perſiſtant, libenter Apoſtolico munimine roboramus.

*Confirmatio inſtitutionis Confraternitatis, ejuſque indulgentiarum.*

§. 1. Conſiderantes itaque dilectos filios Confratres Confraternitatis Pietatis Carceratorum, per fel. rec. Gregor. Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum in hac Urbe noſtra inſtitutæ, multa in dies onera ſuſtinere. Volenteſque Confratres, & Confraternitatem hujuſmodi, cujus etiam nos, antequam ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumeremur, Protectores eramus, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, ac de alicujus ſubventionis auxilio illis providere, ipſoſque Confratres à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad dictorum Confratrum, ſeu aliorum pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra inſtitutionem dictæ Confraternitatis, necnon quaſcumque indulgentias, & peccatorum remiſſiones, aliaſque gratias & privilegia, Confraternitati, & Confratribus prædictis, illorumque intuitu per eundem prædeceſſorem conceſſa, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac ſingulos defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Duo officia eidem Archiconfraternitati concedit, cum ſuis emolumentis.*

*Tu ſcias Archiconfraternitatem gratis ea exercere, ut habetur in declaratione quæ ſequitur.*

§. 2. Necnon Confraternitati, & illius nomine Confratribus prædictis, unum Proviſoris condemnatorum ad triremes, tam dictæ Urbis quàm reliqui totius Status Eccleſiaſtici, ut videlicet illic condemnati, & tranſmiſſi ad triremes, poſtquam tempus ad quod condemnati erant, & erunt in futurum, finierint: & alterum Viſitatoris utrorumque Carcerum, ſecretorum, & publicorum Urbis prædictæ, & Burgi S. Petri de dicta Urbe officia, per deputandum, ſeu deputandos ab ipſis Confratribus exercenda, quæ dilectus filius Joannes Baptiſta Paſius nuper ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, quod ex nunc Motu ſimili revocamus & expiratum decernimus, ſut alias obtinebat, ſive per revocationem hujuſmodi, ſive alias quovis modo, & ex cujuſcumque perſona, ad præſens vacantia, cum omnibus, & ſingulis eorum, & cujuſlibet ipſorum honoribus, oneribus, privilegiis, facultatibus, prærogativis & ſalariis, ac emolumentis ſolitis, ac debitis, auctoritate, & tenore præmiſſis perpetuò concedimus, & aſſignamus, ac Confraternitatem, & Confratres prædictos, in locum præfati Joannis Baptiſtæ, quoad prædicta ambo officia, eorumque liberum exercitium, necnon honores, onera, privilegia, prærogativas, & emolumenta ſubſtituimus, & ſubrogamus, eoſdemque Confratres ex nunc ad ipſa duo officia, necnon exercitium, honores, onera, emolumenta & prærogativas hujuſmodi recipiendos, & admittendos fore, & eſſe, ac recipi & admitti, eiſque nomine dictæ Confraternitatis de ſalariis, & emolumentis prædictis integrè, & cum effectu reſponderi debere, ac eoſdem Confratres & Confraternitatem nullo unquam tempore ab hujuſmodi officiis, aut illorum altero, etiam per nos, ſeu pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, vel quoſcumque alios, ex quavis cauſa amoveri poſſe, neque debere decernimus.

*Offic... officia... fratr... chic... terni... admi...*

§. 3. Mandantes dilectis filiis noſtris Philippo S. Angeli in foro piſcium Diacono Cardinali Vaſtavillano nuncupato, moderno, & pro tempore exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, ac Cameræ Apoſtolicæ præſidentibus, & Clericis, ac noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Theſaurario, omnibuſque aliis, ad quos id quomodolibet ſpectat, ut Confratres, & Confraternitatem hujuſmodi ad officia prædicta, ſine ulla mora recipiant, & admittant, ac recipi, & admitti, necnon de emolumentis prædictis integrè eis reſponderi faciant, & reſpondeant cum effectu.

*Quib... qui n... ſtanti...*

§. 4. Non obſtantibus quibuſvis aliis de dictis officiis, ſeu eorum altero, cuicumque, ſeu quibuſcumque perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac forſan nos, ſeu quemcumque alium, etiam ex cauſa oneroſa, aut alias quomodolibet, etiam Motu pari factis, ſeu faciendis conceſſionibus, quas illarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, earumque vim, & effectum tenore earundem præſentium Motu ſimili revocamus, caſſamus, & annullamus, ac noſtra de non tollendo jure quæſito, quatenus opus ſit, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis dictæ Urbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sancti... nalis*

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, revocationum, decretorum, conceſſionis, aſſignationis, ſubſtitutionis, ſubrogationis, mandati, caſſationis, annullationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorū Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. ... die 1. I...*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1585. Kalend. Junii, Pontific. noſtri anno 1.

*Sequitur declaratio dictæ Conceſſionis.*

*Edita ... 158...*

*S I X T V S   P A P A   Q V I N T V S, &c.*

*Archi... fraterni... dicta o... gratis e... cere de... rat.*

CUm nos nuper, &c. ut in præced. conſtitutione. Nihilominus, quia dilectus filius Laurentius Cœlius Notarius noſter in utraque Signatura noſtra Referendarius, dictæ Archiconfraternitatis Præfectus, & Confratres præfati nobis nuper exponi fecerunt, quod eorum pium inſtitutum eſt, omni charitate, ſtudio, & diligentia, ac gratis, & amore Dei, eadem officia per ſufficientes, & habiles perſonas ejuſdem Archiconfraternitatis exercere, nullam aliam inde mercedem quærentes, quam æternæ retributionis præmium, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic ... collanda...*

§. 1. Nos igitur piis eorum votis annuentes, circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus,

quatenus

quatenus eoſdem Confratres, & Archiconfraternitatem prædictam ad officia eadem gratis, & amore Dei, abſque ſalario, & emolumentis prædictis exercenda, omni mora rejecta, admittas, & recipias, illaſque per quoſcumque, ad quos ſpectat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto per contradictores incurrenda, amoto inde eodem Joanne Baptiſta, & appellatione quacumque rejecta, admitti facias.

§. 2. Non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 20. Maii 1586. Pontif. noſtri anno ſecundo.

*Sequitur indultum liberandi carceratum.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS,*
*Motu proprio, &c.*

Dilectis filiis protectori, præfecto, aſſiſtentibus, ac aliis officialibus, & Confratribus Archiconfraternitatis pietatis Carceratorum de Urbe, in Eccleſia Sanctorum Coſmæ, & Damiani Regionis Pineæ de eadem Urbe, piè & canonicè inſtitutæ, cujus dilectus filius noſter Alexander S. Hieronymi Illyricorum Diaconus Cardinalis de Monte Alto nuncupatus, noſter ſecundùm carnem ex ſorore pronepos Protector exiſtit, ſpecialem gratiam facere volentes, Motu ſimili, &c. ejuſdem Archiconfraternitatis Protectori, Præfecto, Aſſiſtētibus, ac aliis Officialibus, & Confratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus qualibet ſecunda feria poſt primam Dominicam Quadrageſimæ anni cujuſlibet, unum carceratum, & pro quocumque crimine, & delicto, quantumcumque gravi, & enormi (præterquam læſæ Majeſtatis, & aſſaſſinii, ac propinati veneni, necnon falſificationis literarum, ſupplicationum, commiſſionum, & aliarum gratiarum Apoſtolicarum, vel monetæ) in carcere exiſtentem, & ad triremes, ac etiam ultimo ſupplicio condemnatum, excarcerare, liberare, & abſolvere liberè, & licitè valeant, qui eo ipſo abſolutus ſit, & eſſe cenſeatur, à quibuſvis criminibus, præterquam prædictis exceptis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam eis ſuper præmiſſis licentiam, & facultatem impartimur.

§. 1. Mandantes propterea dilectis filiis ejuſdem Urbis Gubernatori, Senatori, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, & Vicario, aliiſque Judicibus, & carcerum dictæ Urbis cuſtodibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac eorum cuilibet, quatenus viſis præſentibus, ſeu literis Apoſtolicis deſuper conficiendis, &c. omni mora, & dilatione, ac excuſatione poſtpoſitis, eiſdem præſentibus, ſeu literis deſuper conficiendis pareant, & obediant, ac illas obſervent, & obſervari faciant realiter, & cum effectu.

§. 2. Non obſtantibus præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Urbis ſtatutis, &c. etiam juramento, &c. roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Gubernatori, Senatori, Auditori Cameræ, ac Vicario dictæ Urbis, illorumque Tribunalibus, ac Judicibus, & quibuſcumque aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, &c. ac conſiſtorialiter, &c. & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, quibus omnibus, etiamſi de illis, &c. expediendis latiſſimè hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis.

Fiat Motu proprio. F.

Et cum abſolutione à cenſuris, ad effectum, &c. & de perpetuis conceſſione, indulto, licentia, impartitione, mādato, derogatione, aliiſque præmiſſis, ut ſuprà, quæ hic pro ſufficienter repetitis ad partem habeantur perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam in forma gratioſa in literis latiſſimè extendendis, & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum, etiam denominationum, qualitatum, aliorumque circa præmiſſa neceſſariorum, major & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in literis, etiam cum Ad perpetuam rei memoriam. Fiat F.

Datum Romæ apud S. Marcum, 17. Kal. Maii, anno ſecundo. *Dat. P. A. 1. die 15. Maii.*

*Sequitur Privilegium Præfecti hujus Archiconfraternitatis intereſſendi Viſitationibus Carcerum Urbis.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1589.*

Cum dilecti filii Confratres Archiconfraternitatis Pietatis Carceratorum in Eccleſia Sanctorum Coſmæ, & Damiani Regionis Pineæ de Urbe canonicè inſtitutæ, plurima juxta laudabile eorum inſtitutum pietatis, & charitatis opera exercere conſueverint, præſertim circa carceratos, eos ordinatim viſitando, opere, & conſilio juvando, aliaque pia opera faciendo circa illorum tum ſpiritualem ſubventionem, prout etiam probè novimus dum in minoribus eſſemus, ac ejuſdem Archiconfraternitatis Protectoris munere fungeremur. Et propterea, cum nos divina bonitas ad ſummum Apoſtolatus apicem extuliſſet, initio noſtri Pontificatus officia Commiſſariatus condemnatorum ad triremes, necnon Viſitatoris carcerum, tum publicorum, tum ſecretorum ad Cameram Apoſtolicam tunc ſpectantia, ab eadem Camera diſmembraverimus, necnon eidem Archiconfraternitati applicaverimus, & appropriaverimus, ipſaque officia hactenus maxima cum pietate per Confratres prædictos, etiam abſque ulla mercede, antea per dictam Cameram Apoſtolicam propterea dari ſolvique ſolita, adminiſtrata fuerint. *Relatio operum Pietatis quæ Archiconfraternitas exercet, & conceſſionis duorum officiorum de quibus ſup.*

§. 1. Nos conſiderantes, quod ſi in viſitatione carcerum pro tempore exiſtens ejuſdem Archiconfraternitatis Præfectus interveniret, ejus aſſiſtentia hujuſmodi dictis carceratis in illis juvandis, ac confratribus ad prædicta opera exercendum animandis, valde utilis, & proficua, quinimò etiam neceſſaria eſſet, in hoc igitur providere, ac confratres ipſos ſpeciali hoc privilegio decorare volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut de cætero perpetuis futuris temporibus in viſitationibus carcerum quorumcumque dictæ Urbis, tam publicis, quàm privatis pro tempore faciendis, prout moris eſt, per perſonas ad id deputatas, pro tempore exiſtens dictæ Archiconfraternitatis Præfectus intervenire, & intereſſe poſſit, cum voto conſultivo, tanquam uſus ex viſitationis hujuſmodi Prælatis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus, ipſumque Præfectum pro tempore exiſtentem, in aliorum Viſitatorum numerum ex nunc recipimus, & admittimus, quodque in eiſdem viſitationibus, tam publicis, quam ſecrētis quibuſcumque, ac tam votando, quàm conſulendo, & ſedendo, poſt Almæ Urbis prædictæ Gubernatorem, necnon ejuſdem Cameræ Auditorem, & carcerum eorundem Præſidem, ac poſt omnes eas perſonas quæ deciſivum votum in viſitatione hujuſmodi habent, etiamſi laïcus eſſet, verum inter eos qui votum conſultivum tantum habent, ſecundum Eccleſiaſticam propriæ perſonæ dignitatem, itaut Epiſcopus non Epiſcopo, ac ſimiliter inter alias Eccleſiaſticas dignitates obtinentes, majorem obtinens dignitatem, præcedere debeat, dicta auctoritate perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. *Præfectus di. Archiconfraternitatis locum habet in viſitationibus Carceratorum Urbis. De iſtorum viſitatorum facultatibus, vide in Pii V. conſtit. 68. Reverendi.*

§. 2. Eundemque Præfectum ſic aſſiſtendo, interveniendo, votando, conſulendo, & ſedendo nullo unquam tempore per alios dictæ viſitationis Prælatos, vel alios in ea aſſiſtētes, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, & indultorum, tam à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, quam à nobis, & à Sede Apoſtolica, vel alias quacumque auctoritate, via, cauſa, & ex quavis occaſione hactenus conceſſorum, & in poſterum concedendorum moleſtari, ſeu inquietari, aut loco, voce, & voto, ac actione privari poſſe, præſentemque gratiam & conceſſionem, haſque literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. *Manus ejuſdem Præfecti in dictis viſitationibus non perturbetur.*

§. 3. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, *Clauſula ſublata, &c.*

delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derogat. conſt.*

§. 4. *Non obſtantibus regula noſtra de jure quæſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt.* privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. prædictis Viſitatoribus, & cuilibet ipſorum, ac aliis quibuſcumque, tam ſpecialiter, quam generaliter, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, ac conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, necnon juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & naturis, quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & ad verbum expreſſa mentio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 5. die 22. Iulii.*

Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Julii 1589. Pontif. noſtri anno 5.

---

## XCVIII. De electione Prioris generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Aug.

*De hujuſmodi electione eſt etiam ſup. conſtit.* 141. *Pii V.* Inter cæteras. *Et alia conſt.* 59. *Greg. XIII.* Quæ inter, *ubi alia de hac religione ſunt indicata.*

*Edita A. D. 1589.*

*SIXTVS PAPA QVINTVS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

EX varietate temporum ipſa quoque humana conſilia quandoque variantur.

*Pius V. Capitulum generale quolibet triennio celebrari, & in eo Priorem generalem, & Viſitatores, ac d. Priorem ad triennium eligi juſſit in ſua conſt. cit. in rub.*

*Hic Pont. aliter ſtatuit.*

Sanè felic. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter Capitulum generale Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvat. Bononien. Ordinis S. Aug. quod unoquoque anno celebrari conſueverat, deinceps quolibet triennio celebrari, & in eo Priorem Generalem, Viſitatores, ac Priorem generalem ad triennium ſimiliter duraturos eligi debere per ſuas in forma Brevis literas ſtatuerat, & decreverat.

§. 1. Noſque juſtis adhuc, & rationabilibus cauſis adducti, eam ipſam Pii V. conſtitutionem mutantes, idem Capitulum rurſus quolibet anno celebrari, dictumque Priorem generalem, Viſitatores, ac Procuratorem generalem, alioſque Officiales, & Miniſtros ſimiliter ſingulis annis eligi debere ſtatueramus, & decreveramus, prout in utriſque literis præfatis latiùs continetur.

*Nunc verò juſtis de cauſis d. conſtitutionem Pii V. innovat.*

§. 2. Verùm cum poſtea Congreg. præfatam ingenti ære alieno gravatam eſſe, illudque diſſolvi minimè poſſe, niſi annuis, quas ſuſtinet, impenſis aliquo pacto ſublevetur, acceperimus, atque adeò conſideraverimus quod ſi dictũ Capitulum generale non amplius ſingulis annis, ſed de triennio in triennium, ut ante conſueverat, celebraretur, maximis ſumptibus, qui in congregando dicto Capitulo fiunt quotannis parceretur. Unde ipſum æs alienum quod alioqui continuò augetur, faciliùs diſſolvi, quinimò ipſi Canonici, qui propterea nimis frequenter vagari videbantur, in regularis obſervantiæ ſtudio melius contineri potuerunt, ipſeque Prior generalis de neceſſitatibus dictæ Congregationis liberius dicto triennio durante ſe informare, eiſdemque conſultius, & ſalubrius providere ſimiliter poterit, eiſdem Congregationis commodis, quantum poſſumus proſpicientes, literarum præfatarum tenores, ac ſi præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod poſthac perpetuis futuris temporibus Capitulum generale ejuſdem Congregationis quolibet triennio, juxta formam literarum ejuſdem Pii V. omninò celebrari debeat, & in eo Prior generalis, Viſitatores, & Procurator generalis eligi, prout ipſe Pius V. ſtatuerat.

§. 3. Ac cæteri etiam Abbates, Priores, Vicarii & Præpoſiti ad triennium eligantur, prout rec. mem. Gregorius Papa XIII. etiam prædeceſſor noſter per ſimiles literas, quarum etiam tenorem pro expreſſo haberi volumus diſpoſuerunt. Ita tamen quod dilecti filii moderni Prior generalis, Viſitatores, Procurator generalis, & alii Officiales prædicti, per triennium à die eorum electionis computandum eorum officiis fungi debeant.

§. 4. Quodque Prior generalis lapſo triennio ſui officii non poſſit de novo ad idem officium eligi, niſi lapſo ſexennio.

§. 5. Et ſi contingat aliquem ex dictis Officialibus intra triennium ſui officii decedere, is qui in ipſius locum juxta formam conſtitutionum dictæ Congregationis ſuffectus fuerit, in officio uſque ad proximum generale Capitulum perſeveret.

§. 6. Volumus autem, ut negotia ejuſdem Congregationis intra dictum triennium utilius, & diligentius pertractentur, quod quotannis in loco commodo, Conventus quem dietam appellant, juxta præſcriptum literarum ejuſdem Pii V. habeatur, in quo Prior generalis, ac Viſitatores, unà cum duobus ex quatuor Congregationis prædictæ Canonicis in generali Capitulo ad hoc tanquam Conſultores, inſtar aliorum officialium ſpecialiter eligendis, quorum hac prima vice moderno Priori generali, & Viſitatoribus, ac Procuratori generali electionem tribuimus, conveniant. In ipſo verò Conventu potiſſimum examinetur an ipſe prior generalis, & reliqui ab acceptione munerum abſtinuerint, & æs alienum juxta ordinem præſcriptum diſſolutum fuerit. Volumuſque ideò, ut idem Conventus quæ ad bonorum dilapidationem, ac munerum acceptionem pertinent, à quorum perceptione abſtineri omninò cupimus, ea quæ ſcilicet idem Conventus, etiam contra eundem Priorem generalem occaſione præmiſſorum remedio indigere duxerit, communi dicti Conventus conſenſu accedente, quamprimùm ad nos, & ſucceſſores noſtros, vel ejuſdem Congregationis pro tempore protectorem referri curet.

§. 7. Cæterùm in electionibus Prioris generalis, Viſitatorum, Procuratoris generalis, & aliorum Officialium prædictorum, ac in bonorum adminiſtratione, & rationum computorumque redditione, formam in prædictis Pii prædeceſſoris literis traditam.

§. 8. In electione verò Diſcretorum, ſive Sociorum, conſtitutiones, & regularia dictæ Congregationis inſtituta omninò ſervari debere præcipimus, & mandamus.

§. 9. Decernentes Priorem generalem, Viſitatores, Procuratorem generalem, ac alios Officiales, & canonicos dictæ Congregationis ad præmiſſorum omnium obſervationem teneri, & obligatos exiſtere, & ad id modernum, & pro tempore exiſtentem protectorem prædictum, etiam per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia cogi, & compelli poſſe. Sicque, & non aliter, per quoſque Judices, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obſtantibus ſingulis literis prædictis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. ac Congregationis, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 11. Volumus autem, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub privatione quorumcumque officiorum, & dignitatũ, ac aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis arbitrio noſtro infligendis, ac moderandis, præcipimus

mus, ac inhibemus omnibus & ſingulis Congregationis prædictæ Canonicis, ac aliis quibuſcumque perſonis in eadem congregatione degentibus, ne quis publicè vel privatim de triennali capitulo, ac conſtitutione noſtra hujuſmodi, omnibuſque præmiſſis in contrarium quomodolibet tractare audeat, ſeu præſumat.

§. 12. Cæterùm quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus, ac Apoſt. auctoritate decernimus, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſc. die 23. Auguſti 1589. Pont. noſtri anno quinto.

---

## Suppreſſio inſtituti Fratrum Scalceatorum Sancti Franciſci in Italia, eorumque locorum conceſſio Fratribus Minoribus Conventualibus Reformatis, Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci.

*De his Reformatis, & toto Ordine Franciſcano, vide ſup. in conſtit. 67.* Apoſtolici, *& antea in conſt. 5.* *Honor. III.*

*SIXTUS PAPA QUINTUS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm ſicuti ad aures noſtras nuper pervenit, dilectus filius Joan. Baptiſta de Piſauro, profeſſor Ordinis fratrum S. Franc. Scalceatorum nuncupatorum Regnorum Hiſpaniarum, in Italiam veniens, multos diverſorum Ordinum Religioſos, tam Mendicantium, ac Capuccinorum, quam non Mendicantium, & alias ſæculares perſonas in nonnulla loca, ſeu domos ipſius Italiæ, per eum recepta, ad habitum per fratres Scalceatos hujuſmodi geſtari ſolitum ſuſcipiendum, & profeſſionem per eos emitti conſuetam emittendam, Sede Apoſt. omninò inconſulta receperit, eorumque plerique ſic recepti, habitum ſuſceperint, & profeſſionem hujuſmodi emiſerint.

§. 1. Nos qui prædictorum Scalceatorum inſtitutum hoc tempore in Italiam inducendum non cenſemus, conſiderantéſque fratres, qui Reformati Conventuales, & de Obſervantia appellantur, in puritate, ac ſimplicitate eorum Ordinum viventes in eadem Italia, benedicente & incrementum dante Domino florere, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine inſtitutum fratrum Scalceatorum hujuſmodi in diverſis locis, Eccleſiis, & Conventibus Italiæ receptum, & tam per dictum Joannem Baptiſtam, quàm omnes, & ſingulos alios ſocios ſuos Scalceatorum introductum Apoſt. auctoritate, tenore præſentium, extinguimus, ſupprimimus penitus, & abolemus.

§. 2. Ac loca, domos, Eccleſias, & conventus hujuſmodi, cum omnibus eorum ornamentis, & ſacra ſupellectile & juribus univerſis, Ordini Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium, Reformatorum nuncupatorum, perpetuò concedimus, & aſſignamus, ſeu unimus, annectimus, & incorporamus. Ita quod liceat ipſis fratribus Conventualibus Reformatis, nullius ad hoc requiſita licentia, corporalem, realem & actualem poſſeſſionem præfatorum locorum, Conventuum, & Eccleſiarum liberè apprehendere, in eiſque juxta formam inſtitutorum Regularium, ac literarum Apoſtolicarum confirmationis, & approbationis ejuſdem Ordinis Conventualium Reformatorum, à nobis emanatarum, & per officium minoris gratiæ expeditarum, vitam ducere regularem.

§. 3. Necnon Joannem Baptiſtam, omneſque alios ejus ſocios, ac eorum ſingulos, ab omni apoſtaſiæ nota, ac quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & etiam temporalibus pœnis, ſi quas propter præmiſſa omnia vel illorum occaſione, & etiam quia à Superioribus Ordinum licentiam indè exeundi non petierint, aut alias quomodolibet reſpectivè incurrerint, necnon ab exceſſibus hujuſmodi, in utroque foro, auctoritate, & tenore præmiſſis abſolvimus, ac totaliter liberamus, dictaſque ſententias, cenſuras & pœnas eis & cuilibet eorum gratiosè remittimus & condonamus atque relaxamus. Ac cum eiſdem ſuper irregularitate per eos, & quemlibet eorum, qui interim ob præmiſſa cenſuris innodati, divinis, non tamen in contemptum clavium, quomodolibet ſeſe reſpectivè immiſcuerint, incurſa, quodque illa, & aliis præmiſſis, non obſtantibus clericali charactere, ac omnibus etiam ſacris, & presbyteratus ordinibus, per eos, & quemlibet eorum reſpectivè alias ritè ſuſceptis, illorumque privilegiis uti, ac in eiſdem Ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare liberè & licitè valeant diſpenſamus, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam, ſive notam contra eos, & quemlibet eorum ex præmiſſis omnibus & ſingulis quomodolibet inſurgentem, ab eiſdem penitus abolemus, ipſoſque in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum in omnibus & per omnia reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus. Decernentes quod dictus Joãnes Baptiſta, & alii qui in aliis religionibus prius profeſſi fuerant, vel ad eaſdẽ redire teneantur, vel ſi ad fratres Cõventuales Reformatos prædictos tranſire maluerint, ad eos tranſire, & ibidem recipi, & recepti permanere poſſint, dummodo prædicti aliarum Religionum profeſſi, ſi ad dictos fratres Cõventuales Reformatos trãſire voluerint, profeſſionem de novo emittant, & quæ ab una in aliam Religionem tranſeuntes ſervare tenentur, ſervent. Aliis verò ſæcularibus qui ab eodem Joanne Baptiſta, ſive aliis ſociis Scalceatis recepti, & ad profeſſionem admiſſi fuerunt, in prædictorum fratrum Conventualium Reformatorũ, vel alias Religiones, pares vel arctiores à Sede prædicta approbatas, dummodo de novo novitiatum faciant, ingrediendi licentiam & facultatem concedimus & impartimur. Decernentes etiam omnes ſupradictos poſſe in ſupradictas Religiones recipi, etiam non expectato Capituli, vel Congregationis capitularis tempore, juxta conſtitutionis à nobis noviter emanatæ formam, cui harum ſerie hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus.

§. 4. Quodque ipſi omnes in prædictos Conventuales Reformatos recepti, omnibus & ſingulis privilegiis, facultatibus, indultis, indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac aliis gratiis, tam ſpiritualibus quam temporalibus, quibus ipſi fratres Conventuales Reformati utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, & æquè principaliter uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore præmiſſis de ſpeciali gratia indulgemus. *Communicatio privilegiorũ Fratrũ Conventualiũ huic Congreg. Reformatorum.*

§. 5. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, qua cavetur expreſsè, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium profeſſores loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare, abſque Sedis prædictæ licentia ſpeciali de prohibitione expreſſam mentionem faciente, ac aliis quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtol. dictorumque Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. ſub quibuſcumque tenore & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Derogatio contrariorum.*

§. 6. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen alicujus Notarii, etiam in Archivio Romanæ Curiæ deſcripti, per dilectum filium noſtrum Hieronymum tituli Sancti Petri ad Vincula, Presbyterum Cardinalem de Ruvere nuncupatum, totius Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, etiam Reformatorum Sancti Franciſci hujuſmodi Protectorem, oretenus deputati ſubſcriptis, & ſigillo ejuſdem *Tranſumptorum fides.*

Hieronymi Card. Protectoris munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 5. die 20. Nov.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſc. die 20. Decembris 1589. Pont. noſtri anno quinto.

---

## C. Juriſdictio & facultates Theſaurarii generalis Romani Pontificis, & Collectoris Spoliorum ad Rever. Cameram Apoſt. quoquo modo ſpectantium.

*Officium Theſaurarii liquet eſſe antiquiſſimum, ex lectura bulla* 13. *Eugen. IV.* Inter. *Et Theſaurarium verum Papæ familiarem pronuntiavit Calliſt. III. in conſt.* 1. Quæ laudabili. *Et circa d. officium varias ediderunt nonnulli Pont. conſtitutiones, quas tanquam minus neceſſarias* (*præter hic & in apoſtillis indicatas*) *conſultò præterii. Præſertim quòd hæc bulla plenè omnia continet. At circa Cancellarias criminales Status Eccleſiaſtici, vide Theſaurarii auctoritatem, & in Cancellarios juriſdictionem, in conſtit.* 10. *Pauli IV.* Romanus, *ſup. & conſt.* 83. *Pii IV.* Superna.

Spoliorum autem appellatione veniunt bona Eccleſiaſticarum perſonarum ſine licentia Sedis Apoſt. de eis diſponentium, juxta conſtit. 19. & 46. Pauli III. ſup. ac Pii IV. conſt. 8. Et acquiſita ob illicitam negotiationem, juxta conſt. 19. Pii IV. illegitimis relicta, aut vacantia, ut hic, & infra in conſt. 18. Pauli V. Necnon bona Regularium extra clauſtra decedentium juxta conſtit. 43. Gregor. XIII. Clericorumque extra reſidentiam morientium juxta conſtit. 91. Pii IV. Fructus beneficiorum Italiæ, Sedi Apoſt. reſervatorum vel affectorum, dum vacant, juxta conſt. 32. Pii IV. Bona decedentium extra reſidentiam. Fructúſque beneficiorum inexacti, juxta conſtit. 7. Julii III. Vel ante literarum Apoſt. expeditionem, aut alias malè percepti, ut hic. Quæ autem non veniant in ſpoliis, dicam in d. conſtit. 18. Pauli V.

*Edita A. D. 1590.* *SIXTUS EPISCOPUS, Servus ſervorum Dei: Dilecto filio Magiſtro Bartholomæo Cæſio Clerico Romano, utriuſque juris Doctori, Cameræ Apoſtolicæ Theſaurario generali, ac Capellano & familiari noſtro, ſalutem, & Apoſt. bened.*

*Proœmium.* IN conferendis præcipuis Romanæ Curiæ, & Cameræ Apoſtolicæ officiis, illud potiſſimum nobis curæ eſt, ut juxta commiſſum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis munus, ſalubri directioni, indemnitati, & conſervationi ærarii Apoſtolici opportunè conſulatur, utque illius adminiſtratio talibus perſonis committatur, quarum opera, ſtudio, induſtria, ac fide, bona, res & jura prædictæ Cameræ providè, ac diligenter conſerventur & augeantur.

*Officii Theſaurariatus vacans.* §. 1. Dum itaque officium Theſaurariæ generalis ejuſdem Cameræ, quod dilectus filius noſter Guido Sanctorum Coſmæ & Damiani diac. Card. Pepulus nuncupatus, tempore aſſumptionis per nos de perſona ſua ad Cardinalatus honorem factæ nuper obtinebat, ex eo quod nos ipſum officium per aſſumptionem hujuſmodi vacare decrevimus, vacaverit, & vacet ad præſens.

*Cæſii familia laudabiles qualitates referuntur, & Officium Theſaurariæ, ac Collectoriæ ſpoliorum, ac fructuum, & proventuum beneficiorum eccleſiarum* §. 2. Nos ad generis nobilitatem, eximiamque doctrinam, necnon fidei, ac juſtitiæ zelum, integritatem, ac ſingularem probitatem, cæteraſque virtutes quibus tu qui notarius Apoſtolicus de numero participantium, & Cameræ præfatæ Clericus, & in utraque Signatura noſtra Referendarius, ac Prælatus noſter domeſticus exiſtis, & ex nobili Cæſiorum Proſapia, ex qua quamplurimi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Epiſcopi, Prælati, & aliæ egregiæ perſonæ de Sede Apoſtolica benemerentes hactenus prodierunt, & in dies prodeunt, originem trahis, clarere dignoſceris, noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum, & indubiè ſperantes quod ea quæ tibi duxerimus committenda, ſumma cum prudentia & exacta diligentia exequeris, quodque dextera Domini tibi aſſiſtente propitia dictum officium poteris laudabiliter exercere, dignum, quin potius debitum fore cenſemus, ut perſonam tuam nobis, & Apoſtolicæ Sedi admodum devotam condignis honoribus, & gratiis proſequamur. Te itaque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dictum officium per aſſumptionem prædictam, ſive alio quovis modo quem haberi volumus pro expreſſo, aut ex alterius cujuſcumque perſona vacans, cum officio Collectoriæ, etiam generalis ſpoliorum, ac fructuum, & proventuum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, necnon Eccleſiarum & Monaſteriorum in univerſa Italia, ac bonorum in Urbe & toto Statu Eccleſiaſtico vacantium, aliiſque illi annexis, necnon omnibus & ſingulis illius honoribus, privilegiis, necnon ex diſmembratione & ſeparatione (quinque millium ſcutorum annuorum monetæ ex fructibus dicti officii Theſaurariæ per nos nuper ex certis cauſis animum noſtrum moventibus factis, Monti Theſaurariæ per nos nuper erecto applicatorum, prout in noſtris inde confectis literis pleniùs continetur, remanentibus) juribus, regalibus, & emolumentis conſuetis, ac facultatibus, juriſdictionibus, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, prærogativis, favoribus, indultis, & gratiis, tam eidem Guidoni, quàm dilecto filio noſtro Benedicto S. Mariæ in Coſmedin diacono Juſtiniano nuncupato Cardinalibus, dum in minoribus conſtituti hujuſmodi officium Theſaurariæ obtinerent, quàm cæteris omnibus ante eos generalibus Theſaurariis, & Collectoribus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, extenſis, & innovatis, ac aliàs ad Theſaurariæ generalis & Collectoriæ hujuſmodi officia, de jure, fundatione, privilegio, uſu, conſuetudine, vel alio quocumque modo, & titulo pertinentibus, cæteriſque omnibus, & ſingulis quibus Benedictus & Guido Cardinales prædicti, dum hujuſmodi officium Theſaurariæ obtinuerunt, & alii quicumque eorum in officiis hujuſmodi anteceſſores, tam antiquis quàm modernis temporibus uſi, potiti, & gaviſi fuerunt, ac uti, potiri, & gaudere potuerunt, ſeu etiam debuerunt, ſive de illis per literas Apoſtolicas, vel patentes, aut ſcripturas, ſeu libros Camerales, vel quæcumque alia publica vel privata documenta, fidem tamen facientia appareat, quæ omnia & ſingula, illorum tenores præſentibus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, harum ſerie Apoſtolica auctoritate confirmamus, approbamus, & innovamus, tibique de novo concedimus, ita ut tu illis omnibus & ſingulis uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeas in omnibus, & per omnia, ac pariformiter, & abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi per præſentes ſpecialiter & expreſsè conceſſa fuiſſent, eadem tibi auctoritate concedimus & aſſignamus. Teque ad Theſaurariæ, & Collectoriæ officia hujuſmodi, illorumque liberum exercitium ex nunc recipimus, & admittimus, ac in locum dicti Guidonis Cardinalis quoad officia hujuſmodi ſubſtituimus, & ſubrogamus, ac noſtrum, & Sedis ac Cameræ prædictæ Theſaurarium generalem conſtituimus, & deputamus, ac per dilectos filios ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Camerarium, præfatæque Cameræ Præſidentes, Clericos, alioſque ad quos ſpectat, & ſpectabit, tam in eadem Camera quàm alibi recipi, & admitti, tibique de juribus, regalibus, jocalibus, taxis, proventibus, obventionibus, & emolumentis quibuſcumque, ad Theſaurariæ, & Collectoriæ officia hujuſmodi quomodolibet ſpectantibus, (dictis quinque

millibus

millibus ſcutis, ut præfertur, diſmembratis pro eadem Camera remanentibus) integrè reſponderi mandamus.

§. 3. Tibique quod in eadem Camera, aliiſque actibus Cameralibus, ac quibuſcumque aliis locis in loco ſolito poſt Vicecamerarium immediatè, ſed in Capella noſtra & quibuſcumque ſeſſionibus, proceſſionibus, equitationibus, aliiſque actibus, tam publicis quam privatis, in noſtro & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. conſpectu, & præſentia, vel etiam abſentia faciendis, ante omnes Epiſcopos, Primates & Patriarchas, immediatè tamen poſt Auditorem cauſarum curiæ Cameræ hujuſmodi ſedere.

§. 4. Ac in noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis ſignatura continuò intervenire, & aſſiſtere.

§. 5. Ac in omnibus & quibuſcumque cameris, & Congregationibus, intereſſe Cameræ præfatæ, ſive generaliter, ſive particulariter concernentibus, vocari, & adeſſe, ac intervenire.

§. 6. Necnon capitula, & conventiones appaltuum, & jurium dictæ Cameræ, ac apochas ſuper illorum, & aliorum jurium conceſſione in dicta Camera conſignandas, ſervato ſtylo in eadem Camera ſervari ſolito, per te ipſum ad nos referre poſſis & debeas, auctoritate & tenore prædictis indulgemus.

§. 7. Necnon ſcuta ducenta pro penſione domus, ac victum quotidianum Theſaurariis generalibus, pro ipſis & octo eorum familiaribus, ac duobus equis præſtari ſolita.

§. 8. Ac omnia, & ſingula jura, obventiones, proventus, ſalaria, regalia ſpoliorum, etiam cum diverſis Capitulis & Clericis ſæcularibus hactenus cum dicta Camera compoſitorum, & in poſterum componendorum.

§. 9. Ac bonorum vacantium, necnon redditiuum & proventuum, literis non expeditis, aut alias male & indebitè, ac contra formam conſtitutionis fel. record. Bonifacii Papæ Octavi, & Julii Secundi, & Tertii, & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum perceptorum.

§. 10. Ac etiam illicitæ negotiationis per quaſvis perſonas quavis auctoritate fungentes, nunc & pro tempore factæ, & aliorum jurium & fructuum inferiùs declarandorum decimas, taxas, & etiam emolumenta, ordinaria & extraordinaria, undecumque, & quomodocumque provenientia, quæ pro tempore exiſtentem dictæ Cameræ Theſaurarium & Collectorem ſpoliorum, ac fructuum & bonorum ad eandem Cameram ſpectantium, exigi & levari quomodocumque & quocumque titulo vel cauſa conſueverunt, ſeu etiam potuerunt, & debuerunt.

§. 11. Demptis tamen his, quæ per nunc & pro tempore exiſtentem noſtrum, & Sedis prædictæ in Regno Neapolitano, tam citra quam ultra Pharum, Nuntium hactenus percipi, & colligi conſueverunt, niſi compoſitionem, aut cauſæ terminationem in Curia fieri contingat, quo caſu decima tibi debeatur, necnon proventibus quatuor Cācellariis annatarum per piæ mem. Gregorium Papam XIII. etiam prædeceſſorem noſtrum conſtitutis & aſſignatis, ad quamcumque ſummam aſcendant, conſequi, exigere, & levare, ac realiter & cum effectu percipere poſſis, & valeas.

§. 12. Ac tam in Urbe, ejuſque diſtrictu, dominioque temporali ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, quam tota Italia, omnia & quæcumque bona, mobilia & immobilia, ac ſe moventia, necnon ſpolia, aliaſque res & bona quomodolibet nuncupata.

§. 13. Necnon fructus, redditus, & proventus menſarum Abbatialium, Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, Patriarchalium, & aliarum etiam Parochialium Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac quorumcumque beneficiorum, quomodocumque & qualitercumque qualificatorum, ex quovis titulo, etiam infecto, aut alias malè, & indebitè perceptos.

§. 14. Necnon bona ſine hæredibus decedentium, aut alias in Curia prædicta, vel extra eam ubique quomodolibet vacantia.

§. 15. Et de quibus contra conſtitutionem recolendæ memoriæ Pii Papæ Quinti ſimiliter prædeceſſoris noſtri contra illegitimos, etiam diſponi contigerit, aut jam diſpoſitum fuerit.

*Illegitimis relicta contra bullam 117. Pii V. quæ eſt ſup.*

§. 16. Aut ex cauſa illicitæ negotiationis, vel alias malè acquiſita.

*Malè acquiſita.*

§. 17. Et quæ ab apoſtatis, aut aliis extra clauſtra degentibus Religioſis, tempore eorum obitus detinentur, & poſſidentur, quæque per obitum ipſorum apoſtatarum, & aliorum Regularium extra clauſtra ſuorum Monaſteriorum exiſtentium, & alias contra formam literarum dicti Gregorii prædeceſſoris deſuper editarum.

*Relicta per Religioſos extra clauſtra degentes contra bullā Greg. XIII. num. 41. ſup.*

§. 18. Ac etiam illa, necnon ædificia & loca quæ ex fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis profecta, ædificata, refecta, & reſtaurata fuerint, ſeu alias ex eiſdem fructibus, redditibus, & proventibus quomodolibet provenerint per obitum quarumcumque perſonarum Eccleſiaſticarum beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, de quorum tamen ſimplicium fructibus vel ex privilegio Apoſtolico, vel ex conſuetudine legitimè præſcripta, diſpoſitum non fuerit, tam in titulum quam adminiſtrationem obtinentium, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quavis etiam Pontificali dignitate fulgentium, in omni Italiæ parte pro tempore decedentium.

*Acquiſita de fructibus Eccleſiaſticis, de quibus legitimè diſpoſitū non fuit.*

*Ad hoc vide bullam Pauli V. cit. in rub.*

§. 19. Necnon quarumvis perſonarum beneficia perſonalem reſidentiam requirentia obtinentium, extra eandem reſidentiam, ac ubilibet, etiam in dicta Curia decedentium remanſura, etiamſi in auro, argento, gemmis, & aliis pretioſis rebus cujuſcumque generis, qualitatis, & ſpeciei fuerint.

*Bona non reſidentium.*

*Hæc vide in Pii IV. conſtit. 91.*

§. 20. Ac etiam fructus, redditus, & proventus menſarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum in ipſius Cameræ libris taxatorum, necnon beneficiorum, etiam in diœc. quæ pactum cum dicta Camera iniverunt, ex quacumque cauſa Sedi prædictæ reſervatorum, ſeu affectorum ex die vacationis uſque ad diem præfectionis, ſeu proviſionis, & adeptæ poſſeſſionis illorum, ſeu commendæ de illis faciendæ, quos omnes fructus, redditus, & proventus ad nos & dictam Cameram ſpectare, & pertinere volumus, & decernimus, eidemque Cameræ applicamus, & appropriamus.

*Fructus beneficiorū reſervatorum, vel affectorū, pro tempore vacant. &c.*

*Ad hoc habes etiam ſup. Pii IV. conſt. 32. ubi notavi.*

§. 21. Necnon omnia, & quæcumque bona relicta, & quoſcumque hujuſmodi fructus, redditus, & proventus malè perceptos, cujuſcumque qualitatis, & quantitatis fuerint, etiam percipere, exigere, & recuperare poſſis, & valeas.

*Fructuſque omnes malè percepti.*

§. 22. Ac etiam tam ex officio curiæ tuæ, ſeu Cameræ prædictæ, illique adhærentium, quam etiam ad ſolam inſtantiam denuntiantium, ſeu inſtigatorum inquirendi & inveſtigandi omnibus viis & modis, tam ſuper illis, quàm aliis quibuſcumque ſpoliis, quæ hactenus ex bonis relictis, & fructibus hujuſmodi per ſimilium perſonarum obitum, aut alias ut præfertur, ſeu quomodolibet remanſerunt, & indebitè quocumque prætextu uſurpantur, & uſurpari contigerit, noſtro & dictæ Cameræ nomine colligere, percipere, & exigere, etiam cum facultate pro faciliori inquiſitione quaſcumque perſonas, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerint, etiam exemptas.

*Facultas Theſaurario datur procedendi, etiam ex officio in præmiſſis, & cōtra exemptos.*

§. 23. Necnon præteritos & pro tempore exiſtentes collectores & ſubcollectores vel officiales, coram te vel alio, ſeu aliis à te deputando, ſeu deputandis, ad reddendum computum & rationem de adminiſtratis, exactis & receptis ab eiſdem.

*Officialeſque ad reddendā rationem cogendi.*

§. 24. Illoſque quorum teſtimonio indigere cognoveris, ad ſe examini ſubjiciendum.

*Teſtes ad ſe examinandū aſtringendi.*

§. 25. Et ſpoliorum ac fructuum, redditutum, & proventuum, ac bonorum hujuſmodi occupatores & detentores ad ſpolia, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi reſtituendum, & relaxandum.

*Occupatores ſpoliorum coërcendi.*

§. 26. Ac tibi ad effectum vendendi, ſubhaſtandi, deliberandi, diſtrahendi, & alienandi, arbitrio tuo in vim hujuſmodi facultatum, prout tibi viſum fuerit, & etiam abſque aliqua ſubhaſtatione, ſeu incantu, & abſque interventu & inſtantia alterius officialis, etiam prædictæ Cameræ pro tempore exiſtentis commiſſarii,

*Illaque arbitrio ſuo vendendi.*

in pecuniam convertendi, illa conſignandum, & ſolvendum.

*Delinquentes in præmiſſis puniendi.*

§. 27. Illoſque qui in præmiſſis vel circa ea quomodolibet deliquerint, etiam ad perſonaliter coram te, ſeu à te deputando vel deputandis hujuſmodi comparendum, ſub confiſcationis bonorum, & privationis beneficiorum, inhabilitatiſque ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac etiam pecuniariis, quæ tibi videbuntur, ac demùm excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis tuo arbitrio infligendis, moderandis, & applicandis, monendi, citandi, & compellendi, ac etiam carceribus mancipandi, ac quoties tibi videbitur relaxandi, contradictores quoſlibet & rebelles, ac contumaces pœnas, ac cenſuras prædictas incurriſſe declarandi, illaſque etiam ſæpiùs aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi.

*Deſuperque componendi.*

§.28. Ac ſuper eiſdem ſpoliis, fructibus, redditibus, & proventibus, ac bonis, toties quoties tibi videbitur, cum quibuſvis perſonis quacumque auctoritate fungentibus componendi, & concordandi, ac ſolventes de compoſitis & ſolutis per eos, ac de receptis quietandi, liberandi, necnon ad cor reverſos, ſi id humiliter petierint, à cenſuris & pœnis, prævia ſatisfactione ſimpliciter, & etiam aliàs cum reincidentia, ſeu ad cautelam, ſeu ad effectum agendi, abſolvendi, & liberandi, ac à carceribus relaxandi.

*Summariè procedendi.*

§.29. Et in præmiſſis omnibus & ſingulis, etiam ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, etiam privativè quoad alios quoſcumque quavis auctoritate fungentes, & functuros, procedendi, ſententiandi, ſineque debitò terminandi.

*Cauſas ſpoliorum, eiſque annexas, ab omnibus Iudicibus reaſſumendi.*

§. 30. Cauſaſque hujuſmodi etiam cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, connexis & annexis, à quibuſcumque aliis judicibus ordinariis, & delegatis, quacumque auctoritate fungentibus, & etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditoribus, ſeu Locatenentibus, vigore ſuæ ordinariæ juriſdictionis, ac facultatis reaſſumendi, ac illis, aliiſque quibus opus fuerit, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniariis pœnis tuo arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis inhibendi, in ipſaſque cenſuras, & pœnas, quoties opus fuerit, incidiſſe declarandi, aggravandi, & reaggravandi.

*Vicethesaurarium, Auditores, Collectores, &c. deputandi, & ſuo arbitrio removendi.*

§. 31. Necnon Vicetheſauratium, aut Locumtenentem generalem, ac unum, ſeu plures Auditores loco tui, cum ſimili aut limitata poteſtate, toties quoties tibi expedire videbitur, & ad omne tuum beneplacitum deputandi, conſtituendi, & faciendi, ac revocandi, necnon quoſcumque collectores, ſubcollectores, commiſſarios, ſubcommiſſarios, ac depoſitarios & exactores pecuniarum, & jurium dictæ Cameræ, ſeu alios officiales hactenus deputatos, ſeu deputandos revocandi, ſeu confirmandi, & alios quoſcumque illorum loco per tuas literas tuo ſigillo munitas, in quibuſcumque civitatibus, oppidis, terris, & locis deputandi, & ſubdelegandi, quoties tibi videbitur expedire, cæteraque omnia faciendi, gerendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint quomodolibet & opportuna, plenam tibi, & liberam per præſentes concedimus facultatem.

*Cauſas ſpoliorum & inde pendentium, privativè quoad alios cognoſcendi.*

§.32. Et inſuper ut ſpoliorum, fructuum, reddituum, & proventuum, ac bonorum, juriumque hujuſmodi exactio celerius, commodiuſque fiat, ſtatuimus quod omnes & quæcumque ſimiles lites, cauſæ, & controverſiæ, ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, & proventibus, ſpoliis, bonis, & aliis prædictis, & illorum occaſione, & aliæ quæ ab ipſis litibus, & cauſis quomodolibet dependent, ſeu cum illis connexitatem habuerint, nunc & pro tempore quócumque locorum pendentes, & ſi ſuper ſpoliis, ſeu fructibus malè perceptis, & aliis prædictis fuerit facta compoſitio in Camera, & inter partes adhuc aliqua controverſia pendeat, nullo alio quam à te ac tuis, ſeu aliis ſuper ſpoliis, & fructibus, rebuſque, bonis ac aliis præmiſſis à te pro tempore deputandis collectoribus, ſubcollectoribus, & aliis officialibus & miniſtris ſpecialibus vel generalibus.

*Appellationes à ſententiis Nuntiorum, Colle-*

§. 33. Necnon cauſæ appellationum à ſententiis latis per tuos commiſſarios, vel etiam pro tempore exiſtentibus Sedis Apoſtolicæ Nuntiis in Neapolitano, Hiſpaniarum, Portugalliæ, ſeu Algarbiorum Regnis, ac Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontium, aliiſque quibuſcumque Regnis & Provinciis, ac ubique locorum reſidentibus, necnon Viſitatoribus, & aliis quibuſcumque, quomodocumque & qualitercumque, & ſub quovis nomine, titulo, aut munere, & aliis collectoribus generalibus deputatis, & pro tempore deputandis, ad te ſolum, & tuos deputatos prædictos in ſecunda inſtantia, ſeu alia pertineant, omneſque appellationes deſuper interpoſitas & interponendas, à te tuiſque prædictis, & non ab alio, juxta formam dicti Gregorii prædeceſſoris cognoſci, nec alteri, niſi per commiſſionem manu noſtra ſignatam, vel per noſtras literas, & citato dictæ Cameræ Commiſſario generali, & Notario ſpoliorum, & cauſarum hujuſmodi pro tempore à te deputato, cognoſci & terminari poſſint. Quodque monitoria, citationes, inhibitiones, proceſſus, ſententiæ, & mandata, quæ aliàs quam ex citatione, commiſſione, vel literis noſtris emanaverint, quoad earundem cauſarum introductionem, & litis pendentiam, ſeu tuam, tuorumque miniſtrorum ad id à te deputandorum juriſdictionis & proceſſuum impedimentum, retardationem, vel perturbationem, nullius ſint roboris vel momenti.

*Appe... Theſ... devol... tantu... cedit... retar... execu...*

§. 34. Sed nec niſi præſtita cautione idonea in forma depoſiti, à ſententiis per te, ſeu Locumtenentem vel Auditorem, ſeu Miniſtros prædictos, ſuper præmiſſis pro tempore latis, ullo modo appellari, niſi poſt factam exequutionem ad effectum devolutivum tantum, nec earum executio differri, aut ſuſpendi poſſit.

*Loco... tiū ... tiones ... ſolitu... mitti... ab e... eadem... dunm...*

§.35. Necnon quaſcumque reſignationes & ceſſiones quorumvis locorum, ſeu creditorum Montium Julii, ac primi & ſecundi ſuccurſus Avenion. aliorumve, ſi quæ ſint reſignationes, ſeu ceſſiones quas Theſaurarius pro tempore exiſtens admittere conſueverit, admittendi, & ipſa loca, ſeu credita, tam per reſignationem, ſeu ceſſionem hujuſmodi, quàm per aliam quamcumque dimiſſionem vel admiſſionem pro tempore vacantia cōferendi & aſſignandi, juxta formam aliarum facultatum tuis anteceſſoribus conceſſarum, & quaſcumque patentes literas tuo ſigillo munitas expediendi, ac Secretarium & Capellanum, ac Computiſtam, ſeu Ratiocinatorem, alioſque officiales juxta ſolitum, quoties tibi videbitur deputandi & revocandi.

*Cura i... tuum ... ſtructi... Civita... Terra... eidem ...*

§.36. Necnon curam & adminiſtrationem introïtuum Civitatis noſtræ Terracinen. ac conſtruendi Civitatem novam jam inceptam in loco ſalubriori, juxta formam aliarum facultatum tuis prædeceſſoribus cōceſſarum petendi licentiam, facultatem, poteſtatem, & auctoritatem tenore earundem præſentium concedimus & impartimur.

*Seri... Lotto... mitten... &c. ... Theſa... faculta... tur.*

§.37. Præterea cum nonnulli, tam Prælati quam Urbis prædictæ cives & incolæ, & curiales, quam aliæ diverſæ perſonæ totius ditionis noſtræ Eccleſiaſticæ, ære alieno quandoque gravati, & aliis neceſſitatibus oppreſſi pro eorum debitorum ſatisfactione, aut neceſſitatum hujuſmodi ſublevamine, ac alias ipſorum arbitrio propria jocalia, aurumque & argentum, & alia bona, tam mobilia quam immobilia, domos, vineas, & alia quæcumque vendere cupientes, utplurimùm illa niſi ſatis minori pretio eorum veri valoris cum maximo eorum detrimento vendere, neque emptores invenire poſſint, tibi quibuſvis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, ut eorum jocalia, aurum, argentum, & alia bona, tam mobilia quam immobilia, ut ſupra, ſub ſortibus quas lottos vocant, etiam cum buſſula & pallis, aut alias tui arbitrio exponere, ac ſortes, ſeu lottos hujuſmodi facere, publicare & exercere, prævia exiſtimatione peritorum à te deputandorum, privativè ad quoſcumque alios poſſis & valeas, ſoluta tamen Cameræ prædictæ rata & portione tibi bene viſa, ac decima tibi, & iis qui ſortes, ſeu lottos hujuſmodi fecerint quaſcumque licentias concedendi, ipſiſque ut dictam ratam eidem Cameræ, ac decimam prædictam ſolvendam, unà cum expenſis realibus, & neceſſariis deſuper faciendis, in & ſuper eiſdem lottis recuperare poſſint, quibus tibi bene viſum fuerit indulgendi, ac peritos exiſtimatores eligendi & deputandi, & deſuper edicta, ſeu publicationes, necnon quaſcumque patentes literas tibi bene-

viſas

viſas, tam in dicta Urbe quam extra illam in quibuſcumque civitatibus, oppidis & locis Status Eccleſiaſtici mediate vel immediate Sedi prædictæ ſubjectis publicandi, ac locis publicis affigendi, & tuo ſub ſigillo expediendi, necnon omnes & ſingulos qui hactenus ſimiles licentias obtinuerunt, ad ſolvendum ratam & portionem hujuſmodi tibi benè viſam, etiamſi in eorum licentiis aliter expreſſum ſit cogendi, ac licentias hujuſmodi, quoad illos qui illas ſolvere recuſaverint, aut diſtulerint revocandi.

§.38. Nec non omnes & ſingulas cauſas, lites, & controverſias deſuper, tam occaſione ſpoliorum & bonorum vacantium, ac Montium, illorumque locorum ac fructuum, quàm etiam Lottorum hujuſmodi, aliorumque omnium & ſingulorum præmiſſorum, tam civiles quam criminales & mixtas, quomodolibet ortas, & quas pro tempore oriri contigerit inter quaſcumque perſonas, quacumque auctoritate, dignitate, & præeminentia ſuffultas, unà cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, & ex officio tuæ Curiæ ſimpliciter, ſummariè, & de plano, ſola facti veritate inſpecta audiendi, cognoſcendi, decidendi, ſineque debito, omni & quacumque appellatione ad effectum ſuſpenſivum tantum remota, terminandi & finiendi, ac quæcumque mandata executiva decernendi, relaxandi, & quacumque appellatione aut recurſu vel inhibitione illius prætextu, ſeu alias forſan emanatis non obſtantibus, exequi faciendi privativè ad omnes & ſingulos alios: ita quod nullus etiam vigore commiſſionis, niſi manu noſtra, aut pro tempore exiſtentis Romani Pontificis ſignata fuerit, in cauſis hujuſmodi ſeſe intromittere poſſit & debeat.

§.39. Ac etiam quaſcumque cauſas coram quibuſcumque aliis judicibus ordinariis vel delegatis, etiam noſtri Palatii Auditoribus, ſeu Locumtenentibus, ut ſupra, nunc & pro tempore introductas, tua ordinaria auctoritate, & in vim hujuſmodi facultatum reaſſumendi, illiſque quibus opus fuerit inhibendi.

§.40. Ac tam in dictis lottis, quam etiam cauſis & litibus ab eis quomodocumque & qualitercumque dependentibus, etiam illorum extractionem & præmiorum conſignationem, unum ex Cameræ prædictæ Notariis tibi benè viſum ad tuum beneplacitum, toties quoties tibi videbitur & placuerit, eligendi & deputandi, ac omnes & ſingulos hactenus deputatos, & ſeu in futurum deputandos ad tuum libitum revocandi, ac alium ſeu alios ſimiliter deputandi.

§.41. Omneſque & ſingulas ſcripturas, inſtrumenta, & acta, tam lottos hujuſmodi quam omnia & ſingula alia juriſdictionem generalis Theſaurarii, vel collectoris ſpoliorum concernentia, tibi conſignari faciendi, & quos opus fuerit cogendi & compellendi, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, plenam, liberam, & abſolutam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem ſimiliter concedimus & impartimur.

§.42. Necnon ut accuratius & diligentius præmiſſis invigilare, ac perſonas, quæ præmiſſorum curam ſuſcipere valeant, retinere valeas, tibi decimā omniū & ſingularum pecuniarum ſeu aliarum rerum ex dictis ſortibus, ſeu lottis, ſub quibuſvis modo & forma hactenus factis & publicatis, quā de cætero faciendis & publicandis, ad Camerā & Sedem prædictam provenientiū aſſignamus, tibique decimam hujuſmodi propria auctoritate retinendi, etiam abſque aliquo alio mādato & ordinatione à quibus opus fuerit recipiendi, exigendi, levandi, ac in tuos uſus & utilitatem convertendi, facultatem pariter elargimur. Præterea tibi, ut de omnibus compoſitionibus & incamerationibus quomodolibet per te, ſeu collectores, alioſque tuos officiales & miniſtros ex quacumque cauſa quomodolibet factis, & pro tempore faciendis, etiam pro fructibus, redditibus, & proventibus malè perceptis, ac aliis præmiſſis in quibuſcumque locis & tribunalibus factis, ſeu faciendis, ac etiam à Camerario, ejuſque Auditoribus civiliter vel criminaliter quacumque ex cauſa expediendis, integram decimam illarum partem ultra ratam eidem Camerario tangentem habere & exigere poſſis & debeas, & ex iis incamerationibus & compoſitionibus deducere & retinere pariter volumus & mandamus.

§.43. Inſuper quod tu quæcumque edicta, bannimenta, literas ſeu ordinationes ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & illorum obſervatione facere, edere, publicare & denuntiare, ac ad illorum obſervationem quoſcumque in eis comprehenſos.

*Bannimenta promulgandi ſuper præmiſſis Theſaurario facultas* [...]

§.44. Necnō quoſvis Cam. præfatæ, ex quavis cauſa vel occaſione debitores, ad ſolvendū vel ſatisfaciendum omnibus viis, ac juris & facti remediis cogere & cōpellere.

*Debitores Cameræ ad ſolvendum cogendi.*

§.45. Proprioque ſigillo uti, in omnibus actibus, & ſcripturis, quæ hactenus ſub ſigillo Theſaurarii expediri conſueverunt, emolumentaque exinde provenientia, tam occaſione litterarum patentium commiſſariorum, depoſitariorum, & aliorum officialium, quàm ex conceſſione, & aſſignatione quorumvis locorum Montium, & aliarum quarumcumque expeditionum, quibus ſigillum tuum quomodolibet apponendum fuerit percipere, ad inſtar Theſauſariorum aliorum anteceſſorum tuorum, & juxta ſolitum, nec alias, etiam liberè & licitè valeas, licentiam eadem tibi auctoritate impartimur.

*Sigillo proprio utendi, & eius emolumenta percipiendi.*

§.46. Necnon ut quicumque loci Ordinarius, ſeu utriuſque, ſeu alterius Signaturæ Referendarius, aut Metropolitan. vel alterius Cathedralis aut collegiatæ Eccleſiæ canonicus, ſeu perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, ad id per te eligendus ſeu eligenda, quaſcumque penſiones annuas ſuper quarumvis menſarum Epiſcopalium ſeu Archiepiſcopalium, ſeu aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & quorumvis Ordinum regularium fructibus, redditibus & proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, necnon diſtributionibus quotidianis, ſeu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta, ac diſtributiones hujuſmodi, tibi auctoritate prædicta reſervatas, & reſervata, ac reſervandas & reſervanda, etiamſi penſionis ſeu fructuum hujuſmodi ſolutiones, & exactiones ſucceſſoribus beneficiorum, & Eccleſiarum aliorum prædictorum incipere habuerint, uſque ad ſummam mille ducatorum auri in auro de Camera novorum, in dicta Curia vel extra eam ubique locorum, etiam in Eccleſiis quas te obtinere, aut perſonam tuam illis præeſſe contigerit, non reſidente, etiam in mortis articulo de tuo etiam poſt dimiſſionem officii Theſautariatus hujuſmodi expreſſo conſenſu caſſare, extinguere & annullare, & poſtquam caſſæ, extinctæ, & annullatæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis & diſtributionibus hujuſmodi, ſeu fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, & diſtributiones prædictas, uſque ad eandem ſummam, uni ſeu pluribus perſonis ad id per te nominandis, & quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, eiſdem modo, forma, conditionibus, ac cum immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, donationibus, indultis, decretis, & aliis quibus tibi reſervatæ, ſeu reſervata fuerint, etiam abſque conſenſu ſolvere habentis, ſeu fructus, aut obtinentium Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, dignitates, & alia beneficia hujuſmodi, dicta auctoritate reſervare, concedere, conſtituere, & aſſignare, ac etiam transferre libere & licite valeas, ac etiam reſervationes ſeu tranſlationes penſionum, ſeu fructuum hujuſmodi vigore Præſentium faciendæ valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi per nos & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem de conſenſu ſolvere habētis penſiones, ſeu obtinentium Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, dignitates, & alia beneficia hujuſmodi factæ fuiſſent.

*Penſiones uſque ad ſcuta* [...] *mille transferendi &c.*

§.47. Tibique etiam, ut de ſingulis domibus, prædiis, poſſeſſionibus, oppidis, caſtris, terris & aliis locis, etiam juriſdictionalibus, aliiſque bonis mobilibus & immobilibus, ac ſe moventibus, cujuſcumque qualitatis, valoris, ſpeciei, pretii, etiam notabilis & notabiliſſimi, ac conditionis exiſtentibus, necnon pecuniis, juribus & actionibus ad te, tam ratione quarumvis etiam Patriarchalium & Cathedralium, ac Metropolitanarum Eccleſiarum ac Monaſteriorum, etiam Conſiſtorialium, Priora-

*Teſtandi* [...] *de bonis etiā juriſdictionalibus, & acquiſitis de rebus Eccleſiaſticis &c.*

tuum, Præpoſiturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, etiam militarium, quæ ex quibuſvis conceſſionibus & diſpenſationibus Apoſtolicis, in titulum, commendam, adminiſtrationem, aut alias quomodolibet obtines, & in poſterum obtinebis, ac ratione fructuum, reddituum, & proventuum Eccleſiaſticorum quarumcumque menſarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, & Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, ut præfertur qualificatorum, ac penſionum annuarum, ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus, nomine & forma præmiſſis reſervatarum & aſſignatarum, ac reſervandarum & aſſignandarum, quos & quas percipis & percipies in futurum, necnon emolumenta Theſaurariatus, & aliorum quorumcumque ejuſdem Curiæ officiorum & Montium, necnon legationum, ac alias quocumque modo, via, forma, & occaſione ad te ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, & proventibus, ac penſionibus, necnon quomodolibet & undecumque licitè acquiſitis & acquirendis, ac aliàs quomodolibet, etiam ex officiis quæ exercuiſti, aut te exercere contigerit, & alia quavis occaſione vel cauſa, ſeu contemplatione ad te perventis & perventuris, etiamſi in pecunia numerata, jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus, ac alias quomodolibet, nunc & pro tempore conſiſtunt, ac etiamſi eſſent de tua Capella, illiuſque ornamentis, vaſis, & denique tota illius ſacra ſupellectili, tam in dicta Curia quàm extra ubique locorum exiſtentibus, quorum omnium qualitates & veros annuos valores, etiamſi talia eſſent quæ generali appellatione bonorum, vel ſupellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus, ac ſi ſpecificè & ſigillatim exprimerêtur & denotarentur, pro ſufficienter expreſſis & narratis habere volumus, ac etiam de ipſis proventibus & penſionibus debitis & debendis, ac etiam nondum perceptis & exactis, etiamſi eorum ſolutionis terminus nondum advenerit, pro illa rata quæ tibi debita erit uſque ad quamcumque & quantumvis maximam, ac notabilem & notabiliſſimam, ac inexcogitatam ſummam, tam pro decentibus & honeſtis impenſis funeris tui, quam etiam remuneratione illorum, qui tibi viventi inſervierunt, etiam ultra ſervitii meritum, & in tuorum conſanguineorum & affinium, ac etiam quarumvis aliarum perſonarum, etiam extranearum, necnon Conventuum, Univerſitatum, Collegiorum & aliorum, etiam non piorum locorum, dummodo non illegitimorum, aut aliàs quomodolibet incapacium, & quoad Capellam tuam prædictam, dummodo in Eccleſiarum favorem & uſum, & alias pro tuo arbitrio & voluntate abſolutis teſtari, ac teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, legatis, donationibus, tam inter vivos quam cauſa mortis, & aliis quibuſcumque modis & viis, etiam omiſſis quibuſvis ſolemnitatibus, etiam ſubſtantialibus, & formis, tam de jure quàm per noſtras & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum conſtitutiones & ordinationes, necnon ſtatuta ac conſuetudines Urbis, civitatis, loci, & Provinciæ, ubi id fieri, vel te in eadem voluntate permanente mori contigerit, tam verbo quam ſcriptura, etiam minus ſolemni, & ſine aliqua inſinuatione, ſeu ſubſcriptione teſtium, aut etiam coram duobus vel tribus teſtibus tantum, aut etiam cedula ſola manu tua ſubſcripta, ac alias in omnibus & per omnia, prout tibi quomodolibet videbitur, & in ipſa Curia & extra eam, & ubique locorum, & in mortis articulo, & nulla facta mentione præſentis, vel aliarum tibi pro tempore conceſſarum ſimilium facultatum, quibus per præſentes nullatenus præjudicatum eſſe decernimus, aut quod in vim illarum teſtari, & diſponere velis & intendas, ſemel atque iterum, & pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, liberè & licitè valeas, prædicta auctoritate, tenore earundem præſentium concedimus & indulgemus.

*Literas Apoſtolicas quaſcumque, tam gratiâ quàm juſtitiâ con-*

§. 48. Necnon, quod omnes & ſingulas literas Apoſtolicas, ſub plumbo, ac etiam in forma Brevis, tam præſentes quam alias ſuper quibuſvis gratiis, indultis, conceſſionibus, facultatibus, tam gratiam quam juſtitiam concernentibus, per te, ac Vicetheſaurarium, ſeu Locumtenentem, & duos familiares tuos per te nominandos, à nobis & ſucceſſoribus noſtris, aut Sede prædicta pro tempore impetratis, ſeu etiam motu ſimili conceſſis, in omnibus Cancellariæ, Cameræ, & Curiæ prædictarum officiis, necnon plūbo & regiſtro, ac Secretaria Apoſtolica, ac alias ubilibet gratis, & abſque ulla taxarum, annatarum, communium, minutorum, ſervitiorum, jocalium, aut aliorum quorumcumque jurium, aut regaliorum ſolutione expediri, & Reſcribendarius taxam literarum prædictarum, cū ſubſcriptione Gratis pro perſona Theſaurarii, & aliorum prædictorum ſubſcribere, ac tam ipſe, quam alii Scriptores, Abbreviatores, Sollicitatores, literarū Archiviſtæ, Cubicularii & Scutiferi Apoſtolici, Portionarii, & Præſidentes Ripæ, & Milites SS. Petri & Pauli, Cancellarii, Secretarii, Protonotarii Apoſtolici, & Summiſtæ, necnon Magiſtri & plumbi Collectores, ac Plumbatores, Regiſtratores, & Vicecancellarii, & quicumque alii prædictæ Curiæ officiales, & expeditionum literarum hujuſmodi pro tempore Præſidentes, eorumque Miniſtri, etiam in annatis, communibus, jocalibus, minutis, ſervitiis, regalibus, & aliis juribus hujuſmodi participantes, eaſdem literas, perſonam dicti Theſaurarii, ejuſque Vicetheſaurarii & Locumtenentis, ac duorum familiarium ſuorum prædictorum concernentes, etiam poſt dimiſſionem officii Theſaurarii, ita quod te ſemel fuiſſe Theſaurarium, ad effectum omnium & ſingulorum prædictorum, tibi ac dictis tuis ſufficiat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & ſuſpenſionis, ac privationis ſuorum officiorum, fructuumque & emolumentorum eorundem amiſſionis pœnis, per eos ad quos pertinuerit, & qui eas gratis ſubſcribere, vel concedere & expedire noluerint, eo ipſo incurrendis, abſque alio noſtro & ſucceſſorum noſtrorum, & Sedis præfatæ ulteriori mandato, omninò gratis, & abſque alia taxarum, annatarum, communium, jocalium, minutorum, ſervitiorum, & aliorum præfatorum ſolutione & exactione, in omnibus & per omnia uſque ad plumbum & regiſtrum, ipſarumque finalem expeditionem & relaxationem incluſivè, omni contradictione ceſſante expediri, ſubſcribi, ac relaxari facere & permittere debeant & teneantur, etiamſi in eorum officiis & conceſſionibus caveatur expreſsè ut ad id non teneantur, & quod eorum officia fuerint eis conceſſa titulo oneroſo, volumus & mandamus, &c.

*Clau- hujus præſer- va.*

§. 49. Præſenteſque ibi in omnibus & per omnia ſuffragari debere, illaſque & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam revocari, aut adverſus eas quodcumque juris, aut facti vel gratiæ remedium impetrari, minuſque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antequam illæ emanarent, erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas, etiam ſub quacumque data per te eligenda, validaſque & efficaces ſemper fore & eſſe, vimque validi & efficacis contractus inter nos & Sedem, ac Cameram præfatas ex una, & te ex altera partibus ritè & rectè facti, initi, & ſtipulati, ac etiam hinc inde acceptati, habere & obtinere, ac inviolabiliter obſervari, ſemperque validas & efficaces exiſtere.

*Decre- irrita-*

§. 50. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales & Camerarium, dictæque Cameræ Præſidentes & Clericos, ac Palatii Apoſtolici Auditores præfatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia, ac ubique locorum judicari, ac definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate & tenore præmiſſis decernimus.

*Execu- deputa-*

§. 51. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Amerin. & Tudertin. Epiſcopis, ac dilecto filio Curiæ cauſarum ejuſdem Cameræ generali Auditori, per Apoſtolica

lica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte tua fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, tibique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant te approbatione, confirmatione, *conceſſione, aſſignatione*, receptione, admiſſione, *ſubrogatione, conſtitutione*, mandato, ſingulis indultis, *voluntate, decretis, ſtatuto*, impartitione, remiſſione, *condonatione, obligatione, hypothecatione*, aliiſque præmiſſis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes te per Camerarium, Præſidentes, ac Clericos prælatos, ſeu quoſcumque alios, quavis auctoritate fungentes quomodolibet contra tenorem præſentium moleſtari, perturbari, inquietari, impediri. Contradictores quoſlibet & *rebelles*, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque *opportuna juris & facti remedia*, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. Non obſtant. conſtitut. & ordinationibus Apoſt. necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum & Ordinum quorumcumque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, illorumque Superioribus & perſonis, dictæque Cameræ Clericis, & Collegio, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam degatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis: quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, ac forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtol. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 52. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, ac Notarii publici manu ſubſcriptis, tuoque ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides ubique locorum in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1590. decimo Kalend. Februarii, Pont. noſtri anno 5.

---

## CI. De Aquæ Fœlicis mox ad Vrbem conductæ, ratione & cura demandata Congregationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium inſtitutæ ad Aquas, Vias, Pontesque curandos. De Officio & munere Civium Romanorum ejuſdem Aquæ Viſitatorum.

*Hujus Congregationis inſtitutionem fecit hic Pont. in conſt.* 74. Immenſa, *in Congr.* 13. *Et ſimilem Aquæ Paulæ ad Vrbem adductionem, dotiſque pro ejus conſervatione aſſignationem ſtatuit Paul. V. infr. in ejus conſt.* 75. in Sede.

*SIXTVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SUpremi cura regiminis, divina nobis diſponente clementia commiſſi, nos admonet, ut quæcumque pro locorum uſu & incremento, necnon pro hominum vitæ neceſſitatibus ſublevandis, aut commoditatibus ipſorum augendis in dies peraguntur, à nobis ea, quæ ſecuriora diuturnioraque divina favente gratia permaneant, providis ſolidiſque legibus fulcienda ſtatuamus.

§. 1. Cum igitur Urbem Romam beatiſſimi Petri Apoſtoli Principis firmam Sedem ac honorabilem thronum, Chriſtianæ Religionis domicilium, communem fidelium omnium patriam ac parentem, immò & cunctarum Nationum ad eam undique cõfluentium portum tutiſſimum, non ſolum ſacris & ſpiritualibus præſidiis munitam, ſed humanis etiam ac temporalibus commodis ornamentiſque decoratam eſſe deceat, idcirco ab ipſo *Pontificatus* initio, publicis privatiſque Civium ac Incolarum Urbis neceſſitatibus conſulere, ejus regiones ſacrarum ædium, privatarumque domorum ædificiis augere, & demum vetera renovando, nova perficiendo, & ſingula ad omnipotentis *Dei* gloriam & ſanctæ Sedis hujus honorem referendo, totius Urbis amplitudinem atque ornatum, quantum in nobis eſt, diutiſſimè tueri ac conſervare decrevimus.

*Hic Pont. Vrbis ornatui ſtuduit.*

§. 2. Quare, cum ejuſdem Urbis colles præclariſſimis olim Quiritum ædibus & foris, ſublimibus inde Cæſarum Palatiis, ſuperbiſſimiſque theatris & thermis, longiſſimiſque & mirabilibus Aquæductibus, ſacroſanctæ denique Chriſti D. N. fide ſuſcepta Chriſtianorum Imperatorum aliorumque piorum hominum Baſilicis & Templis extructis inſignes, frequentiſſimè habitatos, deinde ob aquæductus, nonnullos quidem fera audaciſſimorum Barbarorũ immanitate immanique crudeliſſimorũ hoſtiũ feritate demolitos, nonnullos vero vetuſtatis injuria ſeu tempeſtatum vi collapſos, à pleriſque jam ſæculis quaſi deſertos & habitatoribus deſtitutos eſſe animadvertimus, inferiora autem Urbis loca quampluribus ædificiis referta, ob ſitus aëriſque humiditatem minus ſalubria eſſe, quinimmò crebris ac plerumque ſubitis Tyberis Fluvii, qui aſſiduis Aquarum imbribus & maris refluxu augeſcit, inundationibus patere, obruique experti fuerimus, prout ſummo cum animi dolore oculis etiam noſtris aliquando proſpeximus. His moti rationibus de Aqua copioſa & ſalubri in ipſos colles & eminentiora Urbis loca inducenda, nullis difficultatibus nullaque impenſæ magnitudine deterriti cogitare cœpimus, eo nimirum conſilio, ut fontibus reſtitutis, & aquis, quæ publicas, privataſque utilitates hominum ſocietati præbent, ſalubritatemque corporibus afferunt, reductis, iterum iidem colles habitentur, ipſorumque regiones quæſitus proſpectu, aëris ſalubritate, & loci amœnitate præſtant, frequentia populi, qui benedicente Domino in dies cumulatius augetur, priſtinæ jucunditati atque ſecuritati reſtituatur. Qua ſanè deliberatione ſuſcepta, longas lataſque jam diu per eoſdem colles vias magna noſtra impenſa aperuimus, domos & officinas ibidem extruximus, extruique ab aliis fecimus, nundinas commercii, hominumque conventus cauſa ad communem uſum inſtituimus, fontes publico uſui ſervientes extruximus, ædificantibus & habitantibus immunitates privilegiaque dedimus, ſacroſanctas Baſilicas in eiſdem collibus à Religioſiſſimis quondam Imperatoribus, aliiſque piiſſimis viris extructas, frequentioris viſitationis eis debitæ cauſa inſtauravimus, & obeliſcis, illuſtribus antiquorum monumentis, gentilitatis impuritate expiatis, Crucique invictæ felicius conſecratis, ad earum limina operosè magnificeque tranſlatis exornavimus.

*Aquam in eminentioribus eius locis reduci curavit, ad frequentiorem Vrbis habitationem, ultra alia egregia opera hic enunciata.*

§. 3. Atque, ut Urbs in ipſis collibus tandem incrementum acciperet, ab eodem Pontificatus noſtri initio, Aquæ illius, quæ in agro Columnæ via Præneſtina ſiniſtrorſum concipitur, quæque omnium prima ab Appio Claudio Craſſo Cenſore olim in Urbis inferiora & depreſſiora loca, nempe ad ſalinas adducta eſt, ſuperiorem & puriorem portionem, compluribus Aquarum ſcaturiginibus auximus, & potiſſimum Aquæ Martiæ, quæ quia gelida & ſalubris, ideò omnium Aquarum jucundiſſima & apud veteres celeberrima cenſebatur, tamo, quem ex proprio Aquæductu, magna tamen ex parte diruto deſumpſimus, uberioris Aquæ copiæ in urbem adducendæ cauſa conjunximus (quæ ſimul junctæ ſeptingentarum

*Ab agro illo Columnæ ſum, ad Montem Quirinalem Vrbis conduxit, eamque Felicem de proprio ejus nomine appellavit.*

& plurium unciatum quantitatem faciunt, & admirabilem ſpecie pulchritudinem, immenſamque hauſtu jucunditatem oſtentant) ductu ſinuoſo à capite millium paſſuum duorum & viginti, à priori receptaculo viginti, curſu ſubterraneo antea tredecim, nunc verò extructis nuper à capite uſque ad idem receptaculū ſubtus terram fornicibus quindecim, ſupra terram verò arcuato opere ſeptem commeare fecimus, eamque per duos arcus inſignes in eodem Aquæductu ad perpetuum rei monumentum erectos, alterum nimirum duobus ab Urbe milliaribus, in loco qui vulgo ad Formas dicitur, alterum verò intra Urbem ad portam S. Laurentii tranſire juſſimus, & ſumma totius Urbis lætitia atque hilaritate in Montem Quirinalem ad plateam S. Suſannæ tandem adduximus, & adductam de proprio noſtro nomine Felicem appellavimus.

*Fontem propterea in platea S. Suſanna ornatum conſtruxit.*

§. 4. In platea autem S. Suſannæ Fontem primarium quatuor columnis & tribus arcubus ſplendide ornatum extruximus; in quem Aquæductus, tres perennes latices per totidem oſtia, larga Aquarum defluentium copia, ſonoroque ſtrepitu effundit. Super oſtiis verò in arcu medio ſtat marmorea ſtatua Moyſis, qui petram unde divinitus olim fluxerūt Aquæ, virga percutit, in dextero item arcu Sacerdos Aaron marmorea tabula, quæ multorum capita refert, expreſſus, populum Judaicum ſitientem ad Aquas ducit, à ſiniſtro vero figura Gedeonis Iſraëlitarum Ducis cernitur, qui juſſu Domini milites ex bibendi modo probat. In ejuſdē vero Fontis conſpectu quatuor Leones, quorum duo ex albo, duo item ex nigro marmore ſculpti, ore aquam ad commodiorem uſum & publicum oblectamentum emittunt. Quo verò fons ipſe in majori ſe oſtentaret proſpectu, & publico uſui commodior & jucundior redderetur, dictam S. Suſannæ plateam ruderibus undequaque refertam, & maceriis plurimis inæqualem ac deformem, quantum opus fuit, depreſſimus, terram effodimus, atque ad vicina ejuſdem plateæ loca decliviora, ut æquarentur, tranſportari fecimus.

*Vias & plateas adjacentes æquavit, &c.*

§. 5. Verum, ne adjacentes viæ plateæ, fontique prominentes, & proſpectum & aditum offenderent, viam utramque æquavimus, tam eam, quæ à conſpectu fontis ad Palatium Apoſtolicum, quod in eodem colle Quirinali ædificavimus, tendit, & quæ à tergo ad portam Piam ducit, quam eam, quæ à latere ad templum S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletianis vergit, ambaſque depreſſimus, terram effodientes, maceriaſque diruentes, & lateritiis hinc inde deambulatoriis, altitudinis duorum pedum, latitudinis ſeptem circiter, penes domicilia fulcivimus, ut eas viatoribus faciliores exhiberemus; immo pleriſque fontibus, locis magis idoneis eas decoravimus. In hujus autem adducendæ Aquæ ratione providos vigileſque Eccleſiæ Paſtores imitati ſumus, qui cum ex Domini præcepto populos ſibi ſubjectos paſcere teneantur, non ſolum ſpiritualia, ſed & corporis uſui neceſſaria alimenta, ut totum hominem verè paſcant, ſubminiſtrare conantur.

*Pro d. Aquæ conſervatione ejus curā & cuſtodiā remittit Congregationi Cardinaliū pro Viis, Pontib. & Aquis curandis inſtitutæ, ut ſup. in bull. 74. Immenſa, in Congr. 13.*

§. 6. Denique cùm non ſatis ſit tantum opus ſummo labore, & tam largo ſumptu abſolviſſe, niſi in eo conſervando exacta quoque diligentia adhibeatur, præcipuè cum nullum ædificium diligentioribus legibus cuſtodiri oporteat, quam quod Aquas ſuſtinere debet, ut Populus Romanus, cæterique qui Urbem & loca præſertim editiora incolunt, hoc publico commodo quam diutiſſimè perfruantur, ad noſtram Pontificalem providentiam pertinere arbitrati ſumus, ut, quæ ad illius conſervationem neceſſaria ſunt, ſive ad temporis, ſive ad hominum injurias repellendas, quamprimum provide & exacte ſtatuamus. Habita igitur ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. matura deliberatione, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione univerſam ipſius Aquæductus, fontiumque cuſtodiam & curam Congregationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. pro viis, pontibus, & Aquis curandis à nobis inſtitutæ, per præſentes committimus, & demandamus, eiſque in omnibus, quæ ad illorum conſervationem & reparationem nunc ſpectant & in futurum quomodolibet ſpectabunt, plenariam & omnimodam poteſtatem atque auctoritatem tribuimus, necnon de & ſuper præmiſſis & eorum occaſione, inter & contra quaſcumque perſonas cujuſvis ſtatus, ordinis, & conditionis, ac tam Eccleſiaſtica quam temporali dignitate, titulo & honore fulgentes, ſummariè, ſimpliciter & de plano, manuque regia, & ſola facti veritate inſpecta, cognoſcendi, in illiſque procedendi, judicandi & definiendi, ac quoſcumque, qui aliquid adverſus hanc noſtram Conſtitutionem commiſerint citandi, ipſiſque quatenus opus fuerit, inhibendi & pœnas eorum arbitrio pecuniarias injungendi, atque ad illarum incurſus declarationem & executionem, omni & quacumque appellatione penitus remota, procedendi, procedique mandandi & faciendi, aliaque neceſſaria & opportuna, etiam privativè quoad quoſcunque Iudices & Officiales gerendi, & exequendi, plenam & liberam facultatem perpetuo concedimus & impartimur. Si verò ipſa Congregatio ob cauſas eidem benè viſas in aliquibus caſibus ad graviorem pœnarum declarationem procedendum duxerit, tunc eidem Congregationi auctoritatem concedimus, Gubernatori Urbis nunc & pro tempore exiſtenti committendi & mandandi, ut in hujuſmodi caſibus, prout eidem Congregationi viſum fuerit, contra quoſcumque delinquentes ad alias pœnas etiam corporis afflictivas, omni & quacūque appellatione remota, procedat.

§. 7. Cum verò in hujuſmodi Aquæductu & Fontibus conſervandis, & cum opus erit reparandis, quamplures impenſæ neceſſariæ futuræ ſint, Nos de aliquo certo & ad id deſtinato proventu providere cupientes, hac eadem noſtra Conſtitutione, ac de eorundem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, loca nonaginta & unum Montis Religionis nuncupata per noſtras deſuper expeditas literas certis modo & forma nuper aucti, annuum redditum ſcutorum ſeptingentorum monetæ, & bononenorum ſeptuaginta conſtituentia, eidem Aquæductus & Fontium operi, eorumque cuſtodiæ & reſtaurationi perpetuo concedimus & aſſignamus, ea nimirum lege, ut dictus annuus redditus, illiuſque ſors nunquam imminuatur, neque in alios uſus convertatur. Quod ſi quandoque ipſum opus reſarcire non fuerit neceſſe, tunc præfatus annuus redditus ſorti accreſcat, & in emptionem aliorum locorum ejuſdem Montis in ſortis augmentum convertatur. Adminiſtrationem autem præfati redditus & augmenti, necnon illius liberam diſpoſitionem nunc & perpetuò penes eandem Congregationem eſſe volumus, prædictumque redditum in toto vel in parte, alias quam per dictæ Congregationis mandata, depoſitario ejuſdem Montis, nunc & pro tempore exiſtenti dirigenda exponi & per dictum depoſitarium ſine ejuſdem Congregationis mandatis ſolvi omnino prohibemus.

§. 8. Cæterum, ut præmiſſa, quæ debitæ executioni demandari cupimus, per aliquos diligentes ac ſolertes viros, qui huic operi ſæpius aſſiſtant, prout omninò neceſſarium eſt, accuratè perficiantur, ex nunc duos Cives Romanos ad munus viſitationis dictorum Aquæductus & Fontium obeundum, per nos & ſucceſſores noſtros annuatim in principio cujuſlibet anni, tempore quo cæteri Pop. Rom. Officiales eligi ac deputari, & per eos fidelitatis juramentum in manibus noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum de more per alios Officiales præſtari ſolitum, præſtari volumus.

§. 9. Eorum autem præcipuum munus ſit ſingulis tribus menſibus ſemel ſaltem ipſum Aquæ caput per ſe ipſos inviſere, ſingula receptacula, omnes portas, quas ibidem ad purgandos alveos extruximus, quaſque, ne facile irruptioni pateant, ferro munivimus, puteoſque & foramina inſpicere, deinde ipſas Aquæductus partes quæ ſpecubus continentur, & quæ nec gelicidiis, nec caloribus expoſitæ, limo in cruſtam dureſcente, iter Aquæ coarctare, aut in alveum delapſæ aquam corrumpere videbuntur, ſæpius perluſtrare, & ſordibus egeſtis repurgari facere, & ne Aqua, quæ alveo ſuo puriſſimo labitur, pluviis Cœlo cadentibus, aut humo fluentibus Aquis inficiatur, providè cavere, forniceſque ſupra terram, parieteſque univerſos uſque ad præfatum Fontem S. Suſannæ, & ipſos fontes diligenter integros tueri atque curare. Quæcumque verò ipſi Viſitatores in qualibet

libet viſitatione, reparatione indigere repererint, ea quæ primum Congregationi prædictæ Cardinalium, in qua, quotieſcumque opus fuerit, interveniant, referre debeant, ipſa vero Congregatio nos & ſucceſſores noſtros in rebus gravioribus conſulere teneatur. Quod ſi eorundem Viſitatorum culpa & negligentia aliquid incommodi *Aquæductus forma contraxerit, aut id quod contractum erit, confeſtim reparatum non fuerit,* id totum ipſorum Viſitatorum ſumptibus reparetur. Ne autem ipſa reparatio diutius protrahatur, quocumque tempore aliquid reparari oportuerit, confeſtim reparetur, ne modica irruptio majorem conſequentem diſſolutionem gignens, totum, ut ſolet, Aquæ alveum diruat. Quod ut opportuna ſemper celeritate fiat, cœmenta & alia neceſſaria antea præparentur. Artificibus verò operi deſtinatis, liceat ex agris privatorum terram, limum, lapides, teſtam, arenam, ligna, cæteraque quibus ad eam rem opus eſt, undequaque earum proximè tollere & tranſportare, dominis prius pretio perſoluto; talia verò exportantibus itinera & actus ubique liberè pateant. Præterea ſpatia circa ductum ejuſdem Aquæ, tam intra quam extra Urbem exiſtentia, ædificiis quibus vicinum opus obſtruitur, & arboribus quarum radicibus concamerationes & latera ſolvuntur, viginti ad minus pedes, ne rivi violentur, utraque ex parte vacent, ipſique fontes, fornices & muri vacui totidem pedes ſimiliter pateant. Si quæ item nunc arbores intra id ſpatium, aut ſi quæ ſelicta, arundineta, vepres, vites, caprifici aut ſentes ſunt, infra menſem à die publicationis præſentium computandum, ſtatim excidantur & eradicentur. Si quæ autem in poſterum, ſolis calore & humore Aquarum, aut alia cauſa accedente, occultiſque ſeminibus auctæ, aut conſertæ adnaſcentur, ſtatim in Viſitatione recidantur: Putei etiam ad aëris exhalationem & faciliorem Aquæductus expurgationem aſſervati, & expolito lapide obducti, præter neceſſitatem publicam non aperiantur, nec formæ ſpecus perforentur, nec Aqua ſive clandeſtine, ſive palam per vim propria auctoritate à quoquam alio derivetur, nec amplius quam impetratum fuerit, & non aliunde quam ex ſupradicto Fonte primario, aut ex fontibus minoribus infraſcriptis, videlicet primo in loco extra portam S. Joan. in ſupranominato loco, qui dicitur ad formas, ad viatorum commodum, ſecundo ad portam S. Laurentii, tertio ad portam Majorem ad uſum tranſeuntium à nobis extructis, nec ex his abſque dictæ Congregationis Cardinalium conſenſu, & ſine noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum conceſſu, nec latiore modulo aut fiſtula deducatur.

§. 10. Et ut univerſa iſta, quæ ad unguem obſervari cupimus, pœna contravenientibus irrogata, ab omnibus diligentiſſimè cuſtodiantur, hac eadem noſtra conſtitutione perpetuo ſancimus, ut qui ſciens dolo malo rivum, quod abſit, noxiis ſordibus infecerit, aut aquam ad corporum perniciem corruperit, bonorum omnium amiſſione & capitali ſententia per dictæ Urbis Gubernatorem nunc & pro tempore exiſtentem ferenda plectatur. Si quis item contra ea quæ ſupra dicta ſunt, aliquid commiſerit, in primis damnum quod Aquæductui culpa ipſius illatum fuerit, ejus ſumptibus quamprimùm ſarciatur. Qui verò quacumque Aquæductus commeat, formas utrimque præſcripto, ut præfertur, ſpatio vacuas reddere & integras cõſervare neglexerit, ultra ædificiorum demolitionem & arborum eradicationem, prædii adjacentis privatione mulctetur. Qui denique Aquam propria auctoritate derivare, aut aliunde quam ex præſcriptis fontibus, aut alio quam ſupra ſtatutum eſt, modo elicere præſumpſerit, ſi domicellus fuerit mille, ſi inferioris ordinis, quingentorum aureorum pœna in ſingulis caſibus hujuſmodi ſine ulla remiſſionis ſpe exigenda, & in ſupradicti operis reparationem convertenda puniatur.

§. 11. Volumus etiam & ita mandamus, quod ſi quis etiam pretio vel liberali largitione à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Aquam obtinuerit, teneatur eidem Congregationi Cardinalium reſcriptum exhibere, & infra menſem ibi regiſtrari facere: quo non exhibito & non regiſtrato, gratia omnino privatus cenſeatur.

§. 12. Et in his omnibus ac aliis ſimilibus caſibus nulli ſuper hujuſmodi pœna veniam aut remiſſionem liceat impetrare. Si quid autem etiam jure communi Urbiſque ſtatutis, de cuſtodiendo Aquæductu ſub quibuſvis pœnis conſtitutum eſt, id omne hac præſenti noſtra conſtitutione perpetuò innovamus. *inobedientes innovat.*

§. 13. Et ut in omnibus caſibus ſupra expreſſis, ea quæ ſtatuta ſunt, obſerventur, & contra inobedientes omnino procedatur, volumus ut præfati duo Cives Romani Viſitatores, præmiſſa diligenter cuſtodiri curent, & quoties caſus contraventionis evenerit, coram dicta Congregatione Cardinalium comparere, & contra tranſgreſſores pro damni reparatione, & præfatarum pœnarum in eoſdem inflictarum executione, ex officio inſtare teneantur. *Viſitatores de contraventionibus referant.*

§. 14. Etſi autem præfatos Cives ſua & patriæ cauſa omnia ſemper, & hæc præſertim quæ ad Urbis ornatum & ipſorum ac aliorum Civium Romanorum commoditatem maximè ſpectant, ſponte ſua curaturos, diligenterque & fideliter executuros planè confidamus, tamen ut in eo munere obeundo minus diſpendii quam fieri poſſit, patiantur, loca ſexdecim ejuſdem Montis Religionis à nobis, ut præfertur, aucti, annuum redditum ſcutorum centum viginti trium & bononenorum viginti conſtituentia, per Depoſitarium ejuſdem Montis de ordine & mandato dictæ Congregationis perſolvendum, & inter eos æquis portionibus dividendum perpetuo concedimus & aſſignamus. *Quibus propterea ſalarium conſtituit.*

§. 15. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula, per eos ad quos ſpectat & in futurum ſpectabit, firmiter & inviolatè perpetuò obſervari debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſ. præſer. apponit.*

§. 16. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. ac ipſius Cameræ ordinationibus & privilegiis, juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, & longi temporis præſcriptione, cæteriſque contrariis quibuſcũque. Volumus inſuper præſentes litteras in valvis Lateranenſis, Principiſque Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, ut moris eſt, affigi & publicari, & in Camera Apoſtolica inter cæteras perpetuò valituras conſtitutiones deſcribi & regiſtrari, earundemque præſentium tráſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis plenam in judicio & extra illud fidem adhiberi perinde ac ipſis originalibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. *Clauſulas derogatorias addit.*

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, annò Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo, 11. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno quinto. *D. P. A. 5. die 19. Febr.*

Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. *Papa ſubſcr.*

*De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.*

Ego Joannes Epiſcop. Oſtienſis Card. S. Georgii. *Card. ſubſcr.*
Ego Alph. Epiſc. Portuen. Card. Geſualdus.
Ego Inn. Epiſcopus Tuſculan. Card. de Arag.
Ego Marcus Ant. Epiſc. Præneſtin. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Epiſc. Sabinen. Cardinalis Comenſis.
Ego Gabr. Epiſc. Albanen. Cardin. Paleottus.
Ego M. Siticus Cardin. ab Altaëmps, tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.
Ego Frater Michaël Bonellus tituli Sancti Laurentii in Lucina, Card. Alexandr.
Ego Ludovicus tit. S. Anaſtaſiæ Card. Madrutius.
Ego N. tit. S. Praxedis, Card. Senonen.
Jul. Ant. tit. S. Barthol. in Inſula, Cardin. Sanctæ Severinæ.
Ego Hier. tit. S. Suſannæ, Card. Ruſtic.
Ego Jo. Hier. tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Albanus.
Ego Hieronymus tituli Sanctæ Priſcæ Cardin. Simoncellus.
Ego P. tit. S. Hier. Illyricorum, Card. Deza.

Ego

Ego Ant. titul. SS. Ioannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Jul. Card. Cananus, tit. S. Euſebii.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Vincentius tituli S. Mariæ in via Card. Montis Regalis.
Ego Philippus Card. Spinula, tit. S. Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellotus, tit. Sancti Salvatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card. Gonzaga tit. S. Alexii.
Ego Jo. Baptiſta tituli S. Mariæ in Aracœli, Cardin. Caſtruccius, Sign. Juſt. Præfectus.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cælio.
Ego Dominicus tit. S. Laurentii in Pane Perna, Card. Pinellus, S. Mariæ Majoris Archipr.
Ego Hippolytus Card. Aldobrand. tit. S. Pancratii, Major Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.
Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Card. Alanus tituli S. Martini.
Ego Scipio tit. S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Ant. Card. Saulius tit. S. Vitalis.
Ego Evangeliſta tit. S. Matthæi in Merulana Card. Cuſentinus, Archipresb. S. Petri.
Ego Joan. tit. S. Mariæ Tranſpontinæ, Cardinalis de Mendoza.
Ego Marianus Perbenedictus, tit. SS. Petri & Marcellini Card. de Camerino.
Ego F. S. Mariæ in Via Lata, diac. Card. Sfortia.
Ego Alexander S. Laurentii in Damaſo, diaconus Card. Montaltus, Vicecancellarius.
Ego Hieron. S. Mariæ in Comeſdin. Diaconus Card. Matthæius.
Ego Benedict. Sanctæ Mariæ in Comeſdin Card. Juſtinianus.
Ego Aſcan. S. Nicolai in carcere diac. Card. Columna.
Ego Federicus S. Agathæ, diacon. Card. Borromæus.
Ego Auguſtin. S. Adriani diac. Card. Cuſanus.
Ego Franc. Maria, Sanctæ Mariæ in Domin. Diac. Card. à Mont.
Ego Guido SS. Coſmæ & Damiani, diac. Cardinalis Pepulus.

---

**CII.** Iuriſdictio S. R. E. Card. Archipresbyteri Eccleſiæ S. Petri de Vrbe, cognoſcendi cauſas tam d. Eccleſiam ejuſque perſonas, quàm ejuſdem Fabricam quomodolibet concernentes.

*Quoad primam juriſdictionem, habes conceſſionem Clem. VII. in eius conſt.* 3. Admonet. *Et quoad ſecundam habes conceſſionem Pauli III. in ſua conſt* 35. Cùm dilectus.

*Edita A.D. 1590.*

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Dilecto filio Evangeliſtæ titul. S. Matthæi in Merulana, Presbytero Card. Cuſentino, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Exordium.*

CUm ex debito paſtoralis officii, omnium Eccleſiarum indemnitati, utilitati & bono regimini ſalubriter conſulere teneamur, tum verò ad venerandam ſanctamque Principis Apoſtolorum in Alma Vrbe noſtra Baſilicam, condiligentiori ſtudio aciem dirigimus noſtræ mentis, quo & illa dignitate ac præſtantia cæteris antecellit, & noſter ſingularis quam gerimus erga eundem Beatum Petrum, ad cujus Cathedram, licèt imparibus meritis, à Domino vocati ſumus, ſinceræ devotionis affectus id impenſiùs requirit.

*Confirmatio Juriſdictionis aliàs à Paul. III. & Pio IV. conceſſa*

§. 1. Quare ejuſdem Baſilicæ, ac dilectorum filiorum illius Capituli Canonicorum, & Miniſtrorum commodis, ac jurium cõſervationi, ac ne ad diverſa Tribunalia perſonæ prædictæ trahantur, earum quieti & litium diſpendio providere cupientes, deque tua integritate, prudentia & circumſpectione, cui nuper Archipresbyteratum ejuſdem Baſilicæ tunc vacantem, ad vitam commendavimus, plurimùm in Domino confidentes, motu proprio, non ad tuam, vel eorundem Capituli, & Canonicorum, aut pro te, aut pro illis oblatæ nobis petitionis inſtantiã, ſed ex mera noſtra deliberatione, & ex certa ſcientia, omnes & ſingulas juriſdictiones, poteſtates & privilegia, exẽptiones, libertates, prærogativas, antelationes, indulta, etiam ſuper collatione beneficiorum quorumcumque Eccleſiaſticorum auctoritates & facultates per fel. record. Paul. III. Pium IV. & alios quoſcũque Roman. Pont. prædeceſſores noſtros, bo. mem. Alex. Epiſcopo Oſtien. Card. Farneſio nuncupato, alias dictæ Baſilicæ, & prius uti Eccleſiæ S. Mariæ Majoris, etiam de Vrbe Archipresbytero, quoad Baſilicam, & Eccleſiam prædictas reſpectivè, & illius perſonæ intuitu, & ad ejus vitam dumtaxat, in genere vel in ſpecie conceſſa, ad te quandiu Archipresbyteratum prædictum obtinueris, tuumque & dictæ Baſilicæ Vicarium, per te nunc forſan deputatum, & pro tempore à te deputandum, tenore præſentium extendimus & ampliamus.

§. 2. Et nihilominus motu & ſcientia ſimilibus omnes & ſingulas cauſas beneficiales Eccleſiæ, & ſpirituales meras, prophanas & mixtas, etiam compromiſſas, tam civiles quam criminales (citra tamẽ pœnam ſanguinis & corporis afflictivam) inter dictos Canonicos, Capitulum, & Beneficiatos & Clericos, necnon Capellanos, Miniſtros, & Servientes reſpectivè, ſeu quemcumque eorum ex una, & quaſcumque alias perſonas cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis & præeminentiæ exiſtẽtes, necnon hoſpitalia, pia loca, & Collegia, Communitates, vel Vniverſitates, ex altera partibus, ſive inter dictos Capitulum, & Canonicos prædictos, vel eorum quemlibet, ac beneficiatos, clericos Capellanos prædictos, vel quoſcumque eorum, coram quibuſcumque Judicibus ordinariis, extraordinariis, Commiſſariis, & Exequutoribus, etiam S.R.E. Card. ac Rotæ, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſt. Auditoribus, & Locatenentibus, ſuper quibuſcumque rebus, bonis, & pecuniarum ſummis, etiam vigore obligationis in forma Cameræ Apoſtolicæ vertentes & pendentes reſpectivè, omniũ & ſingularum ſtatus, & merita, nominaque & cognomina & qualites, tam partium & perſonarum prædictarum, quam etiam rerum ſuper quibus pendent, pro expreſſis habentes, ad nos per præſentes avocantes, illaſque in ſtatu & terminis in quibus ad præſens reperiuntur, & quas in futurũ moveri de novo contigerit, tam activè quam paſſivè, etiam per prædictos Canonicos, Capitulum, beneficiatos, clericos, & Capellanos, ſeu eorum quemlibet, contra quaſcumque perſonas, Conventus, Collegia, Capitula, Vniverſitates, Societates, Hoſpitalia & loca quæcumque, ſæcularia & quorumvis Ordinum, Militiarum, & Hoſpitalium Regularia, privilegiata, etiam per prædictos Canonicos, & Capitulum contra Beneficiatos, Clericos, & Capellanos prædictos ſuper quibuſcumque pecuniarum ſummis, beneficiis Eccleſiaſticis, cenſibus, canonibus tritici, grani, vini, pecuniarum, aut aliarum rerum reſponſionibus, prædiis, rebuſque & bonis ad quamcumque pecuniarum ſummam, numerum, quantitatem, & valorem aſcendentibus, ad dictam Baſilicã, aut illi unitas vel annexas Eccleſias, & Parochiales, ſeu ejus Capitulum, Canonicos, beneficiatos, clericos & Miniſtros, etiam privatim, ac ratione ſingularum perſonarum quomodolibet ſpectantibus, aut eorum intereſſe directe vel indirecte, communiter vel diviſim, ac eorũ cujuſlibet concernentibus, rebuſque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latiùs deductis & deducendis, & illorum occaſione, cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependen. emergen. annexis, & connexis, tibi tuoque prædicto Vicario nunc & pro tempore per te deputato.

§. 3. Summarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola veritate facti inſpecta, & quatenus opus ſit exequutivè, etiam manu regia, abſque terminorum ſubſtantialium, & alicujus telæ judiciariæ obſervatione, ſive confectione, & regeſtri ſive extractus, quacumque appellatione poſtpoſita, etiã non frivola, audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas

mandas auctoritate Apoſtolicâ tenore earundem præſentium committimus,& mandamus duraturis,eiſque præſentibus perpetuis temporibus.

§.4. Cum poteſtate dictas partes reſpectivè, & alios omnes quos opus fuerit, ſua communiter,vel diviſim intereſſe putantes,in exequutione citationis nominandos, in Romana Curia, & extra eam etiam per edictum publicum,conſtito ſummariè,& extrajudicialiter de non tuto acceſſu, citandi.

§.5. Ac omnibus Judicibus ſupradictis, & quibus, & quoties opus fuerit, & ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniariis pœnis,tuo arbitrio moderandis, & applicandis, etiam per ſimile edictum inhibendi, cauſaſque ipſas coram quibuſvis eorum de facto introductas, ſeu introducendas ab eis avocandi, & reaſſumendi, & in eventum non paritionis pœnas & cenſuras prædictas damnabiliter incurriſſe, & incidiſſe declarandi, illaſque etiam iteratis vicibus aggravandi, & reaggravandi, interdictum Eccleſiaſticum apponendi, & brachii ſæcularis auxilium invocandi.

§. 6. Loco verò ſententiæ ſeu ſententiarum prædictarum, mandata exequutiva, in forma ſolita, & conſueta decernendi, illumque vel illa,& quicquid per te, & Vicarium prædictum,vel alterum veſtrûm judicatum fuerit exequendi.

§.7. Expenſas quaſcumque taxandi,ac moderandi.

§.8. Atque in cauſis omnibus,& ſingulis præmiſſis,vel eorum quolibet, ſeu quomodolibet præmiſſorum, etiam ſingulis diebus,& horis, præterquam in honorem Dei feriatis procedendi.

§.9. Necnon Canonicos, & Capitulum, ac beneficiatos,Clericos,& Capellanos prædictos, ſive eorum quemlibet, à vinculo juramenti ad effectum agendi, aliiſque cenſuris Eccleſiaſticis, & pœnis quatenus oportuerit abſolvendi.

§.10. Omniaque & ſingula alia faciendi, gerendi, & exercendi,in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna.

§.11. Ac inſuper, ne in præjudicium auctoritatis,juriſdictionis, & facultatum prædictarum contingat cauſas ſub diverſis prætextibus à te,ſeu tuo Vicario avocari, ac aliis Iudicibus committi, omnes & quaſcumque commiſſiones, tam gratiæ, quam juſtitiæ, intereſſe Baſilicæ, Capituli, & perſonarum prædictarum quomodolibet concernentes, aliter quam manu noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, teque ad id vocato ſignatas, & inhibitiones earum prætextu emanandas, proceſſuſque per eaſdem habendos,& inde pro tempore ſequuta quæcumque,nullius roboris,vel momenti eſſe, ac illis non obſtantibus,te,tuumque Vicarium, ad ulteriora in cauſis hujuſmodi procedere poſſe, atque ad parendum commiſſionibus prædictis,earumque prætextu emanatis inhibitionibus minimè teneri, ac ob non paritionem cenſuras, aut pœnas aliquas minimè incurrere poſſe decernimus,atque declaramus.

§.12. Dantes etiam tibi facultatem exercendi munia Pontificalia in Baſilica prædicta, ac ordinariam etiam in ſpiritualibus juriſdictionem,ſuper Canonicis, Beneficiatis, Clericis ac Miniſtris prædictis, ita ut à te, vel de tua licentia tantum, nec aliàs à quocumque Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, per te deputando, ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus ordines promoveri. Tuque & Antiſtites hujuſmodi eos promovere abſque noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum,aut Vicarii, vel cujuſvis alterius Ordinarii licentia, dimiſſoriis, aut examine, licitè poſſitis, ac debeatis.

§.13. Poſtremò attendentes quod licet aliàs piæ mem. Clemens Papa VII.prædeceſſor noſter,unum Collegium deputatorum Fabricæ prædictæ Baſilicæ nũcupatum erexerit,ac tam ipſe, quam diverſi alii Rom. Põtifices noſtri prædeceſſores, ipſi Collegio Officiales creandi, cauſas privative quoad omnes & quoſcumque alios Judices cognoſcẽdi,& plures ampliſſimas facultates, juriſdictiones, exemptiones,immunitates,indulta,& privilegia cõceſſerint, in ſpecie Collegium, & Fabricam hujuſmodi, illiuſque perſonas ſub immediata ſua, & pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſceperint,ſibique & Sedi prædictæ,ita ut nullum alium quam Romanum Pontificem ſuperiorem recognoſceret, immediatè ſubjecerint,eximendo Fabricam, & Collegium hujuſmodi etiam ab ipſius Archipresbyteri dictæ Baſilicæ pro tempore exiſtentis,commoda ſuperioritate, & juriſdictione; nihilominus valde expedit, ut tu Fabricæ prædictæ tua auctoritate, conſilio,& laudabili ſtudio incumbas,te quandiu vixeris, & Archipresbyteratum prædictum obtinueris,Fabricæ & ejus Collegii prædicti Protectorem & ſuperiorem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium committimus, & deputamus. Dantes,& concedentes tibi,& tuo Vicario plenam & liberam ac omnimodam facultatem Congregationem Collegii prædicti, ubi,quando & quoties tibi videbitur convocandi,in eiſdem præſidendi,Officiales,Deputatos, Miniſtros, ac perſonas dictæ Fabricæ reformandi, & corrigendi, & ab eis adminiſtrationis,& muneris cuilibet contra commiſſi, ac tam accepti, quam expenſi rationes exigendi,ſalaria cum conſilio Collegii prædicti conſtituendi, minuendi, & ſi opus fuerit augendi, eoſque qui in cauſis Fabricam prædictam concernentibus ſententias tulerint, aut aliàs judicaverint ſyndicandi, & in creationibus Officialium, & admiſſionibus perſonarum ſeu deputatorum Collegii prædicti ſuffragium ferendi,ita ut tu ſi aderis, ſuffragium duplex habeas,abuſus quoſcumque tollendi, ſtatuta cum conſilio ejuſdem Collegii de novo condendi, immutandi, declarandi & corrigendi.

*Cauſas dictæ Fabricæ intereſſe concernentes cognoſcendi.*

§.14. Cauſas quaſcumque intereſſe dictæ fabricæ in tribunali pendentes,tam motas, quam movendas, perſonæ, ſeu perſonis tibi bene viſis, de ejuſdem tamen Fabricæ Collegio exiſtentibus,committendi, eaſque ſi videbitur etiam ab iis corã quibus introductæ & inſtructæ fuerint avocandi,& per te ipſum cognoſcendi, audiendi, terminandi,ſeu alii,vel aliis ejuſdem Collegii Fabricæ perſonis committendi,omniaque in præmiſſis& circa ea neceſſaria,& quomodolibet opportuna faciendi,gerendi,mandatum decernendi, & exequendi.

*Tu Vide Bull.Clem. V. citatam in rubr.*

*Clauſula de conceſſionis præſervativa.*

§. 15. Decernentes quoque præſentes ad vitam tuam, ſeu quandiu Archipresbyteratum hujuſmodi obtinueris, tam noſtris, quam etiam ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum temporibus durare, ſuamque vim, & roboris firmitatem obtinere, nec eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium facultatum & gratiarum derogationibus,revocationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per nos, vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore,& motu ſimili ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine edendis comprehendi, nec per eas immutari, ſuſpendi, limitari, moderari, aut ad terminos juris reduci poſſe,ſed eaſdem præſentes perpetuo validas, & efficaces fore, & quoties hujuſmodi contraria emanabunt,toties illas in priſtinum, & validiſſimum,& eum in quo antea erant ſtatum reſtitutas,& ſub poſteriori data, per te, ſeu Vicarium tuum eligenda,de novo conceſſas cenſeri, & quicquid illarum vigore alias ritè geſtum,ſtatutum,factum,mandatum,indultum,& exequutum fuerit, perpetuam vim,& roboris firmitatem obtinere.

*Clauſula ſublata, &c.*

§.16. Sicque per quoſcumque Judices, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, etiam S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,& interpretandi facultate,in quavis cauſa, & inſtantia judicari,& definiri debere. Necnon irritum,& inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula contrariorum derogatoria.*

§.17. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam Generalibus editis, ſtylo Palatii,regula Cancellariæ Apoſtolicæ prohibente mandata exequutiva alias quam ſub plumbo expediri, facultatibus, & juriſdictionibus prædictæ Fabricæ, illiuſque Collegio, deputatis, Officialibus, necnon Vicario noſtro in Alma Vrbe,ac Senatori, Auditori cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Cardinalibus, & quibuſvis Vrbis Judicibus ſupradictis, ſub quavis verborum forma,& ex cauſis urgentiſſimis per nos eiſdẽ conceſſis, & innovatis, quas etiamſi in eis caveatur expreſſe,quod illis,aut non niſi certis modo,& forma in eis

expreſſis derogari valeat, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum ſpecialis mentio facta foret, præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

*D.P.A.5.die 4. Mart.* Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. 4. Nonas Martii, Pont. noſtri Anno 5.

---

## CIII. *Erectio Burgi Felicis S. Bernardini in Regione Montium Almæ Vrbis, & privilegia pro inibi Fabricantibus, & Ædificantibus.*

*Hac privilegia vide ſup. in conſt. 68. Decet, ubi etiam notavi.*

*Edita A. D. 1590.*

### *SIXTVS PAPA QVINTVS.*
### *Ad futuram rei memoriam.*

*Proœmium.* DUm ad uberes, ſalutiferoſque fructus quos benedicente Domino præcipuè circa pauperes puellas educandas, & Deo conſecrandas, venerabilis dilectorum filiorum Sacerdotum, & aliorum utriuſque ſexus Chriſti fidelium S. Bernardini Confraternitas in hac Alma Vrbe noſtra in dies proferre nõ ceſſat attendimus, facere nullo modo poſſumus, quin eos ſpeciali quadam hujus Sedis benevolentia proſequentes, ea ſibi favorabiliter concedamus, per quæ eorum, ac Monaſterii Monialium, & Collegii Puellarum per ipſam Cõfraternitatem apud Eccleſiam S. Suſannæ de dicta Vrbe inſtitutorum utilitati, cum dictæ Vrbis ornatu valeat ſalubriter provideri.

*Cauſa huius conceſſionis.* §. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres prædictæ Confraternitatis, quod ipſi pro ejuſdem Monaſterii commoditate, ac illius, & dicti Collegii cum officinis neceſſariis conſtructione quandam partem vineæ exiſtentis in Regione Trivii, in loco nuncupato Caput Domorum, à dilecto fratre noſtro Henrico S. R. E. Camerario Cardinali Caietano nuncupato, & venerabili fratre Camillo Patriarcha Alexãdrino, ac dilecto filio nobili viro Honorato Duce Sermonetæ, fratribus germanis de Cajetanis, pretio duorum millium, & quingentorum, deinde reſiduum dictæ vineæ cũ illius domo, viridario, & aliis quibuſcumque ſuis juribus, & pertinentiis pretio duodecim millium, & quingentorum ſcutorum monetæ emerunt, pro quibus ſolvendis nonnulli ex dictæ Confraternitatis Confratres impoſuerunt ſuper eorum bonis ſtabilibus diverſos cenſus, ſub acceſſionibus, etiam propriis nominibus dilectorum filiorum Petri Fulvii V.I. D. Prioris, & Franciſci Contugii, ac Dominici Hattoni Cuſtodum, necnon Ludovici Rivaldi Camerarii, ac Marcelli de Sancta Cruce, & Andreæ Alberini Officialium, ac aliorum Confratrum dictæ Confraternitatis, quorum bonam fidem ipſa Confraternitas cum promiſſione relevationis indemnitatis recognovit; reſiduum verò dictorum quindecim millium ſcutorum interim ad cẽſum accipere, pro quorum extinctione alios canones, & reſponſiones dictæ Confraternitatis extinguere, necnon reſiduum dictæ vineæ ſtratis viis publicis ad ornatum dictæ Vrbis & fabricare volentium cõmoditatem diverſis perſonis, aut liberum vendere, aut ad fabricandum in emphyteuſim ſub annuo canone concedere intendunt, & jam forſan vendiderunt, & ſeu conceſſerunt, prout in ſingulis inſtrumentis publicis, ac aliis ſcripturis forſan deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cum dicti Officiales, & Confratres cupiant, ut homines ad fabricandum in ſitu dictæ vineæ aliquibus privilegiis, & gratiis alliciantur, ipſumque ſitum privilegiis & gratiis decoratũ in Burgum Felicem S. Bernardini nuncupandum erigi: Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum deſiderio hujuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Erectio Burgi Felicis.* §. 2. Nos ut in Monte Quirinali, & apud etiam viam Felicem per nos annis præteritis apertam, quaſi nova Civitas conſtruatur, ac propterea homines inibi pro tẽpore habitantes, ſeu ædificantes ſpecialibus favoribus, & gratiis invitare volentes, ac dictæ vineæ qualitates, & veros annuos valores, ac ſingulorum inſtrumentorum, & ſcripturarum deſuper forſan confectarum, aliorumque de neceſſitate exprimendorum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores etiam veriores præsẽtibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Emptionem dictæ vineæ, cenſuum impoſitiones, venditiones, fidejuſſiones, recognitiones bonæ fidei, necnon etiã dictæ vineæ diviſiones, venditiones, liberas conceſſiones, etiã in emphyteuſim factas & faciendas ſub pactis hinc inde conventis, & conveniendis, ac cum omnibus inde ſecutis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, ac confirmamus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti ac ſolemnitatum quarumcumque, etiam de jure, aut ex forma ſtatutorum dictæ Vrbis, vel aliàs quomodolibet requiſitarum, & omiſſarum, alioſque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdẽ ſupplemus, dictaſque emptiones validas, & bene factas fuiſſe, & eſſe declaramus, dictamque vineam cum viis publicis apertã, & diviſam, in Burgum Felicem S. Bernardi nuncupandum, auctoritate & tenore prædictis perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Pri... fabri... vel h... ...ium* §. 3. Illique ſic erecto, & inſtituto, ac omnibus utriuſque ſexus perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus, in eo, & tota via Pia nuncupata uſque ad portam Piam, ac etiam in aliis viis prope, & circa ſupradicta forſan aperiendas, nunc & pro tempore fabricantibus, vel habitantibus, omnia & ſingula privilegia, gratias, favores, & prærogativas, ac indulta domibus, & ædificiis facta, & fienda, ac fabricantibus, & habitantibus in Monte Quirinali, & in via Felici per alias noſtras literas, ſub dat. videlicet Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio conceſſas, eiſdem auctoritate, & tenore perpetuò concedimus, eaque omnia, & ſingula, ac ſi præſentibus expreſſa, ac de verbo ad verbum inſerta fuiſſent, ad dictum Burgum Felicem S. Bernardi, & in eo, ac tota via Pia, uſque ad portã Piam hujuſmodi fabricantes, & habitantes extendimus, illiſque omnibus, & ſingulis uti, frui, potiri, & gaudere poſſe volumus, & declaramus atque decernimus.

*Fr... Confr... ta in S. ...nardi... di qu... que i... &c.* §. 4. Præterea ipſius Confraternitatis Priori, Cuſtodibus, & Officialibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, quæcumque alia bona ſtabilia, & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris, & in quocumque loco exiſtentia, ad Confraternitatem, Monaſterium, & Collegium hujuſmodi quomodolibet ſpectantia, pro pretio, vel affictu, ac ſub pactis, & conditionibus hinc inde conveniendis, in emphyteuſim, ſeu ad livellum, aut locationem ad longum, vel aliud tempus concedere, ac pecuniæ inde redigendæ in extinctionem cenſuum pro ſolutione dictorum quindecim millium ſcutorum impoſitorum, vel in emptionem aliorum bonorum ſtabilium in Confraternitatis, Monaſterii, & Collegii prædictorum commodum, vel utilitatem cõvertere liberè, & licitè poſſint, & valeant, etiam concedimus, & indulgemus.

*De... irr...* §. 5. Decernentes omnia, & ſingula præmiſſa valida perpetuò, & efficacia fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, ac ſingulis quos illa concernunt, & pro tempore concernere poterunt ſuffragari, ſicque, & non aliter per quoſcumque Iudices, & commiſſarios, ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, necnon Camerarium, & Cam. Apoſt. Theſaurarium, Præſidentes, & Clericos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Execut... deput...* §. 6. Quocirca dilectis filiis dictæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Præſidentibus, & clericis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Officialium, & Confratrum prædictorum, aut alicujus eorum, quos illæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac domorum ſeu ædificiorum in Burgo Felici S. Bernardini, & tota via

Pia

Pia hujuſmodi hactenus factorum, & pro tempore conſtruendorum, illorumque conductoribus, habitatoribus, incolis, dominis, eorumque hæredibus & ſucceſſoribus, artificibus, & quibuſcumque aliis in Burgo Felici S. Bernardi, & via Pia hujuſmodi quomodolibet ædificantibus, vel habitantibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, per eos ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, perpetuò firmiter & inviolabiliter obſervari, illaſque debitæ exequutioni demandari procurent. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato ad hoc etiam ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§.7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Vrbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, & novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Populo Romano, ejuſque Magiſtratibus, & Conſulatibus Artium, aut illarum Conſulibus, & quibuſlibet aliis perſonis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Aprilis 1590. Pont. noſtri anno 5.

*Anno à Nativit. Domini 1590. indict. 3. die verò 13. menſis Aprilis, tempore Pont. ejuſdem Sanct. in Christo Patris, & D.N.D. Sixti divina providentia Papa V. anno ejus 5. retroſcripta litera Apoſtolica, & omnia & ſingula in eis contenta, affixa, & publicata fuerunt ad valvas Eccleſiarum Baſilicarum S. Io. Lateranen. S. Petri de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſt. & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Nicolaum Druyn, & Octavium Taglìettum S.D.N. Papæ Curſ.*

*Pompeius Guerra Mag. Curſ.*

---

IV. Privilegium Fratrum Militum S. Stephani, quod etiam bigami, & abſque habitu clericali incedentes, annuas penſiones Eccleſiaſticas uſque ad ducatos ducentum retinere & transferre poſſint.

*Inſtitutionem, & alia de hac Militia vide ſup. in conſt. 60. Pii IV.* His quæ, *ubi notavi. Et approbationem & extenſionem hujus privilegii mox edixit Paul. V. in ejus conſt. 46.* Dum generoſa.

An. D. 1590. *SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

CIrcumſpecta Romani Pontificis providentia gratias quæ ex benignitate Sedis Apoſtolicæ emanarunt libenter corroborat, & in priſtinum ac validum ſtatum reponit, cum præſertim per eas, & Catholicorum, nobiliumque, & Magnorum Principum honori, ac juſtis deſideriis, & fortium Chriſtianæ Religionis, & Catholicæ fidei propugnatorum, ſub approbati alicujus Ordinis Regula & inſtituto pro Chriſto adverſus infideles militantium, pro ejuſdem Religionis, & fidei defenſione, & propagatione, ſuam vitam & opus prompte quibuſvis periculis exponunt, commodis & congruæ ſuſtentationi opportunè conſulitur.

§.1. Cum itaque aliàs fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor poſt erectionem, & inſtitutionem Militiæ S. Stephani, ſub Regula S. Benedicti, per claræ mem. Coſmum, tunc Florentiæ, & Senarum Ducem, in Ducatu Florentiæ, de licentia Sedis Apoſtolicæ, ipſi Coſmo Duci per literas ejuſdem Pii prædeceſſoris attributas, antea factam, ipſi Coſmo Duci Magno Magiſtro, necnon Conventui, Militibus, Priori, cæteriſque Miniſtris Eccleſiæ dict. Conventus, & aliis perſonis, etiam in ſacris, & Presbyteratus ordinibus conſtitutis, etiam quæcumque, quoſcumque, & qualiacumque, cum cura & ſine cura beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, eorumque beneficiis commendis, rebus, & bonis diverſas exemptiones, etiam à juriſdictione Ordinariorum, libertates, immunitates, etiam à contributione decimarum, & onerum, indulta, privilegia, facultates, indulgentias & gratias ſpirituales, & temporales benignè conceſſerit, atque elargitus fuerit.

§.2. Atque in ſpecie hoc quoque inter alia indulſerit omnibus & ſingulis dictæ Militiæ S. Stephani Militibus conjugatis, ac etiam bigamis, aliiſque Presbyteris, ut ſingulas penſiones annuas uſque ad ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera, ſuper quarumvis Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, & præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, alias ſibi canonicè reſervandas, accumulativè cum quibuſvis penſionibus annuis, quas illos ex quovis alio privilegio Apoſtolico pro tempore percipere contigerit, & continget, ad vitam percipere, exigere, & levare, ac in ſuos uſus & utilitatem convertere liberè & licitè valerent, prout in ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris binis literis, prioribus nimirum ſub datis Kal. Februarii, poſterioribus verò ſub dat. Nonis Julii, Pont. ſui anno 5. confectis plenius continetur.

*Facultatem quoque dedit militibus etiam bigamis penſiones obtinendi & transferendi uſque ad ſummam ſcut. 400 auri de Cam. ut ibid.*

§.3. Poſtmodum verò piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, per ſuam, quæ incipit, Sacroſanctum, deſuper editam conſtitutionem inter cætera revocaverit, & aboleverit omnia & quæcumque privilegia, facultates, diſpenſationes, & indulta obtinendi ſimiles penſiones, fructus, & alias res Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium & regularium dictæ S. Stephani, cæteriſque Militiis, ac Hoſpitalibus, earumque Militibus, Fratribus, & perſonis, tam Clericis quàm conjugatis, quibuſvis modo & forma, ac quibuſcumque de cauſis conceſſa, & approbata, ita quod ipſi, ſive cõjugati, ſive bigami, ſive Clerici, ſive etiam presbyteri, nullas de cætero reciperent, ſed eas ſolas quas tunc habebãt, retinerent, & eæ quoque per futurum contractum Matrimonii extinctæ cenſerentur, prout in eadem conſtitutione latiùs continetur.

*Pius vero V. eiuſmodi indulta generaliter revocavit, ut in eius conſt. 73. Sacroſanctum*

§. 4. Nos animadvertentes, noſtris potiſſimum temporibus hujuſmodi Milites pro Dei, & Chriſtiani nominis gloria, ac fidei Catholicæ defenſione, non ſolùm ſæpiùs, in diverſis expeditionibus contra infideles fortiter, & magna cum laude dimicaſſe, ſed eorum triremes, & maritimas copias, ad Maris Mediterranei, & oræ maritimæ totius ferè Italiæ tuitionem, ad coërcendas Turcarum, & aliorum Piratarum incurſiones, magnum jugiter adjumentum afferre, ipſamque Militiam nunc maximè ſub felici regimine & gubernio dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Magni Etruriæ ſibi ſubjectæ Ducis, ac moderni Magni Magiſtri indies magis florere, & complurium Militum, qui regularem illius habitum ſuſceperunt, nobilitate, opibus, & virtute præſtantium, quaſi egregio, ac numeroſo fœtu multiplicato auctam eſſe, & quotidie augeri, ac præterea tam ipſum Ferdinandum Magnum Ducem, armis, opibus, potentia, virtute, inclytarum Civitatum, & populorum ejus ditioni ſubjectorum amplitudine, ac Militum copiis inter Chriſtianæ Reipublicæ Principes valde inſignem, præcipua verò erga nos, & Sedem Apoſtolicam reverentia & devotione, ſummoque Catholicæ fidei tuendæ & propagandæ zelo accenſum, quàm etiam eoſdem Milites, qui in tam egregio & laudabili exercitio non ſolum ingentes ſumptus aſſiduè faciunt, ſed ſanguinem ipſum & vitam, cum ſe offert occaſio, promptè & libenter profundunt, pro noſtra erga illos paterna charitate, Apoſtolica beneficentia & gratia dignos reputantes, aliiſque juſtis, & rationabilibus de cauſis adducti, eoſdemque Ferdinandum Magnum Ducem, & ſingulos Milites à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis

*Hic autem Pont. ob cauſas hic expreſſas, approbat antedictas Pii IV. conſtitutiones & Pii V. bullam revocat, quoad iſtos Milites, & quoad dictas penſiones. Mox Paul. V. ampliavit, ut notavi hic ſup. in rubr.*

ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dũtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cẽſentes, ac tenores dictarum Pii IV. prædeceſſoris literarum, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra liberalitate, & certa ſcjentia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, facultatem & indultum percipiendi & exigendi penſiones annuas præfatas, uſque ad ſummas hujuſmodi ducentorum auri de Camera, Militibus præfatis conjugatis, etiam bigamis, aliiſque etiam presbyteris, etiam accumulativè cum quibuſvis aliis penſionibus annuis, quas illos ex quovis alio privilegio Apoſtolico pro tempore contigerit, aut continget in futurum habere, ut præfertur, per Pium IV. prædeceſſorem conceſſa, & deinde per Pium V. etiam prædeceſſorem, ut diximus, revocata, adverſus ipſam revocationem, abſolutionem, prohibitionem, & conſtitutionẽ dicti Pii V. prædeceſſoris, cujus tenorem pariter præſentibus haberi volumus pro expreſſo, in integrum priſtinum, & validiſſimum, & eum, in quo antequam conſtitutio ipſa emanaret, quomodolibet erant, ſtatum, non ſolum juxta formam, continentiam, & tenorem dictarum Pii IV. prædeceſſoris literarum, ſed omni meliori, validiori, atque ampliori modo, & forma plenariè Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reſtituimus, reponimus, reintegramus, & revalidamus, ipſamque Pii V. prædeceſſoris conſtitutionem, quoad dictos Milites S. Stephani, præſentes & futuros, locum non habere, eiſque minimè obeſſe, ac nihil prorſus præjudicii afferre poſſe decernimus & declaramus, quinimmò dictæ conſtitutioni ad effectum præmiſſorum dumtaxat latiſſimè derogamus, eique plenè & ſufficienter derogatum eſſe volumus.

*Indultumque circa has penſiones iterato concedit.*

§. 5. Et nihilominus eiſdem Militibus, omnibus & ſingulis, etiam conjugatis, & bigamis, aliiſque etiam preſbyteris, ut ſingulas penſiones, uſque ad ſummam prædictam ducentorum ducatorum auri de Camera, ſuper hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, aliiſque prædictis, aliàs ſibi canonicè reſervandas, accumulativè cum quibuſvis aliis penſionibus annuis, quas eos ex quovis alio privilegio, ſeu indulto, aut diſpenſatione Apoſtolica eis in genere & communiter, ſeu eorum cuilibet nominatim, & ſigillatim, etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis ante vel poſt datam præſentium quandocumque conceſſa, aut concedenda, uſque ad quamcumque ſummam, etiam dictis ducentis ducatis longè majorem, pro tempore percipere contigerit, & continget ad vitam, percipere, exigere, & levare, inque ſuos uſus & utilitatem convertere liberè & licitè valeant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ipſa revocatio, abolitio, & conſtitutio dicti Pii V. prædeceſſoris non emanaſſet, aut ipſi Milites S. Stephani ſub ea comprehenſi non eſſent, de novo concedimus, & indulgemus.

*Eximitque ab onere deferendi habitum & conſuram clericalem. Necnõ concedit, per contractum matrimonii & exercitiũ, Militiæ, penſiones nõ vacare.*

§. 6. Decernentes nihilominus & declarantes, eoſdem Milites, tam laïcos quam clericos, etiam conjugatos, & non conjugatos, penſiones ſuper quibuſvis præfatarum Cathedralium, & Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, perſonatuum, & adminiſtrationum, officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & quorumvis Ordinum Regularium fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus etiam quotidianis, aliàs eis canonicè, & ex præfato, vel alio quocumque privilegio, aut indulto Apoſtolico, ad quamcumque ſummam, ſe ipſos fructus, redditus, & proventus, eorumve partem aliquam loco penſionum earundem ſibi reſervatos aut aſſignatos, percipientes, ad incedendum in habitu & tonſura clericali, deferendumque veſtes talares juxta noſtram deſuper editam conſtitutionem, quæ incipit: Sacroſanctum, cujus pariter tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, minimè teneri, neque ad id obligatos exiſtere, aut aliqua ratione cogi, aut compelli poſſe. Neque ipſas penſiones, aut illarum, vel fructuum, reddituũ, & proventuum hujuſmodi reſervationes, per non delationem habitus, & tonſuræ, aut veſtiũ hujuſmodi, aut per contractũ matrimonii, vel per bigamiam quamcumque ſupervenientem, aut per exercitium Militiæ, & quoſcũque actus bellicos, clericis, & Eccleſiaſticis perſonis de jure & per ſacros Canones prohibitos, nimirum Militares, etiam ſanguinis effuſione, membrorum mutilatione, & morte infidelium ſubſequuta, minimè ceſſare, expirare, aut caſſatas vel extinctas dici, aut cenſeri poſſe, ſed ipſos milites nihilominus, ut prius, illas percipere, & exigere poſſe & debere, & dummodo habitum Militarem, veſtes nimirum communes laïcales, cum inſignibus Crucis ejus Militiæ cõſuetis, juxta alias noſtras ſuper declarationẽ hujuſmodi habitus Militaris, ſub Dat. Prid. Kal. Februarii, Pont. noſtri Anno 4. quæ etiam incipit, Paſtoralis, editas literas deferant, utique conſtitutioni noſtræ plenè ſatisfacere.

*Clau... huju... ſion... va... ponit.*

§. 7. Nec præmiſſa aut præſentes literas, de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci poſſe, aut debere, nec ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum ſuſpenſionibus, revocationibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, à nobis & ſucceſſoribus noſtris, ac Sede præfata, quavis de cauſa, quantumcumque juſta pro tempore emanatis & emanandis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & de novo conceſſas eſſe, & cenſeri. Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Exec... depu...*

§. 8. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Florentino, & Piſano Archiepiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, ubi & quoties pro parte ipſorum Ferdinandi Magni Ducis, & Militum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos, & eorum quemlibet eiſdem præſentibus, ac in eis contentis quibuſcumque pacificè frui & gaudere; non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Con... der...*

§. 9. Non obſtantibus recol. mem. Bonifacii Papæ VIII. pariter prædeceſſori noſtris de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium ad judicium non trahatur, ac dicti Pii V. prædeceſſoris, qua inter alia voluit gratias hujuſmodi ſuis explodi temporibus, & quod ſibi licere non eſt paſſus, id ſuis ſucceſſoribus indicavit, necnon præfatis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, & quarumcumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Eccleſiæ, & Monaſteriis, eorumque Capitulis, Conventibus, Superioribus, Prælatis, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſis, ac etiam ſæpius approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis eorũque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vicè dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus; contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel

excom

excommunicati non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarn. Dominicæ 1590. Kal. Junii, Pont. noſtri anno 6.

V. Inſtitutio Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum, Clericorum, & Oſtiarii ad Scalas Sanctas, prope Baſilicam S. Ioan. Later. de Vrbe.

A. D. 1590.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

§. 1. CUm ſingularum rerum, quas Dominus noſter Jeſus Chriſtus, pro noſtra omniumque ſalute geſſit aut paſſus eſt, pia & aſſidua meditatio cunctis fidelibus mirificè fructuoſa, ac propemodum ſalutaris exiſtat, atque ad miſeros peccatores à recta via aberrãtes ad veram pœnitentiam revocandos, juſtos verò ad ardẽtioris devotionis fervorem inflammandos, vehementem vim habeat, idcirco præcipuo enitendum eſt ſtudio, quo ſancta illorum memoria cunctorum mentibus piorum fortius imprimatur & tenacius retineatur. Hinc ſancta mater Eccleſia non modo jugi Prædicatorum verbi Dei admonitione, aliiſque multis & variis cohortationibus, verum etiam per ſanctiſſimæ Paſſionis Dominicæ veneranda myſteria, ſalutifera monumenta, ſacraſque Imagines, quæ noſtris oculis devote contemplanda proponit, intimis cordis noſtri viſceribus id ipſum perpetuò foveri & conſervari pia cogitatione procurat. Cum itaque ex ſacris illis locis per quæ tranſiens ipſe Chriſtus Dominus humanæ ſalutis myſterium operabatur, inter cætera quamplurima monumenta, ſingulari Dei beneficio Almæ huic Urbi jampridem conceſſa, ſit etiam illud præclarum atque inſigne quaſi egregium divinæ erga nos charitatis pignus, Scalæ nimirum Sanctæ, quæ ejuſdem Salvatoris noſtri, dum multa jam paſſus, morti appropinquaret, ſacris, & pretioſiſſimo ejus cruore reſperſis veſtigiis calcatæ, & juxta antiquiſſimam Patrum traditionem pietatis cauſa ab Hieroſolymis à Prætorio ubi Pilatus præfuerat, Romam advectæ, apud venerabilem S. Joannis Lateranenſis Baſilicam aſſervantur, eaſque intueremur propter ſuperiorum temporum injurias, Vrbis excidia, direptiones, & alias calamitates jacere quodammodo in loco abjecto, ſitu, ſqualore ac ſordibus oblito, vetuſtate penè collapſo, atque ad excurrentis ac tranſeuntis turbæ tumultum omnifariè patenti, atque palam expoſito, ut ex hoc ipſo utriuſque ſexus perſonarum ſummo non populi modò Romani, ſed exterarum quoque nationum ex remotiſſimis regionibus concurſu, & celebritate ad eas confluentium, mentes à pia meditatione non mediocriter abducerentur, ac diſtraherentur, & earum devotio maximam perturbationem, moleſtiam, atque impedimentum pateretur, illud potiſſimùm nobis cordi fuit, ut nullis parcentes impenſis, eas integrè, diligenter, ac omni qua potuit, religione transferri curaremus. Id verò ut decenter, ac debita cum reverentia perficeretur, ac ne Sanctos illos gradus non aliter quam ſupplicum genibus contrectari liceret, cum aliqua irreverentia immũdis opificum pedibus profano quodam modo teri & conculcari contingeret, Deo illuminante excogitavimus, noſtroque ſolerti ſtudio curavimus in ipſa tranſlatione eam diligentem adhiberi cautionem, ut qui gradus Scalarum earundem Sanctarum infimo in loco veteris ſtructuræ ſitus & collocatus erat, is nunc omnium primus ſuo loco motus, ac transferentium humeris impoſitus ſummo, ac ſupremo in loco conſtitutus fuerit, & ſimiliter qui antea poſt aſcenſum infimi gradus ſecundus erat, is modo infra ſummum & ſupremum Scalæ Sanctæ gradum proximus, eique immediatè conjunctus habeatur, ac idem prorſus ordo præpoſtera hujuſmodi commutatione hac de cauſa inverſus, eademque ſeries & conſideratio gradatim & ſigillatim in tertio, quarto, ac deinceps reliquis ſingulis ejuſdem Scalæ Sanctæ gradibus transferendis, collocandis & adjungendis ſervati extiterint, ſicque ipſas Scalas ſanctas pedibus mortalium intactas, minimeque calcatas, juxta inſignem illam ac præcipuam ſanctitate toto terrarũ Orbe inter omnia Vrbis & Orbis ſanctiora loca celeberrimam Capellam, quæ antiquiſſima & maxima majorum noſtrorum veneratione jam indè ab ipſa creſcentis Eccleſiæ priſca ætate Sancta Sãctorum appellatur, & quam ob loci religionem prorſus intactã, ſuaque primæva Sede immota reliquimus, decentiori, ac ſanctiori, atque à multitudinis curſitantis ſtrepitu magis remoto, & ad excitandam devotionem aptiore in loco reponeremus. Vbi & qui per ipſas flexis genibus proſtrati, ut moris eſt, piè Deum precantes aſcendunt, nihil prorſus ante oculos habeant, quod eorum animum à devota contemplatione avocet, ſed potiùs auguſtiſſimam Salvat. Imaginem, quæ in prædicta ſanctiori Capella ſingulari & ex omni antiquitate longiſſima plurium ſæculorum ſerie repetita memoria, ſummaque Patrum religione colitur, intuentes ipſa loci ſanctitate ad exhibendum fervẽtiori ſtudio ſinceroque cordis affectu Divinæ Majeſtati cultum majorem in modum accendantur, & eædem Scalæ in eam quæ par eſt, dignitatem ac ſplendorem reſtitutæ ad æternam poſteritatis memoriam debito cum honore & reverentia conſerventur. Etenim ſi præcipua veneratione digniſſima ſunt ea omnia, quæ per cõtactum ſacratiſſimi Corporis D.N. Jeſu Chriſti, in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat, ſanctificata jure optimo cenſentur; quanta demùm reverentia, animique demiſſione colendæ, quanta etiam honorificentia & decore ornandæ & aſſervãdæ erunt hæ ſacroſanctæ Scalæ, quas idem Dominus ac Redemptor noſter jam antea flagellatus, & ſpinea corona caput circumvulneratus, non modò nudis ſacrorum pedum plantis, ſed eo ipſo quem pro nobis effundebat, inæſtimabili ſanguine aſperſit, ſimulque glorioſis beatorum Pedum, & cruoris ex ſanctis vulneribus copioſe manantis veſtigiis, quæ adhuc extant, impreſſas ac notatas reliquit? Adorabimus, inquit Propheta, in loco ubi ſteterunt pedes ejus, & rurſus: Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Apud Iſaiam quoque legimus: Locum pedum meorum glorificabo, & ad Sanctam Civitatem Hieruſalem adorabunt veſtigia pedum tuorum: & apud Ezechielem, Locus ſolii mei, & locus veſtigiorum pedum meorum.

§. 2. Hoc igitur opere tandem, licet ingenti ſumptu, feliciter Dei benignitate abſoluto, porticum quoque ante eas ſatis amplam atque ornatam extruximus, eamque ingentibus, ſolidioribus, ac robuſtioribus ferreis cratibus ad ſingula illius intercolumnia poſitis, undequaque ſeptam, ut par erat, clauſimus, & communivimus, claveſque illis aptari, ut congruis horis, & tẽporibus oſtia aperiri & obſerari queant, opportune curavimus. Alteras præterea ſcalas, binas videlicet ad dexteram, ac totidem ad ſiniſtram, ne quis per eaſdem Scalas Sanctas alia quam orandi cauſa, & genibus flexis congrua cum reverentia tranſeat, neve ob confertam Populorum ex omnibus Mundi partibus eò concurrentium multitudinem, ſummamque frequentiam in aſcenſu & deſcenſu Chriſti fideles ſe invicem impediant, latas, atque amplas. *Porticum ante d. Scalam ſatis ornatam extruxit.*

§. 3. Superius autem Sacella duo à lateribus dictæ ſanctioris Capellæ magna impenſa ædificavimus, necnon Altare in uno ex dictis Sacellis ſub S. Laurentii Martyris, in altero autem ſub S. Sylveſtri invocationibus ereximus. Illas verò omnes opere tectorio marmorato, eoque etiam inaurato, piis & ad devotionem Chriſti fidelium excitandam accommodatis picturis exornavimus. Ea nimirum ratione habita, ut in gradibus hinc inde poſitis, eorumque fornice figuræ veteris Teſtamenti, futuræ noſtræ redemptionis ſymbola ſint depicta. *Sacella duo apud d. Capellam Salvatoris ædificavit.*

§. 4. In ipſis verò Scalis Sanctis ejuſdem Sacratiſſimæ Paſſionis myſteria fuerint expreſſa, atque hoc modo qui eas, ut diximus, genibus flexis devotè aſcendunt, religioſiſſimam eodem tempore Salvatoris Imaginem adorent, & quoquo ſe vertant, undequaque ſalutiferæ Crucis & Paſſionis Dominicæ monumenta, pia contemplatione meditentur. *In parietibus juxta d. Scalam, Paſſionis Domini Myſteria depingi fecit.*

§. 5. Quoniam verò maximè convenit, ut in ſacro hujuſmodi loco Dominicæ Crucis & Paſſionis memoria non ſolum in marmore, ac lapidibus, picturiſque & imaginibus, ſed multò etiam magis in tremendo illo Miſſæ ſacrificio, veraque & actuali Corporis & ſanguinis D.N. *Sacella prædicta, eorumque Sacriſtiã ornamentis Eccleſiaſticis ornavit.*

Jeſu Chriſti oblatione perpetuo recolatur, divinuſque cultus non temporalibus modo, ſed ſpiritualibus quoque ædificiis augeatur, primum quidem eadem Sacella & Altaria, eorumque Sacriſtiam, paramentis atque ornamentis Eccleſiaſticis, ſacris nimirum veſtibus, ſtolis, manipulis, amictibus, pluvialibus, caſulis, cæteriſque indumentis Sacerdotalibus, necnon calicibus, patenis, corporalibus, candelabris, lampadibus, urceolis, vaſculis, mantilibus, linteis, palliis, ac etiam Miſſalibus, cæteriſque ſacris libris, atque Eccleſiaſtica ſuppellectili, & utenſilibus omnibus neceſſariis abunde inſtruximus, atque ornavimus.

*Modo unam Præpoſituram, unius Sacriſtæ officium, quatuor Capellanias, quatuor Clericatus, unumque Oſtiarium ibidem inſtituit.*

§. 6. Mox etiam decrevimus inibi unam Præpoſituram ad Scalas Sanctas appellandam, unum Sacriſtæ Officium, necnon quatuor capellanias, & quatuor Beneficia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupata, & unum Oſtiariatum erigere. Ex redditibus vero novorum locorum Montis Religionum, quæ ultra aſſignationem Aquæ Felicis perpetuæ conſervationi per nos factam, ſuperſunt, nunquã antea Cam. Apoſt. applicatis, neque incorporatis, ſed noſtra diligentia, induſtria & cura, ſine ullo Cam. Apoſtolicæ, aut cujuſvis alterius gravamine, vel detrimento, de novo inventis, ac penſione annua perpetua quadringentorum ſcutorum monetæ ſuper fructibus, redditibus, proventibus, ac diſtributionibus, etiam quotidianis, Prioratus Eccleſiæ Æſinæ per nos ad hunc effectum reſervata, & aſſignata, Dotem Præpoſituræ, Sacriſtiæ, Capellaniis & Beneficiis prædictis aſſignari poſſe cẽſuimus. Motu igitur proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra deliberatione, ac certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ac in honorem & memoriam Paſſionis Domini Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, divinique cultus ad Scalas Sanctas; ac in novis Sacellis prædictis incrementum, unam Præpoſituram, quæ inibi dignitas cenſeatur pro uno Præpoſito in presbyteratus ordine conſtituto, vel qui in ea ætate ſit ut intra annum promoveri ad presbyteratum poſſit & debeat, qui capellanorũ, & clericorum hujuſmodi caput exiſtat, ibidemque præſit, ac præterea perpetuum Sacriſtæ Officium pro uno Sacriſta, qui curam Altarium Scalarum Sanctarum, ac ipſius Sacriſtiæ gerere, illamque cuſtodire, atque ut omnia nitida, ſarta tecta, ut par eſt, cuſtodita ſint, diligenter providere, necnon quatuor Capellanias, pro totidem perpetuis Capellanis Presbyteris, ſeu intra annum pariter ad presbyteratum promovendis, & quatuor Clericatus nuncupanda Beneficia Eccleſiaſtica, pro totidem Clericis in minoribus ordinibus conſtitutis ad Scalas Sanctas appellandis.

*Munus cuiq; cuique præſcribit.*

§. 7. Qui quidem præpoſitus, Sacriſta, & Capellani terni qualibet hebdomada, & ſic unuſquiſque eorum alternis hebdomadis Miſſam in novis Sacellis prædictis per ſe ipſos, aut ſi quo die ejuſdem Præpoſiti arbitrio legitimè impediti fuerint, per alium presbyterum ab ipſo Præpoſito ad hoc ſpecialiter approbandum, celebrare, ac miniſtrare, Clerici autem illis inſervire, ac unum Oſtiariatum pro Oſtiario ad nutum Sacriſtæ deputando & amovendo, qui ipſas Scalas, omniaque Sacella, & altaria, ac Porticum mundare, congruiſque horis, & temporibus oſtia, & feneſtras claudere & aperire, aliaque juxta providam ordinationem à Dilecto filio noſtro in Alma Vrbe Vicario, nunc & pro tempore exiſtente eis deſignandam, facere & exequi, dictoque Præpoſito tanquam membra capiti obedire debeant, & teneantur, tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Annuóſque redditus eiſdem aſſignat.*

§. 8. Eiſque ſic erectis & inſtitutis, pro illorum dote, ac illa obtinentium congrua ſuſtentatione, ultra penſionem ſuperiùs expreſſam, etiam centum nova loca Montis Religionum prædicta per nos erecta, ſive annua emolumenta inde provenientia, & inſimul ad mille centum & ſeptuaginta ſcuta monetæ Romanæ annuatim aſcendentia, ex eis nimirum Præpoſituræ prædictæ ducenta, Sacriſtæ verò pro tempore exiſtenti centùm quadraginta ſcuta monetæ (ex quibus tamen idem Sacriſta triginta pro mercede ſeu ſalario Oſtiarii quotannis erogare debeat) ſingulis verò Capellanis centum & decem, ac denique ſingulis Clericatibus prædictis, quinquaginta ſcuta etiam monetæ ſimilis annua motu, ſcientia, ac auctoritate ſimilibus perpetuo applicamus & appropriamus. Quod vero ex illis reliquum erit, ad centum & nonaginta ſcutá ſingulis annis aſcendens, id ipſis novis Sacellis pro divino cultu manutenendo & augendo, & in ea quæ pro tempore reficienda erunt, paramenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica, ſive in reparationẽ, & conſervationem Scalarum & Porticus, ac totius cõtinentis ædificii erogandum pariter perpetuo concedimus & aſſignamus. Quibus quidem impenſis deductis, totum id quod ſupererit, in emptionem aliorum locorum Montium non vacabilium quotannis converti, & eorum fructus pro rata ſupradictæ portionis ratione habita, inter ipſos Præpoſitum, Sacriſtam, Capellanos, & Clericos diſtribui volumus. Necnon Præpoſito, Sacriſtæ, Capellanis, & Clericis emolumenta locorum Montium hujuſmodi, ac penſionem eis aſſignatam, per ſe vel Procuratorem legitimum, & ſi eis videbitur, per Camerarium, qui de eorum gremio exiſtat, & ad quem peculiaris cura recuperationis exactionis, diſtributionis, & repartitionis fructuum, redituum, ac proventuum hujuſmodi ad communem maſſam pertinentium ſpectet, (ita tamen, ut receptis & adminiſtratis rationem, & computa ipſi Collegio reddere teneantur) per eos, eorumve majorem partem, pro tempore deputandum à priore Eccleſiæ Æſinæ, necnon Depoſitario prædictis nunc & pro tempore exiſtentibus reſpectivè, qui ſine ulla mora, aut contradictione, etiam abſque aliquo Judicis decreto aut miniſterio, & ſine alia noſtra, aut pro tempore exiſtentis Romani Põtificis, aut Cameræ Apoſtolicæ, ejuſve Miniſtrorum licentia, aut mandato, ſeu Patentium expeditione, vigore præſentium literarum perſolvere debeant, exigendi, & percipiendi, ac inter ſe ut præfertur, diſtribuendi, plenam & liberam per præſentes facultatem concedimus, & impartimur. Volentes ipſum Collegium, ejuſque ſingulares perſonas, nimirum Præpoſitum, Sacriſtam, Capellanos, & Clericos prædictos, quoad centum loca dicti Montis, eis ut dictum eſt, aſſignata, & applicata, eorum fructus, ſeu emolumenta eiſdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, necnon juribus etiam anterioribus, & potioribus actionibus, hypothecis, obligationibus generalibus & ſpecialibus, antelationibus, & facultatibus (non tamen illa alienandi) perpetuo uti, frui potiri & gaudere, quibus cæteri ejuſdem Montis locorum, ſeu portionum emptores, aut quovis titulo etiam oneroſo creditores, ſeu montiſtæ, quoad loca & portiones ad eos pertinentia, utuntur, potiuntur & gaudent, ſive uti, frui potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter & æquè principaliter, & ſine ulla prorſus differentia, perinde ac ſi ipſi quoque Præpoſitus, Sacriſta, Capellani, & Clerici, verè & realiter perſoluto pretio, illa titulo oneroſo acquiſiviſſent.

*Eleem… ibi elarg… das … ad … das … cerni…*

§. 9. Ac inſuper ſtatuimus & ordinamus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes & quæcumque piorum Chriſti fidelium oblationes, & eleemoſinæ dictis Scalis Sanctis, & Sacellis, & Altaribus elargiendæ, per unum vel duos ex dictis Sacriſta, Capellanis, & Clericis pro tempore ad hoc deputandos, fideliter cuſtodiantur, & aſſerventur, & ſexto quoque menſe partim in Sacriſtiæ uſus & divini cultus augmentum erogentur, partim vero inter ipſum Præpoſitum, Sacriſtam, Capellanos, & Clericos dictis Scalis Sanctis & Sacellis in divinis perſonaliter inſervientes tantum, atque inibi aſſiſtentes, ultra portionem ordinariam prædictam eis applicatam, quaſi diſtributionum quotidianarum loca, juxta ordinationem dicti Vrbis Vicarii ſuper hoc faciendam dividantur.

*Ius patr… tus & … ſentandi … dicta … cias, Mic… li Peretto eius prone… ti, & deſc… tibus ma… lis, aliiſqu… hic nomi…*

§. 10. Poſtremo Juſpatronatus, & præſentandi perſonas idoneas etiam alienigenas ad Præpoſituram, Officiũ Sacriſtæ, quatuor Capellanias, & alia beneficia Clericatus nuncupata hujuſmodi dilecto filio nobili adoleſcenti Michaëli Peretto Marchioni de Enciſia, nunc autem Burgi S. Petri, Militumque Cuſtodiæ noſtræ præfecto, noſtro ſecundũ carnẽ ex ſorore Pronepoti, ejuſque maſculis ex maſculis deſcendẽtibus legitimis & naturalibus, ac ex legitimo

gitimo matrimonio natis, & procreatis. Ita tamen quod præſentatio fieri debeat ſolum à primogenito, & ipſius primogeniti primogenito, uſque in infinitum, eiſque deficientibus, ad ſecundogeniti, & aliorū ſucceſſivè lineas, & denique in maſculorum omnium defectum, jus hujuſmodi ad fœminas, earumque deſcendentes tranſeat, eiſdem modo & forma, quibus præſentatio ad aliam Præpoſituram, Sacriſtiam, Capellanias, & Beneficia per nos in Capella ad Præſepe Domini in Eccleſia S. Mariæ Majoris erecta, ejuſdem Michaëlis etiam illorum Patroni deſcendentibus reſervata fuit, prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum tenorem haberi volumus pro expreſſo, ac ad verbum inſerto, pleniùs continetur. Et poſtmodum ſi defecerint omnes à dicto Michaële deſcendentes, juſpatronatus & præſentandi hujuſmodi tranſeat ad dilectam in Chriſto filiam Flaviam, etiam Perettam dicti Michaëlis ſororem germanam, ſi extabit, & poſt eam, vel ſi ipſa nō extabit, ad filios maſculos ipſius, & ab eis maſculos deſcendentes, uſque in infinitū, & ceſſantibus maſculis, ad fœminas à dictis maſculis deſcendentes, & ceſſantibus omnibus tam maſculis quàm fœminis deſcendentibus à dicta Flavia, ſuccedat dilecta in Chriſto filia Urſina ſimiliter Peretta ejuſdem Michaëlis, etiam ſoror germana, & poſt eam, vel ſi ipſa tunc non extabit, ejus filii maſculi ex maſculis deſcendentes. Deficientibus autem omnibus & ſingulis maſculis & fœminis deſcendentibus à dictis Michaële, Flavia, & Urſina, tunc ſuccedat in jurepatronatus, qui nobis fuerit ſanguine proximior, ſervato ſemper in omnibus caſibus ſupradicto ordine primogenituræ, tranſeundo ſcil. de primogenito in primogenitum, & præferendo lineam primogeniti lineæ ſecundogeniti, & maſculos ex maſculis deſcendentes natis ex fœminis, ac maſculos ex fœminis ipſis fœminis, ac alias in omnibus & per omnia prout in linea filiorum, & deſcendentium à dicto Michaële, ut præfertur, alias in literis prædictis ordinatum eſt. Ita quod jus præſentandi hujuſmodi ad unum ſolum ſucceſſorem in ſolidum, & poſt illum ad alium ſemper deveniat, abſque eo quod inter plures ſucceſſores dividi poſſit.

*...tionem ...pitura ...m Vr- ...liorum ...m bene- ...m ipſi ...ſito tri-*

§. 11. Inſtitutio verò ad præſentationem hujuſmodi Vicario Urbis prædicto quoad Præpoſituram tantum, quoad Sacriſtiam verò, Capellanias, & beneficia, ſeu clericatus hujuſmodi, ipſi Præpoſito pro tempore exiſtenti conceſſa ſit, & ad eos pertinere cenſeatur, ac in forma ſolita fieri debeat, idque tam hac prima vice, & ab eorum primæva erectione & inſtitutione, quam quoties ex nunc in futurum illa & illa, quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis, etiam noſtris, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ſeu cujuſvis Cardinalis, etiam tunc viventis familiaribus, continuis commenſalibus, ſeu Romanæ Curiæ Officialibus, aut alias quomodolibet reſervationem inducentibus, ſeu per liberas, vel ex cauſa permutationis reſignationes, de illis in dicta Curia, vel extra eam quomodolibet factas, & admiſſas, aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici quavis auctoritate collati, ſeu illa pro tempore obtinentium deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem, amiſſionem, privationem, matrimonii contractum, Religionis ingreſſum, aut alias quomodocumque, etiam apud Sedem prædictam ſimul vel ſucceſſivè vacare contigerit, motu & ſcientia ſimilibus, auctoritate & tenore prædictis pariter perpetuò reſervamus, concedimus, & aſſignamus. Decernentes juſpatronatus & præſentandi hujuſmodi, laïcorum Nobilium & Illuſtrium exiſtere, ac Michaëli, & aliis futuris Patronis prædictis, & eorum cuilibet perpetuò ſuffragari debere in omnibus & per omnia, abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi illis & eorundem cuilibet, ratione veræ, realis, actualis, plenæ, & integræ fundationis, ac perpetuæ dotationis per eos de eorum propriis, & merè patrimonialibus & laïcalibus bonis dumtaxat competeret, & conceſſum eſſet, ac ut tale ſub quacumque derogatione, etiam cum quibuſvis prægnantiſſimis, efficaciſſimiſque verbis, clauſulis, & decretis, cum clauſula, Quorum tenores, in quacumque diſpoſitione, etiam per viam Conſtitutionis, legis, regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, aut aliàs quomodocumque facta, nullatenus comprehendi, nec illi unquam quovis tempore, etiam ratione cujuſvis litis pendentiæ, vel vacationis Præpoſituræ, Sacriſtiæ, Capellaniarum, & aliorum beneficiorum hujuſmodi apud Sedem prædictam, etiam ex cauſa permutationis, vel devolutionis, ſeu alio quocumque prætextu, ex quacumque cauſa, quantumvis urgenti & legitima, per nos, ſeu quoſcumque alios Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, vel Sedem prædictam, aut illius Legatos etiam de latere, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu cujuſvis intuitu & contemplatione, per quaſcumque literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & quaſvis etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores & inſolitas clauſulas, necnon irritantia, & alia contraria decreta quæcumque derogari, aut derogatum cenſeri poſſe, neque debere, niſi in illis de toto tenore, ac Data præſentium, necnon Patroni pro tempore exiſtentis nomine, cognomine, ac qualitate ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio facta fuerit, ac ejuſdem Patroni pro tempore exiſtentis ad hoc expreſſus acceſſerit aſſenſus, & aliter factas derogationes, necnon quaſcumque collationes, proviſiones, commendas, præſentationes, inſtitutiones vel alias diſpoſitiones, de Præpoſitura, Sacriſtia, Capellaniis, & aliis beneficiis prædictis, ut præfertur, & alio quovis modo, etiam apud Sedem eandem pro tempore vacantibus, quibuſvis perſonis aliàs quam ad præſentationem Michaëlis, & aliorum Petronorum prædictorum, ſeu de eorum expreſſo conſenſu, etiam cum ſpeciali & expreſſa derogatione Juriſpatronatus hujuſmodi pro tempore factas, proceſſuſque deſuper habitos, ac inde pro tempore ſequuta quæcumque, nulla & invalida, nulliuſque roboris vel momenti fore & eſſe, ac pro nullis & infectis haberi & cenſeri, nec jus, aut coloratum titulum poſſidendi cuiquam tribuere, vel per illa acquiri poſſe: ſed præſentationes per Michaëlem, & alios futuros patronos prædictos pro tempore factas, & ſubſequutas inſtitutiones, validas & efficaces fore, ſuoſque effectus ſortiri, ipſiſque præſentatis & inſtitutis tale jus in re, & ad rem acquiri debere, quale acquiritur præſentatis & inſtitutis ad beneficia de vero & reali jurepatronatus laïcorum nobilium & illuſtrium, ratione primævæ & integræ fundationis, ac perpetuæ dotationis ex bonis merè laicalibus & patrimonialibus dumtaxat exiſtentia.

§. 12. Necnon Præpoſituram, Sacriſtiam, Capellanias, aliaque beneficia Clericatus nuncupata hujuſmodi per nos erecta, ſub quibuſvis ſpecialibus, vel generalibus reſervationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, ſuppreſſionibus, etiam perpetuis vel temporalibus, expectativis, & aliis etiam præventivis gratiis, ac uniendi, annectendi & incorporandi, necnon conferendi, providendi, & aliis facultatibus, conceſſionibus, literis, mandatis, etiam de providendo, & indultis quibuſcumque, illorumque & illarum revalidationibus quibuſvis perſonis, etiam prædictæ Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis ſuſpenſivis, reſtitutivis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, irritantibuſque & aliis, etiam vim contractus inducentibus decretis, atque aliàs quomodolibet nunc pro tempore conceſſis, necnon quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Cancellariæ regulis quomodolibet; & cum quibuſvis clauſulis & decretis, quantumvis ampliſſimis, ac prægnantibus; & cum clauſula Quorum tenores editis & edendis, nullatenus comprehenſa eſſe, aut fore, minimeque comprehendi poſſe, aut debere, ſed ſemper ab illis excepta & excluſa eſſe, & cenſeri debere, ac omnia & ſingula præmiſſa, necnon præſentes literas, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod cauſæ propter quas eadem præmiſſa facta ſunt, coram locorum Ordinariis, vel alio Judice examinatæ, verificatæ, & ab eo approbatæ, ac intereſſe forſan habentes ad id vocati non fuerint, nec deſuper ſuum conſenſum præſtiterint, ſeu ex quavis alia cauſa, vel quocumque prætextu, quæſito colore vel ingenio notari, impugnari, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, ſeu in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus illa quodcumque juris,

*Clauſ. præſ. apponit.*

*Facti*, *vel gratiæ remedium impetrari*, & *attento quod noſtra cura*, *ut præfertur*, *dos ipſa locorum Montium prædictorum inventa eſt*, in Cameræ prædictæ præjudicium *nequaquam* redundare dici, aut cenſeri poſſe, nec ſub ullis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea erant ſtatum reſtituta, repoſita & plenariè reintegrata, ac de novo, etiam ſub *Data* per eos quorum intererit quandocumque eligenda conceſſa, valida & efficacia fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac perpetuò ſuffragari, perinde ac ſi in Conſiſtorio noſtro ſecreto de unanimi fratrum noſtrorũ conſilio emanaſſent.

*Decretum irritans.*

§.13. Sicque in præmiſſis univerſis per quoſcumque, & ſingulos Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores hujus conſt. deputat.*

§.14. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Oſtien. Sabinen. & Tuſcul. Epiſcopis, motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore exiſtentium Patroni, necnon Præpoſiti, Sacriſtæ, Capellanorum & Beneficiatorum hujuſmodi, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, necnon Patronum, Præpoſitum, Sacriſtam, Capellanos, & Beneficiatos pro tempore exiſtentes prædictos, eorumque ſingulos illis pacificè frui, & gaudere, eiſque de emolumentis locorum, ſeu portionum Montis hujuſmodi, & penſione prædicta, perpetuò & integrè reſponderi, & ſolutiones eis faciendas, tam à Camera Apoſt. ejuſque Miniſtris, quàm ab aliis, ad quos ſpectat, aut ſpectabit in futurum, ratas haberi, etiam alio particulari, aut novo mandato, licentia, aut decreto minimè expectato, nec requiſito. Non permittentes, ipſos vel quempiam ex eis per quoſcumque deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulas derogatorias ſubdit.*

§.15. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati, extra Civitatem vel Diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, necnon quatenus opus ſit, Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati ſuper bonis Romanæ Eccleſiæ, & Sedis earundem nunquam, aut niſi ex certis tunc expreſſis cauſis alienandis, ac ſanctæ memoriæ Symmachi, Non liceat Papæ, ac Innocentii Octavi, Volentes, incipien. & Pauli Secundi, necnon Pii Quarti ſuper gratiis intereſſe Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera regiſtrandis. Ita ut præſentes literæ, etiamſi in dicta Camera intra certum in ea præfixum tempus, nec unquam poſtea præſentatæ, inſinuatæ, admiſſæ, aut regiſtratæ fuerint, nihilominus perpetuò valeant, ac etiam lapſo hujuſmodi tempore, iis quos concernunt ſuffragentur non ſecus, ac ſi inſinuatæ, admiſſæ, & regiſtratæ fuiſſent, ac noſtra de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & dicti Lateranen. noviſſimi, & *aliorum generalium Conciliorum uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri*, *aut unius Diœceſis beneficia alterius Diœceſis beneficiis uniri* prohibentium, *necnon aliorum Romanorum Pontificum noſtrorum* prædeceſſorum, *cæteriſque noſtris Apoſtolicis*, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis & edendis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Baſilicæ Sancti Joannis Lateranen. Eccleſiæque Æſinæ, ac Congregationum, & Ordinum, *Montiſque* Religionum, & Cameræ prædictarum, etiam *juramento*, *confirmatione Apoſtolica*, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & *conſuetudinibus*, primæviſque fundationibus, erectionibus, & inſtitutionibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Archipresbytero & Capitulo Baſilicæ prædictæ, ac Priori Æſino, præſidentibuſque, Clericis, & quibuſvis Miniſtris & Officialibus Cameræ, ſeu Collegio Montis Religionum hujuſmodi, ac dilectis filiis Senatui, Populoque Romano ſuper dignitatibus, Capellaniis, & Beneficiis in ipſa Urbe conſiſtentibus, illa aliis quàm Civibus Romanis originariis conferri prohibentibus, & quibuſvis aliis conceſſis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, vel forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice ad effectum præſentium dumtaxat derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.16. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, applicationis, & approbationis, impartitionis, ſtatuti, ordinationis, reſervationis, conceſſionum, aſſignationum, voluntatum, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, &c. *Sanctio … nalis*

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. 4. Non. Junii, Pont. noſtri anno 6. *Dat. P.A. die 2. Iu…*

---

CV…

## Alienationes Officiorum, ſeu jurium & emolumentorum, Officiis etiam majoribus S. R. E. annexorum, ab Officialibus contra formam eorum primævæ erectionis factæ reſcinduntur, & in poſterum fieri prohibentur.

*Quoad Officia à primava erectione annexa Officio Vicecancellarii, attende conſtit.16. Sixti IV. in* §. 25. *lib.1. & declarationem hujuſmet Pontificis, ſub iſta conſtitutione locatam.*

Facultates diſponendi de Officiis vacabilibus Romanæ Curiæ, eorumque pretio, revocavit S. D. N. Urb. VIII. Conſt. 20. *Sanctiſſimus*, inf. tom. 4. & etiam revocavit conceſſiones diverſorum Officiorum, Privilegiorum, & Indultorum in præjudicium Sedis, & Cameræ Apoſt. emanatas, in Conſt. 28. *Superni*, d. tom. 4.

*SIXTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. 1589. 1590.*

*Exordium.*

CUm pro ſuprema injunctæ nobis ſollicitudinis cura, atque ea quæ Rom. Pont. peculiaris exiſtit in tuendis S. R. Eccleſiæ rebus providentia, ejuſdem Eccleſiæ jura, & emolumenta integra conſervare, naturali, Divinoque mandato moniti teneamur. Cumque ne ea contra antiquam Rom. Pont. vel aliorum, ad quos pro tempore ſpectat conſuetudinem, aliter quàm concedenda ſunt concedantur, aut in alias perſonas contra concedentium voluntatem, attributamque ipſis facultatem transferantur, omni ſtudio cavere debeamus. Nulli mirum videri debet, ſi pleraque jura, atque emolumenta S.R.E. officiis etiam majoribus annexa, ab obtinentibus dicta officia, qui tanquam fideles, & prudentes ſervi, talenta à Domino

mino accepta dando ſuperlucrari, vel ſaltem utendo cõmunicare, non autem diſtrahendo conſumere debent, hactenus indebitè alienata recuperare, & ne in poſterum alienentur prohibere optima ratione decernimus.

baias

§. 1. *Cum igitur ſint aliqua munera, aut officia, ſeu potius jura, regalia, & emolumenta majoribus officiis annexa, quæ aliquibus perſonis in laborum, & meritorum* remunerationem ab ipſis Officialibus gratioſè concedi ab initio conſueverunt, & omninò debuerunt, & nonnulla ſimiliter officia per ſe exiſtant, quæ perſonis inopia laborantibus ad honeſtam eorum dumtaxat vitæ, aut familiæ ſuſtentationem à Sede Apoſtolica liberaliter tributa ſunt: *Nos ut modus in hujuſmodi conceſſionibus* ſervari debitus, hactenus immutatus reſtituatur, & ne in poſterum aliquo pacto immutetur, atque ut beneficii accepti memoria pretii, aut oneris impoſitione non lædatur, & ne officiorum conceſſorum emolumenta è perſonis, aut familiis, quibus ad eorum ſuſtentationem conceſſa ſunt, egrediantur, aut ipſorum neceſſitatibus ullo tempore ſubtrahantur, & ne ulterius Camera Apoſtolica aliquam jacturam patiatur, quantum in nobis eſt, ſtatuendum atque conſulendum duximus. Summo itaque animi dolore nuper accepimus (id quod magna etiam cordis perturbatione, & juſta indignatione commoti vix cogitatione revolvere, nedum verbis recenſere poſſumus) quoſdam ad Apoſtolicæ Sedis Officia, etiam præcipua à Romano Pontifice adſcitos, quos Officiorum præfatorum jura & emolumenta conſervare, & ut cæteris inferioribus Officialibus fidei & induſtriæ exemplo eſſent, amplificare oportebat, propriæ ſalutis immemores, ea contra antiquam majorum conſuetudinem & attributam facultatem, & contra ejus qui contulit, voluntatem, & in damnum Sedis & Cam. Apoſtol. ſuorumque in prædictis Officiis ſucceſſorum alienare, pecuniaſque inde collectas in proprios uſus convertere non dubitaſſe. Nec ſine majori animi moleſtia comperimus, eos hujuſmodi alienationes ſubreptitiis & obreptitiis confirmationibus Apoſtolicis approbari procuraſſe, & ſe eo pacto tueri, & quodammodo excuſare voluiſſe. Qua quidem in re non poſſumus non ſummopere deteſtari hujuſmodi hominum ingrati animi vitium, dum inſignem Apoſtolicæ Sedis liberalitatem experti, res eorum fidei creditas, & ipſis in uſum, fructumve tantum conceſſas, in alios transferre auſi fuerunt; tum ſacrilegium eorundem, quod bona, ac jura Deo, ejuſque Sponſæ Sacroſanctæ Eccleſiæ dedicata præripere veriti non fuerunt; demum impietatem, quod ea quæ pauperibus educandis, quæ viris religione, ac doctrina claris, ſedulamque ipſi Eccleſiæ operam navantibus fovendis deſtinata ſunt, cupidè exhaurire, & ad propria commoda convertere non timuerunt. Invenimus præterea nonnullos tum in variis Status noſtri temporalis Eccleſiaſtici locis, tum præſertim in hac Alma Urbe noſtra, in qua Romani Pontifices prædeceſſores noſtri erga ejuſdem Urbis Cives & incolas liberales & munificos ſe ſæpiùs exhibuerunt, qui diverſa Officia, donec ipſi vivant vel eorum familiæ extent, in laborum & meritorum remunerationem, vel ad ſublevandam eorum indigentiam ab ipſis prædeceſſoribus noſtris acceperunt, Apoſtolica benignitate abutentes, attributaque alimenta negligentes, quaſi per injuriam benefactoris memoriam ingrati animi vitio delere, taliaque ſibi elargita Officia in alios transferre veritos non fuiſſe. Nonnullos etiam diverſarum noſtræ & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ temporali ditioni ſubjectarum Provinciarum, Civitatum & locorum Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Magiſtratus, & Romanæ Curiæ Officialium Collegia, hujuſmodi inferiora Officia, ſive eorum jura, & emolumenta mediante pretio vel reſponſione concedere quandoque præſumpſiſſe.

*Irritatio alienationū quibus in ... brica.*

§. 2. Unde nos deteſtabiles hujuſmodi abuſus, ne latiùs ſerpant, prohibendos, juſtiſſimaque, & ſeveriſſima ſanctione coërcendos, & ex Romana Curia, Statuque temporali Eccleſiaſtico prorſus eliminandos eſſe cenſentes, habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione reſcindimus & irritamus, quinimmò maledicimus & execramur omnes & quaſcumque venditiones, diſtractiones, pignorationes, hypothecas, necnon deputationes & conceſſiones ex titulo oneroſo ab omnibus ſupernominatis quomodolibet factas, quorumcunque ab ipſo initio, ſive à primæva erectione, ex indulto Apoſtolico non alienabilium jurium & emolumentorum quibuſcumque Officiis cohærentium, etiam majoribus, nempe Majoris Pœnitentiarii, Vicecancellarii, Camerarii, Summatoris literarum Apoſtolicarum, Cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. Generalis Auditoris, noſtri & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. in Urbe Vicarii, & ejuſdem Urbis Gubernatoris, ac Senatoris, aut aliorum quorumcunque, ſub ſigillo Secretariatus, Vicariatus, exercitii, deputationis, cuſtodiæ, aut alio quovis nomine & vocabulo comprehenſorũ, etiam ſub prætextu cõpenſationis, aut remunerationis obſequiorum per dictos Officiales majores Sedi Apoſt. impenſorum ante expenſarum, vel damnorum per eoſdem ex quavis cauſa paſſorum, vel ſub quovis neceſſitatis & indigentiæ quæſito colore, in favorem quarumvis perſonarum, ut præfertur, factas, ac omnium etiam Officiorum, adminiſtrationum & jurium, quæ vel à prædeceſſoribus noſtris aliquibus perſonis, ſeu familiis gratioſè conceſſa, vel à prædictis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Magiſtratibus, Officialibus, aut Collegiis, pretio, ſeu gratia, ut præfertur, conceſſa fuerunt, etiã cõtractu ultro citroque obligatorio, publicoque inſtrumento ipſorum concedentium, & ſucceſſorum ſuorum nominibus ſolemniter inito & ſtipulato, necnon prætenſo juramento, aut quacumque confirmatione Apoſt. poſtea, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus ſubſecuto roboratas, quarum omnium & ſingularum, ac inſtrumentorum & confirmationum hujuſmodi tenores præſentibus haberi volumus pro plenè & ſufficienter expreſſis.

*Et omnium inſtrumentorum deſuper celebratorum quacumque cautela munitorum.*

§. 3. Declarantes nemini licuiſſe, nec licere hujuſmodi conventiones, contractus & pacta, ultra facultatum ipſis conceſſarum limites in detrimentum Sedis & Cameræ Apoſtolicæ, ſuorumque in Officiis per eos obtentis ſucceſſorum, ſuper præmiſſis inire & celebrare. Ideoque tam ipſos contractus, conventiones, pacta & quæcumque inſtrumenta inita & celebrata, nulla, invalida, ac viribus omninò vacua exiſtere, quàm etiam juramenta ſuper contractibus hujuſmodi præſtita ex hoc ipſo illicita, & nequaquam ſervanda eſſe, ac ſuper illis editas à prædeceſſoribus noſtris confirmationes quibuſcumque præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, aut aliis fortioribus, inſolitis atque efficaciſſimis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis munitas, tanquam in fraudem decretorum & canonicarum ſanctionum, per ſubreptionem vel obreptionem, ſeu ut dicitur, per præoccupationem extortas verius, quàm obtentas, ac pariter nullas & irritas eſſe & cenſeri. Cum nequaquam credendum ſit, quempiam ex eiſdem prædeceſſoribus noſtris voluiſſe confirmare quod non licet, nec veriſimile ſit (prout alias à quibuſdam in ſimilium gratiarum confirmationibus expreſſum, ac narratum fuiſſe accepimus) pro ſolvenda vel reſtituenda dictis Officialibus alienantibus exigua pecuniarum ſumma, pro ſervitiis Sedi Apoſtolicæ præſtitis, aut ſumptibus ejuſdem Sedis cauſa ſuſceptis erogata, ipſius Cameræ, Sediſque Apoſtolicæ Ærarium adeò unquam exhauſtum fuiſſe, aut iis anguſtiis laboraſſe, ut neceſſe fuerit ad hujuſmodi alienationes, earumque confirmationes tam pernicioſas devenire. Cumque ex hoc ipſo ſatis appareat, ipſos prædeceſſores ſubdola & fallaci impetrantium calliditate circumventos fuiſſe, non autem verè id approbaſſe, quod ut diximus, non ipſius Cameræ, ſed eorundem alienantium lucro ceſſit, qui præſertim eodem tempore ſe planè ingratos, & Apoſtolicæ Sedis beneficiis prorſus indignos demonſtrarunt. Si enim Dominus ejiciendum cenſuit in tenebras exteriores ſervum malum, pigrum & inutilem, quia traditum ſibi talentum fodiens in terram abſcondit, ac ſuperlucrari omiſit; ſed tamen quod acceperat, integrum ſine ulla diminutione ſervavit & reddidit, quantò graviori ſupplicio eum affeciſſet, qui illud ipſum defraudare, defraudatumque Apoſtolicæ confirmationis tegumento celare, fraudemque mendica-

to ab ea approbationis prætextu pertinaciter tueri auſus eſſet? Præterea, ſi Ananiam de pretio proprii agri fraudata parte mentitum, illicò in fraudis pœnam, ad Apoſtolorum pedes procedentem expiraſſe legimus, eos qui ſacræ Romanæ Eccleſiæ jura integra in ſuam utilitatem convertere, nedum de ſuis aliquid retinere ſtudent, iis, & gravioribus pœnis afficiendos eſſe non cenſebimus?

*Poſſeſſio cuicumque ſtatim auferatur.*

§. 4. *Ac propterea illos, qui prædicta jura regalia, adminiſtrationes atque emolumenta alienata, aut quomodolibet gravata detinent, uti intruſos & detentores, ab illis, eorumque exercitio, prætenſa etiam immemorabili poſſeſſione, ſeu quaſi per ſuperiores Officiales à quibus dependent*, vel alios ad quos ſpectat, propria auctoritate, manu regia, de facto, ſine aliqua monitione, citatione, cauſæ cognitione, Judicis decreto, declaratione, aut miniſterio, abſque ulla pecuniarum, aut pretii vel pignoris reſtitutione, & ſine ſpolii vel attentatorum vitio ejici, expelli, amoveri & privari, & ad tradendas & conſignandas quaſcumque ſcripturas ad hujuſmodi Officia ſpectantes, quas penes ſe habent, necnon ad reſtitutionem fructuum dictorum Officiorum à die obitus earum perſonarum, quæ illa, ut præfertur, vel alias eis vendiderunt, aut conceſſerunt, decurſorum, & ab iis forſan perceptorum, aut penes quoſcumque exiſtentium cogi & compelli, & alios in eorum locum, gratis tamen, nec alias, ſubrogari liberè & licitè poſſe, ac omninò debere, eoſque tantum actionem repetendi pretii, aut pignoris, vel delendæ & extinguendæ obligationis contra eorum perſonas cum quibus ipſi ab initio contraxerint, eorumve hæredes & bona, ſi quæ extent, habere, ipſoſque qui pretia, vel pecunias ipſas ſic indebitè receperint, eorumve hæredes ad reſtitutionem teneri, atque ad id juris & facti remediis opportunis cogi & compelli poſſe. Officia verò & adminiſtrationes ultimò dicta gratuitò, ut dictum eſt, certis perſonis, eorumve familiis conceſſa, & deinde ab eis de facto alienata, eo ipſo Cam. Apoſtolicæ applicata, & ad eam devoluta eſſe & cenſeri, nec ſolùm emptores, verùm etiam venditores omni jure ſibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti cecidiſſe.

*Sic & non aliter judicetur.*

§. 5. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Præſidentes, ac S.R.E. Cardinales in quibuſvis cauſis & inſtantiis motis & movendis, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in futurum attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus.

*Prohibitio de cætero illa alienandi.*

§. 6. In poſterum verò, ne quis ex ſuperiùs nominatis, aut quacumque etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali vel alia majori, etiam Cardinalatus dignitate præfulgens, tale crimen attentare, aut quicquam ex præmiſſis vendere, alienare, pignorare, obligare, aut hypothecare, vel ſub reſponſionis, aut mercedis promiſſionis receptione ad dictorum Officiorum exercitia quempiam deputare audeat, ſeu præſumat, ſub interminatione divini judicii, ac maledictionis æternæ diſtrictiùs interdicimus & prohibemus.

*Officia integra Sedi, & Cam. Apoſt. cõſerventur.*

§. 7. Volentes, quod omninò ipſa Officia, prout cuique ab initio per Sedem Apoſtolicam conceſſa ſunt, ita etiam integra & intacta, cum omnibus ſuis juribus & emolumentis, pertinentiis, annexis & connexis retineantur, ac Sedi & Cameræ Apoſtolicæ perpetuò conſerventur.

*Tranſgreſſores multis pœnis ligantur.*

§. 8. Si quis autem extiterit præſentis noſtræ conſtitutionis in aliquo violator, non ſolum prædictas venditiones, alienationes, hypothecas, pignorationes, conceſſiones, aſſignationes vel deputationes, aliaſque ſimiles vel diſſimiles conventiones poſthac de cætero faciendas, ac quicquid illarum prætextu ſecutum fuerit, etiam Apoſtolica vel alia quavis auctoritate roboratum, pariter ex tunc, & è contra annullamus, reſcindimus & irritamus, declarationeſque & decreta, ac facultates, & alia quæcũque ſuperiùs expreſſa, ad illa in omnibus & per omnia extendimus & ampliamus, verum etiam eos, qui fuerint noſtræ hujus prohibitionis de facto tranſgreſſores, ipſo *jure omnibus & quibuſcumque per eos obtentis, ſeu obtinendis Eccleſiaſticis officiis, beneficiis, muneribus, gradibus, honoribus, dignitatibus, attento quod illis ſeſe tanto facinore perpetrato indignos reddiderunt*, privamus, necnon privatos, ac ad ea & alia poſtea obtinenda perpetuò inhabiles, & incapaces, infames, ignominioſos, ac perpetuæ infamiæ & ignominiæ labe & macula eis inuſta notatos atque inteſtabiles declaramus, ita ut illis portæ nunquam pateant dignitatum, quinimmò in ſempiternæ maledictionis & anathematis pœnam in æternum condemnari, & tradi cenſeantur.

*Con... omnia ... canim.*

§. 9. *Non obſtantibus præmiſſis*, ac de jure quæſito non *tollendo, Cancellariæ Apoſtolicæ* regula, & quibuſvis *ſtatutis, aut diuturnis & pacificis* poſſeſſionibus, ſeu quaſi, *quæ uſurpationes cenſeri debent*, necnon pro illorum confirmatione, *etiã Motu proprio, & ex certa* ſcientia, ac titulo oneroſo *præmiſſis, vel aliis gravioribus* & urgentioribus de cauſis, *ſub quibuſcumque tenoribus, formis*, & cum prædictis vel aliis efficacioribus, *validioribus*, ac prorſus inexcogitatis clauſulis, & verborum conceptionibus per quoſcumque noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos & Sedem prædictam conceſſis gratiis, aut literis *Apoſtolicis, etiam ſæpiùs approbatis* & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi *in eis* caveatur expreſsè, quod illis nonniſi eorum tenoribus ad verbum inſertis, ac modis & formis inibi traditis ad unguem ſervatis, aut nonniſi certarum, quarum intereſt perſonarum expreſsè ad id accedente conſenſu, vel eis ſaltem prius ſatisfacto, derogari ullo modo poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris vel momenti, tenores hujuſmodi perinde ac ſi forma requiſita plenè adimpleta & obſervata, ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Status ... quus Of... rum ... Officiorum majorum præſerva...*

§. 10. Noſtræ tamen mentis atque intentionis non eſt, per præſentes in aliquo immutare ſtatum Officiorum quæ majoribus Officiis annexa ab ipſo initio ex indulto Apoſtolico, pretio vel recognitione aliqua interveniente conceduntur, & vacabilia ſunt, quorum cum pro tempore vacant, collatio ſive titulo oneroſo conceſſio, ſeu quævis alia diſpoſitio ad ipſos Officiales hactenus pertinere conſuevit, in quibus, quo minus ipſi Officiales, ut prius illa concedere, pretiumque inde percipere, ſeu alias de eis diſponere valeant, nullum in poſterum præjudicium generari volumus.

*Iuſſio ... bullam ... blic.*

§. 11. Ut autem præſentes literæ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſt. de Urbe, necnon Cançell. Apoſtolicæ de more affigi & publicari, eorumque exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, eandem prorſus fidem adhiberi quæ ipſis originalibus adhiberetur, exhibitis vel oſtenſis.

*Sanctio ... nalis.*

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ reſciſſionis, irritationis, maledictionis, execrationis, declarationis, decreti, mandati, conceſſionis, interdicti, prohibitionis, voluntatum, annullationis, extenſionis & privationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c.

*D. P. An... die 15...*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1589. 18. Kalen. Februarii, Pontificatus noſtri anno quinto.

*Papa ſubſc...*

## Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

***De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.***

*Card. ſubſc...*

Ego Joannes Epiſc. Oſtien. Card. S. Georgii.
Ego Alph. Epiſc. Portuen. Card. Geſualdus.
Ego Inn. Epiſcopus Tuſculan. Card. de Arag.
Ego Marcus Ant. Epiſc. Præneſtin. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Epiſc. Sabinen. Cardinalis Comenſis.
Ego Gabr. Epiſc. Albanen. Cardin. Paleottus.
Ego M. Siticus Cardin. ab Altaëmps, tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim.
Ego F. Michaël Bonellus tit. Sancti Laurentii in Lucina Cardinalis

Cardinalis Alexandr.
Ego Ludovicus tit. S. Anaſtaſiæ Card. Madrutius.
Ego N. tit. S. Praxedis, Card. Senonen.
Jul. Ant. tit. S. Barthol. in Inſula, Cardin. Sanctæ Severinæ.
Ego Hier. tit. S. Suſannæ, Card. Ruſtic.
Ego Joan. Hieron. tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Albanus.
Ego Hieronymus tituli Sanctæ Priſcæ Cardin. Simoncellus.
Ego P. tit. S. Hieron. Illyricorum, Card. Deza.
Ego Ant. tit. SS. Joannis & Pauli Card. Carafa.
Ego Jo. Ant. Card. SS. Quatuor.
Ego Jo. Baptiſta Card. tit. S. Marcelli.
Ego Jul. Card. Cananus, tit. S. Euſebii.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Ego Vincentius tituli S. Clementis Cardin. Montis Regalis.
Ego Philippus Card. Spinola, tit. S. Sabinæ.
Ego Scipio Card. Lancellotus, tit. Sancti Salvatoris in Lauro.
Ego Vincentius Card. Gonzaga tit. S. Alexii.
Ego Joan. Baptiſta tituli S. Mariæ in Aracœli, Cardin. Caſtruccius, Sign. Juſt. Præfectus.
Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cœlio.
Ego Dominicus tit. S. Laurentii in Pane Perna, Cardin. Pinellus, S. Mariæ Majoris Archipresbyt.
Ego Hippolytus Card. Aldobrand. tit. S. Pancratii, Major Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.
Ego Fr. Conſtantius Card. Sarnanus tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Card. Alanus tituli S. Martini in Montibus.
Ego Scipio tit. S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Ant. Card. Saulius tit. S. Vitalis.
Ego Evangeliſta tit. S. Matthæi in Merulana Card. Cuſentinus, Archipresbyt. S. Petri.
Ego Joan. tituli S. Mariæ Tranſpontinæ, Cardinalis de Mendoza.
Ego Marianus Perbenedictus, tit. SS. Petri & Marcellini Card. de Camerino.
Ego F. S. Mariæ in Via Lata, diac. Card. Sfortia.
Ego Alexander S. Laurentii in Damaſo, diaconus Card. Montaltus, Vicecancellarius.
Ego Hieron. S. Euſtachii Diaconus Card. Matthæius.
Ego Benedict. Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Card. Juſtinianus.
Ego Aſcan. S. Nicolai in carcere, diac. Card. Columna.
Ego Federicus S. Agathæ, diacon. Card. Borromæus.
Ego Auguſtin. S. Adriani diac. Card. Cuſanus.
Ego Franc. Maria, Sanctæ Msriæ in Domin. diac. Card. à Monte.
Ego Guido SS. Coſmæ & Damiani diac. Cardinalis Pepulus.

[...]licatio.

*Anno à Nativit. Domini* 1590. *indict.* 4. *die verò* 28. *menſis Martii, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno* 5. *retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Lateran. ac Principis Apoſtol. de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtol. per me Franciſcum Baron ejuſdem S. D. N. Papæ Curſ.*

*Pompeius Guerra Mag. Curſ.*

***Sequitur declaratio & confirmatio Officiorum Vicecancellarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.***

[...]lita A. D. 1590.

*SIXTVS PAPA QVINTVS,*
*Motu proprio, &c.*

*Vicecancellarius habet, [...] ad ſui c[...] [...] con[...] [...] Officia*

§. 1. CUm S. R. E. Vicecancellarius pro tempore exiſtens, Regentis Cancellariæ Apoſtolicæ, ac ſex majoris cum aſſignatione emolumentorum officii minoris gratiæ, & quindecim minoris Præſidentiæ Abbreviatorum, & vigintiquinque Sollicitatorum literarum Apoſtolicarum, ac duodecim Notariorum Auditorum cauſarum Palatii Apoſtolici, ac tria Cubiculariorum, & ſeptem Scutiferorum de numero Participantium, ac vigintiſex S. Petri, & tredecim S. Pauli, necnon duo de Lilio, & viginti Florum Militum, ac Cuſtodis, Notariatuſque & Oſtiarii ejuſdem Cancellariæ, atque unum Notariorum Contradictarum, & aliud de Conſuetis nuncupata, ac nonnulla alia ipſius Vicecancellariæ Officia, tam per obitum, reſignationem & privationem, quàm forſan aliàs pro tempore vacantia, perſonis eidem Vicecancellario benevisis ad vitam recipientium conferre & aſſignare, neque illis ad ejuſdem Vicecancellarii libitum ſimili modo quo Romanus Pontifex de aliis Romanæ Curiæ Officiis diſponere ſolet, diſponere conſueverit, & in poſſeſſione, ſeu quaſi diſponendi de eiſdem Officiis, ut præfertur, expreſſione Rom. Pontificum, vel forſan conceſſione, ſive indulto Apoſtolico, per plures annos fuerit, prout eſt etiam de præſenti.

*hic deſignata.*
*Quod Officium Abbreviatorum extat clara six. i IV. aſſignatio in [...] conſt. 46. §. 25.*

§. 2. Nos ad quorum notitiam devenit, Vicecancellarium pro tempore exiſtentem conſueviſſe, & ſolitum fuiſſe de dictis Officiis, etiam pacto pretio ad libitum ſuum, ut præfertur, diſponere, dignitati prædicti Officii Vicecancellariatus ad illud pro tempore obtinentis, necnon ab eo officia prædicta recipientium quieti, & ſecuritati in præmiſſis providere volentes, Motu ſimili, non ad dilecti filii noſtri Alexandri S. Laurentii in Damaſo Diaconi Cardinalis Montalti, ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii, ac etiam literarum Apoſtolicarum Summatoris, noſtri ſecundùm carnem ex Sorore pronepotis, vel alterius pro eo nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, certaque ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſionem, indulta, conſuetudinem, permiſſionem & poſſeſſionem hujuſmodi (etiamſi de applicatione dictorum Officiorum, aut aliquorum ipſorum eidem Vicecancellariatus Officio, aut facultate, ſive conceſſione vel indulto illud, aut aliqua ipſorum vendendi, aut ad libitum ſuum de eis diſponendi non appareret, ac etiam quandoque conſtet, præfatum Vicecancellarium de prædictis Officiis, aut eorum aliquo, ſemel tantum, aut bis vel pluries diſpoſuiſſe, & in ſuppreſſione eorum vel aliquorum ex eis, novaque erectione, nullam eidem Vicecancellario de illis diſponendi facultatem fuiſſe conceſſam, Apoſtolica auctoritate confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos, tam juris quam facti, & aliarum ſolemnitatum omiſſarum defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem.

*Hic Pontifex hujuſmodi Vicecancellarii facultatem comprobat.*

§. 3. Et nihilominus potiori pro cautela, ne quicquam præmiſſorum in dubium aliquo tempore revocari contingat, Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſtatuimus & ordinamus, eidemque Alexandro Cardinali, & pro tempore exiſtenti Vicecancellario concedimus & indulgemus, ut quotieſcumque officia præfata, quorum omnium quantitates, qualitates, & jura, inſtitutiones & erectiones, cum quibuſvis qualitatibus, decretis, conditionibus, & formis, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, per ceſſum vel deceſſum, aut promotionem, privationem, ſeu quamvis aliam dimiſſionem eorũ qui Officia præfata pro tempore obtinebunt, vacare contigerit, quæ omnia & ſingula Officia præfatis vacationibus, quemadmodum Officia noſtra ſubjecta ſunt, etiam ſubjacere volumus, decernimus & declaramus, illa omnia ad liberam ipſius Alexandri Cardinalis, & pro tempore exiſtentis Vicecancellarii voluntatem & diſpoſitionem, etiam pacto pretio pertinere. Poſſitque idem Alexander Cardinalis & pro tempore exiſtens Vicecancellarius, aut per eum ad hoc ſpecialiter deputatus, illorum omnium & ſingulorum, capta ſolita impoſitione, reſignationes recipere & admittere, ac per ſuas literas ſuo ſigillo pendente munitas, de illis dum pro tempore vacaverint, etiamſi illa, eorumque emolumenta ab initio, ſive in eorum prima erectione ex indulto Apoſtolico alienabilia non ſint, & quandocumque appareat de hujuſmodi officiis, aut aliquo eorum Roman. Pontific. diſpoſuiſſe, per ſeipſum, aut ejus Locumtenentem, aut ad hoc

*Ampliatque & expendit.*

hoc ſpeciale mandatum habentem, quibuſvis perſonis, cum quarumcumque conſtitutionum, & literarum Apoſtolicarum in contrarium facientium derogatione, in omnibus & per omnia ad inſtar Rom. Pont. providere, ſeu illa vendere, & alienare abſque pœnarum & cenſurarum, etiam Eccleſiaſticarum incurſu, & exigentibus perſonarum meritis & ſufficientia, ſuper earundem perſonarum, quibus ipſe providerit de hujuſmodi officiis, requiſitarum qualitatum defectu, cum ſibi placuerit diſpenſare, & eaſdem perſonas ad ipſa Officia, conſtitutionibus præfatis, quarum tenorem non obſtan. habilitare, & illi quibus de eiſdem Officijs dictus Alexander Cardinalis, & pro tempore exiſtens Vicecancellarius, ſeu deputandus, ſuis literis duxerit providendum, ad Officia ipſa, abſque aliqua contradictione, aut aliarum literarum expeditione recipiantur & admittantur, ita quod literæ præfati Alexandri Cardinalis, ſeu deputati, vel pro tempore exiſtentis Vicecancellarii valeant, & perpetuæ firmitatis robur obtineant, & his quibus conceſſæ ſunt pleniſſimè ſuffragentur, ac ſi ſuper prædictis Officiis literæ Apoſtolicæ confectæ & expeditæ fuiſſent.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§.4. Decernentes dictum Alexandrum, & Cardinalem pro tempore exiſtentem Vicecancellarium, ſuper diſpoſitione dictorum Officiorum, ut præfertur facienda, proviſoſque ab eo, de illis per nos, aut ſucceſſores noſtros Romanos Pontif. eorumque Datarios, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Camerarium, vel Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, Clericos, alioſve quoſcumque quavis auctoritate & poteſtate fungentes, ullo unquam tempore quavis occaſione, vel cauſa, etiam juſta vel injuſta impediri, inquietari vel moleſtari non poſſe, neque debere. Minuſque præſentem gratiam, & ſi videbitur deſuper conficien. literas quovis prætextu, & ex quocumque capite, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium impetrari poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per nos vel ſucceſſores noſtros Roman. Pont. aut dictam Sedem ex quibuſvis cauſis, etiam conſiſtorialiter pro tempore factis & faciendis, comprehendi, & comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub data poſteriori, per dictum Alexandrum Cardinalem, & pro tempore exiſtentem Vicecancellarium quandocumque eligenda, conceſſas, ac validas & efficaces adverſus quaſcumque impugnationes & revocationes exiſtere. Ipſumque Alexandrum Cardinalem, & pro tempore exiſtentem Vicecancellarium, ad ſuperiùs expreſſa & prænarrata, in toto vel parte verificandum, ſeu probandum, aut præſentem gratiam, & literas deſuper conficien. quandocumque purificandum minimè teneri, ſed ſola præſentium narrativa, abſque alia probatione, ſeu verificatione, aut purificatione ſufficere, eique in judicio, & extra ubique ſtari, ſed nec aliquam probationem, cujuſcumque naturæ & ſpeciei illa ſit, vel fuerit in Camerarium adduci vel admitti. Quinimmò, etiamſi ſuperiùs expreſſa & narrata hujuſmodi minus vera ſint, & contrarium quandocumque probari contingat, nihilominus præſentes, & deſuper conficiendas literas ſuum plenarium effectum conſequi, prædictumque Alexandrum Cardinalem, & pro tempore exiſtentem Vicecancellarium, illis & eorum effectu potiri & gaudere.

*Clauſulam ſublata, &c. addit.*

§.5. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata, &c. judicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid ſecus in contrarium præmiſſorum, abſque dicti Alexandri Cardinalis, & pro tempore exiſtentis Vicecancellarii, etiam in Conſiſtorio de fratrum conſilio contigerit attentari.

*Clauſula derogan.*

§.6. Non obſtantibus de jure quæſito non tollendo, & gratiis adinſtar non concedendis, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis, & etiam in eraſ[...]um aſſumptionis cujuſcumque Rom. Pont. ad ſummi Apoſtolatus apicem edendis. Necnon Symmachi, Pauli II. Innocentii VIII. Pauli IV. & Pii V. ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ, ſeu Cameræ & Sedis Apoſt. non alienandis, ac malè alienatis recuperandis, necnon Pii etiam IV. de ſimilibus gratiis in Camera infra certum tempus à die illarum conceſſionis computandum, regiſtrandis & inſinuandis, ita quod ad præſentem gratiam regiſtrandum & inſinuandum idem Alexander Cardinalis, & pro tempore exiſtens Vicecancellarius, nullo unquam tempore teneatur, nec propterea illa nulla ſit, aliiſque Apoſtolicis, ac in generalibus Conciliis ſpecialiter vel generaliter contra præmiſſa vel eorum aliqua quomodolibet, etiam per nos conſiſtorialiter, & de fratrum conſilio, & præſertim noſtra, ſub Dat. videlicet 18. Kalend. Februarii, Pont. noſtri Anno Quinto, diſponente ne Officiales Officia, eorumve emolumenta eorum Officiis annexa alienare poſſint, editis & edendis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Officiorum hujuſmodi erectione & fundatione, ac Cameræ præfatorum etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, uſibus, naturis, ſtabilimentis, & etiam novis reſervationibus, eorumque innovationibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtol. per præfatos, & quoſcumque alios Rom. Pontifices prædeceſſores, ac nos & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & per viam generalis legis & ſtatuti perpetui, ac ex quantumcumque gravibus & onerofis cauſis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, etiam vim contractus inducentibus, ac etiam irritantibus, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis, & quocumque tempore, etiam longiſſimo obſervatis, etiam præmiſſa fieri ſpecialiter, & expreſsè prohibentibus. Quibus omnibus, etiamſi de illis, &c. eorum tenores, &c. latiſſimè hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, eaque omnia in quantum præmiſſis obeſſe, aut illorum executionem, & effectum retardare poſſent, omninò tollimus & abrogamus, ac pro ſublatis & abrogatis haberi volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.7. Volumus autem, quod præſentis cedulæ ſola ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat, etiam abſque data & regiſtratura, ac publicatione. Quodque ſi videbitur, hujuſmodi cedula in quinterno Cancellariæ deſcribatur, & etiam ſine publicatione, data & regiſtratura, eis fides omninò adhibeatur in judicio & extra, perinde ac ſi literæ, etiam ſub plumbo expeditæ eſſent, quæ nihilominus expediri poſſint per Breve noſtrum, ſub quacumque data, ſtylo Cancellariæ, & Cameræ præfatarum, ac regulis & conſtitutionibus, necnon privilegiis Regiſtratoribus ſupplicationum Apoſtolicarum, & aliis præfatæ Curiæ Officialibus conceſſis in contrarium diſponentibus, & aliis non obſtantibus quibuſcumque.

Placet & ita Motu proprio mandamus.

*Lecta & publ. fuit ſuprad. Conſt. Romæ in Cancell. Apoſtol. Anno Incarnationis Dominicæ* 1590. *die verò* 3. *menſis Aprilis, Pontificat. S. D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. Anno* 5.

---

## Inſtitutio Univerſitatis Studii generalis diverſarum ſcientiarum & bonarum artium, in Collegio Presbyterorum Societatis Ieſu, à Carolo Auſtriæ Archiduce in Oppido Græcen. Salzburgenſis Diœceſis fundato, & à Gregorio XIII. erecto, cum reddituum aſſignatione & privilegiorum elargitione. CVI

**SIXTUS EPISCOPUS,**
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Cœleſtis Patris providentia ad ſummi Apoſtolatus apicem evecti, tanquam de excelſo monte ad ima agri irrigui militantis Eccleſiæ noſtrum dirigentes intuitum, ac conſiderantes quod per literarum ſtudia, ad benè beatéque vivendum via præbetur, veritas agnoſcitur, juſtitia colitur, cæteræque virtutes illuſtrantur, ac humanæ proſperitatis conditio augetur, fides Catholica, & cultus divinus prætenditur, ad ea per quæ ſtudia hujuſmodi ubilibet, maximè in regionibus ubi major neceſſitas urget, propagentur, & humiles perſonæ ad exceſſum felicitatis faſtigium pervenire cupientes in hoc pio eorum propoſito utilius confoveri, ac laborum ſuorum honores, & præmia conſequi valeant, præſertim dum Principum Chriſtianorum vota id expoſcunt, libenter intendimus, & in his partes Apoſtolicæ providentiæ impendimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§.1. Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii, nobilis viri Caroli Archiducis Auſtriæ, qui etiam Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux exiſtit, petitio continebat quod alias fel. record. Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter, in Oppido Græcenſi Salzburgenſis Diœc. dicti Caroli Archiducis dominio in temporalibus ſubjecto, Collegium Presbyterorum Societatis Jeſu propriis ſumptibus ipſius Caroli Archiducis fundatum, & extructum auctoritate Apoſtolica perpetuò erexit, & inſtituit, ac inter alia eidem Collegio pro illius Magiſtrorum, Scholarium, & aliorum d. Societatis Religioſorum ſuſtentatione, penſionem annuam duorum millium, & ducentorum Florenorum Remenſium, ſuper Monaſterii, ſeu Domus de Milſtade nuncupati, ejuſdem Diœc. quod, ſeu quæ olim Ciſtercien. ſeu alterius Ordinis, poſtea verò Ordine ipſo, ac ſtatu, & eſſentia Regularibus, necnon Conventualitate, ac forſan nomine Monaſterii in eo ſuppreſſis, & extinctis, Militiæ, ſeu Ordinis militaris S. Georgii, etiam tunc forſan extinctæ, ſeu extincti, licet aliquot Sacerdotes in Militia, ſeu Ordine Militari hujuſmodi adhuc tunc remanerent, & quod, ſeu quæ de jurepatronatus ejuſdem Caroli, ac pro tempore exiſtentis Auſtriæ Archiducis, & ſeu prædictæ Carinthiæ Ducis ex fundatione, vel dotatione, aut ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur, ac in quo, ſeu qua à quadraginta annis, & ultra, ex quo Militia, ſeu Ordo Militaris hujuſmodi defecit, unus Adminiſtrator conſtitui, & per eundem Adminiſtratorem illud, ſeu illa gubernari, ac per ipſum de ejuſdem Domus fructibus, redditibus, & proventibus diſponi conſuevit, fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi dicta auctoritate ſub certis modo, & forma tunc expreſſis conſtituit, & aſſignavit, volens ut quandocumque, & quotieſcumque dictus Carolus Archidux, vel ejus ſucceſſores aliqua alia bona, etiam Monaſterii, ſeu Domus hujuſmodi, quorum annui redditus de dictis oneribus ad parem valorem aſcenderent, ipſi Collegio aſſignaviſſent, penſio præfata caſſata, & nulla cenſeretur eo ipſo, aſſignatio verò cum applicatione eadem auctoritate facta obtineret, prout in eiſdem prædeceſſoris literis deſuper confectis pleniùs continetur.

§. 2. Cum autem prædictus Carolus Archidux, avitam à majoribus ſuis acceptam Catholicam religionem ſartam tectam, & inviolatam in locis ſibi ſubjectis ubi viget conſervare, ſicubi verò collapſa eſt hac potiſſimum ratione reſtituere, ſuoſque ſubjectos quamplurimos ad literarum ſtudia, navandamque bonis artibus operam excitare cupiens, atque utraque in re prædictæ Societatis operam, & induſtriam, laboreſque eà de cauſa ſuſceptos valdè utiles, & fructuoſos in dies magis expertus, & ampliores manipuli, & diverſarum Nationum, aut linguarum agris, quarum Provincias dictus Carolus Archidux poſſidet, opitulante Deo colligi poſſint, Studii generalis Univerſitatem in d. Collegio potiſſimùm auctoritate prædicta erigi, ejuſque cura, ac regimen prædictæ Societati committi, & mandari deſiderat, ipſeque ad hunc effectum, etiam hortum ipſi Collegio contiguum pleno jure ad prædictum Carolum Archiducem ſpectantem, & certam etiam tunc expreſſam quantitatem Salis, ex Salinis ibidem ad eundem Carolum Archiducem pertinentibus, per ejus Miniſtros eidem Collegio quotannis in certis terminis ſimiliter tunc expreſſis porrigendam partem, etiam tunc deſignatam Mure Fluvii Oppidi Græcen. præfati, cum omnibus ſuis emolumentis, commodis & juribus, ut piſcium copia eis non deeſſet, eidemque Collegio piè, ac liberaliter in perpetuum conceſſerit, & amplioribus etiam immunitatibus, exemptionibus, liberationibus, libertatibus, privilegiis & gratiis ipſum Collegium & Studium generale ſic erigen. ornaverit & cumulaverit, ac ad ſuſtinenda onera, impenſaſque pro ipſius Studii generalis conſervatione & amplitudine Collegii præfati redditus annuos augendos eſſe neceſſariò exiſtimet, ac quantum in eo eſt, ſedulò providere intendat. Propterea nobis humiliter ſupplicari fecit quatenus ſubditorum ſuorum ſaluti & commodo conſulentes, in præfato Oppido & Ædibus d. Collegii, Studii generalis Univerſitatem, in qua Societatis religioſi hujuſmodi Theologiam, Philoſophiam, ac ingenuas artes publicè profiterentur, & juvenes quoſcumque docerent, auctoritate prædicta perpetuò erigere, & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

§.3. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus & ordinavimus, quod literæ reſervationis vel aſſignationis cujuſvis penſionis annuæ, ſuper alicujus beneficii Apoſtolici fructibus expediri non poſſent, niſi de conſenſu illius qui d. penſionem perſolvere tunc haberet, præfatum Carolum Archiducem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, ſententiis & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in Oppido prædicto, & Ædibus dicti Collegii, ubi nunc Scholæ ſunt, ſeu forſan in ampliorem conſtruentur, Univerſitatem Studii generalis, in qua Religioſi Societatis hujuſmodi Theologiam, Philoſophiam & ingenuas artes publicè profiteantur, ac juvenes quoſcumque doceant, ad inſtar aliarum Univerſitatum Studiorum generalium, tam in Tranſalpinis Provinciis & Regnis, quàm alias ubilibet erectorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſine alicujus præjudicio perpetuò erigimus & inſtituimus, ipſamque Univerſitatem, ac Studium generale ſic erectam, & inſtructam, curæ, regimini, & adminiſtrationi Rectoris Collegii hujuſmodi pro tempore exiſtentis, qui totius Univerſitatis Rector exiſtat, prædicta auctoritate, etiam perpetuò ſupponimus, & ſubmittimus. *Illud erigit ſub regimine Societatis Ieſu.*

§.4. Ac eidem Univerſitati, illiuſque Rectori, Magiſtris, Scholaſticis, aliiſque præfatis & ſingulis, ut omnibus & quibuſcumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus & præeminentiis hujuſmodi Univerſitatibus, illarumque pro tempore exiſten. Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaſticis, Procuratoribus, Bidellis, Nuntiis, Officialibus, Miniſtris, & aliis perſonis in genere vel in ſpecie, tam præfata, quàm Imperiali, Regia, aut Ducali auctoritatibus, & aliàs quomodolibet pro tempore conceſſis, non ſolùm ad eorum inſtar, & pariformiter, & æquè principaliter in omnibus & per omnia, uti, potiri & gaudere. Inſuper Rectori ejuſdem Univerſitatis & Collegii pro tempore exiſten. ut illos quos in ipſa erecta Univerſitate, vel etiam alibi in quavis alia per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idoneos eſſe repererint, in præfatis facultatibus artiũ & Theologiæ ad Baccalaureatus, etiam formati) Licentiaturæ, Laureæ, Doctoratuſque & Magiſterii gradus, ſervata forma Viennen. Concilii, & aliàs juxta Univerſitatum aliorum Studiorum generalium conſuetudines, & erectæ Univerſitatis ſtatuta promovere, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibere, utque ad dictos gradus ſic per illum promoti poſtea publicè & privatim, etiam in omnibus aliis Univerſitatibus *Privilegiaque aliorum Studiorum generalium ei concedit.*

Studiorum generalium facultates præfatas, interpretari, & alios docere, & de eis diſputare, gradui, ſeu gradibus hujuſmodi convenientes actus exercere, ac in omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in prædictis, ſeu aliis univerſitatibus, & alibi juxta illarum conſtitutiones, & mores ad gradus præfatos promoti de jure, vel de conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt, in futurum in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi gradus ipſos in Univerſitatibus hujuſmodi juxta illarum mores, & conſuetudines ritè ſuſcepiſſent, uti, potiri, & gaudere.

*Præpoſito generali d. Societatis dat facultatem ſtatuta pro illius felici regimine edendi.*

§. 5. Necnon moderno, & pro tempore exiſtenti dictæ Societatis Præpoſito generali, ut per ſe, vel dd. Collegii & erectæ Univerſitatis Rectorem, aut alium, ſeu alios pro ſalubri, & felici directione dictæ Univerſitatis erecta, ac Rectoris, Magiſtrorum, Procuratorum, Bidellorum, Nuntiorum, & aliorum Miniſtrorum, & Officialium muneribus & functionibus, modoque & forma docendi, & alias ſua officia exercendi, ac Scholaſticorum manutentione, quæcumque ſtatuta & ordinationes licita & honeſta, ac ſacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis non cōtraria edere & promulgare, eaque pro temporum, rerum & perſonarum qualitate mutare, corrigere & reformare, ſeu illa caſſare & abrogare, ac alia de novo edere, & ſub illorum obſervatione pœnas ejus arbitrio imponere.

*Lectoreſque & officiales omnes eligendi.*

§. 6. Dictæque erectæ Univerſitatis Doctores Magiſtros, Lectores, Scholaſticos, Procuratores, Bidellos, alioſque Miniſtros & Officiales eligere & amovere, ſeu electiones factas confirmare licitè valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium hujuſmodi, etiam perpetuò concedimus & indulgemus.

*Bona per Carolum Collegio donata hic Pont. perpetuò eidem applicat.*

§. 7. Demùm bona & jura à prædicto Carolo Archiduce, ut præfertur, Collegio & illius Univerſitati per præſentes erectæ prædictis conceſſa & donata, auctoritate & tenore præfatis ſimiliter perpetuò applicamus, & appropriamus.

*Annuumque redditum aſſignat.*

§. 8. Præterea in augmentum dotis Collegii & erectæ Univerſitatis hujuſmodi, utque d. Societatis Presbyteri, ac alii inibi pro tempore degentes commodius ſuſtentari valeant, eis de alicujus ſubventionis auxilio providentes, ultra prædictam jam ut præfertur aſſignatam aliam penſionem annuam aliorum duorum millium florenorum, etiam Remenſium, ita ut utraque penſio hujuſmodi in univerſum, & inſimul ad ſummam quatuor millium & ducentorum florenorum ſimilium aſcendant, ſuper Monaſterii, ſeu Domus hujuſmodi fructibus, redditibus & proventibus, etſi ſuper illis aliæ penſiones annuæ aliis perſonis aſſignatæ exiſtant, ac omnes hujuſmodi inſimul eorundem fructuum & proventuum medietatem excedant, ac omnes illos abſorbeat, pro tempore exiſtenti Rectori vel alteri Superiori Collegii, & erectæ Univerſitatis hujuſmodi vel ejus Procuratori ad hoc ab eo ſpeciale mandatum habenti, pro tempore exiſten. Monaſterii, ſeu Domus hujuſmodi Adminiſtratorem, & ejus ſucceſſores, Monaſterium, ſeu Domus hujuſmodi pro tempore quomodolibet obtinens, ac eorundem fructuum, reddituum & proventuum fictuarios, ſeu alios Monaſterii, ſeu Domus hujuſmodi Officiales annis ſingulis in quatuor terminis, ſingulo videlicet trimeſtri pro quarta parte penſionis quatuor millium & ducentorum florenorum hujuſmodi, prima ſolutione in principio menſis Januarii proximè præteriti incipien. & ſic deinceps pro quarta parte penſionis quatuor millium & ducentorum florenorum hujuſmodi de trimeſtri in trimeſtre, in fine cujuſlibet trimeſtris, non obſtante quacumque mutatione ipſorum fructuum, reddituum & proventuū, aut aliorum quorumcumque ad Monaſterium, ſeu Domum hujuſmodi pertinen. quibuſcumque temporibus vel cauſis contingente, quam propterea quocumque modo, aut titulo fieri contigerit, & quatenus eorundem Collegii, & erectæ Univerſitatis fundationi, ac ejuſdem Caroli Archiducis ordinationi, ac penſionis hujuſmodi reſervationibus, conſtitutionibus, & aſſignationibus præjudicet, ſubreptitiam, irritam, & inanem, nulliuſque prorſus roboris, vel momenti eſſe decernimus, integrè perſolvendam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium hujuſmodi pariter perpetuò reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus, decernenteſque priorem penſionem à d. prædeceſſore, ut præfertur reſervatam etiam, non obſtante ejuſdem prædeceſſoris decreto præfato per ipſum appoſito, propter præmiſſa minimè ceſſare, neque priorem penſionem hujuſmodi caſſatam, vel extinctam eſſe, aut fore, ſed alias juxta prioris reſervationis formam, & tenorem in dictis terminis perſolvi debere, & in ſuo robore permanere, perinde ac ſi decretum prædeceſſoribus hujuſmodi appoſitum ab initio non fuiſſet.

*Cl... huju... ptioni... ſervan... appo...*

§. 9. Ac præſentes literas nullo tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, ſeu impugnari poſſe, ſicque in præmiſſis univerſis, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, necnon Adminiſtratorem præfatum, & Monaſterii, ſeu Domus hujuſmodi pro tempore exiſtentem ad integram ſolutionem penſionis quatuor millium, & ducentorum florenorum hujuſmodi prædicto Rectori, & Superiori Collegii, & erectæ Univerſitatis hujuſmodi facien. juxta poſterioris reſervationis, conſtitutionis & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes & eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuentes quod ille ex Adminiſtratore & ſucceſſoribus præfatis, qui in dictis terminis vel ſaltem intra triginta dies illorum ſingulos immediatè ſequen. penſionem quatuor millium & ducentorum florenorum hujuſmodi per eum tunc debitam non perſolverit, lapſis diebus eiſdem ſententiam excommunicationis incurrat, à qua donec Rectori vel Superiori Collegii, & erectæ Univerſitatis hujuſmodi vel eorum Procuratori præfatis de penſione quatuor millium & ducentorum florenorum hujuſmodi per eum tunc debita integrè ſatisfactum, aut alias cum dictis Rectore, ſeu Superiore vel eorum Procuratore præfato ſuper hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in articulo mortis conſtitutus, abſolutionis beneficium nequeat obtinere. Si verò per ſex menſes dictos triginta dies immediatè ſequen. ſententiam ipſam animo quod abſit ſuſtinuerit indurato, ex tunc effluxis menſibus prædictis ipſis regimine & adminiſtratione Monaſterii, ſeu Domus hujuſmodi perpetuò privatus exiſtat, illudque, ſeu illa vacare cenſeatur eo ipſo.

*Exe... quoque... putat.*

§. 10. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Salzburgenſi & Amerinenſi Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe vel alium, ſeu alios, faciant penſionem quatuor millium & ducentorum florenorum hujuſmodi Rectori vel Superiori, ſeu eorum Procuratori præfatis juxta poſterioris reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, & decreti tenorem integrè perſolvi, & nihilominus quemlibet ex adminiſtratore Monaſterii, ſeu Domus & ſucceſſoribus ſuis præfatis, quem hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe eis conſtiterit, quoties deſuper pro parte Rectoris vel Superioris prædictorum fuerint requiſiti, eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, tandiu Dominicis & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis cùm major inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum publicè nuntient, ac faciant ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctiùs obſervari & evitari, donec Rectori vel Superiori, aut Procuratori de penſione quatuor millium & ducentorum florenorum hujuſmodi tunc debita fuerit integrè ſatisfactum, ipſeque excommunicatus ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Contra... quibuſcu... quæ derog...*

§. 11. Non obſtantibus voluntate priori & ordinationibus noſtris præfatis, necnon conſtitutionibus &

ordinatio

ordinationibus Apoſt. ac Monaſterii, ſeu Domus & illius Ordinis, ac Univerſitatis præfatorum juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Adminiſtratori & ſucceſſoribus ſuis præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod ad præſtationem vel penſionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſvis tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, ſuppoſitionis, ſubmiſſionis, indulti, applicationis, appropriationis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, decreti, voluntatis, ſtatuti & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kal. Januar. Pont. noſtri anno 1.

## URBANUS VIJ. PONT. CCXXXII.
ANNO DOMINI MDXC.



URbanus Septimus, Civis Romanus, Joannes Baptiſta Caſtanea antea dictus, Patre Coſmo Januenſi, Archiepiſcopus Roſanenſis, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marcelli: Creatus Romæ 17. Kalend. Octobr. Anno Domini 1590. Vixit dies duodecim. Nullos creavit Cardinales. Obiit quinto Kalend. Octobris. Ejus cadaver in Baſilica S. Petri ſepultum fuit. Vacavit Sedes menſes duos, dies octo.

## GREGORIUS XIV. PONT. CCXXXIII.
ANNO DOMINI MDXC.



GRegorius XIV. Mediolanenſis, Nicolaus Sfondratus antea dictus, Patre Franciſco, Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ: Creatus Romæ 9. Decemb. Coronatus 6. Idus ejuſdem menſis, & anni 1590. Vixit menſes decem, dies totidem. Creavit Cardin. 5. Obiit Romæ in Palatio S. Marci, Idibus Octobr. anno Domini 1591. ejus Cadaver in Baſilica S. Petri ſepultum eſt in Sacello Gregoriano. Vacavit Sedes dies 14.

Confirmatio conſtitutionis Pii V. de non alienandis & infeudandis Terris & locis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

*Hæc Pii V. conſtitutio eſt 35. ſup. ubi tibi indicavi ejus declarationes, & extenſiones.*

Eandem conſtitutionem certo modo declaravit etiam iſte Gregorius in Conſiſtorio ſecreto, ſed eam declarationem rejecit Clemens VIII. ut inf. in ſua conſt. 1. *Ad Romani.*

*Adverte addita ſup. lib. 1. ad Leon. 1. Conſt. 1.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1590.*

ROMANUS Pontifex, pro Paſtoralis ſibi divinitus injuncti muneris debito, inter cæteras quas pro communi bono Chriſtianæ Reipublicæ ſuſcipit curas; etiam ad ea confirmanda quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum, & S. R. E. ditionem, etiam temporalem in primis tuendam & conſervandam, à prædeceſſoribus ſuis non minùs prudenter ac ſapienter, quam ritè & rectè geſta & conſtituta fuerunt incumbere ſolet, & quo firmius illa ſubſiſtant, & ſanctius ab omnibus obſerventur, ſuæ comprobationis & muniminis partes libenter ac maturè adhibet, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. *Exordium.*

§. 1. Sanè jam pridem fel. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter tenoris ſubſequentis literas edidit. *Pii V. conſtitutio hic eſt indicata.*

Omittitur inſertio hujus Bullæ, habes eam ſup. Admonet.

*Confirmatio de qua in rubrica.*

§. 2. Nos igitur recol. mem. Gregorii XII. ac Sixti V. Rom. Pontificum ſimiliter prædeceſſorum noſtrorum exempla, ac pium in tuendis S. R. E. juribus zelum imitantes, easdem literas, & in eis contenta quæcumque, ex certa noſtra ſcientia, ac de nobis à Deo tributæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium approbamus, confirmamus, atque etiam innovamus, easque, & ea omnia inconcuſſæ, ac validiſſimæ firmitatis robur perpetuis futuris temporibus obtinere, & à cunctis quos illa quomodolibet concernunt, inviolabiliter obſervari debere decernimus atque mandamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

*Dat. P. A. 1. die 19. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1590. 14. Januarii, Pontific. noſtri anno 1.

---

## II. Quod Congregatio Clericorum Regularium Minorum, omnibus gratiis, prærogativis & privilegiis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum perfruatur.

*Iſtam Congregationem approbavit Six. V. ut ſupra in ſua conſt. 81.* Sacra. *Et omnes ejus gratias & privilegia confirmavit Clemens VIII. die 1. Iunii 1592. ſed hanc bullam tanquam ſimpliciter confirmatoriam conſultò prætermiſi.*

*Edita A. D. 1591.*

*G R E G O R I V S   P A P A   X I V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmanus Pontifex perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim Regularium vota, Religionis propagationem & augmentum reſpicientium, ad exauditionis gratiam libenter admittit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Petitio omnium privilegiorũ alias conceſſorum Congregationi Presbyterorum qui Theatini nuncupantur. Hac vide ſup. conſt. 11. Clem. VII. Exponi, cum ibi not.*

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Presbyterorum & Clericorum Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum nobis exhibita petitio continebat, quod cum ipſi cupiant pro illorum Congregationis augmento, ut ipſi in via Domini ſub ſuavi Religionis jugo Deo dante plurimum proficere poſſint, omnia privilegia, gratias, facultates tam ſpirituales, quam temporales, ac indulta Congregationi hujuſmodi concedi, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum deſiderio hujuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Conceſſio Pōtificis, eorumdem privilegiorum.*

§. 2. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, & peccatorum remiſſiones, cæteraſque gratias ſpirituales, & temporales, ac tam conjunctim, quam diviſim, etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut alias quomodolibet dictæ Congregationi Presbyterorum Theatinorum nuncupatorum, illiuſque Generali, aliiſque Superioribus, Officialibus, Miniſtris, & perſonis, eorumque domibus Regularibus quibuſcumque conceſſa, ac quibus dicta Congregatio Theatinorum, ejuſque domus Regulares, necnon Generales, Superiores, Officiales, Miniſtri, & aliæ quæcumque illius perſonæ, de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, & extenſionis utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, eidem Congregationi Clericorum Minorum, illiuſque domibus Regularibus, necnon Præpoſito generali, aliiſque Superioribus, officialibus, Miniſtris, & aliis quibuſcumque illius perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, illaque omnia, & ſingula ad dictam Congregationem Clericorum Minorum, illiuſque domos Regulares, necnon Præpoſitum generalem, Superiores, Officiales, Miniſtros, & perſonas prædictas, itaut dicta Congregatio Clericorum Minorum, ejuſque Regulares domus, illorumque Generalis, Superiores, Officiales, Miniſtri, & perſonæ, nunc & pro tempore exiſtentes, præmiſſis omnibus & ſingulis æquè & pariformiter, & ſine aliqua differentia uti, frui, potiri & gaudere liberè & licitè poſſint, perinde, ac ſi ſingula præmiſſa illis ſpecialiter & expreſsè, ac principaliter, non autem ad inſtar conceſſa, & præſentibus expreſſa, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſerta fuiſſent, auctoritate & tenore prædictis extendimus, illaque omnia & ſingula dictæ Congregationi Clericorum Minorum, illiuſque domibus regularibus & perſonis prædictis communicamus.

*Clauſula præſervativa.*

§. 3. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis, aut obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, aut alias quomodolibet infringi nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri.

*Clauſula ſublata.*

§. 4. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Card. & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 5. Non obſtantibus noſtra de non concedendis indulgentiis ad inſtar, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis Theatinorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictæ Congregationi Theatinorum, ejuſque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus; illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro ſufficienter inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum [illegible]*

§. 6. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Superioris dictæ Congregationis Minorum ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Congregationis munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum, &c. Si quis, &c.

*D. P. A. 1. die 18. Feb.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Febr. 1591. Pontif. noſtri anno primo.

---

## III. Moderatio duarum Conſtitutionum Sixti V. ſuper receptione Novitiorum illegitimorum ad Ordines Regulares.

*Quoad Novitiorum receptionem & educationem vide bullam Clem. VIII. infrà num.* 83. In ſuprema.

*Edita A. D. 1591.*

*G R E G O R I V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

CIrcumſpecta Romani Pontificis providentia, ea quæ rationabilibus cauſis auctoritate Apoſt. ſancita fuerunt, ipſa rerum experientia ſuadente, ex aliis interdum non minus juſtis cauſis moderatur & immutat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

*Sixtus V. formam recipiendi Religioſos [illegible] edidit [illegible] 4. [illegible] ſup. Cum [illegible] 71.*

§. 1. Sanè licet alias felic. record. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, nonnulla circa qualitates, modum, & formam admittendi Religioſos ad quoſcumque Ordines, ſalubriter ſtatuerit, in duabus deſuper, prima videlicet ſub Datum ſexto Kalendas Decembris, Anno Tertio, & altera ſub Datum duodecimo Kalend. Novemb.

Anno

**Anno Quarto ſui Pontificatus editis conſtitutionibus** *latiùs continetur.* Quia tamen uſu comprobatum eſt, multa inventa fuiſſe impedimenta, propter quæ ea quæ in præmiſſis ſtatuta fuerunt, executioni mandari minimè potuerunt. Unde quamplures literis, & pietate inſignes viri, à ſancto propoſito Regularem ducendi vitam abducti ac impediti, atque etiam alii diu cum maxima eorum laude in Religione verſati, ab illius *dignitatibus, honoribus, prælaturis*, cum non modico Religionis & Ordinum hujuſmodi detrimento repulſi, & inhabiles penitus redditi fuerint.

§. 2. Nos igitur ea quæ docuit experientia ſalubriter fuiſſe conſtituta, confirmare, quæ verò moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac dictarum conſtitutionum, & inde ſequutorum quorumcumque tenores, etiam veriores, præſentibus pro expreſſis habentes, habita cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negotiis & conſultationibus Regularium deputatis, matura deliberatione, de eorundem conſilio prædictas conſtitutiones in ea parte qua cavetur, ne illegitimi ex certo inibi expreſſo damnato toro vel complexu, ad quamcumque Religionem, neque ad habitum, aut profeſſionem regulares, ſed tantum ad habitum Converſorum, aut famulorum, in Monaſteriis aliiſque locis regularibus ſervientium admittantur, & ſi poſt dictam Conſtitutionem profeſſionem emitterent, voluit illam nullius eſſe momenti. Et in altera parte, in qua illegitimè genitos, etiam ante ipſas Conſtitutiones profeſſos vigore privilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum, cuivis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in ſpecie conceſſorum, etiam ipſos per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores legitimatos, ſeu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, ſeu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuſcumque, tam antiquis, quam aliis privilegiis, literis Apoſtolicis, indultis, aut declarationibus non obſtantibus, excludi, ac diſpenſationes quaſcumque, aut legitimationes non ſuffragari, neque in futurum cum his niſi à Sede Apoſtolica, privilegiis quibuſcumque non obſtantibus, diſpenſare poſſe voluit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ad terminos juris reducimus, & moderamur, ac omnes diſpenſationes & habilitationes, vigore privilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in ſpecie, ut præfertur, conceſſorum, quæ tempore conſtitutionum hujuſmodi uſu recepta, & non ſub ullis aliis revocationibus comprehenſa erunt, per quoſcumque eorum Superiores factas, in priſtinum ſtatum, & validitatem, in quibus ante ipſas conſtitutiones exiſtebant, reſtituimus & reintegramus. Volentes iiſdem conſtitutionibus non obſtantibus, eos qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum & profeſſionem regulares admitti poſſe, quemadmodum admitti poterant, ſi ſupradictæ conſtitutiones editæ non fuiſſent.

§. 3. Ita tamen, ut cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis, ad habitum & profeſſionem Ordinum quorumcumque agatur, ii ad quos hujuſmodi receptio ſpectat, præter alia, de quibus ex dictarum conſtitutionum præcepto circa quoſcumque, etiam legitimos diſquirere debent, diligenter eorum vitam & mores inquirant, & ita demùm recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, ac tot eis merita ſuffragentur, ut natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo & utilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo ii ad quos, ut dictum eſt, pertinet hujuſmodi receptio, matura deliberatione habita, ita cenſuerint & judicaverint, dummodo tam filius illegitimus, in Religione in qua pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo patre vivente non admittatur, quod expreſsè prohibemus.

§. 4. Volumus quoque, ac ſtatuimus, licere Generali, aut Provinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat, juxta tenorem privilegiorum & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ, dummodo uſu recepta, nec alias ſub ullis revocationibus comprehenſa ſint, ut præfertur, in hac parte revalidamus, cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Provincialis, cum Generali, Provinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non alias, ſuffragantibus meritis dignos judicaverint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes hujuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſequuta quæcumque, ut ante valere & tenere, perinde ac ſi ſupradictæ conſtitutiones non emanaſſent.

*Diſpenſandi illegitimos ad dignitates juxta eorum privilegia uſu recepta.*

§. 5. Cæterùm cum acceperimus, nonnullarum Religionum & Ordinum, præſertim Monachalium Monaſteria ita inſtituta eſſe, ut in eis perpetua quædam filiatio conſtituatur, ideoque receptio Novitiorum in unoquoque Monaſterio ad ſuperiorem Prælatum, & Capitulum ejuſdem Monaſterii tantùm pertineat, quæ etiam Monaſteria, utplurimùm inter ſe longe diſtant, nec Generalia, Provincialia, aut intermedia Capitula, niſi raro celebrare ſolent. Ideò ſtatuimus, ut Superiores illorum Monaſteriorum de conſenſu ſui Capituli, præhabita ſimul cum his de quibus in unaquaque Religione, aut Monaſterio juxta ejus conſtitutiones recipiendus interrogari ſolet, aliqua informatione ſuper his quæ in dictis conſtitutionibus continentur, ad receptionem hujuſmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad profeſſionem admittatur, plenaria, & eo modo, prout in dictis conſtitutionibus habetur, inquiſitio fiat, quæ poſtea ab his, à quibus in prædictis Monaſteriis examinari ſolent, diligenter examinetur, & approbetur, & demùm omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quod Superiores prædicti cum eorum Capitulo, aut ubi conſuetudo non fuerit celebrandi Capitula, cum tribus, aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota ſecreta deputatis, ſervatis eorum regularibus inſtitutis, ac ſupradictis omnibus, eandem in recipiendis Novitiis habeant auctoritatem, quæ per dictas conſtitutiones Provincialibus Capitulis eſt attributa.

*Superioribus Ordinum cōceditur, Novitios prævia reformatione ad Religionem recipere poſſe.*

*Ad quod vide bullam Clem. VIII. citatam hic in rubrica.*

§. 6. Decernentes, ſic & non aliter per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere. Irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula ſublata, &c.*

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Clauſula derogatoria.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1591. Id. Martii, Pont. noſtri anno primo.

*Dat. P. A. 1. die 15. Mart.*

---

## Damnatio Sponſionum, ſeu Excommiſſarum, ſuper vita, morte, & futura electione Summi Romani Pontificis, ac promotionibus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium. IV.

*De materia Cardinalium latè dixi ſup. ad conſtit. 50. Sixti V.* Poſtquam, *ubi videas.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1591.*

COgit nos depravata miſeri hujus ſæculi corruptela, ut vel in ipſo noſtri Pontificatus ingreſſu ſeverioribus pœnis illorum coërceamus audaciam, qui cæca ducti cupiditate gravioribus peccatis divinam Majeſtatem lædere, ac ſacroſanctæ Eccleſiæ Dei mala & ſcandala

*Excommiſſarum uſus [illegible]*

pernicioſa inferre non perhorreſcunt. Qualia multa cum ingenti animi noſtri dolore ſenſimus manare ex frequenti ſponſionum illarum uſu, quæ Excommiſſæ vulgò dictæ, ſuper futura electione, aut vita & morte Romani Pontificis, aut promotionibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium fieri cōſueverunt. Nam ſive rem ipſam quæ nedum Eccleſiaſtica, ſed & ſacra & merè ſpiritualis eſt, ſpectemus, profanatio quædam rei ſacræ, & ſacrilegium quoddam inde propterea committi videtur, dum electionibus & promotionibus ſacris, ac planè ſpiritualibus, ſors pecuniarum immiſcetur, & turpiſſimæ nundinationis genus cohæret, ſive graviſſima peccata earū occaſione perpetrari ſolita, & detrimenta inde provenientia, ſponſiones hujuſmodi, quæ ſuper prædictis fiunt, omninò damnandas & prohibendas, atque à Chriſti fidelium commercio prorſus exterminandas arbitramur. Multi ſiquidem cupiditate, aut metu jacturæ pecuniarum illicitis modis, directè vel indirectè, per ſe vel alium, electiones, ſeu promotiones impedire, aut retardare conantur. Alii eligendorum, aut promovendorum honorem, famam, & exiſtimationem impiis, falſis, ac prorſus iniquis detractionibus, aut diffamationibus lædere, ac dilacerare non erubeſcunt. Orationes verò, & vota, ac pias preces Chriſtianì populi, quas eo potiſſimum tempore, ſummo devotionis fervore, ex intimo cordis affectu, ab univerſo fidelium cœtu Deo Omnipotenti offerri par eſſet, ut hujuſmodi electionibus, ac promotionibus Spiritus ſanctus aſſiſteret, non mediocriter hac de cauſa impediri, perturbari, ac refrigeſcere neceſſe eſt, dum multi temporalibus lucris intenti, aut obliviſcuntur quæ Dei ſunt, aut certè deſiderant ſæpenumerò, & procurant ut eligantur non ii qui optimi ſunt, ſed ex quorum electione plurimum lucri ſe conſecuturos animadvertunt. Nec deſunt, qui innumerabiles fraudes, ac pernicioſa mendacia, dolos & fallacias comminiſcuntur, dum ſponſionum pretia augere, aut imminuere, callidè & verſute ſatagunt. Nonnulli quoque manifeſta injuſtitia peccant, dum ferè certi eorum qui eligendi, aut promovendi ſunt, conventiones, ſeu ſponſiones ineundo, ab aliis id ignorantibus pecunias per fraudem extorquent. Multi præterea dum vana ſpe univerſum patrimonium ſuum in diſcrimen temerè deducunt, repentè & ex improviſo ad inopiam rediguntur, ex quo & abominabiles contra Deum blaſphemiæ, & plurima ſcandala, & peccata atrocia conſequuntur. Quod autem deterius eſt, miſeri quidam ad nefandas Dæmonum invocationes, ad prohibita ſortilegia, damnataque divinandi genera confugiunt, ut futura, ſi id fieri poſſet, prænoſcendo, minori cum periculo, aut quemadmodum ipſi vana ſpe decepti ſibi perſuadent, certiore eventu ſponſiones ineant. Illud denique omnibus notiſſimum eſt, magnum hoc eſſe avaritiæ fomentum, & ex eo vehementem quæſtus cupiditatem, quandoque etiam in Eccleſiaſticis, ac Religioſis perſonis excitari.

*Hic ideo Pōt. inhærendo conſtitutioni Pii IV. n. 63. In eligendis, omnes excōmiſſas ſuper vita, morte aut creatione Summi Pont. vel promotione Card. ubique prohibet.*

§. 1. Nos igitur, qui hoc præcipuum munus ad paſtoralem noſtram ſollicitudinem maximè pertinere exiſtimamus, ut gregem Dominicum fidei noſtræ creditum ab omni offenſione, atque æternæ vitæ periculo ſecurum, in viam ſalutis, divina faveute gratia, dirigamus, peſtiferi hujus morbi contagionem, priuſquam in communem fidelium perniciem latiùs ſerpat, quantum in nobis eſt, tollere, necnon delicti & ſcandali inde utplurimùm provenientis occaſionem penitus, & ubique ſubmovere cupientes, ac ſimul æquum cenſentes, ut in quo frequenter, & graviter peccatur, id ad tollendum ſcandali periculum generatim, & peræquè omnibus interdicatur, felic. record. Pii Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri, qui pariter hoc ipſum ſuper futura Pontificis electione fieri prohibuit, veſtigiis inhærentes, de tributæ nobis à Domino poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione damnamus & reprobamus omnes & quaſcumque ſponſiones, promiſſiones, ſtipulationes, conventiones, aut pacta, Excommiſſas vulgò dictas, quovis nomine, aut vocabulo appellatas. Quas ſive per cedulas, ut aiunt, vel apochas, aut alio quocumque publicæ, aut privatæ ſcripturæ, aut chirographi genere, vel per Menſariorum, aut Mercatorum libros, aut partitas, ut dicunt, ſeu verbo tantum data fide, aut facto depoſito certæ pecuniarum ſummæ, vel cujuſvis alterius rei pretio exiſtimabili, aut alias quoquo modo, vel ſub quavis nominati, aut innominati contractus forma, aut conditione, in eventum vitæ, aut mortis, vel futuræ creationis Romani Pontificis, tam eo vivente quam Apoſtolica Sede vacante, aut in eventum promotionum S.R.E. Cardinalium, poſthac in quibuſvis Chriſtiani Orbis Regnis, Dominiis, Provinciis, Civitatibus, Terris & locis, ubilibet gentium, aut locorum iniri quandocumque contigerit, ipſoſque contractus, ſponſiones, aut pacta, ſi quæ poſt hanc noſtram prohibitionem inita fuerint, vel etiam antea, quarum tamen vel quorum exitus adhuc expectantur, damnata prorſus, *illicita* & invalida decernimus, & declaramus, illaque ex nunc prout ex tunc, & è contra, harum ſerie reſcindimus, & annullamus, ac ne de cætero fiant diſtrictè interdicimus, & prohibemus. Decernentes ex eis tanquam damnatis, & reprobatis, etiamſi juramento, quod pariter illicitum, & tanquam contra bonos mores præſtitum nihil operari in hoc caſu declaramus, aut inſtrumento in forma Cam. Apoſt. vel alias quomodolibet roborata fuerint, nullam prorſus obligationem oriri, nullamque actionem, realem aut perſonalem, aut Judicis officium in foro exteriori, neque extra illud, nec etiam quoad forum conſcientiæ provenire, neque exceptionem, aut aliud quodcumque jus cuiquam competere.

*Et qui[...] de ex[...] miſſis [...] ctum ſ[...] piis lo[...] plicat.*

§. 2. Quinimmò ſtatuimus & declaramus, ex prædictis damnatis ſponſionibus nullum talium pecuniarum dominium, etiamſi ſolutæ, aut datæ, ſeu remiſſæ, vel condonatæ hac de cauſa fuerint, cuiquam acquiri, ſed quicquid pecuniarum, aut cujuſvis alterius rei in contractus, ſeu ſponſiones hujuſmodi deductum fuerit, ſive datum & acceptum, ſive tantummodo promiſſum, vel ut præfertur condonatum, aut etiam ut ab aliis ſolvatur mandatum exiſtat, eo ipſo piis locis ejus Civitatis, aut Oppidi ubi ſponſiones ipſæ initæ, vel ubi primum detectæ fuerint, etiamſi prius alibi initæ ſint, acquiſitum cenſeri, & ipſos contrahentes ad reſtitutionem, ſive elargitionem eiſdem piis locis in utroque foro teneri, & in foro exteriori ad id per Epiſcopum (cujus conſcientiam ſuper hoc oneramus) opportunis juris & facti remediis, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis cogi & compelli debere, & non ſolum procuratoribus, ſeu adminiſtratoribus, ſed cuilibet perſonæ, actionem popularem nomine eorundem piorum locorum pro ipſis pecuniis conſequendis competere. Ita tamen, ut ſi plura loca pia in Oppido, ſeu Civitate hujuſmodi exiſtant, inter ipſa loca is præferatur, & pecunias integrè lucretur, qui prior agere cœperit.

*Quic[...] per t[...] re, [...] concor[...] poſſe [...]*

§. 3. Nec componere, tranſigere, aut concordare cum ipſis delinquentibus, aut illis partem aliquam pœnæ remittere, aut condonare quoquo modo liceat, ſed integrè ab ipſis locis piis exigatur: quod ſi de facto concordatum fuerit, tunc eo ipſo concordia, compoſitio, aut tranſactio irrita ſit & nulla, & actio pro reliqua ſumma non exacta ad alia loca pia devoluta cenſeatur, donec pœna prædicta integrè ab ipſis tranſgreſſoribus fuerit perſoluta.

*Eccl[...] eiſque [...] nis Ex[...] miſſas [...] tibus [...] priva[...] benefi[...] impo[...]*

§. 4. Perſonas verò Eccleſiaſticas, ſi quæ forſan, quod non credimus, tale aliquod pactum, aut ſponſionem contra hanc noſtram prohibitionem inire præſumpſerint, tam ſæculares quam cujuſvis Ordinis, aut Militiæ regulares, cujuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primatiali, Patriarchali, aut alia quacumque, etiam S. R. E. Cardinalatus præfulgeant dignitate (præter ſupradictam, & alias in præſenti Conſtitutione contentas pœnas) omnibus, & quibuſcumque per eas obtentis beneficiis, cum cura & ſine cura, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, aut Militiarum regularibus, ex tunc eo ipſo per præſentes in utroque foro privamus, & privatas, ac ad illa & quæcumque in poſterum obtinenda, perpetuò inhabiles & incapaces declaramus, eaque omnia juxta præſentem Conſtitutionem ipſo facto vacare, deque illis liberè per Sedem Apoſt. vel per ordinarios Collatores aliis providere poſſe, ac etiamſi alioquin noſtræ, & Sedis Apoſt. ſeu Rom. Pontificis tantum diſpoſitioni ex quavis reſerva-

tione

tione generali, etiam in corpore juris clauſa, ſeu alias quomodolibet reſervata, ſeu affecta fuerint, nihilominus per ordinarios Collatores, ad quos eiſdem reſervationibus, ſeu affectionibus Apoſtolicis ceſſantibus pertineret, liberè & licitè conferri, & de eis perinde ac ſi reſervata, aut affecta non eſſent, diſponi poſſe volumus & declaramus.

*...in eis ... alias ... prohibi- ... contra- ... ibus ... communi- ... pœ- ... infligit.*

§. 5. Vlterius etiam in eos, qui talia patrare, & huic noſtræ Conſtitutioni contravenire præſumpſerint, tam ſi prædictis, quæ hic pro expreſſis habeātur, quam ſi quibuſvis mundanis, etiam Ducalibus, Regiis, Imperialibus dignitatibus fungantur, ac etiam in eoſdem, vel alios, qui id in Terris, locis, Civitatibus, ac Dominiis ſibi ſubjectis, tacitè vel expreſsè fieri permiſerint, eorumque Conſiliarios, Magiſtratus, Poteſtates, Gubernatores, Præfectos, aut Locatenentes, eorumque ſingulos, qui pariter conſenſum, auxilium, conſilium, vel favorem in præmiſſis præſtiterint, ac in quoſcumque proxenetas, vel mediatores, excommunicationis ſententiam per eaſdem præſentes ferimus, & promulgamus; eoſque ipſo facto abſque aliqua monitione, aut declaratione, ſeu Iudicis decreto aut miniſterio, excommunicationis ſententiam incurrere volumus, à qua eorum nullus ab alio quàm à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo, & quoad eos qui pecunias, vel aliud quidpiam præmiſſorum occaſione perceperint, etiam prævia reſtitutione integra pecuniarum ejuſmodi occaſione perceptarum, abſolvi poſſit aut debeat.

*...ſula ſu- ... de- ... irri-*

§. 6. Sicque in omnibus & ſingulis ſuperiùs expreſſis, per quoſcumque Judices, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, irritum quoque & inanè decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca univerſis locorum Ordinariis, ubilibet conſtitutis, per Apoſtol. ſcripta mandamus, ut præſentes literas in ſuis quiſque Eccleſiis, Civitatibus, Diœceſibus, & locis ab omnibus inviolatè obſervari curent. Et contra quoſcumque præſentis Conſtitutionis tranſgreſſores ad declarationem cenſurarum & pœnarum hujuſmodi procedant, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula ...rariorũ ...gatoria.*

§. 7. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Oppidorum & locorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam quantumvis longiſſimo tempore obſervatis, ac legibus etiam municipalibus, & pragmaticis, aliiſque ſanctionibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus earum impediri valeat vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*...ma & ef- ...bus public. ...nus conſt.*

§. 8. Cæterum ut præmiſſa, ac eædem præſentes literæ ad eorum quorum intereſt, notitiam deducantur, nulluſque poſſit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excuſationem allegare, volumus ut eædem præſentes in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, & acie Campi Floræ, per aliquem ex Curſoribus noſtris affixæ, copia illarum ibidem dimiſſa, ab eadem die, quoad eos qui in Vrbe ſunt, quo verò ad eos qui citra montes ſunt, poſt viginti dies, quoad eos qui ultra montes, poſt duos menſes à die publicationis prædictæ numerandos, omnes & ſingulos perinde afficiant & arctent, ac ſi illis ipſis fuiſſent perſonaliter intimatæ. Quodque earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ ipſis præſentibus originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ 1591. 12. Kal. Aprilis, Pont. noſtri anno primo. *D. P. d. 1. die 21. Mart.*

*Anno à Nativitate Domini* 1591. *Indictione* 4. *die verò* 28. *menſis Martii, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papa XIV. anno* 1. *retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Baſilica principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Flora, ut moris eſt, per nos Ioannem Gauce, & Catharinum Menandi Curſ.* *Publicatio.*

*Pompeius Guerra Mag. Curſor.*

---

Confirmatio exemptionis Fratrum Militum Sancti Ioannis Hieroſolymitani, eorumque Familiarium, & cæt. à ſolutione decimarum, & aliorum onerum, & extenſio facultatis M. Magiſtri & Conventus, quoad diſpoſitionem beneficiorum. Ac præſervatio Ordinariorum quoad perſonas curam animarum habentes. V.

*Hanc exemptionem, & preſervationem firmavit primo loco Pius V. in ſua conſtit.* 77. Etſi cuncta, *ſup. ubi videas qua notavi.*

*GREGORIVS PAPA XIV.* *Edita An. D. 1591.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Proœmium.* QUanta Chriſtianæ Reipublicæ commoda atque ornamenta omni tempore attulerit Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani ampliſſimus Ordo, inſignia quæ aſſiduè præſtitit pietatis & charitatis officia, jam latè teſtantur, ſummo ardentique ſtudio, vel initio naſcentis Eccleſiæ in Civitate Sancta Hieruſalem, in qua Chriſti pedes ſteterunt, & ubi Deus Rex noſter ante ſæcula ſalutem in medio terræ dignatus eſt operari, complexa, & uſque modo, prout tempora tulerunt, variis in locis continuata, quæ nunc potiſſimum elucent eo in Hoſpitali, quod in inſula Meltiæ B. Pauli Apoſtoli, cujus in tutela eſt, multis celebrata miraculis, ab eo Ordine conſtitutum fuit, in quo ejuſdem Pauli auctoritate perniſori ejus Hoſpitalis curam gerentes re ipſa comprobant, jactis fidei & ſpei fundamentis, inter præcipuas virtutes quæ Theologicæ dicũtur, charitatem principem obtinere locum, neque his piis actionibus, quas iiſdem aſſiduis officiis, & hoſpitalitatis ſtudiis in proximos exercent, planè ſecundæ aut poſtremæ ſunt res ab eis ad divini nominis gloriam & exaltationem præclarè geſtæ, quarum longè lateque fama pervagatur, dum tanquam veri Chriſti athletæ Machabæorum æmulati morem aſſumpta galea ſalutis adverſus Chriſtiani nominis hoſtes, & præſertim impios Mahometis ſectatores arma ſumunt fortiterque dimicant. Nos igitur Religionem floridam paternis contemplantes affectibus, ea quæ eis pro eorum proſpero ſtatu, commodo, & quiete per Romanos Pontifices prudenter conceſſa reperimus, ut illibata firmaque perpetuò ſubſiſtant, libenter approbationis noſtræ munimine roboramus.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, licet aliàs fel. rec. Leo X. Clemens VII. Paulus III. & Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, inter alia privilegia & indulta dilectis filiis Magiſtro & Conventui Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani à Sede Apoſtolica conceſſa, eundem & pro tempore exiſtentem Magiſtrum, Bajulivos, Caſtellanum Empoſtæ, Priores, Præceptores, Milites, Familiares, aliaſque perſonas Hoſpitalis hujuſmodi, necnon eorum Subditos, Vaſſallos, Colonos, & Servitores, & alios in eorum obſequiis, & dicti Hoſpitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis exiſtentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quandiu illam exercent, & in illorum obſequiis forent, illorumque ani- *Privilegiorũ multorum ceſſio à prædeceſſoribus, & præſertim à ſolutione decimarum, &c.*

examen quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac ſtatuimus, non eſſe in vita ac doctrina promovendi inveſtiganda eam rationem adhibendam, ut ab ipſo promovendo articuli offerantur ac teſtes producantur, ſed oportet ut Prælatus qui munus inquirendi ſuſcepit, articulos conſcribat, atque ipſe ex officio ſuo illos teſtes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis ſincerum, ac fidele teſtimonium daturos eſſe exiſtimet. Verum ut inquiſitio prædicta faciliùs ac pleniùs perfici atque expediri queat, utile erit, ſi Prælatus qui inquiſitionem facturus eſt, vel à promovendo, vel ab alio aliquo confici curet ſchedulam, in qua ſint ordine deſcripta nomen promovendi, cognomen, patria, parentes, ordo, gradus, profeſſio, functio, ſi quam is fortè exercuit, loca in quibus aut Theologiæ, vel juri canonico operam dederit, aut longo tempore verſatus fuerit, denique amici ac familiares, qui tam ipſum quàm parentes eius intimè norint. Quod ſi promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipſius ætas, gradus, dignitas, ſacri ordines, functio, officia, muneraque aut aliquid ejuſmodi comprobetur, admittendum ac proceſſui inſerendum erit, modo documentum publicum, ſeu authenticum fuerit.

*Quivus teſtes deſuper recipi poſſint.*

§. 8. Illud quoque prohibendum cenſuimus, ac expreſſe prohibemus, ne ad teſtimonium dicendum de fide Catholica, vita moribus, doctrina, atque aptitudine, ad regendam Eccleſiam quilibet homines admittantur, ſed viri tantum graves, pii, prudentes, docti, qui de qualitatibus promovendorum rectum judicium ferre valeát, ac ut ſupra diximus, ſincerum, ac fidele teſtimonium dare velint. Proinde tam cognati, ac nimium familiares, quam inimici atque æmuli excludendi erunt. Porro teſtes ejuſmodi, Prælatus qui examen ſeu inquiſitionem habiturus erit, ſeorſum ac ſigillatim examinabit; & ſi quando judicaverit expedire, eis ad memoriam reducet tum juramenti vim, & perjurii gravitatem, eoſdem etiam ſeriò, & graviter admonebit, ipſos reos futuros apud Omnipotentem Deum eorum omnium, quorum vel committendo vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, ſi vel falſa narrando, vel reticendo vera in cauſa erunt ut homines indigni, vel minus idonei ejuſmodi Eccleſiis præficiantur. Diligenter etiam teſtium qualitates cognoſcere ſtudebit, ac potiſſimum quàm ſint ad promovendos affecti, ut inde conjiciat utrum ex affectu, an ex veritate teſtimonium dicant. Denique cum teſtes de qualitatibus promovendi interrogabit, dabit operam, ut quoad ejus fieri poterit, omnia & ſingula quæ ad prædictam inquiſitionem facere videbuntur, per ipſos exprimantur.

*Qualitateſque promovendorum, qua probari debeant.*
*Non abs re videri poſſet conſtit. 50. Sixti V. ſup.*

§. 9. Quamvis autem qualitates omnes promovendorum, quæ in generalium Synodorum decretis, aliiſque canonicis ſanctionibus continentur, probè cognitæ eſſe debeant iis, quibus inquiſitionis officium demandatum eſt, quales ſunt natum eſſe ex legitimo matrimonio atque ex parentibus Catholicis, annum trigeſimum jam expleviſſe, ſacris ordinibus, ſaltem ante ſex menſes initiatum eſſe, gradum Doctoratus, aut Licentiæ in Theologia, vel jure Canonico, aut certè publicum alicujus Academiæ teſtimonium obtinuiſſe, quo ad alios docendos idoneus eſſe declaretur, ad hæc in Eccleſiaſticis functionibus diu eſſe verſatum, item fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, uſu rerum, integra fama, doctrina denique præditum eſſe; tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi ſolent, ſæpe contingit, ut nonnulli ſcientia vacui de ſolo Doctoris titulo, aut privilegio glorientur, volumus ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut Licentiæ titulis & privilegiis gaudent, vel etiam à publicis Academiis teſtimonium habuerint, quod idonei eſſent ad alios docendos, niſi fortè aliquorum inſignis doctrina ex publica ipſorum functione notoria eſſet. Ita verò inquiſitio facienda erit, ut quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel juri canonico promovendus operam dederit cognoſcatur. Et quoniam in quibuſdam Provinciis nulla ſunt Studia generalia, neque ullæ publicæ Scholæ, neque uſus habet ut qui ſtudiis operam navant, ullis Doctoratus, aut licentiæ inſignibus decorentur, declaramus in ejuſmodi locis ſufficere, ſi teſtimonio virorum gravis, & Sacræ Theologiæ, vel juris Canonici peritorum conſtet, promovendos ea ſcientia Theologiæ vel Canonum vere pollere, ut idonei ſint ad ea docenda, quæ populum Chriſtianum ſcire oportet, ac muneris ſibi injungendi neceſſitati valeant ſatisfacere. Teſtes præterea deponant ſe de ſcientia promovendorum certos redditos eſſe ex eo, quod prædictos promovendos ſpecimen ſuæ doctrinæ publice vel privatim dediſſe cognoverint. Quod autem ad Regulares pertinet, cum ad Eccleſias Cathedrales promovẽdi fuerint, ne fraus ulla ſubrepere poſſit in eo quod idem Tridentinũ Concilium ſtatuit, ut regulares à ſuis Superioribus ſufficientis doctrinæ teſtimonium habeant. Declaramus nomine Superiorum eos dumtaxat intelligendos eſſe qui nullum ſui Ordinis Superiorem agnoſcunt, ſive ii cujuſvis Ordinis Abbates, Magiſtri, aut Miniſtri, Præpoſiti generales, aut quarumlibet Congregationum Præſidentes, ſive Definitores, aut Viſitatores Capitulum generale repræſentantes, ſive alii quocumque vocabulo nominentur, & in eorum abſentia ipſorum Vicarii, ſeu Commiſſarii generales, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte ſuccedant. Et nihilominus præter Superiorum teſtimonium, quæ fidem facient ejuſmodi regulares ad alios docendos idoneos eſſe, volumus ea ſervari, quæ de iis diximus, qui publicum ſuæ doctrinæ ab aliqua Academia teſtimonium habent, ut videlicet ſeriò inquiratur an regulares ad Cathedrales Eccleſias promovendi, eos progreſſus in ſtudiis fecerint, qui in futuro Antiſtite requiruntur.

*Al'd prædict. etiam ... inquiſi... de Statu ... Eccleſiæ ... ſionem ... promove... jubet ... bullam ... IV. num ... qua ...*

§. 10. Poſt inquiſitionem verò de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promovendi, necnon informationem de ſtatu Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis rebus, quæ pariter coram ſuperiùs expreſſis Prælatis juxta ejuſdem Concilii decreta fieri debet, profeſſio fidei Catholicæ à promovendo facienda erit, quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam eſſe declaramus, ad quem inquiſitio pertinebit, niſi fortè qui profeſſionem emiſſurus eſt, à Prælato inquirente longè diſtet, tunc enim is Prælatus ex ſubdelegatione inquirentis, profeſſionem admittere debebit, cui promovendus vicinior erit: quod idem intelligatur de informatione de ſtatu Eccleſiæ accipienda, ſi quando contingeret, ut in alia Provincia ſive Regno eſſet Eccleſia in qua ſit promovendus. Recipiet autẽ prælatus profeſſionem promovendi, præſente Notario publico, ac teſtibus, atque eam à ſe admiſſam, ac receptam propriæ manus ſubſcriptione teſtabitur. Is quoque qui profeſſionem ejuſmodi fecerit, in eo loco ubi proprium nomen profitentis exprimi ſolet, nomen ſuum manu propria adſcribet. Denique his peractis, Notarius publico inſtrumento fidem faciet de profeſſione prædicta, adhibitis teſtibus, ut præfertur. Vbi verò totum examen ſeu inquiſitio de perſona promovenda perfecta fuerit, ea in inſtrumentum publicum redacta, cum toto teſtimonio ac profeſſione fidei emiſſa, ad hanc ſanctam Sedem, ut Concilium ſtatuit, quamprimum clauſa & obſignata in forma authentica tranſmittenda erit. In qua re obſervari volumus, ut profeſſio fidei iiſdẽ omnino verbis deſcripta ſit, quæ in ea forma continentur, quam felicis recordationis Pius Papa Quartus prædeceſſor noſter ſtatuit obſervandam, & ut Prælatus, qui inſtructionem, examen & inquiſitionem fecit, vel per literas ſeparatas, ſimul tamen cum proceſſu mittendas, vel per ſubſcriptionem dicti proceſſus ſignificet, quanta fides teſtibus examinatis, eorumque dictis & ſcripturis productis ſuo judicio habenda ſit, ſimul etiam quid de promovendo ipſe ſentiat.

*Inquiſitio... proceſſus à Card. Prio... bus Ord... in Curia ... ſtea exa... nari præ... pit.*

§. 11. Proceſſus autem ſic formati, & ad Curiam tranſmiſſi, à Cardinale cui proponendi munus incumbet, & à tribus Prioribus Ordinum Cardinalibus, ut moris eſt, juxta formam Concilii prædicti ſubſcribentur & expedientur. Volumus autem, ut Cardinalis relator moneat promovendum, ſi præſens in Curia fuerit, ut juxta Concilium Lateranen. noviſſimè celebratum, omnes Cardinales, ſive majorem partem Collegii adeat antequam Eccleſiam proponat, ut quæ à referente Collega ſint audituri, occulta fide quantum ad perſonam promovendi attinet, cognoſcere poſſint.

§. 12. Hæc

§. 12. Hæc porro omnia, quæ de promovendis ad Eccleſias Cathedrales dicta ſunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione ſervanda eſſe declaramus & decernimus, qui nominati, præſentati, aut electi fuerint ad dignitates Abbatiales, ac Prioratus, ſeu Præpoſitatus, Monaſteriorum regimina, aut alias regularium cujuſvis Ordinis, aut etiam ſæcularium præfecturas; de quibus conſiſtorialiter provideri contigerit; atque eos præſertim, quibus præter curam & regimen Monachorum aut canonicorum, clericorumque regularium vel ſæcularium annexa eſt in populum juriſdictio ſpiritualis, vel temporalis; excepta tamen ætate circa quam nihil innovamus.

§. 13. Quo verò ad doctrinam, cum generalia Concilia non ſtatuant ut perſonæ promovendæ ad regulares dignitates, Doctoratus, vel licentiæ gradum ſuſcipere, vel publicum teſtimonium ab Academia aliqua habere teneantur, & tamen æquum ſit, ut ea doctrina polleant qua onus ſibi imponendum ſuſtinere valeant, declaramus & ſtatuimus, ut Prælati qui inquirendi munus ſuſcepturi ſunt, ſtudioſe ac diligenter inquirant ſuper doctrina ejuſmodi perſonarũ, juxta modum & formam ſuperius præſcriptam, ut nos & pro tempore futuri Romani Pontifices, habita de illis vera informatione per proceſſum qui ab inquirente tranſmittetur, certò ſtatuere ac judicare poſſimus, an perſona promovenda verè ſit talis qualem dignitas illa ad quam provehenda eſt, exigit & requirit.

§. 14. Hortamur verò in viſceribus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac ſancta Sede nominandi, præſentandi, vel etiã eligendi futuros Epiſcopos vel Abbates jus habẽt, ut ſeriò apud ſe cogitent quanti momenti ſit hoc negotium, ex quo ſalus animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas Religionis, propagatio fidei, aliaque permulta & maxima bona dependent. Illud etiam ſæpè & ſæpius ad mentem revocent, quod ſancta Tridẽtina Synodus admonet, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorũ ſalutem utilius poſſe facere quàm ſi bonos paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alienis peccatis cõmunicãtes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientiũ cupiditatibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. De nominandis verò, præſentandis, vel eligẽdis ad regulares dignitates, præter ea quæ ſuperius obſervanda eſſe declaravimus, illud quoque paternis his noſtris hortationibus & monitionibus adjiciendum cenſuimus, ut nominationis, præſentationis vel electionis jus habentes, eos eligere ſtudeant atque omninò conentur, qui non modo eundem Ordinem ſint ante profeſſi, ſed in eodem etiam ſatis diu laudabiliter verſati; neque enim decet, ut Magiſtri aliorum eſſe incipiant, qui non fuerint ante diſcipuli, & ſubditis imperare præſumant, qui prius non didicerint Superioribus obedire.

§. 15. Eos denique qui vel examinando, & inquirendo, vel teſtimonium ferendo, operam ſuam in hac re præſtabunt, ſeriò admonemus, ut ea fide ac diligentia in negotio tanti momenti verſentur, ut à Deo & à nobis laudem pro bono opere expectare valeant.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis, voluntatis, declarationis, decreti, ſtatuti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

…D.An.1. 15.Maii.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno primo.

---

VI.

## Statuitur, & decernitur, ne Capucini poſſint vel debeant Laicorum & Clericorum confeſſiones audire.

*G R E G O R I V S P A P A XIV.* — Edita An. D. 1592.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

DEcet Seraphicam Religionem Sancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum liberum Domino famulatum exhibere, & à ſæcularium, quantum fieri poteſt, converſatione ſejungi, ut ab humili humanæ actionis quaſi ſolo ad arcem contemplationis remotis impedimẽtis, aſcendat, ubi in ſpiritu, & veritate facilius Dominum adoret. Oratio enim per ſolitudinem quietius concipitur, & per meditationem altius extollitur, & ita quod fides credit, ſpes, & charitas tutius orat: Spiritualis verò anima duabus quaſi alis in Cœlum elata ita etiam Deo arctius conjungitur, & cœleſtis beatitudinis ſpecimẽ in hac carne quodammodo deguſtat. Nos igitur ne optimam partẽ, quam dilecti filii Fratres Congregationis Capucinorum Ordinis Minorum nuncupatorum elegerunt, importuna ſæcularium rerum adminiſtratio impediat, aut mundanarum occupationum cura diſtrahat, providere pro noſtra Paſtorali ſollicitudine ſatagentes, ad dicti ordinis etiã conſtitutionum confirmationem Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus & decernimus, nullum poſthac Ordinis præfati Religioſum poſſe, vel debere in Laicorum utriuſque ſexus, & Clericorũ ſæcularium quacũque dignitate, & præeminentia, atque auctoritate, & facultate ſuffulti ſint, confeſſionibus occupari, vel confeſſiones eorum audire, etiamſi ad id faciendum à ſuperioribus Ordinis, aut Protectore, aut etiam à nobis, & ab ipſa Apoſtolica Sede quomodolibet, & ſub quacumque verborum forma licentias hactenus obtinuerint, quas auctoritate præſentium revocamus, caſſamus, & annullamus. Decernentes nihilominus irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Proœmium. — Cauſa hujus inſtitutionis. — Ne Capucini poſſint vel debeant Laicorum & Clericorum confeſſiones audire.

§. 1. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis eadem, quæ præſentibus adhiberetur, fides adhibeatur.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die prima Junii 1591. Pontificatus noſtri Anno primo. — D.P.A. 1. die 1. Iunii.

M. Veſtrius Barbianus.

---

VII.

## De immunitate Eccleſiarum, quibuſdam exceptis caſibus, inviolabiliter obſervanda.

*Ad hoc habes etiam diſpoſitionem Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 20. & Bullam 1. Ioan. XXII.* Ex parte, *ſup. ubi notavi.*

*G R E G O R I V S E P I S C O P V S Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* — Edita Anno 1591.

CUm aliàs nonnulli prædeceſſores noſtri, & præſertim fel. record. Sixtus Papa IV. necnon Pius etiã V. ſancto zelo ducti diverſas facultates & indulta extrahẽdi etiam in caſibus quibuſdam à jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos & delinquentes, compluribus ſæcularibus Principibus, eorumque Curiis & Magiſtratibus ſub variis modis & formis conceſſerint, prout in illis plenius continetur.

*Sixtus IV. & Pius V. certis caſibus permiſerant extrahi ex Eccleſiis homines criminoſos.*

§. 1. Experientia poſtmodum docuit, tum diverſitatem & differentiam hujuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Miniſtri; ex hoc ipſo illa diverſimode, etiam latius quam par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperunt, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem & confuſionem; alibi verò ne ipſos quidem laicos indultis hujuſmodi uti voluiſſe, aut potuiſſe, quòd populis inveterata erga Eccleſias reverentia devotis, & aſſuetis, ſcandali potius quam quietis occaſionem præberen…

*Sed ſæcularium Principum Miniſtri hac facultate abuſi ſunt, & mala hinc enarrata evenerunt.*

præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumero ſecutum eſt,ut infimæ interdum conditionis laïci,non modò juris, ſed etiam literarum penitus ignari & imperiti,dum quaſi poteſtates,aut Miniſtri Curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo juriſdictionem exercebant, facultatum & indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorſerint,& illorum prætextu quicquid ſibi in mentē venit attentare præſumpſerint, in grave juriſdictionis & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium,locorum,& perſonarū divino cultui dicatarum contemptum, ipſius divinæ majeſtatis offenſam,& ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis officii munere, prædictis abſurdis & ſcandalis obviare,ac differentias hujuſmodi ad uniformem regulam reducere,omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem dilucida declaratione ſubmovere,abuſus tollere,& ne Eccleſiaſtica jura planè cōculcentur & negligantur, opportunè providere decrevimus,prout etiam dictus Sixtus prædeceſſor noſter iiſdē de cauſis motus ſtatuere decreverat,licet morte præventus hoc adimplere nequiverit; ita tamen,ut quando præſens temporum calamitas,& nimia, quæ jā invaluit perverſorum hominum malitia id expoſcit,aliquid, etiam ad terrorem delinquentium,& ad coërcenda illorum facinora,ultra id quod priſca illa majorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum canonum norma præſcripſerat in quibuſdam caſibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

*Hic itaque Pont. hujuſmodi facultates revocat, & immunitatem Eccleſiarum obſervari præcipit.*

§.2. Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnia & quæcumque privilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum ac Pium Quintum, quam alios quoſcumque noſtros prædeceſſores,aut noſmetipſos Sedemque Apoſtolicam,ejuſve Legatos, ſuper abducendis,vel extrahendis ab Eccleſiis,Monaſteriis,Sacellis,domibus regularibus & ſæcularibus,lociſve ſacris aut religioſis,aliaſque in caſibus à jure permiſſis,hominibus certorum tunc expreſſorum vel non expreſſorum criminum reis,aut fraudulentis decoctoribus,etiam in odium certorum delictorum,& pro bono,pace,& quiete publica, & ex cauſis urgentiſſimis ac neceſſariis & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis,atque ex paritate,identitate,aut majoritate rationis extenſis,perpetuò vel ad certum nōdum elapſum tempus,ſeu ad vitam alicujus Principis,aut beneplacitum, ſeu aliàs quomodolibet conceſſa, etiam iteratis,aut multiplicatis vicibus approbata, & innovata ac uſu recepta,literaſque Apoſtol.ſub plumbo,aut in forma Brevis, ſeu alias quomodocumque deſuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expreſſis,ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia,ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamur.

*Certos tamē caſus hic expreſſos excipit,in quibus laïci delinquentes Curiæ ſæculari remitti debent.*
*Quoad hæreticos habes etiam ſupr. conſt. Ioan. XXII.cit. in rubr.*

§. 3. Vt laïcis ad Eccleſias,locaque ſacra,& religioſa prædicta confugientibus,ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores,qui itinera frequentata,vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorū,quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis earumve Cœmeteriis cōmittere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuū occiderint,aut aſſaſſinii vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonā ipſiuſmet Principis rei,immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis,Primatibus, Archiepiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum,& Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus quam cujuſvis Ordinis regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus,& præcipimus, ut laïcos in caſibus prædictis delinquentes,ad eorum Eccleſias,Monaſteria,domos,& alia loca ſupradicta,ſacra,ſeu Religioſa reſpective confugientes, & in eis ſe recipientes atque morantes,qui prædicta delicta,eorumve aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti,& quilibet eorum fuerit requiſitus,Miniſtris, & Officialibus Curiæ ſæcularis abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat.

*Et Curia ſæ...*

§.4. Ne autem Curiæ ſæcularis prædictæ Miniſtri facultate illos per ſe & propria auctoritate extrahendi, & abducendi ſibi olim,ut præfertur,attributa, & ipſis præſentibus revocata abutatur, Volumus,dictaque auctoritate decernimus,& declaramus, ut Curia ſæcularis,ejuſque Iudices & Officiales ab Eccleſiis, Monaſteriis,lociſque ſacris prædictis,laïcum aliquem,ut præfertur, delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis,ad quos ſolos, & non alios Epiſcopis inferiores, etiamſi alii Ordinarii ſint,aut nullius Diœceſis,aut Conſervatores ab hac Sede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat: occurrente autem caſu in loco exempto,& nullius diœceſis,tūc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio,& non ad alios,capere,extrahere,aut incarcerare non poſſint,niſi eo caſu,quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ſuperius expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſaverint,tuncque reverentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores, prædictos delinquentes minoribus quo id fieri poterit, cum ſcandalis & tumultu, extrahere curent.

*...ularis ... iſte ... Iudicis ... Eccleſia... nullo ... accipia...*

§.5.Quodque delinquentes laïci prædicti, poſtquam, ut præfertur,ab Eccleſiis,lociſve ſacris extracti & capti fuerint,ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit per Curiam ſæcularem,detineri debeāt,nec inde extrahi,Curiæque ſæculari prædictæ conſignari,nec tradi poſſint,niſi cognito prius per Epiſcopum,ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per Iudicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari, quacumque appellatione poſtpoſita, conſignentur.

*Sed Eccleſiaſticus ... videat, ... carcera... aliquod ... criminib... exceptis ... miſerit.*

§. 6. De crimine verò hæreſis cognitio ad Forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea Curia ſæcularis ſe quoquo modo intromittat.

*Criminis ... reſis cognitio totaliter ... fori Eccleſiaſtici.*

§. 7. Sicuti etiam prohibemus,ne contra Eccleſiaſticas perſonas,ſæculares,aut cujuſvis Ordinis,vel Militiæ,etiā Sancti Joannis Hieroſolymitani regulares,quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut conceſſionum,quæ omnia ad terminos juris per præſentes reducimus procedant,aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis,Monaſteriis,Domibus,lociſque ſacris,aut religioſis, etiam in caſibus in hac conſtitutione expreſſis, extrahere,abducere,capere,carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs quàm de jure, & per privilegia eiſdem Ordinibus, aut militiis conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant.

*Et omni... perſonar... Regular... in omnib... caſibus.*

§. 8. Quod ſi quis quacumque dignitate & auctoritate præditus,præmiſſorum,aut alio quovis prætextu quicquam præter aut contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto cenſuras & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores per ſacros Canones,& Conciliorum generalium, noſtrorumque prædeceſſorum conſtitutiones ſunt promulgatæ.

*Contra... nientes ... nas hic ... enarrat... incurran...*

§.9.Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate,in quavis cauſa & inſtantia judicari,& definiri debere,necnon irritum decernimus & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula ſublata...*

§.10. Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti, & Pii V. quam aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum literis Apoſtolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus quibuſvis perſonis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebuſpublicis,Dominiis, Regnis,Provinciis, Civitatibus,Terris, & locis,eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Vniverſitatibus, Collegiis, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, poteſtatibus, aliiſque

*Clauſula derogatoria.*

Magiſtratibus

Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut Conſiliariis, ex prædictis vel aliis etiam gravioribus, & urgentioribus cauſis, tam illorum intuitu & contemplatione, ſive ad eorum preces, & inſtantiam, quam etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & fratrum noſtrorum conſilio, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque validiſſimis, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiamſi inibi caveatur expreſſe, quod illis, niſi ſub certis modis, & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu ad quorum favorem conceſſæ fuerint, derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut plures quam ſuperius expreſſos caſus contineant, auctoritate & tenore præmiſſis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præſentis Cõſtitutionis, quoad ſuperius deſcripta dumtaxat, reducimus, & nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & quælibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri.

§. 11. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in valvis S. Joannis Lateranen. & Principis Apoſtolorũ Baſilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi, & publicari, earum exemplis inibi affixis & dimiſſis, ac poſt publicationem hujuſmodi volumus, & decernimus, ut omnes, & ſingulos quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctẽt, & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Earundem verò præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique gentium, & locorum haberi volumus, quæ eiſdem originalibus literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. 9. Iunii, Pont. noſtri Anno 1.

*Anno à Nativitate Domini 1591. indict. 4. die verò 28. menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia Papa XIV. anno ejus 1. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranen. necnon Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Catharinum Menandi, & Nicolaum Druyn Curſ.*

*Pompeius Guerra Mag. Curſ.*

## III. Moderatio Conſtitutionis à Sixto V. editæ contra abortum quovis modo procurantes, & eorum complices.

An. D. 1591.

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SEdes Apoſtolica pia mater aſſiduè ſentiens ponderis ſibi incumbentis in procuranda ſalute animarum pretioſo Chriſti Domini ſanguine redemptarum, gravitatem, & magnitudinem, in re tanti momenti, ut per eſt, magis indies ſollicita, eundemque optimum finem ſemper ante oculos propoſitum habens, nihil unquam intentatum prætermittit eorum, quæ ad fidelium animas in viam ſalutis dirigendas judicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, ſi interdum quidem contumacium fidelium audaciam pœnarum ſeveritate deterreret, Rurſus eiſdem, ſi ad ſe redire velint, & peccati veniam humiliter expoſcere, maternum aperit ſinum, viamque ad pœnitentiam eis ſternit faciliorem, ac manſuetudine congrua rigorem temperat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, juſtitiæ zelo accenſus, contra procurantes abortum fœtus, tam animati, quam inanimati, ejuſque graviſſimis ſceleris participes, & adjutores, necnon contra eos qui mulierum fœcunditatem impedirent, & ſterilitatis potiones, ſeu venena præberent, cõſtitutionem edidit ſub dat. 4. Kal. Novembris, Pontificatus ſui anno 3. per quam ultra diverſas ſpirituales & temporales pœnas, etiam inter alia excommunicationis ſententiam contra eos promulgavit, ſibique & ſucceſſoribus ſuis tantum abſolvendi facultatem reſervavit, prout in eadem conſtitutione pleniùs continetur.

§. 2. Cum igitur poſtmodum experientia docuerit, ex remedio hujuſmodi, non quæ ſperabatur, utilitatem, & fructum proveniſſe, verùm potiùs multis Satanæ malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervatam abſolvendi facultatem, reddito ad pœnitentiam aditu, eos à nefariis hujuſmodi flagitiis perpetrandis non ſolum non retraxiſſe, ſed etiam plurimorum ſacrilegiorum, graviſſimorumque peccatorum & ſcelerum occaſionem dediſſe. Nos propterea animadvertentes, gladium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, præſertim quoad cenſuras & pœnas ſpirituales, ita exerendum eſſe, ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum, æternumque Paſtorem, cujus vices in terris gerimus, quantum (divina ejus gratia adjutrice) poſſumus, imitari volentes, qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, neminique quantumcumque graviter & enormiter deliquerit, viam ſalutis præcluſit, quin potiùs ad eam aſſequendam copioſa remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & ſimul utiliùs cenſentes, ubi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur, pœnas non imponere duriores iis, quæ per ſacros Canones, & leges prophanas ſunt inflictæ, habita ſuper hoc cum Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, ſuper negotiis & conſultationibus Epiſcoporum deputatis matura deliberatione, de eorum conſilio conſtitutionem prædictam ſic duximus moderandam, ut à peccato, & excommunicatione contra perſonas ibi expreſſas lata, tam quoad eos qui hactenus deliquerunt, quàm quoad illos qui poſt noſtram conſtitutionem in eiſdem caſibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam ſæcularis, quàm cujuſvis Ordinis regularis ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum abſolvendi habeat facultatem, eandem prorſus quam idem Sixtus prædeceſſor ſibi, ac ſuis ſucceſſoribus reſervavit.

§. 3. Quo verò ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium eis dantium, in prædicta conſtitutione contentas, conſtitutionem præfatam in ea parte ubi de his agit ad terminos juris communis, ac ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini diſpoſitionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tam quoad præterita, quam quoad futura perpetuò reducimus, perinde ac ſi eadem conſtitutio in hujuſmodi parte nunquam emanaſſet. *Quam hic Pont. moderatur quoad reſervationem abſolutionis ab excommunicatione.*

§. 4. Non obſtantibus eadem prædeceſſoris noſtri conſtitutione, quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hac noſtra conſtitutione, in ſuo robore omnino permanere volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Clauſula derogatoria.*

§. 5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Prælati Eccleſiaſtici munitis eadem prorſus fides habeatur in judicio & extra illud quæ eiſdem originalibus haberetur exhibitis, vel oſtenſis. *Exemplorum fides.*

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum moderationis, reductionis, & volunta- *Sanctio pœnalis.*

tum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D.P.A. 1. die 31. Maii.* Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. prid. Kal. Iun. Pont. noſtri Anno 1.

---

## IX. Conceſſio uſus bireti rubri, S. R. E. Cardinalibus, ex Ordinibus Regularium aſſumptis.

*Edita An. D. 1591.*

*De materia Cardinalium ſatis dixi ad conſt. 50. Sixt. V. ſup.* Poſtquam, *ibi videas.*

*Hic Pont. vestis Cardinalitiæ addidit.* SAnctiſſimus D.N.D. Gregorius Papa XIV. vocavit ad Sedem Dominos Cardinales, eiſque propoſuit de concedendo uſu rubri bireti DD. Cardinalibus ex Ordinibus regularium aſſumptis, & ſentẽtias eorum audivit, die 26. Aprilis 1591. Romæ apud S. Petrum in Conſiſtorio ſecreto.

*Vſum bireti rubri Cardinalibus ex Ordinibus Regularium aſſumptis cõceſſit.* §. 1. Poſtea die Dominico 9. Junii, feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, Sanctiſſimus D.N. Romæ in ædibus Hortorum Quirinalium, antequam deſcenderet ad SS. Apoſtolorum proximam Baſilicam ad Capellam celebrandam, dedit rubra bireta infraſcriptis DD. Cardinalibus ex Ordinibus regularium, quæ perpetuò deferrent more aliorum, habitu in cæteris nihil immutato. Cardinales hi fuere.

*Nomina Cardinaliũ qui d. biretũ tunc receperunt.*

Frater Michaël Alexandrinus. } Ambo ex Ordine Prædicat.
Frater Hieronymus Aſculanus. }
Frater Conſtantius Sarnanus, ex Ordine Minorum Conventualium.
Frater Gregorius de Montelparo nuncupatus, ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini.

---

## X. Approbatio quarta Inſtituti, & Religionis Clericorum Regularium Societatis JESU, cum aliquarum impugnationum rejectione.

*Hanc religionem primò approbavit Paul. III. ut ſup. in ejus conſt. 25.* Regimini, *ubi etiam cætera plenè adnotavi, ibi videas.*

*Edita An. D. 1591.* *GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* ECcleſiæ Catholicæ, cui Deo auctore præſumus, decoraque utilitas poſtulat, ut cum in omnibus illius membris fovendis atque ornandis aſſiduè nobis laborandum ſit: in illa tamen præcipuam vigilantiæ noſtræ partem impendere debeamus, quæ non modò ipſa per ſe robur, ac pulchritudinem corpori huic myſtico afferunt; ſed cæteras etiam ejuſdem partes, vel diſruptas cõſolidare, vel integras cuſtodire, vel fœdatas eluere, atque etiam ornare valeant. Inter hæc autem quem locum obtineant Religioſi Ordines, præſertim verò qui proximorum utilitati deſerviunt, non obſcure perſpicimus, cum & ſuperiora tempora, & præſentia diligenter attendimus.

*Societas cõmendatur.* §. 1. In his verò Religio Societatis Jesu, quam noviſſimis hiſce diebus divina providentia excitavit, adeo ſtrenuè laboravit, ac ſine intermiſſione laborat, ut illius vel turbationem, & infirmitatem ad commune Eccleſiæ damnum, vel pacem atque integritatem ad ejuſdem utilitatem maximè pertinere putemus. Et quoniam neque tranquillitati, neque firmitati hujuſmodi Ordinum proſpectum eſſe poterit, niſi eorum inſtituta firmiter inconcuſſa ſerventur, iiſdemque modis feliciter progrediantur, & creſcant, quibus à fundatoribus, Domino inſpirante, atque hac ſanctâ Sede approbante, primùm fundati ſunt, neceſſarium duximus, ea quæ ab Ignatio hujus Ordinis Fundatore ordinata, & à prædeceſſoribus noſtris Roman. Pontific. circa ejuſdem Societatis Inſtitutum ſancita ſunt, Apoſtolicæ firmitatis munimine denuò roborare.

*Paul. III.* §. 2. Quamvis enim præfatæ Societatis Inſtitutum jam inde ab ejus primordiis fuerit per fel. rec. Paulum III. & Julium etiam III. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros approbatum, & à fel. rec. Gregor. XIII. etiam prædeceſſore noſtro primò per ejus quaſdam literas ſub Dat. Kal. Febr. Pontif. ejus anno 11. deinde copioſius per Conſtitutionem, quæ incipit, Aſcendente Domino, confirmatum: Nihilominus tamen non idcirco defuerunt, qui adhuc ſub zeli, & boni ſpecie, aliqua ex iis quæ in dictis Pontificiis approbationibus, & confirmationibus continentur, & alia etiam quæ ad inſtitutum, & rationem gubernandæ dictæ Societatis pertinent, variis modis impugnare. *Iul. III. Greg. X[III] Societ[atis] ſtitutu[m] probar[unt] novatio[ne] conſt. [...] cil. in[...]*

§. 3. Quin etiam apud piæ mem. Sixtum Papam V. prædeceſſorem item noſtrum oblatis libellis, & variis excogitatis modis traducere, & calumniari, atque ut ea quæ conſultiſſimè ſancita erant infringerentur, conari veriti non fuerint. Inſtantes ſcilicet, ut res, & negotia Societatis non per Superiores, ut hactenus juxta illius Conſtitutiones, ac Apoſtolica diplomata factum eſt, ſed per Capitula, ſeu Congregationes definiantur. Et electiones tam Provincialium, quàm Superiorum localium non à Præpoſito Generali juxta hujuſmodi Conſtitutiones, ac diplomata, ſed in Capitulis eiſdem fiant. Vt novitii in Societatem, & ad vota Scholaſticorum, peracto biennio novitiatus in Capitulis eiſdem admittãtur. Vt profeſſioni certum, ac præfixum tempus ſtatuatur, quo exacto, per ſuffragia Congregationis Religioſi hujuſmodi ad profeſſionem admittantur. Vt qui juxta Inſtitutum, ac formulam ipſam votorum, qua voverunt, ſanctæque hujus Sedis approbationem à Societate dimittuntur, nonniſi ordinarii judicii forma ſervata dimittantur. Illa etiam in controverſiam, & examen eodem tempore adducta fuere, nempe Nomen ipſum Societatis Jesu, quod non eſſet ita deinceps vocanda. Religioſos non profeſſos non debere ad ſacros ordines promoveri. Hujuſmodi Religioſos non eſſe prohibendos, quin ad alios Regulares Ordines tranſire, ſimiliter nec laicos, ut ad Sacerdotium, nec alios non profeſſos, ut ad profeſſionem, aut ad gradus mutationem aſpirare poſſint. Facultatem præterea, eos qui profeſſi non ſunt, dimittendi non probari. Quibus, & hujuſmodi aliis novis impugnantium inventis ſi aditus pateret, univerſa Societatis ſtructura labefactaretur atque convelleretur. *Illud i[...] nonnul[...] probar[...] multis [...] hic re[...]*

§. 4. Nos igitur hujuſmodi impugnationibus diligenter conſideratis, & perpenſis circa reliqua, quæ in cõtroverſiam, & examen deducta fuerant, nonnullorum Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium judicio, qui ex mandato ejuſdem Sixti prædeceſſoris illa accuratè diſcuſſerant, & examinaverant. Simul etiã perpendentes, primùm quidem quod modus ille res & negotia per Capitula definiẽdi, optimum Societatis Ordinem, ac univerſam gubernandi rationem prorſus everteret. Illam enim Ignatius Fundator quamvis Superiorum conſilium, prudentiamque ac rerum experientiam adjuvare, & promovere curaverit, adhibitis ſcilicet tam Generali Præpoſito, quam ſingulis aliis Superioribus, tũ Provincialibus, tum localibus ſuis ex ſelectioribus Conſiliariis, atque Adomonitoribus, monarchicam tamen, & in definitionibus unius Superioris arbitrio contentam eſſe decrevit. Deinde quod ratio Capitularium electionum maxima ipſi Societati afferret incommoda. In qua licet electiones quædam primariæ, cujuſmodi ſunt Generalis Præpoſiti ac illius aſſiſtentium, & admonitoris in generalibus Congregationibus, in Provincialibus verò tam eorũ qui Generalem Præpoſitum eligere, vel generali ipſi Congregationi cum jure ſuffragii intereſſe, quàm Procuratorum etiam, qui è ſingulis Provinciis quolibet triennio in Vrbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur, & ejuſmodi quædam aliæ electiones per ſecreta ſcrutinia, & deciſiva ſuffragia fiant. In reliquis nihilominus proprii cujuſque gradus judicium, & officiorum diſcretio, ac diſtributio, juxta Conſtitutiones eaſdem, & Apoſtolica diplomata ipſius inſtituti confirmatoria, prædictorum Pauli III. ac Iulii etiam III. prædeceſſorum noſtrorum, tota eſt in ipſius Præpoſiti Generalis manu. Quam Præpoſiti Generalis, ac reliquorum illi ſubordinatorum Superiorum auctoritatem nonnulli impugnatores *Hic idu[...] impugn[atio]nes [...] multis [...] nibus [...] enuntia[...]*

inde

tores

tores multis modis contrahere,ac enervare tentarit. Denique quod in ipſorum dimiſſionibus, qui juxta formulā Votorum ſimplicium in conſtitutionibus expreſſam vererunt,quoſque in Societate retinere non expedit, nec contractus vitioſe claudicet,nec ulla alia interveniat injuſtitia. Conſiderantes inſuper, quod in regularis diſciplinæ,ac ſpiritualis perfectionis non exiguum detrimentū, totiuſque Ordinis perturbationem maximam, atque perniciem vergeret, ſi ea quæ à fundatoribus ſanctè ſtatuta ſunt,atque ab univerſo Ordine ſæpius in illius generalibus Congregationibus recepta & approbata,& quod præcipuū eſt,ab hac sācta Sede ſancita & cōfirmata ſunt, non ſolum mutari,ſed quocumque prætextu impugnari ac labefactari contingat, omni nobis ſtudio curandum eſſe duximus ejuſmodi novitatibus, ac temerariis impugnantium præſumptionibus omnem aditum præclūdere, ac Societatis indemnitati proſpicere, ut hac ratione Societas ipſa noſtro & Apoſtolicæ Sedis præſidio munita, atque in ſui inſtituti puritate, & Regularis diſciplinæ integritate,quiete ac pace conſervata,uberiores in dies fructus in agro Domini pergat ipſo Domino adjuvante, alacriter, & abſque impedimento proferre.

§.5. Motu igitur proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,laudabile ipſius Societatis Inſtitutum, Conſtitutioneſque omnes ac ſtatuta, & decreta, & quæ illud concernunt præmiſſa omnia & ſingula,prædictaque ac quæcumque alia ejus privilegia,facultates,exemptiones, immunitates, gratias & indulta à prædictis, ſeu etiam ab aliis prædeceſſoribus noſtris, etiam per communicationem conceſſa, qualiacumque illa, ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentiun approbamus & confirmamus,ſupplentes omnes juris ac facti defectus ſi qui intervenerunt in eiſdem.

§. 6. Et nihilominus hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione,motu,ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſtatuimus, decernimus & ordinamus.

§.7. Vt in Societatis prædictæ Congregationibus quibuſcumque eo prorſus modo procedatur, atque ea tantum tractentur & definiantur, quæ in Conſtitutionibus ac Congregationum generalium decretis ſtatutum jam eſt,vel in poſterum ſtatuetur, ut in eiſdem Congregationibus tractentur & definiantur.

§.8. Electio verò Superiorum, tam Provincialium & Viſitatorum, quam quorumcumque localium, tota ſit penes Præpoſitum Generalem,juxta Conſtitutiones eaſdem,prout penes ipſum eſſe & conſervari diſtrictè præcipimus, cum poteſtate illorum facultatem revocandi, reſtringendi,& etiam augendi,ac adminiſtrationis rationē ab illis exigendi,& eoſdem ab officio removendi, prout in Domino judicaverit expedire.

§. 9. Novitios etiam, tam in eorum admiſſione ad Societatem,quam ad Scholaſticorum vota, poſt biennium Novitiatus juxta Societatis morem, per Superiores admittendos eſſe.

§.10. Graduum etiam diſcretio & judicium, ac Coadjutorum tam ſpiritualium quàm temporalium, ſimulque & Profeſſorum promotio,juxta hujuſmodi Conſtitutiones ſimiliter ſit in manu Præpoſiti Generalis.

§.11. Tempus autem promotionis ad hujuſmodi gradus,nullo modo volumus certum ſeu determinatum eſſe, ſed conſtitutiones ac diplomata prædicta hac etiam in parte omnino obſervari volumus & mandamus quæ ſtatuunt,ſelectos tantum ſpiritus,& doctrinæ viros,& multum diuque exercitatos, ac in variis probationibus virtutis,& abnegationis ſui ipſorum,cum omnium ædificatione & ſatisfactione ſatis cognitos, ad Profeſſionem eſſe admittendos, & denique nonniſi cum Societati vel ejus Præpoſito Generali fuerit ab eis plenè in his ſatisfactum.

§.12. Omnis verò auctoritas, omnes denique facultates prædictæ Societatis, Conſtitutiones & Apoſtolica diplomata Præpoſito Generali conceſſæ, tam in iis quæ ipſe per ſe exercere debet, quàm in communicatione Provincialibus & Viſitatoribus, ac aliis quibuſcumque Superioribus per ipſum faciendas integrè & inviolatè conſerventur,quoniam ut ratio ipſa docet, & Ignatius Fundator prudenter animadvertit,ad hoc ut Societas bene gubernetur, valdè expedit ut Præpoſitus Generalis omnem habeat in ea auctoritatem ad ædificationem, ex qua præter cætera quamplurima, illud ſequetur commodi, ut univerſus Ordo ad Monarchicam gubernationem compoſitus maximè ſervetur unitus, ipſiuſque membra per univerſum Orbem diſperſa, per omnimodam hanc ſubordinationem ſuo capiti colligata, promptius atque facilius à ſummo capite Chriſti in Terris Vicario, ad varias functiones juxta eorum peculiarem vocationem, ac ſpeciale votum dirigi, atque moveri poſſit.

§.13. Quod verò attinet ad dimiſſionem: Delaramus formam judiciariam adhibendam non eſſe,ſed modum in Conſtitutionibus præſcriptum, & hactenus in ipſa Societate ſervatum de cætero ſervari volumus, nempe ut etiam ſine aliquo proceſſu, tela aut ordine judiciario,ac nullis terminis etiam ſubſtantialibus ſervatis, ſola facti veritate inſpecta, culpæ vel rationabilis cauſæ tantum ratione habita, ac perſonarum aliarumque circumſtantiarum, quarum conſideratio ſit cum charitate & prudentia conjuncta, procedi poſſit, auctoritate prædicta declaramus & decernimus.

*Forma iudiciaria in dimiſſionibus non ſervetur, ſed forma conſtitutionum.*

§. 14. Quin etiam omnes facultates, omnemque juriſdictionem, quod ad ſubditorum correctionem & punitionem pertinet, quibuſcumque Ordinibus, eorumque Generalibus hactenus conceſſas, non ad inſtar, ſed æquè principaliter ipſi Societati, ejuſque Præpoſito Generali concedimus & elargimur. Quo verò ad reliqua quæ in controverſiam vocata erant, ſic ſtatuimus.

*Omnes facultates ad correctionem & punitionem aliis Ordinibus conceſſæ Societati, ejuſque Præpoſito conceſſæ ſint.*

§. 15. Nomen Societatis Jesu, quo laudabilis hic Ordo naſcens à Sede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum eſſe.

*Nomē Societatis Ieſu retineatur.*

§.16. Ac Religioſos hujuſmodi poſt emiſſa vota, etſi ſimplicia,ad ſacros etiam presbyteratus ordines juxta Summorum Pontificum conceſſiones promoveri poſſe.

*Societatis Religioſi emiſſis votis ſimplicibus ad ſacros ordines promoveri poſſint.*

§.17. Eiſdemque emiſſis hujuſmodi votis ad quemvis alium Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium (Carthuſienſium dūtaxat excepto) trāſire minimè licere.

*Et ad nullū Ordinem, Carthuſienſium excepto, eis tranſire liceat.*

§. 18. Laïcos vel alios non Sacerdotes, ad Sacerdotium, vel eoſdem aut qui Sacerdotes ſunt, ad profeſſionem, aut cujuſvis alterius gradus mutationem aſpirare non debere.

*Ad Sacerdotium, vel ad profeſſionem aut cuiuſvis gradus mutationem aſpirare non debeant.*

§. 19. Poteſtatem quoque à Societate dimittendi quoſvis non profeſſos, ab hac Sede Apoſtolica ſæpius approbatam,eoſque ab omni obligatione votorum, juxta Conſtitutiones & diplomata hujuſmodi emiſſorum, per dimiſſionem ipſam,per quam vota prædicta ceſſant,liberandi, tanquam rem magni momenti ad Societatis puritatem & conſervationem retinendam, omnino ratam, intactam & illibatam eſſe volumus.

*Poteſtas dimittendi tanquam res magni momenti ad Societatis conſervationem omninò retineatur.*

§. 20. Et ut perturbatorum & contradicentium audacia coërceatur,ac nec ipſi vel pernicioſo eorum exemplo alii in poſterum quæ ab hac Apoſtolica Sede ſemel ſtabilita ſunt, præcipuè circa Regularium Ordinum inſtitutionem & confirmationem, in quibus alioquin ad eandem Sedem tantum manus apponere ſpectat, impugnare aut enervare impunè præſumant, aut ullo modo valeant. Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ univerſis & ſingulis perſonis, tam ſæcularibus quam quorumvis Ordinum regularibus,cujuſcumque ſtatus,gradus & præeminentiæ exiſtant, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali,Patriarchali,aut alia majori Eccleſiaſtica dignitate,ſeu Cardinalatus honore,vel mundana quavis auctoritate,ſeu excellentia præfulgeant, ipſis verò Regularibus etiam dictæ Societatis Religioſis, ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, necnon inhabilitatis ad quævis officia & dignitates, vociſque tam activæ quam paſſivæ privationis, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis,quarum abſolutionem Nobis,ac Succeſſoribus noſtris dumtaxat,reſervamus ne dictæ Societatis Inſtitutum immutetur.

*Perturbatorum audacia coërceatur.*

§.21. Conſtitutiones, aut decreta,vel ex eis quidpiam aut ex præmiſſis omnibus articulum quemlibet,vel aliud quid ſupradicta concernens majoris boni, aut zeli, ſeu quovis alio quæſito colore aut prætextu directè vel indirectè impugnare, vel immutari,alterari, aut formam aliā

*Conſtitutiones Societatis non immutentur.*

ſeu rationem circa ea inducere curare, aut contra vel præter ea, ſeu quævis alia ipſius inſtituti ſubſtantialia agere, vel quidpiam ulli alii, præterquam Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, idque immediatè, vel per noſtrum aut Sedis Apoſtolicæ Legatum ſeu Nuntium, vel ipſius Societ. generali Congregationi, aut præpoſito generali addendũ, minuendum, aut immutandum, ſive alterandũ proponere quoquo modo audeant vel præſumant.

*Innovantur pœna conſtit. fœl. rec. Greg. XIII. omniaque in ea cõtenta confirmantur.*

§. 22. Pœnas denique omnes in Gregorii XIII. prædeceſſoris prædicti Conſtitutione, Aſcendente Domino, contentas, ac Conſtitutionem eandem cum omnibus & ſingulis in ea contentis, ac ſi ea omnia ad verbum præſentibus insererentur, per præſentes approbamus & innovamus.

*Præſentes de ſubreptionis vitio notari non poſſint.*

§. 23. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula, necnon præſentes, ac in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore, etiam ex eo quod intereſſe forſan habentes ad id vocati nõ fuerint, vel alio quocumque prætextu, & ex quavis cauſa, quantumvis urgenti, legitima, & rationabili, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, annullari, revocari, ad viam juris reduci, in dubium vel controverſiam revocari, aut adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe vel debere.

*Nec ſub quibuſvis revocationibus comprehendantur.*

§. 24. Nec ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ab illis ſemper excepta, & quoties emanabunt, toties in priſtinum & eum in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtituta, repoſita &, plenariè reintegrata, ac de novo, etiam ſub Dát. per Societatem illiuſque præpoſitum Generalem, & alios Superiores prædictos quandocumque eligendos, de novo conceſſa, ac etiam confirmata, & approbata, validaque, efficacia, & illibata, etiam abſque eo quod deſuper à dicta Sede illorum ulterior reſtitutio, revalidatio, confirmatio, ſeu nova conceſſio impetranda ſit, fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac eaſdem præſentes literas ad probandum plenè omnia & ſingula præmiſſa ſufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri.

*Et ita judicari debeat.*

§. 25. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere. Necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Ordinarii curent obſervantiam his mãdatorũ.*

§. 26. Mandantes univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac cæteris Eccleſiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentes litteras in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, & juriſdictionibus ab omnibus inviolatè obſervari curent. Quin etiam præpoſitum, ac perſonas Societatis hujuſmodi defendant, eoſque præmiſſis omnibus plenè & pacificè frui faciant, & gaudere, nõ permittentes ipſos per quoſcumque quomodolibet moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris, & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc etiam ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§. 27. Non obſtantibus tam ipſius Sixti prædeceſſoris ſuper modo, & forma admittendi Novitios ad Religionem, quam aliis quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aut decretis per eundem, vel quoſlibet alios prædeceſſores noſtros, etiam vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet editis, ac etiam aliorum Ordinum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſcumque hujuſmodi Ordinibus, Vniverſitatibus, & locis aut perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritatoriis, annullativis, caſſativis, [illegible], præſervativis, exceptivis, declarativis, [illegible], ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma in illis expreſſis derogari poſſit, pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cõtrariis quibuſcũque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 28. Præſentis autem conſtitutionis, & gratiæ communicationem omnibus aliis qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſe participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

*Pr... c... com... tur.*

§. 29. Cæterum volumus, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Societatis vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem omnino fides habeatur in judicio & extra illud, quæ literis ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petr. anno Incarn. Dominicæ 1591. 4. Kal. Iulii, Pont. noſtri Anno 1.

*Dat... die ...*

---

## Quod nec Fratres Reformati Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, neque alii Religioſi, Capucium & habitum Capuccinorum, vel alium ei conſimilem deferre poſſint.

Xl

*Capuccinorum inſtitutionem, & alia eos concernentia, notavi ſupra ad conſt. 21. Clement. VII.* Religionis. *Et ibi etiam de toto Ordine Fratrum Minorum remiſſivè dixi.*

Hanc conſt. innovavit, & declaravit Greg. XV. Conſtit. 15. *Ex injuncto*, infr. tom. 4.

*GREGORIVS EPISCOPVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Edita ... 159...*

BEati Franciſci Confeſſoris Sodalitas ab uno fundatore inſtituta, & ad eundem Dei finem ordinata, utriuſque Seraphicæ Religionis nomine nuncupata, in plures Sodalitates, & membra, Apoſtolica permiſſione dividitur, & quaſi circum amicta varietate, prout pietas diverſimodè ſuadet, corde unó, & anima una Deum colit, & inſtar agri Dominici varios atque uberes fructus quotidie profert, & diſtinctiores, & abundantiores, ut confidimus, in dies proferre non ceſſat.

*Franci... Relig... menda...*

§. 1. Sanè cum ad aures noſtras pervenerit, aliàs fel. rec. Paulum Papam III. prædeceſſorem noſtrum inter alia per ſuas in forma Brevis litteras, quibuſvis perſonis, cujuſcumque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum geſtari ſolitum, niſi in eadem Cõgregatione eſſent, & ſub moderni, & pro tempore exiſtentis Generalis ejuſdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent, diſtrictius inhibuiſſe.

*Paulus ... habitu... puccin... cateris ... vetuit ... eius co... Expon...*

§. 2. Et piæ memoriæ Pium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum, literas ejuſdem Pauli prædeceſſoris confirmando, inſuper non ſolum ne habitum prædictum juxta literarum ipſius Pauli prædeceſſoris hujuſmodi tenorem, verum etiam nec ita conſimilem, quod propter

*Pius IV. ſimilem ... bitum ... ter pr... die 2. A... 1560. ... bulla ... præter m... plenè ... la am.*

eum

eum poſſent eredi Fratres Congregationis Capuccinorum geſtare deberent, ſub eadem excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda, prohibuiſſet.

§.3. Et ſimiliter fel. rec. Gregorium Papam XIII. etiam prædeceſſorem noſtrum, literas prædeceſſorum hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque pro expreſſis habendo, & innovando, Motu proprio, & ex certa ejus ſcientia, eoſdem Fratres, qui Tertiarii ex Ordine Conventualium dicuntur, non ſolum Capucium rotundum, ſed etiam habitum coloris Berettini, ſeu Subcineritii, ad inſtar Fratrum eorundem Conventualium, deferre deberent, ita ut à Fratribus Capuccinis facilè diſcernerentur, ſub eiſdem Pauli III. & Pii IV. pœnis poſt ſex menſes ipſo facto incurrendis ſtatuiſſe, & ordinaſſe.

§.4. Verum quia iidem Fratres, qui Reformati Conventualium dicuntur, ita conſimiles eiſdem Fratribus Capuccinis incedere præſumunt, ut paſſim à populo pro Capuccinis habeantur, ac illis tanquam Capuccinis, eleemoſynæ, & oblationes conferantur, non ſine gravi plebis offenſione & ſcandalo, dum reputantur Capuccini eſſe. Idcirco rationabile exiſtimantes, ut qui ex inſtituto regulæ, atque in vitæ regularis obſervantia uniformes non ſunt, etiam habitus diſtinctione dignoſcantur, utque prædeceſſorum hujuſmodi literarum contemptus, & contumacia ſeverioris diſciplinæ cenſuram inveniant, ad evitandas etiam confuſiones, & contentiones, quæ exinde oriri poſſent, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſingulas prædeceſſorum hujuſmodi literas, & in eis contenta quæcumque pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes, Motu etiam ſimili, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, hujuſmodi Fratres Reformati non ſolum in Vrbe, ſed etiam ubique locorum per univerſum Orbem exiſtentes, ut vere & realiter à Capuccinis diſtinguātur, & dignoſcantur, præter Capucium penitus rotundum, & colorem Berettinum vel Subcinericium, ut præmiſſum eſt, etiam mantellum longius, ad Conventualium, & longitudinem deferre, & mozettam latam & longam, non ſub mantello, ſed ſupra geſtare teneantur.

§.5. Inſuper ſtrictiori Capuccinorum prædictorum vitæ conſulentes, ne ab eiſdem Reformatis ipſi Capuccini admitti, vel recipi poſſint, ſub eadem excommunicationis ſententia ipſo facto tam ab ipſis Capuccinis receptis, quam Reformatis recipientibus incurrenda, interdicimus & prohibemus. Et nihilominus actum ipſum receptionis, & tranſitus, tanquam indebitè factum, ex nunc prout ex tunc irritum, & penitus nullum eſſe decernimus & declaramus.

§. 6. Et quoniam ſimiliter accepimus nonnullos alios, qui ſub Eremitarum vocabulo nominantur, vagos aut profugos, ac acephalos, ſub nullius obedientia degentes, nec Epiſcoporum juriſdictioni ſe ſubjicientes ſine aliqua licentia, vel loci aſſignatione, non ſine gravi fidelium ſcandalo huc illucque vagari, eorundem Fratrum Capuccinorum habitum vel adeo conſimilem geſtantes, ut facile pro Capuccinis reputentur. Motu pari eoſdē Eremitas ſine literis dimiſſoriis alicujus Superioris Ordinis approbati, de cujus gremio ſint, vel Epiſcopi loci illius ubi degunt, vagari, aut ex propriis locis diſcedere non poſſe, & imprimis ab habitu Capuccinorum eiſdem ſaltem, vel aliis notioribus differentiis diſtingui, & dignoſci debere omnino præcipimus, & jubemus.

§.7. Mandantes propterea univerſis, & ſingulis Fratribus Reformatis prædictis, eorumque Superioribus, ac ipſis Eremitis acephalis, & ſine obedientia itinerantibus præter pœnas per prædeceſſores prædictos inflictas, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque gravioribus pœnis arbitrio noſtro imponendis, ut præmiſſa omnia & ſingula, omni excuſatione, & tergiverſatione poſtpoſita, infra ſex menſium ſpatium à data præſentium computandum, ſtatim adimpleant, & exequantur. Qnod ſi facere diſtulerint vel neglexerint, eos per Almæ Urbis Vicarium noſtrum hic in Urbe, ejuſque diſtrictu, ac per locorū Ordinarios, ubi Fratres prædicti reperiantur, per carcerationem, aliaque opportuna juris & facti remedia, prout contumacia cujuſque exegerit cogi, & compelli poſſe ac debere volumus, & jubemus. Et nihilominus irritum, & inane decernimus quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, regula noſtra de jure quæſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & utrarumque regularum ſive Ordinum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, regulis, & inſtitutis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. Fratribus, & Eremitis prædictis, eorumque Superioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.9. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique, in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Dat. Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Julii, Pont. noſtri anno 1. *D. R. A. 1. die 6. Julii.*

---

VII.

## Juriſdictio S.R.E. Cardinalis Protectoris, & judicis cauſarum, intereſſe monaſterii Monialium S. Marthæ de Vrbe tangentium.

*Hoc Monaſterium, ſeu potiùs domus erat probationis dudum & refrigerii mulierum vitæ culpabilis, ut innuptæ Moniales fierent, vel matrimonio copularentur, nuptæ vero propriis viris reſtituerentur. Sed hoc pium opus ad Monaſterium Domus Piæ nuncupatum, olim tranſlatum fuit, ut videre eſt ſup. in Gregorii XIII. conſt.* 52. Cupientes. *Hoc autem Monaſterium Virgines tantum hodie recipit, & valdè floret.*

*GREGORIVS PAPA XIV.* *Edita An. D. 1591.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

SAlubrem Monaſteriorum omnium, præſertim Urbis noſtræ, de quibus peculiarem curam habemus, ſtatum deſiderantes, non modo quæ illis conceſſa ſunt libenter confirmamus, & approbamus, verùm etiam quæ expreſſiorem ſenſum poſtulare videntur, re diligenter perſpecta, ita declaramus, ut omnis dubietas de piis Chriſti fidelium mentibus evellatur. *Exordium.*

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Paulus Papa III. quandam in Vrbe domū pro mulieribus, tam conjugatis quam ſolutis vitæ culpabilis recipiendis, ibique retinendis, etiam ſub clauſura, donec ut Moniales fierent, vel matrimonio copularentur, ſi innuptæ, vel ſi nuptæ eſſent, propriis viris reſtituerentur, deputavit. Ac pro gubernio mulierum, & Domus hujuſmodi Confraternitatem de Gratia nuncupatam, cum Eccleſia, Dormitoriis, & aliis neceſſariis ad prædicta, ac facultate condendi quæcumque ſtatuta licita, & honeſta. *Paulus III. Domum in Vrbe deputavit ad recipiendum mulieres vitæ culpabilis, & Confraternitatem deſuper inſtituit.*

§. 2. Ac piæ memoriæ Rodulphus S. Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis, de Carpo nuncupatus, necnon ſimilis memor. Raynutius tituli S. Angeli Presbyteri Cardinalis, Ravennaten. nuncupatus, & major Pœnitentiarius, comperto quod multæ ex dictis mulieribus, locum in aliis Monaſteriis commodè non reperiebant ubi Moniales fieri voluiſſent, habita fideli informatione à Confratribus dictæ Confraternitatis, illorumque ſupplicationibus inclinatus, auctoritate Apoſtolica, & de mandato ejuſdem prædeceſſoris, partem dictæ Domus in Monaſterium Monialium ſub invocatione S. Marthæ, per Protectorem, & Confratres prædictos electam, cum Eccleſia, Clauſtro, Dormitorio, & aliis neceſſariis pro una Abbatiſſa per eundem Rodulphum Card. & pro tempore exiſtētem Protectorem ipſius Confraternitatis, perpetuò ſeu ad tempus, prout ipſi Protectori videretur, eligenda, *Et poſtea erectum ibidem fuit Monaſterium pro recipiendis qua ex prædictis mulierib. eſſe Moniales volebant.*

ac per cæteras Moniales confirmanda,& aliis mulieribus ad dictam domum acceſſuris, & Religionem ingreſſuris ſub certis modo, & forma tunc latiùs expreſſis perpetuò erexit,& inſtituit,& Abbatiſſam eligendi, & Monialibus habitum exhibendi,& ad profeſſionem recipiendi,eidem Rodulpho Cardinali Protectori per eundem prædeceſſorem plena facultas conceſſa fuit. Necnon Confraternitatem, Domum,& Monaſterium S. Marthæ hujuſmodi, eorumque bona ſub protectione Romani Pontificis, & pro tempore exiſtentis Protectoris recepit, ac obedientiæ, correctioni, & viſitationi illius Vicarii Generalis ſubjecta fore, & eſſe decrevit, & declaravit.

*Iulius III. juriſdictionem cognoſcendi cauſas mulierum Monialium, & Monaſteria prædictorum, conceſſit cum Facultate ſummariè, &c. procedēdi.*

§. 3. Et deinde piæ mem. Julius Papa etiam III. pro majori dictarum mulierum quiete, eidem Rodulpho Presbytero Cardinali,& pro tempore exiſtēti Protectori, ac Viceprotectori Monaſterii,Domus,& Confraternitatis prædictæ, omnes, & ſingulas cauſas, quæſtiones, & controverſias,civiles & criminales,ac mixtas, ſuper dotibus,rebus,& bonis quibuſcumque mulierum, & Monaſterii hujuſmodi, ac illorum occaſione,coram quibuſvis Iudicibus,tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus dictæ Vrbis quomodolibet motas,& movendas, tam activè quam paſſive,cum omnibus,& ſingulis earum inciden. dependen. emergen. annexis, & connexis,prævia opportuna avocatione per ſe vel alium ab eo,& pro tempore exiſtē. Protectore deputandum,ſummariè,ſimpliciter & de plano,ſine ſtrepitu, & figura judicii,ſola facti veritate inſpecta, audiendi,cognoſcendi, decidendi, & fine debito terminandi, ac quicquid decreviſſet debitæ executioni mandandi, ac demandari faciendi, ac indemnitati partium conſulendo in cauſis ipſis, ac omnibus negotiis Domum, ac Moniales, & confraternitatem hujuſmodi pro tempore concernen.etiam nullo penitus Iuris ordine,ſeu Cameræ Apoſtolicæ ſtylo, vel conſuetudine ſervatis, ſed ſola facti veritate inſpecta, de bono & æquo, quandocumque ei viſum foret, de facto, manu regia,velo levato,& aliàs pro ejus arbitrio procedendi, judicādi, necnon excommunicationis, & alias cenſuras, & pœnas deſuper promulgandi & relaxandi, & ab eis abſolvendi, & brachium ſæculare invocandi, & etiam quaſcumque perſonas,quacumque auctoritate & dignitate fulgentes, & Moniales,& mulieres ipſas contra voluntatē dicti Rodulphi Card. & pro tempore exiſten.Protectoris,ſeu Viceprotectoris alibi quam coram eo, ſeu ejus deputato, quomodolibet moleſtari, & denique omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria,& opportuna,etiam unica ſententia, ita quod ab ea, & aliis præmiſſis nullo unquam tempore appellare liceret,etiam per viam mandati executivi,facien. geren. & exequen. in omnibus & per omnia, ac ſi tres ſententiæ conformes deſuper latæ eſſent, ſublata quacumque appellandi, & de nullitate dicendi,plenam liberam, & omnimodam facultatem conceſſit,dictaſque cauſas,ut præfertur audien.

*Appellatione que remota.*

cognoſcen. & deciden. eidem Rodulpho Cardinali, & pro tempore exiſtenti Protectori, & Viceprotectori ſeu ab eis deputando in omnibus, & per omnia commiſit. Decernens proceſſus, & ſententias ſic ferendas,nullatenus impugnari, ſeu revocari, niſi motu proprio, & ipſo Protectore ſemper vocato & audito,ac eo conſentiente, impediri non poſſe. Et ſic per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decrevit.

*Congregatio III. juſſit in d. Monaſterio non amplius recipi mulieres corruptas, ſed Virgines tantum, ex cauſa hic expreſſa.*

§.4. Demum recol.mem. Gregorius PP.XIII. prædeceſſor noſter cum accepiſſet, quod hujuſmodi mulieres corruptæ, quæ in Moniales recipi ſolitæ erant, admitti deſierant, & earum loco Virgines recipi conſueverunt, quæ tamen aliquando remiſſius ibi Moniales fiebant, & ſubinde inſtitutum hoc Virgines recipiendi minuebatur, ne promiſcue cum corruptis reciperentur, devotioni ac majori augmento dicti Monaſterii conſulens,accedentibus maximè ſupplicationibus Abbatiſſæ dicti Monaſterii, ac illud gubernantium, ſtatuit & decrevit quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus, aliæ quàm Virgines, & mulieres honeſtæ vitæ,& famæ in Moniales dicti Monaſterii à quoquam quavis auctoritate fungente, & quocumque etiam Cardinalatus honore fulgen. admitti, vel recipi non valerent, cum irritantis appoſitione decreti, prout in ſingulis dictorum Pauli III. Julii etiam III. ac Gregorii XIII. prædeceſſorum, & Raynucii Cardinalis litteris deſuper confectis plenius continetur.

*Sed du- tum ſu- Protector Congreg. habitu nimetu gimen & maſter. mutatur de qua ſuprà.*

§.5. Cum autem,ſicut nuper accepimus,quantum Monaſterium hujuſmodi à primævo illius ſtatu, in bonitate & obſervantia creverit,ad honorem Omnipotentis Dei, & dictæ Vrbis utilitatem, non ſine vigilanti cura pro tempore exiſtentis Protectoris, & Congregationis prædictæ,& quomodo in dies magis & magis hoc opus creſcat, etiamſi à Rodulpho Cardinali, & aliis pro tempore exiſtentibus Protectoribus uſitatum ſciamus in univerſum per ſe, & dictam Congregationē hujuſmodi & Monaſterium, in ſpiritualibus & temporalibus regi, & gubernari, ſtatuta ad id neceſſaria & opportuna conden. mulieres ad monachan. Virgines educan. recipien. moniales prædictas examinan. illiſque habitum exhiben. ad profeſſionem recipien. licentiaſque ingrediendi dictum Monaſterium eiſdem virginibus, & quibus opus eſſet conceden. per ſe vel alium ab eo deputatum,confeſſarios eligen. & alia facien. geren. & exercen. quæ ſibi in præmiſſis omnibus, & ſingulis facultatibus conceſſa reperiuntur, vel quæ ſibi beneviſa forent, & quæ Ordinarii locorum ex forma Iuris, & Decretorum Concilii Tridētini facere ſoliti ſunt, facultatem habere. Tamen nonnulli nimium ſcrupuloſi de prædictorum poteſtate, & aliquibus ab eis geſtis vel gerendis dubitarunt, & dubitant, quærentes cauſam ex ipſiſmet facultatibus non admodum explicitis, & alias.

*Hic iden au- tor Protector Congregationis confirmat.*

§. 6. Nos omnem in præmiſſis dubitandi materiam removere cupien. ac dictarum literarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis haben. Motu proprio, ac ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine conceſſiones ac literas prædictas Apoſt. auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus.

*Innovat iterum concedit & amplius.*

§. 7. Et quatenus opus ſit, illas innovamus, & ad tollen. omne dubium, & alias ad omnem alium meliorem finem,& effectum, decernimus, & declaramus integrum & plenarium gubernium dicti Monaſt. Monialium ſpectare & pertinere,ad Protectorē pro tēpore exiſtentē dicti Monaſt. illique,ſeu Viceprotectori, vel ab eis deputādo licuiſſe & licere mulieres monachandas recipere, receptas probare, probatas examinare, examinatas in moniales admittere,vel rejicere,admiſſis habitū exhibere, & ad profeſſiones admittere,puellas ad educationē recipere, receptas intromittere,& retinere, retentas ſuis loco, & tempore dimittere,ipſiſque & aliis perſonis dictum Monaſteriū ingredi volentibus,pro rebus ac negotiis neceſſariis licentiam concedere, cōfeſſarios,& alios Miniſtros deputare,& demum omnia, & ſingula circa gubernium, & regimen dicti Monaſterii facere, gerere, & exercere, quæ in Monaſteriis Monialium ſuarum diœceſum Ordinarii locorum, tam in vim juris communis, quam dicti Concilii,& approbatæ conſuetudinis in dicta Vrbe reſpectivè facere ſoliti ſunt,conſueverūt,& poſſunt.Reſervata dilecto filio noſtro Hieronymo tit.S. Suſannæ preſbytero Card. Ruſticuccio nuncupato, & pro tempore exiſtenti Vicario noſtro in dicta Vrbe, & ejus diſtrictu generali d. Monaſterii viſitatione, & ita de cætero fieri, & obſervari volumus, & mandamus. Necnon Protectorē & Congregationem prædictos ad antiquum eorum ſtatum, & obſervantiam, & facultatem, quatenus opus ſit, reſtituimus,& plenariè reintegramus, ac reſtitutos & reintegratos eſſe ſtatuimus, & ordinamus.

*Clauſula præſervativa.*

§. 8. Necnon præſentes literas, & in eis contenta quæcumque valida, & efficacia fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & inviolabiliter obſervari debere,nec de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ defectu quovis quæſito colore,prætextu,vel ingenio notari vel impugnari,nec per nos & Sedem Apoſtolicam ullo unquam tempore revocari,aut alias illis derogari poſſe, & quoties illa revocari,aut alias illis derogari contigerit, toties in priſtinum

ſtatum

*ſtatuta reſtitui, & de novo, etiam ſub poſteriori data per ipſos Protectorem, & Congregationem eligen. concessa, & ſtabilita eſſe.*

Clauſula ... §. 9. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Card. ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

...gatio ...rarii. §. 10. Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. & ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Monaſterii, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Rom. Cur. Tribunalibus, Curiis, Magiſtratibus, Judicibus, præſertim dicto Vicario, & aliis quibuſvis perſonis, ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, formulis, & decretis, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis haben. illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

...An. 1. ...Iulii. Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Julii, Pont. noſtri anno 1.

---

## ...III. Confirmatio privilegiorum Ordinis Fratrum Cruciferorum, & communicatio gratiarum Ordinibus Religioſorum Mendicantium conceſſorum, & concedendorum.

*De hoc Ordine dixi ſup. in conſtitut. 1. Vrbani VIII.* Cùm anteceſſor.

...A. D. 1591. *GREGORIVS PAPA XIV.*

*Ad futuram rei memoriam.*

... ROmanus Pontifex Religioſis Altiſſimo famulantibus conceſſa privilegia nedum confirmare, ſed & alia Congregationum Regularium perſonis conceſſa ad eos quandoque extendere conſuevit, prout eorundem Religioſorum vota expoſcunt, & ipſe conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

...tio Con...tionis. §. 1. Sanè dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Congregationis Cruciferorum nobis nuper exponi fecerunt, quod cum eidem Congregationi, quæ per beatum Clerum inſtituta, & per fel. recordationis Alexandrum Tertium Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros reformata fuit, & in qua ad præſens quamplures ſacræ Theologiæ magiſtri, & verbi Dei Concionatores reperiuntur, diverſa privilegia, gratias, & indulta conceſſa, & per eoſdem ac alios Romanos Pōtifices, etiam prædeceſſores noſtros confirmata, & innovata fuerint, prout in diverſis literis deſuper confectis pleniùs continetur, cupiant Magiſter Generalis, & Fratres prædicti privilegia, gratias, & indulta hujuſmodi, pro illorum ſubſiſtentia firmiori per nos confirmari, & approbari, necnon alia, tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, ac eorum Monaſteriis, domibus, & locis ac perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices, & præſertim piæ mem. Pium V. prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſa privilegia, facultates, & gratias, ad dictam Cruciferorum Congregationem, illiuſque Fratres, & perſonas extendi, illaque eis communicari. Quare pro parte Magiſtri Generalis, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum deſiderio annuere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

...ificis cō... ...atio in... ...rum, & ...lgentia... ...Ordinis, ...tenus ...in uſu, ...Concilio §. 2. Nos igitur Congregationem Cruciferorum prædictam, ejuſque Fratres, & perſonas quaſcumque, ob eorum regularem diſciplinam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac ſingulorum privilegiorum, & gratiarum, ac literarum deſuper confectarum hujuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, facultates, exemptiones, libertates, immunitates, indulta, indulgentias, cæteraſque gratias ſpirituales, & temporales dictæ Congregationi Cruciferorum, omnibuſque & ſingulis illius tam virorum quam mulierum Monaſteriis, Hoſpitalibus, domibus, & Conventibus, necnon illorum Prioribus, Superioribus, Officialibus, & perſonis, tam in genere quàm in ſpecie, ac alias quomodolibet, & quandocumque, tam per prædictos quam alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſa, necnon deſuper confectas literas, & ſcripturas quaſcumque, quatenus in uſu ſint, & decretis Concilii Tridentini non adverſentur, Apoſtolica auctoritate tenore Præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerunt in eiſdem, ſupplemus: & nihilominus pro potiori cautela, illa omnia dictæ Cruciferorum Congregationi, ſinguliſque illius Monaſteriis, Hoſpitalibus, Domibus, Conventibus, Prioribus, & Superioribus, & perſonis, eiſdem auctoritate, & tenore de novo concedimus. *Tridentino non contraveniant. In quoad indulgentias vide revocationem, & novam conceſſionem S. D. N. Pauli V. conſt. 10. Romanus.*

§. 3. Et inſuper omnia & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, cæteraſque gratias, ſpirituales & temporales, ac tam conjunctim quam diviſim, & alias quomodolibet quibuſvis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Congregationibus, ac tam virorum, quam mulierum Monaſteriis, domibus, & regularibus locis in quibuſcumque mundi partibus conſiſtentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, & perſonis per dictum Pium Quintum, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem eandem, etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut aliàs conceſſa, decretis ejuſdem Concilii minimè contraria, ac quibus ſingulæ Congregationes prædictæ, earumque Monaſteria, domus, & loca, ac Superiores, Fratres, Monachi, & perſonæ hujuſmodi, de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alia quacumque auctoritate, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ad prædictam Cruciferorum Congregationem, ita ut illa, ejuſque tam virorum quam mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, Conventus, ſeu regulares domus, illorumque Priores, Superiores, Officiales, Fratres, miniſtri, & aliæ perſonæ nunc, & & pro tempore exiſtentes, præmiſſis omnibus, & ſingulis æquè, ac pariformiter, & ſine ulla prorſus differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè poſſint, ac ſi illa dictæ Cruciferorum Congregationi, illiuſque Monaſteriis, Hoſpitalibus, Conventibus, & domibus Regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, miniſtris, & aliis perſonis prædictis ſpecialiter, & expreſsè, ac principaliter, non autem ad inſtar, conceſſa, ac præſentibus de verbo ad verbum inſerta fuiſſent, auctoritate & tenore prædictis perpetuò extendimus, illaque omnia, & ſingula dictæ Cruciferorum Congregationi, illiuſque Monaſteriis, Hoſpitalibus, Conventibus, ac Regularibus domibus, necnon Prioribus, Superioribus, Officialibus, Fratribus, miniſtris, & perſonis prædictis quibuſcumque communicamus. *Communicatio privilegiorum quibuſvis Ordinibus Mendicantium conceſſorum, & concedendorum, quatenus, &c.*

§. 4. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſula ſublata, &c.*

§. 5. Quocirca dilecto filio moderno & pro tempore exiſtenti Cruciferorum Congregationis Protectori, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicando, ac dictæ Cruciferorum Congregationis Fratribus, *Executorum deputatio.*

tribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtendo, faciant auctoritate noſtra præſentes & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos quos ipſæ literæ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumque, etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari vel impediri. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, ac cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula cōtrariorum derogatoria.*

§. 6. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, Synodalibus, & generalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon mendicantium, & non mendicantium Ordinum, Congregationum, Monaſteriorum, & Regularium domorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur & infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§. 7. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Cruciferorum Congregationis, vel illius Protectoris obſignatis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 1. die 12. Iulii.*

Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Julii, Pont. noſtri anno primo.

---

## XIV. Confirmatio & declaratio juriſdictionis, & privilegiorum Rotæ Civitatis Maceraten. ſtatus Eccleſiaſtici.

*Hanc Rotam inſtituit Sixtus V. ut ſupra in ejus conſtitut.* 94. Romanus.

*Edita A. D. 1591.*

*GREGORIVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

Romanum decet Pontificem, æqui bonique ſupremum Aſſertorem, ad ea quæ per ejus prædeceſſores in ſubſidium, & utilitatem pauperum, in quibuſvis locis, ſed præſertim in Provinciis ſuæ, & Apoſtolicæ Sedis ditioni immediatè ſubjectis degentium, necnon faciliorem jurium ſuorum conſequutionem providè inſtituta fuerunt, ſollicitè intendere, ac ut firma, & illibata perſiſtant, efficaciuſque obſerventur, ſuæ confirmationis præſidio propenſiùs roborare. Si verò aliqua in alieni juris præjudicium tendere, aut diſcordiam, ac litium & diſſenſionum diſpendia afferre poſſe reperiuntur, ita declarationis ſuæ adminiculo elucidare, ac moderari, ut unicuique quod ſuum eſt remaneat, nec debita juſtitiæ adminiſtratio impediatur, ac aliàs deſuper diſponere, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

*Sixtus V. inſtituit Rotam in Civitate Maceraten. Status Eccleſiaſtici, ut ſupra in eius conſtitut. 94. Romanus.*

§. 1. Cum itaque felicis recordationis Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas ſub plũbo expeditas literas in ſubſidium & utilitatem pauperum Provinciæ noſtræ Marchiæ, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis, in Civitate Maceratenſi, quæ alias ſatis celebris & inſignis, ac ferè in medio dictæ Provinciæ, ac in Territorio fœcundo & amœno ſita, ſolitaque Sedes Legatorum exiſtit, unum Tribunal Audientiæ cauſarum, Rotam nuncupandum, quinque Judicum Juris utriuſque Doctorum, qui omnes, & ſingulas totius Provinciæ prædictæ, ac Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & aliorum locorum ſub eadem Provincia cōprehenſorum, necnon incolarum in illis habitantium cauſas, lites, & controverſias civiles, tam profanas, quàm Eccleſiaſticas, meraſque & mixtas, necnon etiam criminales, in quibus appellationi locus foret, tam in prima in Diœceſi, ac juriſdictione Maceraten. quàm in ſecunda, & ulterioribus inſtantiis in cauſis appellationis totius Provinciæ hujuſmodi cognoſcere, decidere, fineq; debito terminare, ac judicare poſsēt, & deberēt, motu proprio perpetuò erexerit, & inſtituerit.

*Ad ... etiam ... piſcopi ... vincu... lari ... ſit, ... Epiſc... queſti ... dari ... tionem ... in ... correcti... morum ... Congr... ſuper ... Epiſc... Rota ... buit.*

§. 2. Ac inter alia diſpoſuerit, quod Auditores Rotæ hujuſmodi, in cauſis appellationum, & gravaminum à ſententiis, & gravaminibus per Epiſcopos dictæ Provinciæ illatis, procedere, ac juriſdictionem habere poſſent.

§. 3. Cumque vigore, ſeu prætextu iſtius facultatis, Venerabiles fratres Epiſcopi dictæ Provinciæ conqueſti fuerint, prædictos Auditores, etiam in cauſis ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantibus, morumque correctionem concernentibus, ac in illis in quibus appellationi ſuſpenſivæ locus non eſt, proceſſiſſe.

§. 4. Ac proinde habito pro parte dictorum Epiſcoporum recurſu ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum deputatorum, literas eorum nomine, etiam de mandato noſtro decretas obtinuerunt, per quas Auditoribus mandabatur, ne in prædictis, & aliis Epiſcoporum eorundem cauſis procederent, prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.

*Civitas ... ceraten. ... Papã ... recurſum*

§. 5. Verùm ſicut nobis poſteà innotuit, & dilecti filii homines Provinciæ Marchiæ, necnon Communitas Civitatis Maceraten. prædictarum, per dilectos filios Phœbum Rotundum Provinciæ, & Antonium Franciſcum Pellicanum, Nicolaum Hercolanum, & Volumnium Picutium, Civitatis Maceraten. hujuſmodi Oratores ad gratulandum nobis, ac præſtandam debitam obedientiam deſtinatos, quos libenter audivimus, nobis exponi fecerunt, literas dictæ Congregationis ipſis, & prædicto Tribunali, ac privilegiis, & facultatibus illius Judicibus conceſſis, grave damnum, & præjudicium inferre.

*Qui ... Rota ... tatē ... git ... dictas ap... lationes.*

§. 6. Idcircò Nos, quibus in primis ſemper cordi fuit juſtitiam unicuique æqua lance adminiſtrare, ac Epiſcoporum decori ſimul, & pauperum ſubditorum noſtrorum commodis & utilitati conſulere, lites & differentias, quæ occaſione literarum prædictæ Congregationis exoriri poſſent præcidere, eaſque moderari, & elucidare, ac aliàs in præmiſſis omnibus de opportuno remedio ſalubriter, & maturè providere volentes, ac literarum earundem tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes. Motu proprio, non ad hominum, aut Communitatis vel Oratorum prædictorum, ſeu alicujus ipſorum, aut cujuſvis, ſeu quorumvis aliorum pro eis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiā, ſed de mera voluntate, & matura deliberatione, ac ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, & declaramus, modernos & pro tempore exiſtentes Auditores Rotæ, ac Tribunalis totius Provinciæ Marchiæ hujuſmodi, etiā vigore dictarum literarum Sixti prædeceſſoris cauſas appellationum, ſeu recurſus, & querelas, quæ ab Ordinariis locorū dictæ Provinciæ, circa ea quæ pertinent ad Viſitationē, aut morum correctionem interponuntur, cognoſcere, ac etiam in iis caſibus, in quibus ab eorundem Ordinariorum decretis, ſeu interlocutoriis ſententiis, aut ordinationibus, ex forma Sacrorum Canonum, & decretorum Concilii Tridentini, necnon etiam Conſtitutionum Apoſtolicarum appellationes, recurſus, & querelæ, quoad effectū ſuſpenſivum prohibentur, procedere non poſſe, nec debere, ac Rotam & illius Auditores prædictos in iſtis caſibus nullam prorſus juriſdictionem habere. Inhibitiones quoque in hujuſmodi cauſis per eoſdem Auditores conceſſas, & concedendas, cum proceſſibus, ac omnibus inde ſecutis, nullius roboris vel momenti fore, & eſſe.

*In reliq... verò ejus ... riſdictione ... & indulta confirmat.*

§. 7. In reliquis verò omnibus & ſingulis erectionē, ac inſtitutionem prædictæ Rotæ, necnon privilegia, facultates, & indulta quæcumque, eidem Rotæ, ejuſque Auditoribus, ſeu Judicibus, necnon Notariis, Curſoribus, ac aliis Officialibus & perſonis per literas ipſius erectionis, ac

aliàs

alias quomodolibet conceſſa, eaſdemque literas, necnon omnia, & ſingula capitula, ordinationes, reformationes, & ſtatuta, cæteraque in vim literarum erectionis hujuſmodi, ac facultatis ad hoc in illis attributæ, etiam circa taxas, mercedes, ac ſalaria eorundem officialium facta, & in eis contenta quæcumque Apoſtolica auctoritate prædicta perpetuò approbamus, & cōfirmamus, ac eis plenariæ, & inviolabilis firmitatis Apoſtolicæ robur adjicimus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, omneſque & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui in præmiſſis quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*...ſ. pra-...ivas ...uit.* §.8. Decernentes erectionē Rotæ hujuſmodi, ac privilegia, facultates, indulta, & alia præmiſſa valida & efficacia eſſe, & perpetuò fore, ſuoſq; plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus quos cōcernunt & cōcernent quomodolibet in futurū inviolabiliter perpetuò obſervari, ſicq; ab omnibus cenſeri, atque ita per prædictos, & quoſcumque alios Judices ordinarios vel delegatos, etiam cauſarum noſtri Palatii Apoſtolici Auditores, eorūque Locatenentes, ac ejuſdem S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, necnon Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes & Clericos, aut quoſvis alios, ſublata eis & ipſorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique locorum judicari, definiri, & interpretari debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*...utorem ...rotecto- ...deputat.* §.9. Quocirca dilecto filio Henrico tituli Sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali Caetano nuncupato, Camerario noſtro moderno, & pro tempore exiſtenti Rotæ & Auditorum, Privilegiorumque & indultorum prædictorum Protectori, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe vel alium, ſeu alios, eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicans, ac Rotæ, ac ejus Auditoribus, necnon officialibus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, ipſas præſentes literas, ac in eis contenta hujuſmodi debitæ executioni demandet, ac demandari faciat, necnon ab illis omnibus quos illæ concernunt, inviolabiliter perpetuò obſervari faciat, mandet, atque procuret, non permittens Auditores, Notarios, Curſores, ac alios Officiales Rotæ, necnon Homines Provinciæ hujuſmodi deſuper per quoſcumque, contra præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel impediri, Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis, non parentes, per ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, & alias pœnas, cæteraque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulas ...atorias ...uit.* §.10. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cameræ, & Provinciæ, Civitatum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ac uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam illis, ac quibuſvis ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, ac formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu pari, ac aliàs in contrarium quomodolibet facientibus, ac conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa, & individua mentio habenda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie Motu ſimili derogamus, cæteriſque cōtrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus cōmuniter vel diviſim ab Apoſt. ſit Sede indultū, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtol. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*...l. An. 1. ...1. Iulii.* Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Julii 1591. Pontificatus noſtri anno 1.

## Diſpenſatio Societatis Jeſu, recipiendi Novitios, etiam non ſervata forma conſtitutionis à Sixto Quinto deſuper editæ. XV.

*Hæc Sixti V. conſtit. eſt 71. Et de materia hujus Societatis plenè dixi ſupr. in conſtitut. 25. Pauli III.* Regimini.

*GREGORIUS PAPA XIV.* *Edita A. D. 1591.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Claudius Aquaviva, Societatis Jesu Præpoſitus Generalis, quod cum in ipſa Societate, juxta illius inſtitutum Apoſtolica auctoritate confirmatum, nec Conventus, ſeu Congregationes generales niſi ad Præpoſitū Generalem eligendū, & alias rariſſimè, & ex cauſis tantum magni momenti: neq; Provinciales in quibus juxta fel. rec. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri priorē de Novitiis admittendis conſtitutionem, quæ incipit: Cum de omnibus, Novitii ipſi admitti deberent, frequentiùs quam ſingulis trienniis cogantur. Et dum hæ coguntur, duodecim ad ſummum dies durare, in quibus non de Novitiis admittendis, ſed graviora alia, juxta Societatis ejuſdem conſtitutiones, tractari debent. Ratio verò deputandi eos, qui Novitios extra congregationes ipſas, juxta poſteriorem ejuſdem prædeceſſoris declarationem, admittere poſſint, primum quidem valde difficulter, & incommodè in praxim deduci poſſint, præſertim in regionibus Aquilonaribus, & Ultramarinis, propter magnam Collegiorum inter ſe diſtantiam, & ſæpiſſimè etiam propter itinerum difficultates, bellaque, & alia pericula. Denique etiam in univerſum modus ille minus exactus ſit eo modo, quem Societas ipſa ſequitur, cum in illo duo vel tres deputati ſufficiant, in hoc plures communiter interveniāt. Et poſtremò, cum ratio illa decernendi valde differat à modo quem Societatis conſtitutiones, & Apoſtolica diplomata in deliberationibus faciendis, ac univerſa illius gubernatione præſcribunt, juxta quem modum Superior (auditis in rebus alicujus momenti Conſultoribus) decernit quod ſibi ad majorem Dei gloriam facere videtur. Admiſſio autem illa per deputatos, cum ad eorum ſuffragia non conſultivè (ut ſunt in Societate) ſed deciſivè fieri debeat, diverſitatem non parvam in Societatem inducit. *Propoſitio cauſarum ob quas Societas Ieſu obſervare nequit conſt. Six. de Novit. recept. quæ eſt ſup.*

§. 1. Quare nobis humiliter ſupplicari fecit dictus Claudius quatenus ſtatui, & indemnitati dictæ Societatis conſulentes, in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Supplicatio Præpoſiti pro habenda deſuper proviſione.*

§.2. Nos igitur, qui Societatem prædictā, propter ejus in Eccleſia Dei uberes fructus ſinceris ſemper amplexi ſumus affectibus, atque ut uberiores in dies proferre valeat, integram, & intactam illi ſuos Novitios admittendi, & tam cum illis, quam cum veteranis illegitimis diſpenſandi facultatem ſervari cupimus, prædictum Claudium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cēſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Societati prædictæ, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, tam in Novitiis, etiam cujuſvis generis illegitimis admittendis, quàm in diſpenſationibus ad quælibet officia, gradus & dignitates in Societate obtinendas, ipſis cujuſvis generis illegitimis cōcedendis formam, & rationem omnimodam in illius Apoſt. diplomatis, ac privilegiis quibuſvis, necnon & in conſtitutionibus, decretis, & regulis expreſſam liberè, & licitè proſequi, & retinere valeat, Apoſtolica auctoritate decernimus, & quatenus opus ſit, etiam de novo concedimus, & indulgemus, eamque perpetuò obſervari volumus, & mandamus. *Pontificis diſpenſatio recipiendi novitios, & cum eis diſpēſandi, &c. Quoad ultimam partem vide conſtit. Clem. VIII. num. 115. Quæcumque.*

§.3. Prædictis, ac noſtra nuper edita, quæ incipit: Circumſpecta, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis non obſtantibus quibuſcumque. *Derogatio contrariorū.*

§.4. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu dictæ Societatis Secretarii, aut Notarii *Fides tranſum. ...*

tarii publici ſubſcriptis, ac perſonæ alicujus in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Præpoſiti Generalis pro tempore exiſtentis ejuſdem Societatis ſigillo munitis eadem prorſus fides ubique locorum in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat.P.A.I. die 30. Aug.* Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1591. Pont. noſtri anno 1.

---

## XVI. Confirmatio gratiarum, & privilegiorum Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, Congregationis S. Bernardi in Italia, regularis obſervantiæ. Et communicatio omnium indultorum aliis Congregationibus d. Ordinis conceſſorum, & concedendorum.

*Iſtam Congregationem inſtituit Alex. VI. ſupr. in conſtitut.* 7. Plantatus, *ubi plenè notavi.*

Quæ autem ſint privilegia Ordinis Ciſtercienſis, tibi indicavi ſup. in conſt. 1. Paſcal. 2. *Deſiderium.*

*Edita A. D. 1591.* *GREGORIVS PAPA XIV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* ROmanus Pontifex Religioſorum Congregationibus, illarumque perſonis ſub Regulari reformatione Altiſſimo famulan. à Sede Apoſtolica conceſſa privilegia nedum confirmare, & approbare, ſed & alia aliorum Ordinum Regularibus perſonis, & locis conceſſa, ad eos quandoque extendere conſuevit, prout eorundem Religioſorum vota expoſcunt, & ipſe conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Petitio Congregationis Sancti Bernardi, pro confirmatione gratiarũ à Summis Pont. ei conceſſarum, & pro communicatione indultorũ aliarum Congregationũ Ordinis Ciſtercienſis.* §. 1. Sanè dilecti filii Præſidens, Definitores, Viſitatores, Abbates, & Priores Congregationis S. Bernardi in Italia, Ciſtercienſis Ordinis, Provinciarum Tuſciæ, & Lombardiæ, nobis nuper exponi fecerunt, quod cum alias per fel. rec. Alex. VI. Julium II. Greg. XIII. Sixtum V. nonnulloſque alios Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, & ſeu Sedem prædictam diverſa privilegia, & indulta dicto Ordini Ciſterc. ac eidem Cõgregationi S. Bernardi, ejuſque Monaſteriis, Domibus, ac Præſidenti, Definitoribus, Viſitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & perſonis generaliter, & particulariter conceſſa, & ſeu forſan confirmata, approbata, & innovata fuerint, prout in literis Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur. Cumque aliæ ſint ejuſdem Ordinis Ciſtercien. Congregationes & Monaſteria in diverſis Mundi partibus conſiſtentia, & omnia ſint unius corporis membra, & inſtituti, cupiunt Præſidens, Definitores, Viſitatores, Abbates, & Priores prædicti privilegia, gratias, & indulta hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, per nos confirmari, & approbari, necnon alia eidem Ciſtercien. Ordini, ejuſque ſingulis Congregationibus, Monaſteriis, domibus, & locis illorum, illarumque Generalibus, Abbatibus, Præſidentibus, Superioribus, Capitulis, Officialibus, & perſonis conceſſa privilegia, facultates, & indulta ad dictam Congregationem S. Bernardi in Italia, illiuſque Monaſteria, Domos, & loca, ac Præſidentem, Definitores, Viſitatores, Abbates, Priores, & perſonas, & utrumque eorum extendi, illaque eis communicari. Quare pro parte dictorum Præſidentis, Definitorum, Viſitatorum, Abbatum, & Priorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum deſiderio annuere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Confirmatio Pontificia omnium gratiarũ à quibuſcumque conceſſarum d. Congreg. S. Bernardi.* §. 2. Nos ſingulorum privilegiorum, gratiarum, & indultorum, ac deſuper confectarum literarum hujuſmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, necnon Præſidentem, Definitores, Viſitatores, Abbates, & Priores, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cẽſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula cujuſvis generis privilegia, prærogativas, conceſſiones, facultates, exemptiones, libertates, conſervatorias immunitates, indulta, ac indulgentias, etiam plenarias, & peccatorũ remiſſiones, cæteraſque gratias, ſpirituales, & temporales, etiã per modum communicationis, & extenſionis, Ordini Ciſtercien. & Congregationi S. Bernardi hujuſmodi, illorumque Monaſteriis, Domibus, locis, rebus, & bonis, ac Abbati Generali, & Præſidenti, Definitoribus, Viſitatoribus, Capitulis, Abbatibus, Prioribus, Officialibus, Miniſtris, Monachis, ac illius ſingularibus perſonis, & cuilibet eorum, tam in genere vel in ſpecie, & tam conjunctim quàm diviſim, aut aliàs quomodolibet tam per prædictos, & quoſcumque alios Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros, & ſeu Sedem eandem, quàm etiam Imperatores, Reges, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quoſcumque, etiam ad quorumvis inſtantiam conceſſa, necnon deſuper confectas literas, & ſcripturas quaſcumque Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, & facti ſolemnitatum quarumcumque quomodolibet omiſſarum, alioſque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

*Ista conceſ... rundem ... tiarum...* §. 3. Eaque omnia, & ſingula in eis contenta, ac comprehenſa, cum illorum extenſionibus, communicationibus, & ampliationibus dicto Ordini, & Congr. S. Bernardi in Italia, ſinguliſque ejus Monaſteriis, Domibus, locis, rebus, & bonis, Abbatique Generali, & Præſidenti, Definitoribus, Viſitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Superioribus, Prælatis, Officialibus, Miniſtris, & perſonis, eorumque Capitulis, etiam Generalibus, & cuilibet eorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam de novo, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuò concedimus.

*Com... catio ... cumque ... dultori... Ciſterci... quomoli... conceſſ... & conc... dorum ... quanti... Congreg... S. Bern... expedit... eius Ord... tionibus ... ſint cõm...* §. 4. Et inſuper omnia, & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, juriſdictiones, antelationes, favores, facultates, declarationes, diſpenſationes, conſervatorias, immunitates, exemptiones, libertates, præeminentias, & indulta, cujuſvis generis exiſtentia, necnon indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, cæteraſque gratias, ſpirituales, & temporales, tam eidem Ciſterc. Ordini, ejuſque Capitulo, & Abbati etiam Generali, ac quibuſvis illius, etiã quatuor primis Abbatibus, ſcilicet Clarævallis, Morimundi, Pontigniaci, & Firmitatis, quã etiam ejuſdem Ordinis Congregationibus in Regnis Hiſpaniæ, Portugalliæ, ac quibuſvis aliis, eorumque & aliorum, tam virorum quàm mulierũ Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, locis, rebus, & bonis, necnon Capitulis eorum, etiam Generalibus, Definitoribus, Abbatibus, & aliis quibuſvis eorum Superioribus, Prælatis, Officialibus, Miniſtris, Monachis, Novitiis, Fratribus, & Converſis, ac perſonis quibuſcumque, tam in Urbe quàm quibuſcumq; mundi partibus conſiſtentibus, etiam illorum, & illarum intuitu, aut alias quomodolibet, & ſub quacumque forma, & expreſſione verborum conceſſa, & concedenda, ac quibus de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, Regia, Imperiali, Epiſcopali, in genere vel in ſpecie, ac tã conjunctim, quàm diviſim, etiam per viam communicationis, & extenſionis, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet poſſunt, & poterunt in futurum, etiamſi talia ſint vel fuerint, quæ ſpecialem, & individuam requirerent mentionem, ſeu in præſentibus de verbo ad verbum inſertionem, ſeu particularem conceſſionem, ad prædictam Congregationem S. Bernardi in Italia, illiuſque Monaſteria, Domos, loca, res, & bona, necnon Præſidentem, Definitores, Viſitatores, & Capitula, Abbates, Priores, Officiales, Miniſtros, Monachos, & ſingulares perſonas, ita quod dictæ Congregationis S. Bernardi Monaſteria, Domos, loca, Conventus, & Capitula, etiam generalia, Præſidens, Definitores, Viſitatores, Abbates, Priores, Officiales, Miniſtri, Monachi, Novitii, Fratres, Converſi, donati, oblati, & aliæ illius ſingulares perſonæ, ac eorũ res, & bona, ſub eorum cura, & ſecundùm ejuſdem Congregationis inſtituta nunc & pro tempore viventes, & exiſtentia, præmiſſis omnibus, & ſingulis æquè pariformiter, & abſque ulla penitus differentia, perinde ac ſi illis, & eorum ſingulis principaliter, ſpecialiter & expreſsè, ac nominatim, & non ad inſtar conceſſa fuiſſent (in quantum eidem Congregationi

gregationi expediat, ejuſque gubernio, privilegiis, conſtitutionibus, & definitionibus non adverſentur) uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuò extendimus, illaque omnia, & ſingula præmiſſa eis, & eorum cuilibet eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò communicamus, & concedimus.

*ſula ... &c.* §.5. Decernentes, ſic & non aliter per quoſcumque Judices, quavis auctoritate fungen. etiam locorum ordinarios, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, Vicelegatos, Sedis Apoſtolicæ Nuntios & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*...ſorum ...ntorū ... bulla ...atio.* §.6. Et nihilominus dilecto filio noſtro ipſius Congregationis S. Bernardi in Italia moderno, & pro tempore exiſten. S.R.E.Card. Protectori, ac Venerabili Fratri Epiſcopo Papien. necnon dilecto filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præſidentis, Definitorum, Viſitatorum, Abbatum, & Priorum prædictorū, aut alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter obſervari, ac plenum effectum ſortiri, necnon Præſidentem, Definitores, Viſitatores, Abbates, Priores, alioſque prædictos & eorum ſingulos omnibus præmiſſis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, & eorum quemlibet deſuper contra præſentium tenorem, ſub quovis prætextu, etiam ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, & etiam defectu intentionis noſtræ per quoſcumque quomodolibet moleſtari, perturbari, vel impediri. Contradictores quoſlibet & rebelles, etiam per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*...atio ...m con... ...rum.* §.7. Non obſtantibus noſtra de non conceden. Indulgentiis ad inſtar, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. etiã prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dictis S. Bernardi in Italia, & aliorum, aliarumque Congregationum dicti Ordinis prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus, & decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Legatis, Nuntiis, & Ordinariis, ac Congregationibus, & Ordinibus prædictis, illorumque Abbatibus, etiam generalibus, aliiſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus ac formis, etiam in illarum fundationibus, & erectionibus obtentis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie per quoſcumque Rom. Pont. ſimiliter prædeceſſores noſtros, ac nos, Sedemque Apoſtolicam prædictam, etiam Motu ſimili, & Conſiſtorialiter, aut alias quomodolibet conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, etiamſi in eis caveretur expreſsè, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, illorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ad effectum præmiſſorum derogamus, illiſque ad plenum derogatum eſſe volumus, & derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.8. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus ex ſcribis prædictorum Abbatum, aut Prælatorum, aut Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Monaſterii dictæ Cõgregationis S. Bernardi in Italia, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis eadē prorſus fides in judicio & extra illud, ac ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Fides danda tranſumptis hujus bullæ.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Septembris 1591. Pontificatus noſtri anno 1. *Dat. P. A. 1. die 6. Sept.*

---

## Approbatio Regulæ Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis, cum gratiarum, & privilegiorum conceſſione. XVII.

*Congregationem iſtam confirmavit Six. V. ſup. in ejus conſt.* 25. Ex omnibus. *Et hanc regulam reformavit Clemens VIII. infra in conſtit.* 78. Superna.

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1591.*

ILlius qui pro gregis dominici ſalute in ara Crucis immolari non abnuit, vices, quamvis immeriti, gerentes in terris, curis urgemur aſſiduis, & cõtinua meditatione pulſamur circa ea quæ pro pauperum Chriſti infirmorū neceſſitatibus nedum corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus adjuvãdis in hac Urbe noſtra piè inſtituta ſunt, omni ſtudio intendere, & quæ propterea providè facta fuiſſe dicũtur, ut firma perpetuò, & illibata perſiſtãt, Apoſtolico munimine roboramus, & ut ad præmiſſa peragenda Chriſti fideles libentiùs concurrant, fideles ipſos ſpiritualibus muneribus proſequimur, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, ac charitatis, & miſericordiæ fervor in dies amplius augeatur in eis, aliaque deſuper concedimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. *Proœmium.*

§.1. Cum itaque dudum fel. rec. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, certis cauſis adductus, ex certa ſua ſcientia Congregationem ſub vocabulo, ſeu nomine Miniſtrantiū Infirmis, in Urbe tunc conſtitutam, per ſuas in forma Brevis deſuper confectas literas perpetuò approbaverit, & confirmaverit, prout in ipſis literis pleniùs continetur. *Sixtus V. Cõgregationem approbavit in conſt. cit. in rubr.*

§.2. Et ſicut accepimus, dilecti filii Camillus de Lellis, modernus ipſius Congregationis Præfectus, & alii ejus ſocii cupientes in charitatis vinculo perſiſtere, & majori cum animi quiete Deo ſervire, & ad perficiendam, & cõſervandam eorum Congregationis in Chriſto unionem, quandam vivendi formulam juxta ea quæ ad propoſitum ſibi finem conducere uſu didicerunt, ediderint, factumque ſit, ut eorundem Camilli, & ſociorum vitæ inſtitutum, ſub dicta formula comprehenſum, fidelibus gratum, & acceptum, ac ad proximi ſubventionem adeò utile, & neceſſarium exiſtat, & ipſa Congregatio numero ſociorum admodum creverit, & quamplures Chriſti fideles ſummo deſiderio, & affectu in dictam Congregationem recipi, & admitti plurimùm exoptent. *Congregatio poſtea Regulã conſtituit.*

***Formulæ autem prædictæ tenor ſequitur, qui talis eſt.***

§.3. QUiſquis decrevit ſe hujus charitatis muneri in perpetuum addicere, ſtatuat ſe mundo, rebuſque omnibus ſæculi eſſe mortuū, & Chriſto ſoli vivere, ſeque nobis aggreget, ut admiſſa peccata expiet, ſub jugo ſuaviſſimo perpetuæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, & ſub perenni miniſterio ægrotantium, quos etiã peſtis inceſſerit, non ſolum in Noſocomiis, ſed etiam in Carcerum valetudinariis, ubi ægroti magna tam corporalium quàm ſpiritualium rerum anguſtia premũtur. Ac de his univerſis (Deo adjuvante) præcepta dabuntur in Conſtitutioni- *Cujus tenor hic inſeritur.* *De quatuor votis. Ad hæc vide bullã Clem. VIII. cit. in rubr.*

bus

bus ſuo tempore edendis, quibus ſub ullius peccati pœnis obſtringi non intendimus, iis tamen exceptis ad quæ obſervanda votorum vinculis obligamur.

*Paupertate.*

§.4. Paupertatem noſtram ita interpretamur, ut Religioſorum ſit paupertas mendicantium eorum, qui nec ſinguli, nec univerſi fructus ullos, ac redditus capiant, quæ verò neceſſaria erunt, ea ex humili exercitio oſtiatim emendicandi, vel ex eleemoſynis nobis ſponte oblatis comparabimus, nemo per ſe, & arbitratu ſuo quæritabit, ſed ii ſoli quibus ob communem uſum ab obedientia id oneris imponetur.

*Generalis & Conſultorum officio.*

§.5. Totius Congregationis ſuperior, Præfectus Generalis appellabitur, cujus officium perpetuum quoad vivet. Socios autem habebit quatuor, qui Conſultores dicentur. Creabuntur autem hi cum Congregatio majorem numerum erit nacta idoneorum hominum, iique pariter officium perpetuum gerent dum Generalis Præfectus erit ſuperſtes. Votum eorum æquè ac Præfecti, deciſivum erit, præterquam quod Præfectus duplex habebit, ſinguli illi ſimplex. Nihil eorum, de quibus ſecundum conſtitutiones factas, aut faciendas, cum Conſultoribus decernendum eſt, ſtatuetur, niſi de illorum conſilio, & ſententia: major verò pars ſententiarum vincet. Ne autem ex ſententiarum æqualitate res in dubium veniat, ad id vir gravis de Congregatione deputetur, qui voto ſuo (prout neceſſitas poſtulaverit) alterius quam meliorem cenſuerit, partis numerum augeat. Præfectus unà cum ſociis poteſtatem habebit, tum interpretandi, & ea explicandi, de quibus ſuper inſtituto noſtro (quod hic ſummatim comprehenditur) dubitatio fuerit orta, tum conſtitutionum ad optimam Congregationis diſciplinam faciendarum. Conſtitutiones autem experiendo primum atque utendo expendentur, deinde à Capitulo, ſive Congregatione generali, prout expedire videbitur, admittentur. Præfectus Generalis, ac ſocii, Præfectos aliorum locorum, ubi Congregatio ſedem habuerit, & Provinciales, & Viſitatores, quos oportuerit, eligent.

*Generalis electione, & votis ab eo emittendis.*

§.6. Electio verò Generalis Præfecti, & Conſultorum poſthac in Congregatione generali facienda eſt. In præſens quidem Generalis creabitur ſuffragiis majoris eorum partis, qui nunc Crucem gerunt, ac juxta formam ſtatuendam. Idem ſtatim ac renuntiatus Generalis fuerit, quatuor votorum profeſſione, obedientiæ ſcilicet, paupertatis, caſtitatis, & quod præcipuum hujus inſtituti ſcopum continet, perennis (ut dictum eſt) miniſterii ægrotantium ſolemniter ſe obſtringet, tumque apud ipſum, aut eum cui is hoc negotii dederit, eodem modo profitebuntur omnes qui ſpecimen ſui dederint, & idonei, ac digni judicati fuerint.

*Officio miſſorum ad Hoſpitalia. Hoc latius eſt diſpoſitum in conſtitut. Clem. VIII. ut in rubr.*

§.7. Volumus autem noſtros in Noſocomiis, cum Superiorum ſuorum juſſu, (conſentientibus eorundem Noſocomiorum Præfectis) mittentur, ita operam navare, ut nulla publica officia, magiſtratuſve, aut reddituum adminiſtrationem in iis ſuſcipiant, verùm omnes curam ægrotorum, tum corporis, tum animæ gerant; & aliquot ex ipſis nocturnas excubias diurnaſque ibi ducant, atque ægrotis agonizantibus, donec ex hac vita migrent, nuſquam deſint. Quod ſi nobis, ut cæteris pauperibus Noſocomiorum patroni, aut adminiſtratores aliquid eleemoſynæ, ſive quotidianæ, ſive menſtruæ, ſive annuæ, ſive in plures annos largiri voluerint, Congregatio noſtra jus nullum habeat id exigendi, ſed quæ dabuntur liberaliter cum gratiarum actione accipiet. Nos enim curæ ægrotorum incumbimus nulla mercede vel ſpe temporali adducti, ſed ex inſtituti noſtri obligatione.

*Munerum receptione prohibita.*

§.8. Itaque ab ægrotis Hoſpitalium nulla munera, nihil pecuniæ, nullam omninò rem noſtri capiant, ac ne per ſubmiſſas quidem perſonas. Legata ab iis, qui in Noſocomiis defuncti fuerint, in rem noſtram relicta non admittantur.

*Officiales in Hoſpit. quando recipiendi in Congr.*

§.9. Qui in Hoſpitalibus ſunt Noſocomiorum Officiales, & famuli, in Congregationem noſtram non recipiantur ſine aſſenſu eorum, qui illis in locis præfecti ſunt.

*Infirmorum extra Hoſpit. viſitatione, & curatione.*

§.10. Experiendo didicimus, plurimis maximiſque difficultatibus, & incommodis, animæ præſertim, eos conflictari, qui extra Noſocomia, & Carceres in aliis locis ægrotant, ac potiſſimùm tenues, & plebeios homines, exterpſque qui in conducto degunt. Quare volumus (adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto) à noſtris eos inviſi, & iis, quoad fieri poterit, adhiberi conſolationem, exhortationem, & alia hujuſmodi juxta Conſtitutiones edendas: priuſquam verò illi ſenſuum uſum amittant, adducantur, pro cujuſque conditione, & natura, ad proteſtationes ſecundum formam Eccleſiæ Sanctæ faciendas, cumque ingraveſcet morbus, diu noctuque apud eos excubent noſtri, animamque commendent, ac ſalutaribus monitis opitulentur, magnumque ponatur in eo ſtudium, ut hortationibus piis informentur, ne tentationibus ſuccumbant, & in illo formidoloſo vitæ exitu confortentur, ut benè, ac diligenter commendentur animæ.

*Emol... ab e... quæren...*

§.11. Caveant autem maximè, ne quiſquam eorum qui ad viſendos per ejuſmodi loca ægrotos, & ad charitatem iis præſtandam, opemque offerendam mittentur, ob labores ſuos ullum munus, aut rem, pecuniamve accipiat, nec ullam vel exiguam ſtipem atque eleemoſynam, ſed omnia ad ſolam Domini Dei gloriam, animarumque ſalutem fiant, atque adminiſtrentur. Quinimò ut noſtrarum utilitatum ratio omnis prætermittatur, nec quiſquam proprio emolumento ſtudeat, neutiquam noſtri ægrotis auctores ſint, neque conſilium dent, aut hortentur, ut aliquid erogent eleemoſynæ, aut teſtamentum faciant, aut legata relinquant in rẽ atque utilitatem noſtrã.

*Officii ... recitat...*

§.12. Propter multas inſtituti noſtri occupationes, qui noſtrûm ſacris ordinibus initiati erunt, divinum officium quotidie recitabunt, non in Choro, ſed privatim, ac ſigillatim: cæteri tertiam Beatiſſimæ Virginis Roſarii partem, vel ejus Officium parvum.

*Exim... à proc... bus.*

§.13. Proceſſiones etiam ſolemniſſimas, cæteraſque ſolemnitates (quibus piè alii Religioſi Ordines interſunt) ipſi non obibunt, ut liberiùs, magiſque aſſiduè ægrotis operam navent, quo in miniſterio perſeverare cupimus, immediatè ſubditi curæ, animadverſioni, ſpeciali protectioni, ac defenſioni Sanctiſſimi D. N. Papæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ.

*Oratio... Sacram... tumfr... tia.*

§.14. Ut autem ſpiritum noſtri recreent, ac paſcant, poſſintque tantam divinæ gratiæ ubertatem adipiſci, ut munera, & officia ſua cùm charitate exequantur, exercebunt ſe in oratione mentali & vocali, tum in examine conſcientiæ, ſeque ſæpiſſimè munient Sacramento confeſſionis, & communione corporis Chriſti, nonnullis item abſtinentiis, quæ omnia conſtitutionibus particulatim exponentur.

*Noviti... cipiend... Tu vi... lam C... VIII. ... rubr.*

§.15. Ac quoniam noſtris, ut alterius ſaluti conſulant, cum proximis aſſiduè converſandum eſt, volumus Novitios, ſecundum formam edendarum conſtitutionum jam admiſſos, præter accuratam examinationem per biennium ante probari quàm ad profeſſionem admittantur, qui à Præfectis, juxta modum in eiſdem conſtitutionibus ſtatuendum, idonei exiſtimati fuerint, exacto biennio, profitebuntur.

*Sacer... habitu... Hoc ha... Sixti ... cit. in ...*

§.16. Veſtis erit pauperum atque honeſtorum Sacerdotum nigri coloris, pallio autem, ac tunicæ dumtaxat, qui profeſſionem fecerint, aſſuetur ad dexteram Crux oblonga ad palmi menſuram, ex panno caſtanei coloris, qui vulgò taneus dicitur.

*Laicor... Sacerdo... numer... Tu vi... conſt. C... VIII.*

§.17. Noſtri inſtituti ratio poſtulat, ut longè major eſſe debeat Laïcorum quàm Sacerdotum numerus. Idcircò ſtatuimus eos tantum eſſe ſacris ordinibus deſtinandos, quos Præfectus Generalis, atque unà Conſultores, vel de eorum licentia alii Superiores, non aptos modò ad ipſos ſacros ordines, ſed etiam ad miniſterium noſtrum, ex conſtitutionum præſcripto congruentes, ac neceſſarios judicarint.

*Studenti...*

§.18. Idemque ſervandum decernimus erga Clericos qui ad ſtudium admittentur, ii verò in eo ſe ex ipſarum conſtitutionum regulis exercebunt, ut ita literis vacent, ne mortificationis, & ægrotorum juvandorum (prout Præfectis viſum fuerit) ſtudia omittant.

*Locis ... sionis.*

§.19. Propterea quod hæc exercitia cum diſciplina ſpirituali conjuncta, ærumnas, & incommoda afferunt, quodque gravia ſunt nobis, ac tetra loca frequentanda, experti ſumus, eorum tuendæ valetudinis cauſa, qui

his

his officiis in Domino functi fuerint, aliquo loco opus eſſe, ubi puro, libero, ac ſalubri aëre gravis odor, & putor conceptus purgetur, noſtrique è multis laboribus, ac vigiliis reſpirent, quem etiam locum deſtinari cupimus noſtris ex invaletudine ſe reficientibus, quo citius afflictæ vires recuperentur. Quare ejuſmodi locum habere Congregatio poterit, idque fore interpretamur ſalva, & integra cui dediti ſumus, paupertate: ejus autem loci qualitas conſtitutionibus definietur.

*...rum ...ime.*

§.20. Quibus præterea in Urbibus, & Oppidis Congregatio Novitios educabit, poſſit habitationem habere ſeparatam à profeſſorum domo.

*...rū cō-...is ſu-...idiarū ...rum.*

§.21. Cum autem, ſicut accepimus, in præmiſſis nihil, quod pium non ſit, aut ſalutare, reperiatur, nos ut Camillus, & Socii præfati in eorum pie vivendi propoſito eo promptiores reddantur, quo ſe majori Sedis Apoſtolicæ gratia, & favore complecti animadverterint, & præmiſſa dictæ Sedis patrocinio communiri, & corroborari viderint, providere volentes, ad Camillum & Socios prædictos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtūt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes. Necnon dictarum literarum Datam, ac præmiſſorum omnium, & ſingulorum veriores, etiam totos tenores, ac occaſiones, & cauſas ac circunſtantias, etiam hic de neceſſitate exprimendas, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Motu proprio, non ad dictorum Camilli, & Sociorum præfatorum, aut aliorum pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præmiſſa omnia, & ſingula, tanquam ad ſpiritualem profectum animarum pertinentia, & opportuna, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur, & patrocinium adjicimus, & apponimus, omneſque, & ſingulos, tam juris quàm facti, ac quarumcumque ſolemnitatum, etiam ſubſtantialium, hic forſan de neceſſitate exprimendarum, & inferendarum defectus perpetuò ſupplemus.

*Sedis prote... rece...*

§.22. Dictoſque Camillum, & ſocios, ac ipſam Congregationem, illiuſque membra omnia, nunc & pro tempore in quibuſvis locis conſiſtentia, ſub noſtra, & hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac Beati Petri ſpeciali, & immediata protectione ſuſcipimus, & admittimus.

*...tia ...ii ſu... ...a ...ur vo...*

§.23. Et nihilominus potiori pro cautela Camillo, & ſociis præfatis, ac eorum cuilibet, ut quandocumque eis viſum fuerit, poſſint prædicta ſubſtantialia religioſæ vitæ, paupertatis videlicet, caſtitatis, & obedientiæ, & perennis miniſterii ægrotantium vota, juxta præfatæ formulæ tenorem emittere. Et præfectus hac prima vice eligendus, in manibus cujuſcumque perſonæ in dignitate, ſeu adminiſtratione Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis ſolemniter profiteri, & tam ipſe, quam alii pro tempore exiſtentes Præfecti, & Socii ejuſdem Congregationis, ſub nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, in communi, & de communi viventes, in locis ſibi forſan jam conceſſis, vel in futurum concedendis, ſub dicta immediata, & ſpeciali protectione in unum habitare, & ex eis inter ſe Superiorem, Præfectum nuncupandum, eligere, ut præfertur, juxta eorum formulam hujuſmodi.

*...alios in ...onem ...endi.*

§.24. Et quoſcumque alios ſæculares Clericos quavis dignitate fungentes, ſeu Laïcos, qui Deo inſpirante ad hujuſmodi propoſitum, & communem vivendi modum ſeſe conferre, & conformare voluerint, recipere, & poſt approbationem, juxta prædictam eorum formulam, ad hujuſmodi votorum profeſſionem, in manibus eorum Superioris, ſeu Præfecti emittendam, & ad communem vivendi modum admittere.

*...utaque ...odi.*

§.25. Necnon inter eos quaſcumque conſtitutiones particulares, quas ad hujuſmodi Congregationis, ſeu Religionis finem, & Omnipotentis Dei gloriam, proximique utilitatem conformes eſſe, & conducere judicaverint, & condere, & tam hactenus factas, quam in poſterum faciendas conſtitutiones ipſas, juxta temporum, & locorum, ac rerum qualitatem, & varietatem mutare, alterare, ſeu in totum caſſare, & aliàs de novo condere, facere, & edere poſſint, & valeant, quæ poſtquàm mutatæ, ſeu de novo conditæ, editæ, ac ab Urbis Vicario examinatæ, & approbatæ fuerint, eo ipſo dicta Apoſtolica auctoritate confirmatæ, & approbatæ, ac etiam de novo conceſſæ, etiam ſub quacumque data per Præfectum, & ſeu alios Superiores dictæ Congregationis eligenda, ſint, & eſſe cenſeantur, dummodo tamen ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ipſiuſque Congregationis Regularibus inſtitutis non contrarientur, ut præfertur, ſine nova approbatione Sedis Apoſtolicæ, vel primo conditas, vel mutatas ſervare in omnibus teneantur, ſecundùm inſtituti rationem.

*Privilegiorum conceſſio.*

§.26. Necnon etiam eidem Camillo, & ſociis, ac pro tempore exiſtentibus Præfectis Generalibus, aliiſque omnibus, & ſingulis perſonis dictæ Congregationis, ut omnibus, & ſingulis quibuſcumque, etiam ſpeciali nota dignis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, prærogativis, conceſſionibus, & gratiis quorumvis, etiam Ciſtercienſis, Cluniacenſis, ac ſancti Benedicti Monachis, Clericis Regularibus, & Presbyteris Collegialibus Societatis Jesu, & Canonicis Congregationis Lateranenſis, ac quibuſcumque aliis Clericis Regularibus, & aliorum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinum, & Congregationum fratribus, & perſonis, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, in ſpecie, vel in genere, etiam communicativè, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem præfatam quomodolibet conceſſis, quæ tamen ſint in uſu, nec ullis revocationibus comprehenſa, neque decretis dicti Concilii, nec ipſius Congregationis Regularibus inſtitutis contraria, & quibus illi tam in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remiſſiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet uti, potiri, frui, & gaudere poſſunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, perpetuis futuris temporibus uti, potiri, frui, & gaudere, ac illorum omnium participes eſſe poſſint, & debeant pariformiter, & æquè principaliter, abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi Congregationi, Præfectis, Sociis, ac perſonis, & eorum domibus, & Eccleſiis, vel Oratoriis hujuſmodi nominatim, & ſpecialiter, ac generaliter conceſſa fuiſſent.

*Facultas Generalis omnes ſubditos abſolvendi, &c. Tu vide conſt. Clem. VIII. Quæcumque, n. 115.*

§.27. Ac pro tempore exiſtenti Præfecto generali hujuſmodi, ut per ſe, vel alium, ſeu alios ad id per eum pro tempore deputatum, ſeu deputatos, omneſque & ſingulos ejuſdem Congregationis Socios, & perſonas ſub ejus obedientia, diſciplina, & correctione pro tempore degentes, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, ante, vel poſt ingreſſum in dictam Congregationem per eos commiſſis, necnon à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, non tamen nominatim, quomodolibet latis, & promulgatis, & hujuſmodi ſententiis innodatos, aut in locis Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis divina officia celebrantes, & ſuſcipientes, & cenſuris hujuſmodi ſic ligatos, & propter ea, aut alias ex quocumque capite, vel cauſa, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, ac membrorum mutilationum irregularitatem incurrentes, Apoſtolica auctoritate in foro conſcientiæ tantum abſolvere, necnon cum eis, ſi opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abſterſione inhabilitatis, & infamiæ maculæ diſpenſare, ita tamen, quod ſic abſoluti, & diſpenſati pro tempore, ſi ab hujuſmodi Congregatione quandocumque egrediantur, eo ipſo in priſtinas ſententias, & cenſuras, à quibus eos abſolvi contigerit, relabantur, & reincidant.

*Facultas omnium profeſſorum ſuſcipien. Ordines à quocumque Antiſtite.*

§.28. Ipſiſque Sociis & Fratr. expreſsè profeſſis Cōgregationis hujuſmodi, & eorum ſingulis, ut à quibuſcumque maluerint Catholicis Antiſtitibus gratiam, & communionem dictæ Sedis habentibus, ad ſacros, etiam Presbyteratus ordines, ſub titulo paupertatis Congregationis

hujuſmodi promoveri, de licentia tamen Præfecti, ſeu alterius eorum Superioris, ſecundum eorum conſtitutiónes, ipſique Antiſtites ordines ipſos hujuſmodi Sociis, abſque obedientia, & omni alia promiſſione, vel obligatione conferre.

*Facultas Generalis diſpenſandi ſup. defectu natalium.*

§. 29. Ac dicto Præfecto generali pro tempore exiſtenti, ſeu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Provincialibus dictæ Congregationis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis, ac Locatenentibus, ut cum ejuſdem Congregationis perſonis defectum natalium, etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coïtu provenientem patientibus, poſtquam in dicta Congregatione vota emiſerint, ut defectu hujuſmodi non obſtante, ad quoſcumque ſacros, etiam Presbyteratus ordines promoveri, & in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, necnon ad quaſcumque adminiſtrationes, perſonatus, præeminentias, & officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & aſſumi, illaque gerere & exercere.

*Aliaque loca recipiendi.*

*Tu vide Bullam 99. Clem. VIII. Quoniam.*

§. 30. Ac Præfecto, & Sociis Cõgregationis hujuſmodi, ut quæcumque loca, & domus ad inhabitandum eis donata, vel ab illis quomodolibet habita, in domos, & Oratoria Ordinis, & Congregationis hujuſmodi erigere, facere, ſeu erigi procurare, abſque nova dictæ Sedis deſuper obtinenda approbatione, liberè, & licitè poſſint, & valeant. Necnon ſi contingat Præfectũ, & Socios ipſos aliquam domum, Eccleſiam, Oratorium, ſeu quemvis alium locum dictæ Congregationis ædificare, & conſtruere, ſeu id per alicujus perſonæ teſtamentum mandari, vel quovis modo offerri domum, Eccleſias, ſeu Oratoria, vel loca hujuſmodi, etiam omnibus ad id neceſſariis, & opportunis conſtrui, & ædificari, ac locum pro hujuſmodi conſtructione oblatum recipi poſſe, ipſaſque domos, Eccleſias, Oratoria, & cellas ubilibet per dictos ſocios pro tempore cõſtructa, vel eis donata, eo ipſo quo ædificata, vel donata fuerint, Apoſtolica auctoritate erecta, approbata & cõfirmata, ac bona quæcumque pro domorum, vel Oratoriorum hujuſmodi, vel perſonarum inibi commorantium ſuſtentatione, & manutentione, per quoſque Chriſti fideles pro tempore donata, relicta, & legata, eo ipſo, prædicta auctoritate perpetuò applicata, & appropriata eſſe, & cẽſeri, Eccleſiaſque, & Oratoria præfata cũ cœmeteriis per quoſcumque Epiſcopos benedici, ſeu conſecrari, & quovis modo polluta reconciliari poſſint, & debeãt, perpetuò concedimus, & indulgemus, ſtatuimus, & ordinamus.

*Appellatio à correctione prohibetur.*

§. 31. Et volumus quod à correctione regulæ Congregationis hujuſmodi, ſecundùm ordinationes factas, ut vigor diſciplinæ meliùs conſervetur, appellari, aut talis appellatio per ullum Judicem admitti, nec ab officiis abſolutio, aut privatio peti nullatenus poſſit.

*Et impetratio Prælaturarum.*

*Tu ad hoc vide Bullam Clem. VIII. cit. in rub.*

§. 32. Nec Præfectus generalis dictæ Congregationis pro tempore exiſtens aliquam dignitatem extra Religionem, ſeu Congregationem ipſam, ſine ejuſdem, ſeu illius Congregationis expreſſa licentia, nec aliquis ex ſociis hujuſmodi, abſque conſenſu dicti Præfecti generalis, & expreſſa licentia, quæ dari non valeat, niſi ad id à Romano Pontifice per obedientiæ præceptum pro tempore fuerint coacti, prælaturæ, vel quamcumque aliam dignitatem acceptare, vel ad illam aſſumi queant.

*Et alteri quã Præfecto confitendi.*

§. 33. Necnon quod quilibet ex Sociis Congregationis hujuſmodi peccata ſua proprio Præfecto, vel ab eo deputato, ſeu deputatis, & aliàs ſecundum ordinationes Congregationis præfatæ deſignatis, ſeu deſignandis, confiteri debeat, niſi ſuper hoc à dicto proprio Præfecto alium Confeſſorem eligendi facultatem habuerit.

*Ad alioſque Ordines tranſeundi.*

§. 34. Ac inhibemus, ne quis poſt emiſſa vota, ſecundum conſtitutiones, ſeu ordinationes ejuſdem Congregationis, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem præfatam approbatum (Carthuſienſium Ordine dumtaxat excepto) transferri, egreſſi verò alias, quam ut præfertur, de Ordine, ſeu conſortio hujuſmodi, in nullo alio præterquam Carthuſienſium Ordine prædicto admitti, recipi, vel retineri poſſint.

*Apoſtatæ coërcentur.*

§. 35. Ipſi Præfectus generalis, & alii inferiores Præfecti ejuſdem Congregationis, per ſe, vel alios, illos ſic egreſſos, & alios quoſcumque dictæ Congregationis apoſtatas, & etiam alios quoſvis inſolentes, & qui id genreri videbuntur, in quocumque habitu apoſtatas præfatos contigerit reperiri, excommunicare, capere, incarcerare, coërcere, & aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere, necnon ad id, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſæcularis invocare.

*Co... neri... recip... Tu... lam... Qu... qu.*

§. 36. Inſuper Præfecto generali, vel de ejus licentia aliis locorum Præfectis, ſeu ſuperioribus dictæ Congregationis, etiam pro tempore exiſtentibus, ut in ſua Congregatione quoſcumque alios ſæculares, laïcos, ſeu in Presbyteratus ordine conſtitutos aggregare, & adjicere, pro piis miſericordiæ, & charitatis operibus hujuſmodi exercendis, qui ſic aggregati, omnibus, & ſingulis indulgentiis, & gratiis ejuſdem Congregationis gaudeant, & potiantur, & gaudere, ac potiri debeant, & illas conſequantur, dummodo ea opera faciant, & exerceant, quæ pro eiſdem indulgentiis, & gratiis conſequendis fuerint præſcripta.

*Di... cia... tur.*

§. 37. Necnon Præfecto generali, & aliis Superioribus, necnon de eorum etiam facultate, univerſis fratribus, & ſociis Congregationis Miniſtrantium Infirmis hujuſmodi, in Presbyteratus ordine conſtitutis, ut in locis ubi degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis Miſſas, & alia divina officia celebrare, ac Eccleſiaſtica Sacramenta recipere liberè, & licitè poſſint, & valeant reſpectivè, etiam concedimus, & indulgemus.

*Exim... Ordin... ſuperi... iuxta... Tride...*

§. 38. Ipſamque Congregationem Miniſtrantium Infirmis, & univerſos illius ſocios, & perſonas ſingulas, ac eorum bona, & res quaſcumque ab omni Superioritate, juriſdictione, correctione, & viſitatione quorumcumque locorum Ordinariorum, & Epiſcoporum, ſalva tamen decretorum dicti Concilii diſpoſitione, eximimus, & penitus liberamus.

*Pri... omni... dimu...*

§. 39. Necnon privilegia, indulgentias, prærogativas, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, Monachis, & Fratribus, ac Societati JESU, & Canonicis, aliiſque perſonis ſupradictis, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, tam in ſpecie, quam in genere, etiam communicativè conceſſa, ut præfertur, ad Præfectum generalem, etiam pro tempore exiſtentem, alioſque ſocios, & etiam particulares Congregationis hujuſmodi Miniſtrantium Infirmis, perpetuò extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere, & ſuum plenarium effectum ſortiri debere decernimus, & declaramus.

*Indul...*

§. 40. Et inſuper animarum profectui providere volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur, die primi illorum ingreſſus, & receptionis, ac emiſſionis profeſſionis, necnon qui ſimiliter pœnitentes, & confeſſi, ſi id commodè fieri poterit, ac dicta communione refecti, in dicta Congregatione pro tempore deceſſerint, in eorum mortis articulo, præſertim in proximi ſubventionem, ratione peſtis, ſeu cujuſcumque alterius morbi contagioſi, in forma Jubilæi Anni S. Romæ concedi ſoliti, necnon etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refectis in piorum operum miſericordiæ, & charitatis exercitio perſeverantibus, ſingulis primis diebus Dominicis cujuſlibet menſis, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Ac eiſdem Sociis, & Religioſis dictæ Congregationis, & in ea aggregatis, ut etiam omnibus, ut præfertur, & ſingulis indulgentiis, quibus ipſimet Religioſi gaudent, & eos gaudere, ac potiri volumus, quotieſcumque Infirmis præſto fuerint, ac illos noctu viſitaverint, & curaverint, eorumque lectos faciendo, ac illis ad manducandum porrigendo, & auxiliando, ac diſponendo ad benè moriendum, & viam ſalutis, ac Doctrinam Chriſtianam illos docendo, ac denique omnia officia charitatis, vel ſpiritualia, vel corporalia, quæ ad animarum ædificationem pertinent, exercendo, & Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrando, cæteraque ſimilia præſtiterint, pro quolibet præmiſſorum piorum operum, necnon omnibus, & ſingulis officialibus & miniſtris, ac aliis perſonis dictæ Congregationis ob infirmitatem, vel

propter

propter obedientiam, ſeu alia de cauſa domi remanentibus, ſi quinquies Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam devotè recitaverint, etiam viginti annos, & totidem quadragenas de eis injunctis, & alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Ac quod omnes, & ſinguli utriuſque ſexus benefactores hujus Congregationis, poſſint eſſe participes omnium operum meritoriorum quæ in Congregatione hujuſmodi pro tempore fient, etiam concedimus, & indulgemus.

§. 41. Decernentes eaſdem præſentes literas, ſub quibuſcumque ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam in favorem Baſilicæ Princ. Apoſt. de dicta Urbe, ſeu Cruciatæ S. aut etiam per nos, ſeu per alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac dictā Sedem, etiam Motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quorumvis Imperatorum, & Regum inſtantiam pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri debere.

§. 42. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Card. & cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoráter contigerit attētari.

§. 43. Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Oſtien. & Tuſculan. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarū Curiæ Cameræ Apoſt. generali Auditori per Apoſtol. ſcripta Motu pari mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorū, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ubi & quando expedierit, ac quoties pro parte Præfecti, & Sociorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præinſertis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritatē noſtra præmiſſa omnia obſervari. Non permittentes Præfectum, ac ſocios præfatos deſuper à quoquā quomodolibet moleſtari, ſeu inquietari, contradictores dicta auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

§. 44. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur ne Mendicantes loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi expreſſam mentionem faciente, necnon dicti Sixti prædeceſſoris, ac Pictavien. Concilii contra illegitimos, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtra de non concedendis indulgentiis ad inſtar, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ciſterc. Cluniac. S. Benedicti, Mendicantium & Societatis Jeſu, & Canonicorum Lateran. Ordinum hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis per quoſcumque Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros præfatos, ac nos & dictam Sedem, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam pluries conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè, Motu pari derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbū de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 45. Volumus autem, quod earundem præſentium tráſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Canonici Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhiberetur, quæ præſentibus eiſdem adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

§. 46. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, conceſſionis, appoſitionis, ſuſceptionis, admiſſionis, indulti, ſtatuti, ordinationis, exemptionis, liberationis, extenſionis, ampliationis, decreti, declarationis, relationis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Petri & Pauli Apoſt. ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1591. Kal. Octob. pontificatus noſtri anno primo. *D. P. A. 1. die 21. Sept.*

---

## XVIII.

Confirmatio gratiarum, & indultorum Eremi Camaldulenſis, Congregationiſque dicti eremi, & S. Michaëlis de Murano Ordinis Camaldulenſis ſub Regula S. Benedicti, cum Privilegiorum quibuſcumque aliorum Religioſorum, etiam Mendicantium Ordinibus conceſſorum & concedendorum communicatione.

*Alia de hoc Ordine Camaldulenſi indicavi ſup. in conſt. 5. Alexand. II.* Nulli, *Privilegia autem ſignanter vide ſup. in Alex. IV conſt.* 11. Officii, *& in Leon. X. conſt.* 2. Etſi, *ac Pii V. conſt.* 41. Etſi Mendicantium, *in fin.*

*GREGORIVS PAPA XIV.* *Edita An. D. 1591.*

*Ad futuram rei memoriam.*

EX injuncto nobis deſuper Apoſt. ſervitutis officio ad ea quæ à prædeceſſoribus noſtris pro Eccleſiaſticarum, præſertim Regularium perſonarum, quæ ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantur, directione, & tráquillitate ſtatuta, & conceſſa fuerunt, conſervanda, & augenda libenter inducimur, ut Apoſt. gratiis & favoribus circumſepti, & muniti, cum majori quiete, ac devotionis fervore ſub regularis vitæ obſervantia, ac Monaſtica diſciplina vivere, ac Deo Optimo Maximo preces fundere liberius valeant. *Proœmium.*

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Generalis & Viſitatorum, ac Prioris Eremi, necnon Congregationis ejuſdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano Camaldulen. Ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs felicis recordationis Leo X. Clemens VII. Paulus III. Julius etiam tertius, Gregorius XIII. & Sixtus V. ac alii etiam Romani Pontif. prædeceſſores noſtri, tunc exiſten. Generali & Viſitatoribus, ac Priori Eremi, necnō Congregationis ejuſdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano, diverſa privilegia, facultates, & indulta, ac gratias ſpirituales & temporales conceſſerunt, omniaque & ſingula privilegia, indulta, facultates, & gratias, ac conceſſiones ipſis, ac perſonis, domibus & bonis eorundem eatenus, tam Apoſtolica, quàm Ordinaria, Imperiali vel Regia auctoritatibus quomodolibet conceſſa, & & conſuetudine legitima præſcripta acquiſita, Apoſtolica auctoritate, certis modo & forma confirmaverunt. *Plures Romani Pont. Congregationi indulta conceſſerant.*

§. 2. Ac inter alia ſtatuerunt & voluerunt, quod Monaſteria, Prioratus, Eccleſiæ, Hoſpitalia, Capellæ, & loca dicti Ordinis & Congregationis, tunc & pro tempore exiſtentia, ac eorum quodlibet, necnon Abbates, Priores, Abbatiſſæ, Fratres, & Sorores, ac perſonæ in eis degentes, jus & protectionem Beati Petri & Sedis Apoſtolicæ, ac ſub eorum & ſua protectione eſſent. *Et loca eiuſdem ſub Sedis Apoſt. protectione ſuſceperunt.*

§. 3. Eademque Monaſteria, Eccleſiæ, Prioratus, & loca manualia, grangiæ, poſſeſſiones, & bona, ac Prælati & perſonæ Congregationis prædictæ, ab omni impoſitione, *Exemeruntque ab omni collecta, decima &c.*

exactione, collecta, decima, charitativo ſubſidio, ac alio quocumque reali ac perſonali, mixto munere, vel gravamine, omninò immunes eſſent & exempti.

*Loca omnia Congregationi juncta, per eius prælatos conferri mandarunt.*

§.4. *Statuto præterea, quod omnia & ſingula Monaſteria, Hoſpitalia, Prioratus & beneficia Eccleſiaſtica, & loca* eidem Congregationi unita & aggregata, ſeu in poſterum aggreganda per quoſcumque, cujuſvis dignitatis fuerint, in titulum vel commendam obtenta, cum primùm per deceſſum illa obtinentium vacarent, ad eundem Ordinem effectualiter reverterentur, & Congregationi prædictæ *hujuſmodi pleno jure, & cum effectu* aggregarentur, poſſentque Prælati & alii, qui beneficia & loca aliqua dicti Ordinis, in titulum vel commendam haberent, titulo & adminiſtrationi dictorum locorum in manibus Generalis, & Capituli cedere, qui poſſeſſiones hujuſmodi admittendi poteſtatem habere intelligerentur ad hoc, ut eidem Congregationi unirentur, & effectualiter aggregarentur, ita tamen, ut loca, quæ ſic applicari contingeret, Monachis dictæ Religionis juxta eorum inſtituta concedenda, debitis propterea non fraudarentur obſequiis, ſed per Prælatos Monaſteriorum vel locorum quibus applicata forent, & annexa, onera & officia conſueta implerentur.

*Prælatorum ejuſdem Monaſterii profeſſorum numerum taxarunt.*

§.5. Inſuper ſtatuerunt & ordinarunt, quod & ejuſdem Ordinis Prælatorum numerus augeri non poſſet, nec plures eſſent quam ſeptem, qui eſſent ejuſdem Monaſterii profeſſi, excepto tamen Generali, qui in dicto numero non comprehenderetur.

*Generali poteſtatem abſolvendi Monachos, &c. ampliſſimam dederunt.*

*Tu vide moderationem Clem. VIII. in eius bulla 115.*

§.6. Ac propterea eidem Generali pro tempore exiſtẽti ut Monachos, ac Moniales d. Congregat. à quibuſvis etiam majoris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus pro tempore irretiti forent, etiamſi illorum abſolutio dictæ Sedi ſpecialiter vel generaliter reſervata foret, ſatisfacto tamen iis ad quorum inſtantiá cenſuræ ipſæ forſan emanaverant, ac à quibuſvis irregularitatibus, tam de jure quàm ex ipſius Eremi conſtitutionibus, & regularibus inſtitutis, quomodolibet provenientibus, & quibuſcumque aliis peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, quod de illis eſſet Sedes prædicta meritò conſulenda, & dictæ Sedi qualitercumque reſervatis, exceptis cõtentis in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta, quoties opportunum foret, eorum cõfeſſionibus diligenter auditis, abſolvere, ac eis pro commiſſis pœnitentiá ſalutarem injungere, ac ſeipſum, etiam à quocumque alio Prælato vel Eremita Sacerdote vices ſuas illi cõmittendo, abſolvi facere liberè & licitè poſſet, facultatem conceſſerunt.

*Priori & Eremitis Camaldulen. omnia indulta Eremi S. Romualdi communicarunt.*

§.7. Eiſdemque Priori & Eremitis Eremi hujuſmodi, quod omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, conceſſionibus, indulgentiis, & gratiis Eremitis S. Romualdi, aliàs de Maſſalio, in genere quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, ac quibus Eremitæ Congregationis S. Romualdi hujuſmodi utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, uti, gaudere & potiri liberè & licitè poſſent.

*Dubiaque deſuper orienda in favorem Congreg. interpretari decreverunt.*

§.8. Et quod quicquid dubii in dictis privilegiis, conceſſionibus, & gratiis emerſerit, id data verborum ambiguitate, ac juris peritorũ interpretatione, in favorem Cõgregationis, & locorum particularium ejuſdem interpretari deberet, ſtatuerunt & ordinarunt, prout in diverſis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis literis & ordinationibus vivæ vocis oraculo factis pleniùs continetur.

*Hic modò Pont. prædicta omnia confirmat.*

§.9. Quare pro parte Generalis, & Viſitatorũ, ac Prioris Eremi, necnon Congregationis ejuſdem Eremi, ac S. Michaëlis de Murano hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſingulis prædictis, cæteriſque in eiſdem literis contentis robur noſtræ approbationis adjicere, & aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur. Nos igitur eoſdem Generales & Viſitatores, ac Priorem Eremi, necnon Congregationem ejuſdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano, ac ſingulares perſonas Monaſteriorum & locorum eorundem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, precibus etiam Venerabilis fratris noſtri Ptolomæi Epiſcopi Tuſculanenſis S. R. E. Card. Comenſis nuncupati, ejuſdem Ordinis & Religionis Camaldul. Protectoris inclinati, eoſdemque Generalẽ, & Viſitatores prædictos à quibuſvis excommunicationibus & cenſuris, ac ſingularũ literarum prædictarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſerantur, præſentibus pro expreſſis habẽtes, ceſſiones, uniones, aggregationes, & incorporationes *ſingulorum Monaſteriorum, Eccleſiarum, Hoſpitalium, Beneficiorum & locorum quorumcumque, in eiſdem prædeceſſorum literis, & præſertim Leonis X.* expreſſorũ, eidem veſtræ Cõgregationi vigore eorundẽ indultorum Apoſtolic. & facultatum hujuſmodi hucuſque factas, & quæ effectũ ſortitæ ſunt, ratas & validas, ac efficaces exiſtere decernimus & declaramus. Necnon uniones & aggregationes hujuſmodi, ac omnia & ſingula privilegia, facultates & indulta præmiſſa, prout expreſſa sũt, necnon omnia & quæcumque alia privilegia, indulta, cõceſſiones, exemptiones, immunitates, facultates & gratias, tam ſpirituales quàm temporales, Generali, Viſitatoribus, Priori, & Cõgregationi, ac Ordini prædicto, necnon Monaſteriis, Eccleſiis, domibus & locis, illorumque ſingularibus perſonis, tam per dictos prædeceſſores, quàm alias quomodolibet dicta auctoritate Apoſt. conceſſa, necnon ſingulas dictorum prædeceſſorum literas, ac omnia & ſingula *in illis* contenta, & inde ſecuta quæcumque, quatenus ſint in uſu, & prout hactenus obſervata fuerunt, Apoſtolica auctoritate prædicta, ex certa noſtra ſcientia tenore præſentium approbamus, cõfirmamus & innovamus, illiſque perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti, ac ſolemnitatum quarumcumque quomodolibet omiſſarum, alioſque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, unioneſque & aggregationes, ac omnia alia & ſingula præmiſſa, & in eiſdem literis contenta, & comprehenſa, ac ſuperius expreſſa, eiſdem Generali, Viſitatoribus, Priori, & Congregationi, ac prædictis, eorumque perſonis & Miniſtris, & cuilibet eorum, auctoritate & tenore prædictis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuò concedimus & indulgemus.

§.10. Ac diſtrictiùs præcipiendo mandamus quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac locorum Ordinariis quibuſcumque, ut ſuper privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, facultatibus, gratiis hujuſmodi, tam ſpiritualibus quam temporalibus, eoſdem Generalem & Abbates, etiam ratione Viſitationis, correctionis, aut alio quovis prætextu, etiam reſpectu Monaſteriorum Monialium ejuſdem Ordinis, ſub cura & gubernio Generalis & Abbatum prædictorum exiſtentium, ullatenus moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant vel præſumant.

§.11. Ac præterea volentes eoſdem Generalem, Viſitatores, Priorem Eremi, necnon Congregationis ejuſdem Eremi, ac Sancti Michaëlis de Murano, ac Ordinem prædictum Camaldulenſem amplioribus favoribus & gratiis proſequi, eiſdem Generali, Viſitatoribus, Priori, Monaſteriis, domibus, & locis Ordinis & Congregationis prædictæ omnia & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, juriſdictiones, antelationes, favores, facultates, declarationes, diſpoſitiones, immunitates, exemptiones, indulta, cujuſcumque generis exiſtentia, necnon indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remiſſiones, & cæteras gratias ſpirituales & temporales, quibuſvis aliis Regularium Congregationum Ordinibus, eorumque Monaſteriis, tam virorum, quàm mulierum, eorumque Generalibus, Abbatibus, aliiſque Superioribus & perſonis eorundem, in quibuſcumque Mundi partibus exiſtentibus, aliàs quomodolibet conceſſa & concedenda, ac quibus de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, Regia, Imperiali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, in genere vel in ſpecie, tam conjunctim, quam diviſim, etiam per viam communicationis & extenſionis aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri & gaudere quomodolibet poſſunt & poterunt in futurum, etiamſi talia ſint vel fuerint, quæ ſpecialem & individuam requirerent mentionem, ſeu præſentibus de verbo ad verbum inſertionem, & ſeu particularem conceſſionem, eiſdem auctoritate & tenore perpetuò communicamus, extendimus & concedimus. Ita quod iidem Generalis, Viſitatores, Monaſteria, & loca prædicta, ut præfertur, ac eorum Prælati, Fratres, & perſonæ prædictæ, ac eorum res & bona, ſub

eorum

eorum cura, & ſecundùm ejuſdem Congregationis inſti- tuta, nunc & pro tempore viventes & exiſtentes, præ- miſſis, omnibus & ſingulis, æquè pariformiter, & abſque ulla penitus differentia, perinde ac ſi illis, & eorũ ſingulis perſonaliter & ſpecialiter, & expreſſe ac nominatim, necnon ad inſtar conceſſa eſſent, in quantum eidem Cõgregationi expediat, (dummodo ejuſdẽ Congregationis regularibus Ordinibus, ejuſque gubernio, privilegiis, conſtitutionibus & definitionibus non adverſentur) uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè poſſint, & valeant.

§. 12. Inſuper cùm ejuſdem Ordinis & Congregationis Prælati, qui ſint ejuſdem Monaſterii profeſſi, plures quam ſeptem, excepto Generali, qui in dicto numero nõ computatur, Ordinationibus Apoſtolicis minimè eſſe valeant, tenore præſentium, eadem Apoſtolica auctoritate numerum Prælatorum dictæ Congregationis augemus, ita quod futuris temporibus octo Prælati ejuſdẽ Monaſterii profeſſi (excepto Generali, quem in dicto numero volumus non comprehendi) eſſe poſſint & valeant; ac præſertim in his dictæ ſuæ Congregationis, Monaſteriis, Eccleſiis, videlicet Sanctæ Mariæ à Puteo, Stratæ, Taurinenſis, Sancti Viti in Carcubio, Mediolanen. Sanctorum Catharinæ & Romualdi Cremon. necnon S. Auguſtini de Baſſiano de Abrutio, etiam S. Nicolai de Corna ejuſdem Provinciæ Abrutii Pennen. ſuos Abbates & Prælatos eligere, deputare, ac inſtituere, ut & in aliis ſuis Monaſteriis dictæ Congregationis, poſſint & valeant.

§. 13. Decernentes ſic & non aliter per quoſcumque Iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam locorum Ordinarios, ac S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, Vicelegatos, Sedis Apoſtolicæ Nuntios, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Et nihilominus eidem Venerabili fratri noſtro Ptolomæo Epiſcopo Tuſculan. S.R.E. Card. Comẽſi, ejuſdem Congregationis & Ordinis Protectori nunc & pro tempore exiſten. ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes cõmittimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundẽ Generalis, Viſitatorum, Prioris Eremi, & Congregationis prædictæ, aut alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicãtes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eiſdem præſentes literas, & in eis quæcumque inviolabiliter obſervari, ac plenum effectum ſortiri, necnon Generalem, Viſitatores, Abbates, Priores, & Monachos prædictos, & eorũ ſingulos omnibus præmiſſis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos & eorum quemlibet deſuper contra præſentium tenorem ſub quovis prætextu, etiam ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, etiam defectu intentionis noſtræ per quoſcumque quomodolibet moleſtari, perturbari, vel impediri. Contradictores quomodolibet & rebelles, etiam per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 15. Non obſtan. noſtra de non concedendis indulgentiis ad inſtar, ac fel. recordat. Bonif. Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, & in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, etiã juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus & decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Legatis, Nũtiis, & Ordinariis, ac Congregationibus & Ordinibus prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, & decretis irritantibus, in genere vel in ſpecie per quoſcumque Rom. Põt. prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam, etiam Motu ſimili, & cõſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet conceſſis, & etiã iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, etiamſi in eis caveretur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo & formis derogari poſſit, illorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficiẽter expreſſis habẽtes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ad effectũ præmiſſorum derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 16. Volumus autem, ut præſentibus noſtris literis per quaſcumque revocationes, ſeu Apoſt. conſtitutiones, ſub quibuſcumque verborum formis, etiamſi Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine emanaverint, derogari non poſſit, niſi eorundẽ privilegiorum, & præſentium totus tenor de verbo ad verbũ inſeratur, ac de omnibus & ſingulis dictæ Congregationis Monaſteriis nominatim ſpecifica mentio fiat. *Clauſula præſervativa.*

§. 17. Quodque eorundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Prælati dicti Ordinis, aut Protectoris, ac Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Congregationis, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides adhibeatur in judicio & extra, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exibitæ vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcat. die 24. Septembris 1591. Pont. noſtri anno primo. *D.P.A. 1. die 24. Sept.*

## Moderatio indultorum S.R.E. Cardinalium ſuper collatione beneficiorum. XIX,

*Aliam moderationem edidit Pius V. ſup. in eius conſtit.* 57. Sanctiſſimus. *Et aliam quam videas, edidit poſtremò Paulus V. in Conſt.* 58. Sanctiſſimus, *ubi notabo.*

Quod Capitula Eccleſiarum Cameralium, quibus S.R.E. Cardin. præſunt, ex indultis conferendi Beneficia Eccleſiaſtica reſervata, vel affecta eiſdem Cardin. conceſſis, nullum jus prætendere poſſint, declaravit Sanctiſſ. D.N. Vrban. VIII. conſt. 59. *Accepto*, inf. tom. 4. Quã conſt. 60. *Licet*, declaravit quod S.R.E. Cardin. Eccleſiarum Præſules, indulto conferẽdi Beneficia Eccleſiaſtica ratione Eccleſiarum, quibus præſunt, vel quarum regimini ultimo loco ceſſerunt, dumtaxat uti poſſint.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater & D.N.D. Greg. divina providentia Papa XIV. ex quibuſdam contra diſpoſitionem communis S.R.E. Cardin. ſuper collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum apud Sedem Apoſtolicam vacantium conceſſis indultis & facultatibus, ſæpenumero impeditus quo minus ſolitam Sedis hujus benignitatem erga pauperes, & benemeritos liberaliter exercere poſſit ac ſimul volens litibus obviare, quæ ſuper illorum interpretatione oriuntur, fel. rec. Pii Papæ V. ſui prædeceſſoris veſtigiis in hac parte inhærendo. *Edita An. D. 1591.*

§. 1. Omnia & quæcumque indulta, conceſſiones, facultates, & privilegia conferendi quæcumque apud Sedem Apoſtolicam vacantia, aut in poſterum vacatura beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, ſæcularia & quorumvis Ordinum regularia, quomodocumque qualificata, ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem, tam dictorum Cardinalium ratione Patriarchalium, Metropolitan. & Cathedralium Eccleſiarum, non tamen earum quibus in titulum aut denominationem ſui Cardinalatus præſunt, circa quæ aliquid de novo diſponere non intendit *Moderatio indultorum S.R.E. Card. ſuper collatione beneficiorum.*

tendit, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ quomodolibet obtinent, & impoſterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio, proviſio, & quævis alia diſpoſitio illis ex cauſa factæ per eos ceſſionis, regiminis, & adminiſtrationis, ſeu commendæ, aut reſignationis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum hujuſmodi beneficiorum, Apoſtolica auctoritate reſervata, &c. exiſtit, vel in poſterum reſervabitur, quam etiam aliorum quorumcumque inferiorum collatorum, aut collatricum, conjunctim vel diviſim, de jure, privilegio, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet pertinentia, ac etiam illa commendandi, ac alias de eis diſponendi, vel de conſenſu ipſorum Cardinalium requirendo in proviſione eorumdem beneficiorum apud Sedem prædictam, ut præfertur vacantium, per Sanctitatem ſuam facienda, & quod ſine cõſenſu hujuſmodi factæ proviſiones, & quævis aliæ diſpoſitiones nullæ & irritæ ſint, omnibus & ſingulis Cardinalibus prædictis per quoſcumque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem ſuam, & dictam Sedem, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & conſiſtorialiter, ac etiam ex pactis inter dictos Pontifices & Cardinales diverſis temporibus factis, firmatis, & juratis, ac quibuſvis onerofis, & aliis cauſis conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, innovata ac extenſa, quibuſcumque concepta formulis, ac etiam reſtitutivis, mentis atteſtativis, præſervativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon vim contractus inducentibus, ac irritanti, & quod ſine eorum conſenſu derogationes pro tempore factæ nemini ſuffragentur, aliiſque decretis ſuffulta, quorum omnium tenores Sanctitas ſua haberi voluit pro expreſſis, ſpecialiter & expreſſe revocavit, literaſque Apoſtolicas deſuper confectas, & quoad ea in quibus illa effectum nondum ſortita erant, & inde ſecuta quæcumque caſſavit, annullavit, vireſque, & effectum de cætero non habere decrevit.

*Declaratio.* §. 2. Salva tamen remanente facultate conſenſus per ipſos Cardinales in proviſionibus Apoſtolicis beneficiorum per obitum familiarium continuorum commenſalium eorundem Cardinalium, etiam apud Sedem prædictam vacantium, præſtandi juxta formã Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ ſuper hoc editæ, & in caſibus tantùm in ipſa Regula expreſſis. Volens ulterius quod eadem beneficia per obitum familiarium, continuorum commenſalium eorundem Cardinalium poſthac, tam apud eandem Sedem quàm extra Romanam Curiam vacantia, etiamſi ad alicujus alterius Cardinalis collationem, vel aliã diſpoſitionem pertinere deberent, etiamſi tunc ceſſent aliæ Apoſtolicæ reſervationes hactenus editæ, nihilominùs in poſterum diſpoſitioni Sanctitatis ſuæ reſervata cenſeantur, itaut in proviſionibus talium beneficiorum ſuper expeditionibus literarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus extitit, ſi ipſe Cardinalis tunc præſens in eadem Curia fuerit, conſenſus requiri omninò debeat, non autem beneficia hujuſmodi ad collationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Cardinalis ordinarii collatoris ullo modo pertineant, nec ejuſdem Cardinalis ordinarii collatoris, etiamſi in Romana Curia præſens fuerit, conſenſus quoquo modo requiratur. Eaſdemque conſtitutiones, & Regulas Cancellariæ, etiam declaratorias ſuper beneficiis familiarium prædictorum Cardinalium editas, tam quoad Cardinales indulta hujuſmodi habentes, quam non habentes, atque adeo indulta ipſa ad terminos præſentis conſtitutionis reduxit & moderatus fuit.

*Decretum irritans.* §. 3. Decernens ſic in iis, cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcumque, &c. etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & eoſdem Cardinales, ſublata, &c. necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque etiam prætextu facultatum, indultorum & conceſſionum hujuſmodi, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorũ.* §. 4. Prædictis & quibuſvis aliis Regulis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

*Papa ſubſcr.* Placet publicetur & deſcribatur.



INnocentius Papa Nonus, Bononienſis, Ioan. Anton. Facchinettus antea dictus, Presb. Card. tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum. Creatus tertio Kal. Novembris. Coronatus tertio Nonas Novemb. Anno Domini 1591. Vixit menſes duos. Creavit Card. duos. Obiit tertio Kal. Januarii Anno Domini 1592. Sepultus fuit in Baſilica Principis Apoſt. Vacavit Sedes dies triginta.

## Confirmatio & extenſio conſtitutionis Pii V. à Greg. XIII. Sixto V. & Greg. XIV. comprobatæ, de non alienandis & infeudandis Civitatibus, & aliis locis Sedis Apoſtolicæ.

*Hæc Pii V. prohibitio eſt in ejus Bulla* 35. Admonet, *ubi plenè tibi indicavi ejus declarationes & ampliationes. Et conſtitutio Greg. XIII. eſt 3. ſup. ac Sixti V. eſt 26. ſup.*

Vide addita ad Leon. I. ſup. lib. 1.

*INNOCENTIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita 159*

*Exordium* QUÆ ab hac Sancta Sede, cui licet indigni, auctore Domino præſidemus, pie & ſalubriter ſancita & ordinata noſcuntur, ea ut perpetuò firma, illibataque permaneant, non ſolùm conſenſus, approbationis & innovationis noſtræ munimine roboranda, ſed etiã declarationis præſidio, quatenus expedire viſum ſit, fulcienda cenſemus. Et præcipuè muneris noſtri eſſe ducimus, ea quæ à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ad patrimonii, dignitatis, & amplitudinis Sanctæ hujus Sedis conſervationem & incrementum laudabiliter diſpoſita, & conſtituta ſunt, in nobiſmetipſis ſervare, & aliis ſervanda tradere & demonſtrare.

§. 1. Sane fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, de conſilio & aſſenſu venerabilium fratrum ſuorum tunc S.R.E. Card. optimam & ſaluberrimam Conſtitutionem edidit, & promulgavit tenoris ſequentis. *Pii V. Conſtitutio ... dicata ... rubr.*

Omittitur inſertio hujus Bullæ, cùm ea ſit poſita in loco tibi in rubr. cit.

§. 2. Quam quidem Conſtitutionem piæ mem. Gregor. XIII. Sixtus V. & Greg. XIV. Rom. Pontif. pariter prædeceſſores noſtri, ſicuti in ea cavetur, ſervare jurarunt, ac per eorum literas approbarunt, confirmarunt & innovarunt, prout in illis plenius continetur. *Confirmationes Gr... Sixti & ... rius Gr... ſunt cit... in rubr.*

§. 3. Nos itaque officii & conſcientiæ noſtræ debito ſatisfacere *Approbatio huius P...*

vifeque capientes, Motu proprio non ad alicujus ſupplicationem, vel ſuper hos oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra in hoc primo ſecreto Conſiſtorio, quod cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus habemus, conſtitutionem prædictam, & omnia in ea contenta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, approbamus & innovamus, eamque inviolabilis firmitatis robur obtinere, plenamque executionem & effectum perpetuis futuris temporibus habere decernimus. Ac præterea eiſdem Motu proprio, ſcientia, deliberatione, & auctoritate aſſentientibus, & approbantibus eiſdem S.R.E. Cardinalibus.

§.4. Declaramus eadem Conſtitutione prohibitam fuiſſe, ac prohiberi omnem & quamcumque infeudationem, & alienationem Civitatum, Terrarum, oppidorum, & Locorum prædictorum, eidem Sedi tam immediatè quàm mediatè ſubjectorum, non ſolum ne fiat, neve attentetur poſt eorum devolutionem, ſed etiam antequam devolvantur, ac omnem & quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem, & extenſionem infeudationum, inveſtiturarum, ac conceſſionum, de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis, nondum finitarum, ipſorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ alienationis, prorogationis & extenſionis hujuſmodi, non à die eorum devolutionis, ſed à die ipſius Conſtitutionis, & etiam antequam illa devolvantur, ipſo jure cum omnibus clauſulis & decretis in prædicta Conſtitutione contentis, Cameræ & Sedi Apoſtolicæ factam cenſeri.

§.5. Inſuper volumus & declaramus, ut promiſſio, & juramentum præſtitum & præſtandum, de ſervanda eadem Pii prædeceſſoris præfati Conſtitutione per nos, & Rom. Pont. ſucceſſores noſtros, ac S.R.E. Card. intelligatur de ipſa Pii prædeceſſoris Conſtitutione, ut ſupra per nos declarata, & ſecundùm hanc noſtram declarationem eandem conſtitutionem ad unguem & inviolatè obſervari oportere ac debere, ſicuti & nos ſervaturos eſſe promittimus, ac ſanctè & ſolemni more juramus.

§. 6. Et ita per quoſcumque Iudices, ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungẽtes, etiam Cameræ præfatæ Præſidentes, Clericos cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, declarari & definiri debere, irritum & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Ac præſentes noſtras literas in libello in quo ipſa Conſtitutio Pii prædeceſſ. cõtinetur, ac in libro Quinterno appellato Cancellariæ Apoſtolicæ deſcribi mãdamus.

§.8. Non obſtantibus iis, quæ idem Pius prædeceſſor voluit non obſtare, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, voluntatis, decreti, promiſſionis, juramenti & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. pridie Non. Novemb. Pont. noſtri Anno 1.

Ego Innocent. Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

Ego Alph. Epiſc. Oſtien. Card. Geſualdus.
Ego Inn. Epiſcopus Portuen. Card. de Arag.
Ego Marcus Ant. Epiſc. Præneſtin. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Epiſc. Tuſculan. Cardinalis Comenſis.
Ego Gabr. Epiſc. Sabinen. Cardin. Paleottus.
P. Michaël Bonellus Epiſc. Albanen. Alexandr.
Marcus Siticus Cardin. ab Altaëmps.
Ludovicus tit. S. Laurentii in Lucina, presbyter Cardin. Madrutius.
Nic. de Pelleve Card. presbyter, tit. S. Praxedis, vulgò de Senonen.
Iul. Ant. Sanctorius tituli S. Barthol. in Inſula, presb. Card. S. Severinæ.
Hier. tit. S. Suſannæ, Card. Ruſtic.
Ego Hieronymus titul. S. Priſcæ Card. Simoncellus.
Petrus tit. S. Hier. Card. Deza.
Alex. Card. Floren. tituli SS. Joannis & Pauli.
Iul. Card. Cananus, tit. S. Anaſtaſiæ.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus, tit. S. Mariæ de Pace.
Aug. Card. tit. Sancti Marci de Verona.
Ego Vincentius tit. S. Clementis Card. Montis Regalis.
Ego Philippus Card. Spinula, tit. S. Sabinæ.
Ego Georgius tit. S. Sixti Card. Razivil.
Ego Simeon Card. de Terranova, tit. S. Mariæ Angelorũ.
Ego Scipio tit. S. Salvatoris in Lauro Card. Lancellotus.
Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Cardin. Caetanus, S.R.E. Camerarius.
Ego Io. Baptiſta, Cardin. Caſtruccius.
Ego Dominicus tit. S. Chryſogoni Card. Pinellus.
Ego Hippolytus Card. Aldobrand. tit. S. Pancratii, Major Pœnitentiarius.
Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula S. R. E. presbyter Card. de Ruvere.
Ego Frater Hieronymus, tituli S. Mariæ ſuper Minervam S.R.E. Presb. Card. Aſcul.
Ant. Maria, tit. S. Agnetis in Agone, Card. Perruſ.
Fr. Conſtantius Cardin. Sarnanus, tit. S. Petri in Monte Aureo.
Ego Guglielmus Card. Alanus, tit. S. Martini in Montibus.
Ego Scipio tit. S. Mariæ de Populo Card. Gonzaga.
Ego Ant. tit. S. Stephani, Card. Saulius.
Ego Evangeliſta tit. S. Matthæi in Merulana presb. Card. Cuſentinus.
Ego Joan. Franciſcus, tit. S. Mariæ in Via, presb. Card. Maurocenus.
Marianus tit. SS. Marcellini & Petri, presb. Card. de Camerino.
Ego Greg. Card. à Montelparo, tit. S. Auguſtini.
Ego P. Card. Sfondratus, tit. S. Cæcil.
Ego Benedict. Juſtinianus tit S. Marcelli.
Ego Auguſtin. tit. S. Laurentii in Pane & Perna, presbyter Card. Cuſanus.
Ego Fr. Maria Card. SS. Quirici, & Julitæ.
Ego Octavius Card. S. Joan. ante portam Latinam.
Ego F. Card. S. Mariæ in Via Lata.
Ego Alexander S. Laurentii in Damaſo, diaconus Card. Montaltus, S.R.E. Vicecancellarius.
Ego Aſcanius Sanctæ Mariæ in Coſmedin, S.R.E. diac. Cardin. Columna.
Ego Federic. S. Nicolai in carcere diac. Card. Borromæus.
Ego Guido SS. Coſmæ, & Damiani diac. Card. Pepulus.
Ego Odoardus S. Adriani diacon. Cardin. Farneſius.
Ego Octavius S. Georgii in Velabro, diac. Card. de Aquaviva.
Ego Flaminius Sanctæ Mariæ in Dominica.

*Anno à Nativit. Domini Noſtri IESV Chriſti 1592. indict. 4. die verò 2. Menſis Ianuarii, tempore Sedis vacantis, per obitum bonæ memor. Innocentii Noni, ſupraſcriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Principis Apoſt. de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtol. & in acie Campi Floræ, per nos Laërtium Cecchetum, & Marcum Antonium S.D.N. Papæ Curſ.* Publicatio

*Hieronymus Lutius Mag. Curſ.*

---

Indulta Inclyti Senatus Populique Romani de reis non condemnandis vigore alicujus reſcripti contra formam juris, & non confiſcanda legitima filiorum, viventibus eorum genitoribus, & neque arbitraria compoſitione recipienda in Dataria, pro licentia dandi dotem ſupra ſummam à Statuto taxatam. II.

*Quoad d. legitimam contrarium remanet deciſum extra Vrbem, ex Bulla Pii IV. n. 2.* Etſi cuncta, §.8. *& conſonat conſt. Sixti IV. n.* 24. Cura, *ſup. Summam verò Dotis à Statuto taxatam eſſe ad ſc.* 5500. *ſquet ex bulla Sixti V. num.* 52. Cùm in una, *in fine.*

*Edita An. D. 1591.* INNOCENTIVS EPISCOPVS Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

*Causa huius concessionis.*

AD Romanum ſpectat Pontificem, inter multas & graves, quas pro communi Chriſtianæ Reipublicæ bono ſuſcipit, curas in eam quoque præcipuo ſtudio incumbere, ut ejus in temporalibus ſubditi, præſertim verò Dilecti filii S.P.Q.R. quorum propria & peculiaris cura ei ſpecialiter commiſſa eſt, non ſolùm à quocumque gravamine, quoad fieri poteſt, immunes reddantur, ſed privilegiis & gratiis in dies amplioribus ornentur. Quare nos & muneris noſtri debito ſatisfacere, & paternam charitatem, ac benevolentiam quam jam pridem erga eos gerimus insigni aliquo monumento teſtatam eſſe cupiêtes, quo & ipſi benignitatem noſtram experti, & alii eorum exemplo in fide, obedientia, ac devotione Sanctæ hujus Sedis alacriori animo perſeverent, atque ad promerendam uberiorem noſtram & illius gratiam in dies magis invitentur.

*Prohibitio reos condemnandi contra ius, vigore alicuius reſcripti.*

§. 1. Primùm quidem hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione abolemus, & ab inclyta Vrbe noſtris volumus exulare temporibus, modum illum procedendi contra reos alicujus criminis, aut delicti, qui licet juxta diſpoſitionem juris communis & ſacrarum Conſtitutionum, ac ejuſdem Vrbis ſtatutorum pœna capitis plecti non debeant, tamen vigore ſpecialis mandati & reſcripti per Roman. Pont. Motu proprio, ſeu aliàs ſignati, pœna ultimi ſupplicii dânantur, & quod nobis licere non patimur, id etiam noſtris ſucceſſoribus indicamus, diſtrictius prohibentes ne in poſterum Iudices quicumque quavis auctoritate fulgentes, reum aliquem contra juris communis, & Apoſtolicarum ſanctionum & ſtatutorum Urbis tenorem, vigore ſeu prætextu reſcriptorum hujuſmodi, quæ contra intentionem concedentis per ſubreptionem exorta cenſeantur, capitaliter condemnare præſumant.

*Prohibitio confiſcandi legitimam filiorum in vita parentum in Vrbe.*

§. 2. Præterea volumus ac præſentium tenore decernimus, quod in eadem Vrbe noſtra, ſi contingat filios viventibus eorum genitoribus, delictum aliquod committere, ipſi parentes quoad vixerint, ad ſolvendam legitimã Portionem de propriis bonis, eiſdem filiis de jure debitam, minimè cogi, aut compelli poſſint, nec contra ipſos delinquentium genitores ad legitimæ portionis prædictæ cõfiſcationem per quoſvis Iudices procedi debeat, ſed in quibuſvis criminalibus cauſis juris communis diſpoſitio, & ſtatuta Vrbis omnino ſerventur; necnon quaſcumque prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones in contrarium forſan deſuper editas, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ad terminos juris, ac dictorum ſtatutorum harum ſerie reducimus, & moderamur, ſtatutaque ipſa in hac parte approbantes, illa adverſus quemcumque contrarium uſum aut Conſtitutionem reſtituimus & revalidamus.

*Prohibitio exigendi pro habitionem pro licentia Dotium, ſupra ſummã ab Vrbis Statuto taxatã.*

§. 3. Et inſuper, quia etiam accepimus uſu receptum eſſe, ut pro obtinẽda derogatione ſtatuti, ſeu reformationum ejuſdem Urbis, ſuper certa Dotium puellarum, quæ pro tempore nubunt, ſumma & quantitate editarum cõpoſitio non certa, ſed arbitraria, iis qui in Dataria, & materiis componendis pro tempore præſident, ſolvatur. Nos ipſius Vrbis Cives & incolas ſpecialibus favoribus & gratiis proſequentes, illos à ſolutione compoſitionis hujuſmodi perpetuò eximimus & liberamus, immuneſque & exemptos eſſe volumus, diſtrictè interdicentes dilecto filio Datario, nunc & pro tempore exiſtenti, ac præfecto cõpoſitionum, cæteriſque Miniſtris, & Officialibus, ne ab iis qui in dicta Vrbe cum aliqua ampliori dote matrimonia contrahentes derogationem hujuſmodi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris impetrabunt, etiamſi Barones, Domicelli, & nobiles fuerint, doſque ipſa longe ultra taxam prædictam ad quamcumque ſummam exceſſiva extiterit, quidquam vel minimum pro ſimili compoſitione ullo modo exigant, necnon ad eam quovis prætextu cuiquam ſolvendam compellant, ſtatuto tamen ipſo ſuper taxa dictarum Dotium nihilominus in ſuo robore permanſuro.

*Clauſula præſervativa.*

§. 4. Decernentes præſentes literas, &c. ex quavis cauſa & quocumque capite de ſubreptionis vel obreptionis ſeu nullitatis vitio, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, ſeu invalidari vel revocari, aut aliàs quomodolibet infringi, ſeu adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari & adimpleri.

*Clauſula ſublata.*

§. 5. Sicque, & non aliàs per quoſcumque Judices & Commiſſarios & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores & S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari, & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula rogatoria.*

§. 6. Quocirca dilectis filiis modernis ac pro tempore exiſtentibus S.R.E. Camerario, ac Vicecamerario, Theſaurario & Clericis Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, necnon Gubernatori, & Senatori ejuſdẽ Vrbis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel quilibet eorum faciant præfatos S.P.Q.R. atque adeo ſingulares illorum perſonas, cæteroſque omnes & ſingulos quos præmiſſa concernunt in futurum, illis pacificè frui & gaudere, non permittentes illos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores per opportuna juris, & facti remedia cõmpeſcendo.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra de non tollendo jure quæſito, quatenus præmiſſorum occaſione cum publico detrimento jus alicui quæſitum dici aut cenſeri quoquo modo poſſit, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, legibus & conſuetudinibus privilegiis quoque, indultis, ac Sixti V. & Gregorii XIV. conceſſionibus ſuper præmiſſis quomodolibet emanatis, aliiſque literis Apoſtolicis tam ſupradictis quàm quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus ac formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficaciſſimis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſciẽtia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac conſiſtorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa, ac ſpecifica mentio ſeu expreſſio habenda, aut quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice & ad effectũ præmiſſorum dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Derogatio contrariorum.*

§. 8. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem originalibus haberetur exhibitis vel oſtenſis.

*Exempli fides.*

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum abolitionum, decretorum, reductionis, moderationis, reſtitutionis, revalidationis, prohibitionis, interdicti, inhibitionis, revocationis, cautionis, annullationis, extinctionis, ac derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri Anno 1. *D. P. A. 1. Dec.*

FINIS SECVNDI TOMI.